

Spectat ad Sanctum Officium.

DE INCONSTANTIA IN IVRE ADMITTENDA, VEL NON.

OPVS IN VARIOS TRACTATVS DIVISVM:

PRIMVS NVNC TYPIS EDITVM INSCRIBITVR DE INCONSTANTIA HOMINVM CIRCA VIRTVTES FIDEI, SPEI, ET CHARITATIS, EARVMQVE ACTVS.

SECVNDVS, DE INCONSTANTIA IN IVDICIIS, QVAMPRIMVM PRÆLO COMMITTENDVS.

TERTIVS, DE INCONSTANTIA IN CONTRACTIBVS.

QVARTVS, DE INCONSTANTIA IN VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

QVINTVS, DE INCONSTANTIA IN CLERICIS, MONACHIS, REGVLARIBVS, ATQVE MONIALIBVS.

QVI TRES VLTIMI TRACTATVS STVDIO, AC DILIGENTIA R. P. D. RAYNALDI DE ALBITIIS AVCTORIS NEPOTIS, AC FRANCISCI ANTONII BVCCIARELLI PATRITII NARNIENSIS A STVDIIS, ET BIBLIOTHECARII EIVSDEM AVCTORIS BREVI FORTASSE LVCEM ASPICIENT.

Auctore

FRANCISCO

TITVLI S. PRAXEDIS

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

ALBITIO.

AMSTELÆDAMI

Sumptibus Ioannis Antonij Huguetan. MDCLXXXIII.

DE INCONSTANTIA IN FIDE.

TRACTATVS PRIMVS.

AVCTOR AD LECTOREM.

POST lauream Doctoratus assumptam in celeberrima Bononiæ Vniuersitate, & post collotum munus publici Professoris tam Pontificij, quam Cæsarei iuris in Patrio Gymnasio, subijt in animum aliquod opus aggredi, quo memoria nominis mei posteris emandaretur: Incidi in Tractatulum Guidonis Papæ, cui titulus, In quibus casibus de iure sit locus pœnitentiæ, & in quibus non, & qualiter, & quando admitti debeat: Sed materiam, quæ in immensum opus excrescere debuerat, doctus ille vir vna, vel altera pagina absoluit, de quo certè miratus sum. Ad manus meas postea peruenit alter Tractatus Ioannis Baptistæ Costæ Ticinensis, inscriptus, De re integra, nempe re integra, quid liceat, vel non. Doctissimus Auctor licet per plures distinctiones diffusius materiam tractauerit, omnia tamen non est complexus, quæ maxima etiam cum difficultate complecti possunt. Statui ergo illam latius aggredi, & sub titulo DE INCONSTANTIA IN IVRE ADMITTENDA, VEL NON, studiosis Legalis Philosophiæ patefacere, & quæ sparsim a Doctoribus tractata sunt, in vnum colligere, partiendo Opus in quinque Tractatus, quorum primus esset de Inconstantia hominum circa Virtutes Fidei, Spei, & Charitatis, earumque actus. Secundus de Inconstantia in Iudicijs. Tertius de Inconstantia in Contractibus. Quartus de Inconstantia in vltimis voluntatibus. Quintus de Inconstantia in Clericis, Monachis, Regularibus, atque Monialibus. Sed cum constans in labore esse debuissem, inconstans persæpè manus ab eo retraxi; tum ob curam rerum domesticarum, tum ob munus publici Professoris, & Aduocationis frequenter impeditus: Dilectissima posteo vxore orbatus Romam petij, vt anno Iubilæi millesimo sexcentesimo vigesimo quinto Indulgentijs fruerer. Vix in Curia pedem fixi, cum o f. m. Vrbano Octauo, qui affinitatem cum familia Albitiorum palam profitebatur, Neapolim missus, ibi Magistratu Auditoris Nunciaturæ Apostolicæ functus sum, primo sub Laurentio Tramallo Episcopo Hieracensis Internuncio; secundò cum Episcopo Casertano; tertiò sub Cæsare Montio Nobili Mediolanensi, qui ad Regem Catholicum Nuncius Extraordinarius missus, voluit me comitem, vt in arduo illo negotio pacis Casalensis illi adiumento essem. Varijs ergo occupationibus distractus inconstans opus iam ceptum dimisi, quæ inconstantia eò magis creuit, quando Montius fuit in Patriarcham Antiochenum electus, & Ioanni Baptistæ Pamphilio Nuncio Ordinario apud Regem Catholicum ad Purpuram euecto suffectus, nam onus Datariæ, & Fiscalatus Nunciaturæ mihi demandatum fuit. Aucta fuit inconstantia, dum ad munus Auditoris Generalis præfatæ Nunciaturæ electus fui; magnis enim laboribus pressus, non suberat otium opus aggressum perficere. A Legatione Hispanica cum Cæsare Montio in Purpuratorum Collegium, cooptato, Romam reuersus, arduum Assessoris Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis onus mihi commissum fuit; sed vix annum eo in munere consumaui, cum f. m. Vrbanus Octauus me, vt inseruirem Eminentissimo, & Reuerendissimo Cardinali Martio Ginnetto ad Reges, & Principes pro ineunda Pace generali Legato de latere misso, deputauit, quocum Coloniam accessi, vbi per tempus quindecim mensium moram traxi, dum aeris intemperie, & alijs de causis ad Vrbem regredi coactus fui. Cura Assessoratus per me iterum accepta (loco enim mei donec abessem R. P. D. Buccabella Rotæ Auditor inseruierat) incredibile est quantum in ea insudauerim, additis etiam Congregationibus extroordinarijs, præsertim in quibus agebantur negocia Regnorum Hispaniæ; inter quæ arduissimum fuit illud expulsionis o Regno Portugalliæ R. P. D. Castracani in eo Collectoris Apostolici; illud etiam non contemnendum Caroli Ducis Lotharingiæ, valdè me pressit. E viuis interim R. P. D. Francisco Ingolo sublato, o Secretis Sacræ Congregationis de Propagando fide pro interim in locum illius suffectus fui, & per aliquot menses mirabiliter vtroque in munere insudaui, superadditis etiam laboribus, quos in corrigendis Sacræ Pœnitentiariæ expeditionibus (illius enim Sacri Tribunalis Corrector eram) impendere debueram, ita ut nec hora ferè comedendi suppeteret. Transactis octo circiter annis agitatum est in Sacra Congregatione Sancti Officij negocium illud Laminarum Granatensium adeò accuratè, & diligenter, vt tribus diebus singulæ hebdomadæ apud Eminentissimum Cardinalem Spadam, eo autem impedito, vel apud Cardinalem de la Cueua, vel Cardinalem de Lugo, Congregationes haberentur, & integrum decennium in huiusmodi laboribus consumpsi; sed huic negocio S. D. N. Innocentius XI. finem dedit per suum Breue datum die 6. Martij 1682. Accessit postremò peruersa Iansenistarum hæresis, ad quam profligandam toto animo incubui, & ea diligentia, quæ par erat negocio, quod nedum Galliam, & Belgium, sed vniuersalem Ecclesiam Catholicam, non dicam, euertere; quia portæ Inferi aduersus illam non præualebunt, sed magna ex parte labefactare poterat. Alsi, insudaui, sed non irrito conatu; Spiritus Sanctus enim, qui Summis Pontificibus in materia fidei semper assistit, adstitit peculiariter gloriosæ memoriæ Innocentio Decimo, ita ut afflante Aura Diuina suo Diplomate illam profligauerit, & euerterit. Bone Deus, quot artes, quot calumniæ, quot mendacia, quæ falsitates non fuerunt o Iansenistis inuentæ, vt Sedem Apostolicam à decisione quinque Propositionum hæreticalium ex libro Augustini Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis exceptarum, retraherent? Sed Deus Optimus Maximus eorum machinamento, fraudes, & astutias delusit, & quamuis adhuc subdolis inuentionibus tentent ab obedientia Constitutionum Apostolicarum se subtrahere; Rex tamen Christianissimus Ludouicus Decimusquartus eo, qua pellet pietate malitiam euertet, & duritiem mentium franget. Necessitate horum compulsus ad inconstantiam in meo opere me conuerti; fauente tamen Deo, benignitate Innocentij Decimi supremi mei Benefactoris, ad Purpuram euectus, paulisper quietaui, & manum ad opus denuò porrexi, ita ut Tractatum istum sic ad finem perductum statuerim typis euulgare.

Hæc non ad iactantiam, sed ad veras causas meæ inconstantiæ, demùm constantiæ explicare volui, vt si aliquod imperfectum, vel incomptum, vel tandem errores in Opere inueneris tuo humanitate excuses. Et si quæ à me congesta sunt, ex alijs Auctoribus transcripserim, ne mireris, non enim tantæ eruditionis Ego sum, vt quæ a solo penu meo prodeunt, auctoritatem apud indigenas, & exteros sibi conciliare valeant; sed satis mihi gloriæ erit si ea omnia ad methodum vberiorem redigam, & quæ ab eisdem Auctoribus sparsim tradita sunt, in vnum colligam, & sub oculis ponam. Protestor me stylo Iuristarum puro, & simplici, non verò politiori, & elegantiori ea exarasse; vnde si fortasse in Barbarismos incidas, calamo meo parce, qui non ad fucum verborum, sed ad substantiam materiæ intentus fui. Vale.

PRÆFATIO.

SVMMARIVM.

1 *Inconstantia quomodo hic accipienda.*
2 *Reprobatur inconstantia, & laudatur perseuerantia.*
3 *Inconstantiæ vitium opponitur prudentiæ, & iustitiæ.*
4 *Inconstantia vocatur iniquitas, est legibus inimica, & doli mali plena.*
5 *Inconstantia reprehensibilis in Ecclesia an, & quando sit, & num. 46.*
6 *Præsertim Romana.*
7 *Item in Summo Pontifice, & num. 8. ac 47.*
9 *Constantia qualis in Papa requiratur.*
10 *Papa varians præsumitur circumuentus.*
11 *Inconstantia vitanda a Cardinalibus.*
12 *Ab Episcopis.*
13 *Ab omnibus Ecclesiasticis.*
14 *Ecclesiastici debent esse constantes.*
15 *Inconstantia damnanda in Imperatore an, & quando, & num. 49.*
16 *In Rege.*
17 *In omni Principe.*
18 *Princeps quantum debeat esse constans, & num. 19.*
20 *Princeps debet esse plenus Philosophiæ.*
21 *Philosophia exigit constantiam exactam.*
22 *Princeps assimilatur Deo, & dicitur Deus in terris.*
23 *Immutabilitas connumeratur inter attributa, & perfectiones Dei.*
24 *Inconstantia damnanda in Senatu.*
25 *In Fisco.*
26 *Fiscus retractare nequit quod semel vendidit.*
27 *Iudices puniunt inconstantiam.*
28 *Virtus constantiæ, & fortitudinis exigitur in Iudicibus.*
29 *Iudex grauis esse debet, & constans.*
30 *Aduocatus defensionem semel susceptam deserere inconstans non potest.*
31 *Iniustam tamen litem debet deserere.*
32 *Alias peccat mortaliter.*
33 *Patrocinium improbæ causæ in scelere est.*
34 *Procurator mandatum susceptum non potest inconstans renunciare.*
35 *Instrumentum varium, & inconstans suspicionem falsitatis inuoluit.*
36 *Testis fidem adimit illius inconstantia, & variatio.*
37 *Responsa variare, & vacillare turpe est.*
38 *Inconstantia reprehensibilis in omnibus hominibus.*
39 *Mulier fragilis consilii, leuis inconstans.*
40 *Inconstantia damnanda in muliere.*
41 *Variatio, & inconstantia multis in casibus permittitur.*
42 *Consilium mutare in melius sapientis est.*
43 *Errorem per se ipsum corrigere melius est, quam ab alio corrigi.*
44 *Sapientis hominis est reuocare, quod malè loquitur.*
45 *Viri in Republica præstantes permanere perpetuò debent in vna sententia.*
48 *Sancti se ipsos aliquando correxere in melius.*
50 *Operis methodus.*

1 INCONSTANTIAM voco mutationem illam voluntatis, quæ quandoque illicita est, quandoque licita.

2 Licet enim regulariter variatio, & inconstantia reprobetur, *l. in causæ, verbo cæterum, ff. de Procurat. l. 4. §. 1. l. penult. ff. de lege commissoria, cap. cum in multis in fin. de rescript. in 6. cap. quod semel placuit* 21. *cap. mutare* 33. *de reg. iur. in* 6. Bart. *in l. de rebus, ff. rer. amot.* Alex. *in l. ex toto, §. fin. de legat.* 1. Angel. *in §. his itaque*, in Gloss. *in verb. aduertit, instit. de iust. & iur.* Dec. *in l. nemo potest mutare* 75. *num.* 2. & ibi Cagnol. *num.* 12. *ff. de reg. iur.* Barbos. *in dicto cap. quod semel*, vbi ex Diuo Bernardo laudes perseuerantiæ adducit, Felyn. *in cap. cum olim, de re iudicata, & in cap. præsentata, de testibus*, Clem. 1. *de renunciat.* Dauid Marot. *in l.* 168. *num.* 5. *de reg. iur.* Franciscus de Petris *cons.* 13. *num.* 8. & eruditè in tractatu festiuarum lectionum, *cap.* 1. *sub num.* 6. *vers. constans inquam*, Themud. *decis.* 22. *num.* 20. *par.* 1. Magon. *decis. Florent.* 2. *num.* 11.

3 Est enim inconstantia vitium, quod opponitur prudentiæ, S. Thomas 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 5. Franciscus Salernus *cons.* 19. *num.* 36. opponiturque iustitiæ, de Petris *dicto cons.* 13. *num.* 8. *in fine.*

4 Et ab Imperatore vocatur iniquitas *in l. si quis ius iurandum, C. de reb. credit.* & ibi Gloss. *in verb. iniquitatis*, Roman. *singul.* 42. de Petris *loco citato*, & inimicam legibus, & doli mali plenam dicit Bald. *cons.* 327. *num.* 4. *lib.* 1. Tuscus *littera V, concl.* 21. *num.* 1. Nouar. *de elect. for. to.* 1. *quæst.* 3. *num.* 2. Thor. *comp. decis. Neapol. to.* 5. *par.* 3. *sect.* 3. *vers. variatio an competat Clerico, vers. vltra quod*, Ricc. *decis. Cur. Archiepisc. Neap.* 107. *num.* 4. *to.* 4.

5 Ideo primò reprehensibilis est in Ecclesia Dei, argum. *cap.* 1. *de pactis*, Durand. *de modo Generale Concilium celebrandi rubr.* 29. Larath. *cons.* 7. *numer.* 18.

6 Præsertim in Ecclesia Romana, Durand. *loco citato.*

7 Secundò reprehensibilis est in Summo Pontifice,
Clem. *cum illusio de renunc. cap. quidem, eodem tit.*
Bald. *dicto cons.* 327. *num.* 3. *lib.* 1. Io. Andr. *in cap.* 1.
de renunciat. in 6. Decian. *cons.* 25. *num.* 24. *lib.* 1.
Paris. *de resignat. lib.* 9. *quæst.* 25. *num.* 18. 19. & 20.
8 Mantua *de Concil. num.* 188. Add. *ad decis.* 217.
num. 471. *par.* 9. *recent.* Gonzalez *ad reg.* 8. *glos.* 9.
§. 2. *num.* 31. & 32. vbi quod Papa debet esse constans, & immobilis, sicut lapis angularis, & sicut
9 polus in cælo, & vnum solum calamum, & vnam
linguam habere, & non plures, Paris. *de resign. lib.* 3.
quæst. 18. *num.* 92. cum aliis per dictum Gonzal.
allegat. &c. & vltra eos R. P. D. Fagnanus *in cap.*
cum olim à num. 5. *de sent. & re iudic. & in cap.*
consult. de Cler. ægrot. a num. 57. *cum seqq.* Ideo
10 Papa variando præsumitur circumuentus, *cap. cum*
olim, de re iudicata, Zabarell. *cons.* 136. & 142.
num. 3. Tuscus *dicta conclus.* 21. *num.* 8. R. P. D.
Fagnanus *dicto cap. cum olim à num.* 10. *de sent. &*
re iudic. vbi conclusionem ampliat, & declarat multis modis.

11 Tertiò vitanda itidem est à Cardinalibus, Bald. *l.* 1. *col.* 4. *C. de latin. libert. toll.* Paris. *de resignat. dicta quæst.* 25. *num.* 22. Mandos. *reg.* 32. *quæst.* 18. *num.* 3.

12 Quartò ab Episcopis, Felyn. *in cap. cum olim num.* 5. *vers. & dicit Rot.* Paris. *loco cit. num.* 22.

13 Quintò, & ab omnibus Ecclesiasticis, dicta Clem. *cum illusio*, Io. Selua *de benefic. quæst.* 14. *num.* 16. *par.* 2. *cap. cum ita* 22. *quæst.* 2. *cap. super his, de pœnis*, Zabarell. dicta Clem. *cum illusio num.* 2. & ibi Anchar. *num.* 2. Felyn. *dicto cap. cum olim num.* 5. Tuscus *dicta concl.* 21. *num.* 1. Leoncill. *decis.* 54. *num.* 24. Themud. *decis.* 103. *num.* 9. *par.* 2. qui loquitur de Monialibus, Borgnin. *decis.* 35. *num.* 54. *par.* 2. R. P. D. Fagnanus *in cap. cum olim num.* 4. *de sentent. & re iudic.*

14 Debent enim esse constantes, *cap. irrisor. de pœnit. dist.* 3. *cap. inter dilectos, de excess. Prælat. cap.* 2. *de elect. in* 6. Zabarell. dicta Clement. *illusio num.* 2. Staffileus *super comm. litterarum iustitiæ, vers. post num.* 66. Mandos. *regul.* 34. *quæst.* 28. *num.* 6. Paris. *de resignat. lib.* 1. *quæst.* 13. *num.* 6. & *lib.* 6. *quæst.* 1.

num.32. & lib.11.quæst.2. num.30.
15 Sextò damnatur in Imperatore, Bald. dicto cons.327. lib.1. Tusc. dicta concl.21.num.10. Decian. respons.25. num.25. lib. 1.
16 Septimò, damnatur in Rege, Cutellius ad leges Siculas Martini cap.22. n. 1. fol. mihi 517.
17 Octauò damnatur in omni Principe, l. 1. & 2. C. ne Fiscus rem quam vendidit, &c. lib.10. & ibi eruditissimus Amaya, Dec. in reg. nemo potest mutare num.3. de reg. iur. Decian. d. respons. 25. num. 26. Castill. de tertijs Decimarum lib. 6. cap. 18. num.38. Add. ad decis 217. num.471. par. 9. recent. Borgnin. decis 35.num.54.par.2. Richter. decis.4.num.22. Rota decis. 33. num. 17. de præben. in antiquis, Bellamer.
18 decis.742. num.9. Principi enim conuenit illud semel locutus est Deus, & quod scripsi, scripsi, licet virum iniquissimum habuerit Auctorem, Cagnol. dicta reg. nemo potest mutare num.12. Bellon. de potestate eorum, quæ fiunt incontinenti, &c. cap. 143. num. 1. ideo dicebat Baldus in cons.277. lib.3. quod
19 Princeps debet habere vnum calamum, & vnam linguam, & non plures, quia scriptum est: quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita, & debet esse immobilis sicut lapis angularis, & sicut polus in cælo: quæ reassumpsit, Menoch. cons.282. num.38. lib.3. Mandos. in reg.4.quæst.7.num.7. Dec. cons 197. in fine, & cons.488. in fine, & cons.580. num. 5. & cons.689. col. vlt. Decian. dicto cons.25. num. 25. vol. 1. Add. ad dictam decis.217. num. 473. Marta de iurisd. par. 4. cas. 52. num. 18. Bossius de Principe num. 18. & 19. cum alijs per Salutanum de Oleua, & Sousa de foro Ecclesiastico par 1. quæst. 13. num.7. Richter. dicta decis.4. num. 22. R. P. D. Fagnanus dicto cap. cum olim sub num. 7. & cap. consultationibus, de Cleric. ægrotan. num. 57. & 58.
20 Cum enim Philosophiæ plenum debere esse Principem iura decernant, l. cum Syllanian. C. ad Senat.
21 Cons. Syllan. in Philosopho exacta constantia exigitur, l. si quod venditor, ff. de ædilit. edict. Franc. Salern. cons. 19. num. 36. lib. 1. Imò cum assimiletur
22 Deo, & sit Deus in terris, Ancharan. cons. 310. num. 3. Borell. ad Bellugam. in speculo Principum rubr.6. littera D, in principio, Decian. dicto cons.25. num.25. lib.1. Peregr. cons. 4. num. 10. lib. 4. Bellon. iun. cons. 5. num. 122. qui multos adducit, Adden. ad dicta decis. 217. num.45. par. 9. recent. imitari
23 Deum debet, cui inter alia attributa, & perfectiones conuenit immutabilitas, vt vidimus in prima quæstione huius tractatus.
24 Nonò, damnatur in Senatu, qui loco Principis est, vt de Senatu Mediolanensi dicit Menoch. dicto cons.282. num 37 & 38.
25 Decimò, damnatur in Fisco Principis, dictis l. 1. & 2. C. ne Fiscus rem quam vendidit, &c. vbi Imperatores Honorius, & Theodos. AA. Palladio PP.
26 Orientis aiunt retractare Fiscum, quod semel vendidit æquitatis, honestatisque ratio non patitur, & ibi latissimè Amaya a num.9. per multos.
27 Vndecimò, damnatur in Iudicibus, quia eam in alijs puniunt, l. in causa, §. 1. de Procurat. cap. 2. de rescript. in 6. Clem. 1. de renunciat. Marsil. singul. 166. Vincent. in l. in ratione, in princip. §. fin. ff. ad l. falcid. Rebuff. in l. quod iussit in princ. ff. de re iudic. Menoch. cons. 488. num. 17. lib. 5. Vbert. de mod. cit. par. 5. formula 13. §. variatio.
28 In Iudicibus enim exigitur virtus constantiæ, & fortitudinis, Viuius decis. 189. Stephan. Naten. de iustitia in administratione vulnerata, cap. 3. num. 1. de Petris dicto cap. 1. lib. 1. festiuarum lectionum à num. 4. grauem enim, hoc est constantem Iudicem
29 esse oportere, ex Diuo Bernardo, tradit Gabriel Velascus in Iudice perfecto, rubr. 6. annot. vnica in princ. vers. Grauis ergo.
30 Duodecimò, damnatur in Aduocatis, quia defensionem semel susceptam, sine crimine leuitatis, & inconstantiæ deserere non possunt, l. properandum 13. §. illo proculdubio 9. C. de iudicijs, Ioannes Trachinus in vindicijs Palatinis, in præfatione num. 63. sed vbicunque ex litis improbitate læsam
31 habet conscientiam, patrocinium susceptum deserere debent, Specul. in tit. de Salario Aduocat. num. 1. Mager. de Aduocat. armat. cap. 11. num. 484. alias
32 mortaliter peccat, Corat. de communi opinione lib. 1. tit. 6. num. 39. eo quod in scelere patrocinium
33 præstare legibus, & ipsi naturæ contrarium sit, l. 6. C. de defens. Ciuit. Mager. loco cit. num. 485.
34 Decimotertiò, damnatur in Procuratore, qui post susceptum mandatum inconstans pœnitere non potest, & illud renunciare, Clem. 1. de Procurat. l. si mandauero, §. fin. ff. mandati, Gaill. obseru. 46. num. 3.
35 Decimoquartò, damnatur in Notarijs, quorum instrumenta, si varia sint, suspicionem falsitatis arguunt, l. eos qui, vbi Bart. ff. de fals. Decian. cons. 91. num. 21. lib. 3.
36 Decimoquintò, damnatur in testibus, quorum variatio, & inconstantia fidem illis adimit, Decian. dicto cons. 91. num. 21. lib. 3. Cuiac. controuers. 681. num 8. Zucear. decis. crimin. 19. num. 7. Turpe enim
37 est aliquem vacillari, vel variare in suis responsis cap. 1. vt benef. Eccles. cap. fin. de iureiur. in 6. Goffred. Zabarell. & Anchar. dicto cap. 1. Test. allegat. 6. num. 200.
38 Decimosextò, denique in omnibus prorsus hominibus reprehensibilis est, l. in causæ, ff. de Procur. & ibi Gloss. in verb. recusauit, & ab omnibus repellenda, Gloss. in l. si impubes, §. quoties, vers. totam, de Carbon. edict. & in l. ex filio, vers. ex monumentarijs, ff. de inoffic. testam. l. fin. §. fin. ff. de mod. mulctam. Franciscus Salernus dicto cons. 19. num. 36. Scurph. cons. 12. num. 9. cent. 3. Themud. decis. 103. num. 9. par. 2. Rota decis. 33. num. 17. de præben. in antiquis, Reipublicæ enim non expedire dixit Ricther. dec. 4. num. 22.
39 Decimoseptimò, quin, & in mulieribus, quæ licet sint fragilis consilij, l. 2. §. verba ibi, ibi, infirmitas enim fœminarum, ff. ad Velleianum, l. mulier, C. eodem, ibi, ex consequentia suæ fragilitatis, cum alijs per Aldobrand. in rubr. de satisd. tutor num. 36. Odd. de restit. in integrum quæst. 2. num. 41. Rubeus ad decis. 81. par. 8. recent. num. 12. & ad decis. 262. num. 171. eadem par. sint variæ, & inconstantes, l. si filia, C. de inoff. testam. cap. forus 10. §. testes, & ibi Gloss. in verb. varietatem, de verb. significat. vbi addentes hos versus inscribunt:

Quid leuius fumo? flamen; quid flamine? ventus.
Quid vento? mulier; quid muliere? nihil.

Quos pariter adducit post Catalan. & Paramum Castill. decis. 182. num. 10.
Et alter Poeta dicebat:
Inconstans, fragilis, perfida, lubrica.
De Petris dicto cap. 1. & num. 5. vbi eruditè.
Et ter in hora mutari docet idem Rubeus loco citato.
40 Nihilominus in eis inconstantiam damnari scripsit Sanctus Leo epist. 90. ad Rusticum cap. 13. & 14. registr. in cap. Puella 20. quæst. 1.
Non inde tamen inferre debemus variationem, & inconstantiam nunquam licere.
41 In multis enim casibus, quod semel nobis placuit circumstantijs mutatis displicere nobis debet, & quamuis rationem mali res non inuoluat, potest nihilominus aliquando esse variabilis, vt bene aduertit Baldus ad regulam, quod semel num. 2. de reg.
42 iur. Hinc prodijt Axioma illud, consilium mutare in melius sapientis est, l. nunquam, ibi Gloss. ff. de collat. bonor. instit. de legat. in principio, Rebuff. de nominat. quæst. 17. num. 4. cum alijs per Barbos. axiomate 55. num. 3.
43 Et eo magis licita est variatio si constet de errore, melius enim, ac minus verecundum est seipsum corrigere, quam expectare ab alio corrigi, ad Text. in §. 1. in fine, in Auth. de nupt. sic Pontifex monuit quosdam Iudices in cap. qualiter 17. de accusat. ibi, si

contra præscriptum ordinem tanquàm homines excessistis, non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis, vt aliorum corrigatis errores.

44 Ideo Diuus Augustinus *in cap. magnæ 22. quæst. 4.* dicit, *sapientiæ est reuocare hominem, quod malè locutus est*, & Beatus Isidorus *in lib. 2. de synonimis registr. in cap. in malis, eadem causa quæst. 4.* ait, *in malis promissis, rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum, quod incautè vouisti, ne facias; turpis est enim promissio, quæ scelere adimpletur*, ibidem Turrecremat. Petr. Pecchius ad regulam non est obligatorium *de reg. iur. in 6.* Mantua in Gymnasio scholastico in verbo *variatio*, vbi quod in nullo animalium genere tanta est ingeniorum. & morum varietas, vt in homine, ex quo fit, vt neque mirum sit, si nulla alia animalia inter se dissideant, vt homines, namque Cicada Cicadam, & Formica Formicam amat.

45 Hinc Cicero, qui licet docuerit nihil esse, quod tam deceat, quàm in omni re gerenda seruare constantiam, nihilominus asseruit nunquam præstantibus in Republica viris perpetuam in vna sententia permansionem laudatam fuisse.

46 Ideo Ecclesia mutat sententiam suam in melius, *cap. fraternitatis, de frigid. & malefic.* Anchar. *cons. 67. num. 1.*

47 Et Papa paratus est se corrigere in melius, *cap. nos incompetenter 2. quæst. 7.*

48 Imò, & Sancti se correxere in melius, *cap. certe 12. quæst. 1.* Anchar. *dicto cons. 67.* Tusc. *in conclus. 435. num. 7.*

49 Et Imperator non erubescit se ipsum corrigere, Anchar. *dicto consil. 67. numer. 2.* Tusc. *loco citato num. 8.*

50 Sed quia tot inter humanos actus, circa quos variatio datur, & inconstantia, præ cæteris considerandi sunt actus illi, qui versantur circa Virtutes Christianas; ideò ab Inconstantia circa Virtutes Fidei, Spei, & Charitatis, earumque actus opus aggredimur.

L E C T O R I

IOANNES ANTONIVS HVGVETAN BIBLIOPOLA.

T*RACTATVM istum* de Inconstantia circa Virtutes Fidei, Spei, & Charitatis M.S. *& ab ipsomet Eminentissimi Auctoris autographo desumptum penès Amicum magnæ eruditionis, & doctrinæ Virum, qui omnigenam, & variam singularium, & optimorum MM.SS. copiam omnibus ex partibus recolligere curat, atque affectat, diligenter, & laudabili zelotipia asseruatum, pranijs pluribus, & reiteratis precibus, ac instantijs obtinui à tanto Amico prælo committi, quem sic anxia sollicitudine typis editum tibi offero studiose Lector. Volui in anteriori parte Tractatus idem ponere Frontispicium, quod cum præinserta Epistola ad Lectorem in eodem M. S. præpositum perlegi, vt tua notitia referam Tractatus alios, quos præstantissimus Auctor pollicetur. De necessitate, vtilitate, & grauitate materiæ non loquor, cum nemo erit, qui in vtriusque iuris censura etiam leuiter versatus satis superque non ignoscet quam necessaria sit, nedum vtilis, aut grauis materia ista, & quantum publicè expediat. Neque hic in Eminentissimi Auctoris vberrimam laudum segetem, vel me occupatum, vel te implicatum volo; nam aut te nouum hominem crediderim, qui quantus, qualisquè ipse sit ignoraueris, aut me nimis vltra vires præsumentem, qui impari oratione singulas eius partes, quibus tùm à natura, & indole, tùm ab arte, & studio abundè sanè instructus est, concludere putauerim. Te monitum solummodò expeto, quod cum regiones nostræ longè sint ab Auctore remotæ, eoque inconsulto opus istud fuerit impressum, mirum non erit, imò impossibile, quin illud aliquibus scateat erroribus, quamuis in eius impressione magna fuerit adhibita diligentia; quare obsecro te, vt illos benignè excuses. Vale.*

DE INCON-

PARS PRIMA.

DE INCONSTANTIA CIRCA VIRTVTEM FIDEI.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

An detur Inconſtantia, & mutabilitas in Deo. Quid Canoniſtæ, quidue Theologi de hac Quæſtione ſentiant. Et quot modis in natura rationali mutatio, ſiue Inconſtantia excogitari poſſit.

MMARIVM.

…ponitur quæſtio.
…Motus quid ſit.
3 *Mutatio accidit, cum ab vno ſtatu ſit tranſitus ad alterum.*
4 Hier.c.18.n.17.*proponitur,& declarat.n.*19.
5 *Spiritus Creatoris motus refertur.*
6 *Sapientia mobilior omnibus mobilibus, & quomodo num.21.*
7 *Deus eſt ipſa Sapientia.*
8 Iacob.cap.4. *proponitur, & declaratur n.22.*
9 *Deus infundit gratiam.*
10 *Ira quid ſit, & vnde dicatur.*
11 *Ira Dei explicatur, & num. 23.*
12 *Inconſtantiam in Deo non dari eſt de fide, & de ratione num. 16. ac num. 26.*
13 *Incommutabilitas attributum Dei, creaturæ non communicabile.*
14 *Mutatio omnis eſt mortis imitatio.*
15 *Mutatio quot modis excogitari poſſit in natura rationali.*
17 *Deus mutationes dum fieri vult non inde ipſe mutatur.*
18 *Voluntas non mutatur, eo quod quis velit rerum mutationem.*
20 *Deus reuocat quæ dicit comminando, vel commonendo, non quæ aſſerendo.*
24 *Subijcere paſſionibus, & iræ, mortalium eſt.*
25 *Deus paſſionum expers.*

NIHIL ſub Sole firmum, nihil ſub Aſtris conſtans: quin & Solis, & Aſtrorum Conditorem (quem recta fide incommutabilem eſſe profitemur, & qui, vt ait Boetius *de Conſolatione*,

Stabiliſque manens dat cuncta moueri)

ſæpiùs in Sacris litteris legimus mutaſſe promiſſa, & pro miſericordia temperaſſe ſententiam: & licèt impaſſibilis ſit, atque immutabilis, crebrò tamen eius, & iuramenta leguntur, & pœnitentia, quæ Sacris extant myſterijs adaperta; iurare namque Dei, eſt à ſe ipſo nullatenus ordinata conuellere; pœnitere verò eadem ordinata, cum voluerit, commutare: vt habetur in Concilio Toletano *regiſtr. in cap. Incommutabilis 22. quæſt. 4.*

1 De qua quæſtione quid Canoniſtæ ſentiant adducemus.

Cardinalis de Turre-cremata *in d. cap. Incommutabilis, & in cap. Sed & continuo, de pœnitentia diſtinct.* 1. latè diſputat. An in Deo detur Inconſtantia: & pro parte affirmatiua arguit primo *ex dicto cap. Incommutabilis.*

2 Nam moueri, eſt aliter ſe habere, quam prius, ſed Deus aliter ſe habet quandoque vno tempore, quam alio, vt dicit *littera*,

ergo non est omnino immutabilis, nec omnino semper existens. Hinc dicebat eruditissimus P. Petauius *lib. 3. Theolog. dogmatum cap. 2. num. 1. to. 1.* vix capere
3 animo istud possumus, quomodo non sit mutatus Deus, cum res omnes voluntate sua condidit, quippe mutatio tunc accidit, cum ab vno statu fit transitus ad alterum. Et Cyrillus Alexandrinus *Dial.2.* ab eodem Petauio citatus, *Quomodo ergo*, inquit, *non variatio erit in Deo, cum iam statum non seruet, qui est secundùm potentiam, sed experiatur quodammodo motionem ad actum? Qui enim per infinitam æternitatem* subiungit Petauius, *nihil condidit cum creare vtique posset, cùm re ipsa cepit agere, mutasse statum videri posset.*

4 Secundò, arguit Turre-cremata ex auctoritate Hieremiæ *cap. 18. num. 7.* relat. in Textu, *Repentè loquar aduersus Gentes, & aduersus Regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud: si pœnitentiam egerit Gens illa à malo suo, agam, & ego pœnitentiam à malo, quod cogitaui facere eis.*

5 Tertiò sic, quicquid mouet seipsum, est aliquo modo mutabile, sed sicut dicit D. Augustinus 10. *super Genesi*, Spiritus Creator mouet se & per tempus, & per loca, ergo Deus est aliquo modo mutabilis.

6 Quartò, auctoritate Sapientiæ 7. vbi quod *Sapientia est omnibus mobilibus mobilior,*
7 sed Deus est ipsa Sapientia, ergo Deus est mobilis.

8 Quintò, appropinquare, & appropinquari motum significat: hoc autem dicitur de Deo Iacobi 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabitur vobis.*

Sextò, omne quod exit de potentia in actum aliquo modo mouetur, secundùm
9 Philosophum, quia omnis operatio, quæ est ab operante non mota, est semper: sed Deus quandoque creat in actu, vel infundit gratiam, cum priùs hoc non fecerit, ergo videtur, quod ad minus sit de eo mutatio de habitu in actum. Hæc sunt quæ a Turre-cremata adducuntur ad probandum, quod detur Inconstantia in Deo. Addo Ego illos animi motus, qui non vnquam affinguntur Deo, vt de motu iræ
10 dicit Textus *in cap. Si quis Presbyterorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, ibi, *Si quis Presbyterorum, aut Diaconorum, seu defensorum, alienanti prædium Ecclesiæ subscripserit, qua iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur*; Si ergo ira est in Deo, & Inconstantia, & mutabilitas quoque erit, quia ira nil aliud est, quàm concitatio animi ad vltionem, vt inquit Seneca *de ira lib. 2.* Quem locum expendit Octauius Brancifortius *de animorum perturbationibus lib. 7. sect. 2.* Et ira est ab eo dicta, quod est ire, nam si quis irascitur, it, & qui iram deponit ad se redire dicitur, Terentius *in Adelfo*:

Tandem reprime iracundiam, & ad te redi.

Sequitur iram esse motum animi: Proinde
11 in Deo ira nil aliud videtur esse, quàm motus, cum cernit, & punit iniusta ad vltionem sceleratorum, vt aduertit Lactantius Firmianus *de Ira Dei cap. 15. & 16.*

Hanc mutabilitatem, siue iram in Deo agnouit Tertullianus *contra Marcionem cap. 16.* dum illum arguit talem vellem Deum, qualem Epicurei constituerunt, cuius natura esset, quam describit Lucretius *lib. 1.* dum ait:

Semota à nostris rebus, seiunctaque longe,
Nam priuata dolore omni, priuata periclis
Ipsa suis pollens opibus nihil indiga nostri,
Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Huic opinioni fauent innumera loca ex sacris paginis decerpta, vt supra tetigi, ex quibus apparet, Deum ipsum fuisse mutabilem, vt *lib. 21. Regum*, de Achab, & de Niniitis, quæ ex nostris adducit Foller. *de contract. censual. cap. 5. num. 39. tract. nou. to. 6. par. pag. 126.*

12 His tamen non obstantibus certissimum est de fide, in Deo non dari Inconstantiam; sic fuit definitum in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, vt habetur *in cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica*, & ibi Gloss. *num. 43. vers. 7.* Card. Zabarell. *num. 5. vers. 7. not.* Io. Andr. *nu. 11.* Hostien. *num. 6.* Imola *in cap. Si quis Presbyterorum, de rebus Ecclesiæ non alienan. num. 15.* Zabarell. *nu. 7.* Io. Calderin. *nu. 15.* cl. mem. Eagnanus *cap. Cum pridem de pactis nu. 78.*

Ferè omnes Theologi *in prima* S. Thomæ, præsertim Vasquez *quæst. 9. artic. 2. & quæst. 10. à num. 7.* Suarez *de Deo Trino, & Vno lib. 2. cap. 3.* Sic passim Sancti Patres, quos in vnum congerit Petauius *Theolog. dogmat. to. 1. lib. 3. cap. 1. per tot.* & ex sacris Litteris habetur Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor nu. 23. Non est Deus quasi Homo, vt mentiatur, nec vt filius Hominis, vt mutetur*, Sapientia 7. *cap. 27. & cum vna sit omnia potest, & in se permanens, omnia innouat*: & Psalm. 101. *Sicut opertorium mutabis eos, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*, Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Qua ratione autem possit hæc veritas demonstrari, videndus est Suarez *d. cap. 3. num. 2.*

13 Hæcque conclusio adeo vera est, vt huiusmodi attributum incommutabilitatis sit ità Dei proprium, vt creaturæ communicabile non sit iuxta illud, Timoth. 1. *cap 6. Qui solus habet Immortalitatem*, idest immutabilitatem, vt exponit D. Augustinus *lib. 1. de Trinitate capit. 1.* P. Suarez *cicto cap. 3, num. 3.*

14 Omnis namque mutatio, vt ait Diuus Bernardus *Serm. 81. in Cant.* quædam mortis imitatio est.

15 Cum enim tripliciter Inconstantia, &

mutatio in natura rationali excogitari possit: Primò secundum esse, quod videlicet ea ita sit, vt possit non esse. Secundò, secundum accidens aliquid quo pacto omnis creatura mutari potest. Tertiò, secundùm propositum, seu voluntatem, vel cognitionem, vt quod quis putabat verum, deinde falsum dijudicet, & quod antea decreuerat, postea nolit exequi. Nullo ex tribus istis modis mutatio, &
16 inconstantia esse potest in Deo: Tùm quia Deus ab alio non dependet, tùm quia in Deo nullum est accidens, tùm denique quia scientia Dei aliqua ratione variari non potest, nec in Deo dari potest aliqua imperfectio, quæ daretur, si saltem aliqua animi inconstantia, si non phisica mutatio in Deo daretur, vt dicit Vasquez *dicta quæst.19.cap.7.* & melius Suarez *metaphisicorum disput.3.à num.58.*

17 Non obstant adducta in contrarium, non prima ratio, quia Deus non aliter se habet vno tempore, quam alio, nam eadem immobili voluntate vult aliqua fieri vno tempore, quæ prohibet alio tempore fieri, vnde mutatio non est nisi in effectibus ipsis, quos secundum ordinem suæ sapientiæ diuersis temporibus disponit fieri, aut non vult fieri: Vnde ex hoc non arguitur mutabilis, sed bene quod mutationes illas fieri vult: & hæc est doctrina D. Thomæ *in 1. quæst.19. artic.7.* quem sequuntur Canonistæ, nempe Zabarell *in dicto cap. Si quis Presbyterorum num. 7.* Imola *num. 15.* Calderin. *num.15.* Turre-cremata *in dicto cap. Sed & continuo num. 2. vers. pro cuius conclus. de pœnit. dist.1.* Foller. *d. tract. de contract. censual. cap.4.num.41.* Qui omnes
18 dicunt, aliud esse mutare voluntatem, aliud velle rerum mutationem: Nam potest quis eadem voluntate manente morali, scilicet velle quod quid non fiat, & postea velle contrarium propter aliquod contingens; sicuti quando Papa mandat certum numerum Canonicorum institui in Ecclesia iuxta facultates eiusdem Ecclesiæ: Deinde auctis facultatibus augetur numerus Canonicorum manente eadem voluntate *cap. cum enim. de constitut.*

Non obstat secundum deductum ex Hieremia Propheta, *vt in d. cap. Incommutabilis*; quia, vt ait D.Thomas, *dicta q.19. artic.9.* Voluntas Dei cum sit causa prima
19 non excludit causas medias in quantum in virtute est, vt aliquis effectus producatur; sed quia omnes causæ mediæ non adæquant virtutem causæ primæ, multa sunt in virtute, & scientia voluntatis Diuinæ, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum, sicut resuscitatio Lazari: Vnde aliquis respiciens ad causas inferiores dicere poterat, Lazarus non resurget; respiciens verò ad causam primam Diuinam, dicere poterat, Lazarus resurget, & vtrumque eorum Deus vult, scilicet, quod aliquod quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem; Quando tamen facturum non est secundùm causam superiorem, vel è contra: sic ergo dicendum est, quod Deus aliquando pronunciat aliquod futurum secundùm quod continetur in ordine causarum inferiorum, vt puta secundùm ordinem naturæ, vel meritorum, quod tamen non fit, quia aliter est in causa superiore Diuina, sicut cum prædixit Ezechiæ, *Dispone domui tuæ, quia morieris*, vt habetur Isaiæ 38. neque tamen ita euenit, quia ab æterno aliter fuit in scientia, & voluntate Diuina, quæ incommutabilis est, propter quod dicit Gregorius, quod Deus mutat sententiam, non autem mutat consilium, scilicet voluntatis suæ: quod ergo dicit *pœnitentiam agam*, intelligitur metaphoricè dictum; nam homines quando non implent, quod comminati sunt, pœnitere videntur. Hæc sunt verba formalia Turre-crematæ *in dicto cap. Incommutabilis*; vel dicendum est cum Glossa *in d. cap. Incom-*
20 *mutabilis*, quod ea, quæ dicit Deus comminando, vel commonendo, reuocat, sed non ea, quæ asserendo, quod dictum sequitur Calderinus *in dicto cap. Si quis Presbyterorum num.15. in princip.* Imola *num.15.* Zabarell. *num. 7.* optimè D. Chrisostomus *to.5.serm.1.de ieiunio*, relat. à Foller. *loco cit. num. 41.* loquens enim de Niniue, sic ait; *At Deus mutata sententia propria, illos seruare non dedignatus est, neque Deus mendacij argui potest, sed quæ dicit, verè locutus est, & cum dixerit aduersus Gentes, & Regnum, vt subuertatur, & cradicetur, si à peccato pœnitentiam egerit, agam, & ego pœnitentiam, non mentitus est Deus reuocata sententia, neq; enim misit Prophetam, vt subuerteretur Niniue, alioquin quod necessarium erat, vt prædicaret, sed quia subuertere noluit, minatus est se subuersurum, vt resipiscentes non subuerterentur.*

Non obstat tertium, cui dupliciter respondet Turre-cremata *loco citato*, ex Diuo Thoma, dicens primò, quod Diuus Augustinus loquitur ibi eo modo, quo Plato omnem operationem largo modo vocabat motum secundum, quod ipsum intelligere, amare, & velle, motus quidam esse dicuntur, quia ergo Deus intelligit, & amat se ipsum, secundum hoc dixerunt, quod Deus mutat se ipsum, non autem secundum quod motus est actus existentis in potentia: At nos loquimur de mutatione ex motu.

Secundò, respondet secundùm Diuum Albertum, quod Deus se mouere dicitur per effectum naturæ, gratiæ, vel gloriæ, quando scilicet per effectum aliquem creatum incepit in aliquo esse, per quem

modum in illo prius non fuit, qui tamen secundum se vbique est, & in omnibus, vnde talis motus ad Deum non refertur, sed ad eius effectum, & hoc innuit Augustinus secundum quod dicit, quod nec mouet se, nec per tempus, nec per locum: Si enim motus in ipso esset, oporteret, quod per tempus, & per locum moueretur.

Non obstat quartum, quia secundum Albertum, & D. Thomam, dicitur Diuina
21 Sapientia mobilior per effectum in quantum procedit in varios effectus creandos, & disponendos, & ista processio non est propriè motus, vnde *cap. 8. Initio*, dicitur, *attingit vsque ad finem fortiter, & disponit suauiter*, quod nulli causarum creatarum conuenire potest; ideoque Boetius vt supra dictum est:

Stabilisque manens dat cuncta moueri;

Et Ioannes 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.*

Non obstat quintum, quia illud dicitur de Deo metaphoricè, sicut dicimus, So-
22 lem intrare in domum, quantum radius eius pertingit ad domum: sic Deus dicitur appropinquare ad nos, vel recedere à nobis, in quantum participamus influentiam bonitatis eius, vel ab eo deficimus, cōcordat Albertus Magnus dicens, quod motus appropinquationis, & elongationis non referuntur ad Deum, nisi secundum effectum: habemus exemplum in Dino Dionysio *de Diuinis Nominibus cap. 1.* de rupe, siue de petra immobili stante iuxta aquam, ad quam cum quis trahit nauim, vel impellit ad ipsam appropinquat, vel elongatur ab ea, non motu petræ, sed nauis.

Non obstat sextum, nam respondetur secundum D. Thomam, quod in omnibus, in quibus operatio differt à substantia, oportet esse aliquem modum motus, ex quo illud, quod exit de nouo in operationem mutatur, quia acquiritur in ipso operatio, quæ prius non erat: In Deo autem sua operatio est sua substantia, vnde sicut substantia est æterna, ita & operatio, non tamen sequitur operationem operatam ab æterno, sed secundùm ordinem sapientiæ, quæ est principium operati. Præterea Deus non agit actione media, quæ non sit essentia ipsius Dei, sed suum velle fit sua actio; & sicut velle suum est æternum, ita & actio, non tamen sequitur effectus, nisi secundùm formam voluntatis, quæ proponit sic, vel sic facere, & tali, vel tali tempore, & ideo non exit de potentia in actum, sed effectus, qui erat in potentia agentis efficitur actus eius.

Addit Turre-cremata, secundum Albertum, *in summa*: in his, quæ per essentiam suam agunt, agens vno modo se habet, & non dicitur agens nunc, & non prius, nisi per hoc, quod actum nunc est, & non prius. Exemplum est in Sole, qui semper eodem modo se habet illuminando, nec dicitur ceram liquefaciens, nec lutum condensatum, & cera liquefacta est nunc, & non prius: Talia enim vno modo se habentia non mutatione sui, sed mutatione actus fiunt, quæ fiunt. Elegans est sententia Sancti Maximi Martyris, relata à Petauio *to. 1. dicto lib. 3. cap. 1. nu. 15. Omnis*, inquit, *essentia proprium secum terminum inuehens, hoc est determinata, principium est naturæ sua, motus secundum potentiam in ipsa consideratur. Porrò omnis essentialis motus ad actum, medium est quoddam, nam & essentia posterior, & actus prior spectatur, atque omnis actus suapte ratione naturaliter circumscriptus, finis est essentialis illius motus, qui animi cogitatione anterior ipso consideratur. Deus autem neque principium est, neque medium, neque finis. Hæc enim nota sunt eorum, quæ tempore diuidita sunt* (subiungit Petauius) *quamobrem mutatio omnis intersecta est inter potentiam, & actum, siue perfectionem, qua potentia formatur, est enim via quædam, & progressio ab imperfecto ad perfectiorem statum: hinc, vt ex Augustino supra memorauimus, omnis res mutabilis etiam formabilis sit necesse est; Cum igitur Deus mera forma sit, actusque simplex, totum illud est simul quicquid est, neque potentia quidquam continet; Idcirco nihil inest ipsi, quod primum medium, & vltimum appellari possit, sinc quibus in rebus nulla est mutatio.* Hæc P. Petauius, apud quem super hac quæstione plura videre poteris, ex Sanctis Patribus, tum Græcis, tum Latinis excerpta.

23 Non obstat Textus *in cap. Presbyterorum*, nam ibi dicitur iratus Deus more humano, hoc est, quia hominibus videtur iratus propter eorum demerita, vnde sicut Iudex videtur iratus contra delinquentes, quos punit, ita Deus contra peccatores, non tamen in se mutatur, sic Cardinalis Zabarella *dicto cap. num. 7.* & ibi Imola *num. 15.*

Iram enim à Deo catholica pietas reijcit, non solum ea ratione, qua perturbatio quædam est animi, ac feruor, sed etiam, vt est quidam pacatus, & tranquillus affectus, seu motus, quia nihil in Deo nouum, nihil non æternum est, nullus ea rerum occasione susceptus interior motus, & impulsus; vnde Arnobius *lib. 7. contra Gentes; etsi diffinitionem*, inquit, *teneamus illam, quam pertinaciter meminisse conuenit nos, semper vniuersos animorum affectus*
24 *ignotos Dijs esse consentaneum est credere, nunquam Deos irasci, quinimò nullum affectum magis esse ab ijs longe, quam qui feris, & belluis, proximus turbat tempestatibus patientes, & ad periculum interitionis inducit; quidquid.*

enim vexatur rei alicuins à motu, passibile esse constat, & fragile, quod passioni, fragilitatique subiectum est, necesse est esse mortale, ita & patientes se soluit, ergo esse mortale dicendum est, quod passionibus subiectum est ira.

25 Non obstant, quæ dicuntur de pœnitentia Dei, de qua in Sacris Scripturis, quia vt bene Turre-cremata *in dicto cap. Incommutabilis*, & *in dicto cap. Sed, & continuo*, Deus loquitur more humano metaphoricè, & per similitudinem nostram, quia tales passiones non sunt in Deo: Idem sentiunt Calderinus, & Zabarella *in dicto cap. Si quis Presbyterorum*, ille *num.* 7. iste *num.* 15.

Optimè D. Isidorus Hispalensis *lib.* 1. *Sententiarum cap.* 5. *Ita etiam*, inquit, *intelligere opus est, & alias passiones, quas de affectione humana dicit Scriptura ad Deum, vt est iuxta se incommutabilis sit credendus, & tamen pro causarum effectibus, vt faciliùs intelligatur nostræ locutionis, & mutationis genere appelletur, tam clementer Deus humanæ infirmitati consulit, vt quia cum eum sicut est non possumus agnoscere, nostræ locutionis more se ipsum insinuet, vnde, & membrorum nostrorum qualitatem habere describitur, & passionum indignam dici de se voluit, quatenus per sua nos traheret, & dum condescendit nobis, consurgeremus ei.*

Quod apertiùs explicauit D. Augustinus *lib.* 2. *ad Simplicianum quæst.* 2. *Quapropter*, inquit, *cum legimus, etiam Dominum dicentem pænitet me, consideramus, quid id esse soleat in hominibus, opus pænitendi est, enim procul dubio reperitur voluntas mutandi, sed in homine cum dolore animi est, reprehendit enim in se, quod temere fecit. Auferamus ergo ista, quæ de humana infirmitate, ac ignorantia veniunt, & remaneat solum velle, vt non ita sit aliquid quemadmodum erat; sic potest aliquantulum intimari menti nostræ, qua regula intelligatur, quod pænitet Deum, cum enim pænitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat, vt esset, sed tamen, & cum ita esset ita esse debebat, & cum ita esse iam non finitur, iam non debet ita esse perpetuò, & quodam, & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit.*

Sit ergo firma, & constans conclusio, Deum Optimum Maximum, & quoad se, & quoad sui voluntatem nullatenus in-
26 constantem, & mutabilem esse; & hanc esse conclusionem de fide testatur Bannez *in* 1. *quæst.* 9. *artic.* 1. Molina *dicta qu.* 9. *artic.* 1. *versic. Conclusio est*, ita deffinita *in dicto cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica*, cum alijs citatis *supra num.* 12.

C A P V T II.

A R G V M E N T V M.

An detur Inconstantia in Angelis.

S V M M A R I V M.

1 *Angelorum natura creata patitur operandi inconstantiam.*
2 *Creatura omnis mutabilis, non autem filius Dei.*
3 *Voluntas creata quare mutabilis.*
4 *Angeli veniunt appellatione voluntatis creatæ, & habent mutabilem libertatem.*
5 Iob cap. 4. *exponitur.*
6 *Dæmones creati in statu innocentiæ habuerunt liberum arbitrium, & ex se facti sunt mali.*
7 *Angelus post semel factam electionem an possit esse inconstans.*
8 *Refertur opinio* D. Thomæ.
9 *Et contraria* Scoti, *cum sequacibus.*
10 *Angeli boni quomodo in eorum suscepta bonitate constantes, & immoti persistant.*
11 *Dæmones nequitiam quomodo constantissimè retineant.*
12 *Dæmon quomodo aliquando appetierit mortem Christi, quam postea voluit impedire.*
13 *Dæmones habent liberum arbitrium, sed semper ad malum.*
14 *Angeli liberum habent arbitrium, sed semper ad bonum.*
15 *Angeli an diminuerint eorum fælicitatem ob aliorum casum.*
16 *Et quomodo.*
17 *Angeli Beati an condoleant compatientes casui aliorum Angelorum.*
18 *Angeli Beati an timeant cadere, & separari à Deo propter peccatum.*
19 *Angeli an sint capaces naturalium habituum.*
20 *Angeli Custodes Hominum, vel Regnorum, an aliquo eorum peccante inconstantes à custodia recedant, & num. 25. cum seqq.*
Homines viatores Sanctis Angelis custodiendos per ineffabilem Dei prouidentiam traditos esse de fide credendum.
21 *Angeli singuli destinati sunt ad custodiam singulis hominibus, Communitatibus, Prouincijs, ac Regnis.*
22 *Genij antiquorum quid.*
23 *Peccatoribus, & Infidelibus Baptizatis, & non Baptizatis Custos Angelus adhuc datus est. Quid de Antichristo.*
24 *Angeli an incipiant eorum custodiam à die in-*

fusionis animæ in utero matris, vel à die natiuitatis pueri.

25 Hierem. cap. 51. *proponitur, & nu. 34. declaratur.*

26 *Referuntur affirmantes ad quæstionem de qua num. 20.*

27 Isai. cap. 5. *proponitur, & nu. 34. declaratur. Maceries quid significet in sacra littera.*

28 *Voces Angelorum ante destructionem Hierosolymæ.*

29 *Resoluitur quæstio proposita num. 20.*

30 *Dæmon non desistit tentare iustum propter eximia iustitiæ opera.*

31 *Angelus non deserit custodiam hominis, nisi iussus à Domino.*

32 *Angelis cura hominis viatoris data est independenter ab eius statu quoad fidem, vel gratiam.*

33 *Deus non deserit peccatorem quoad auxilia sufficientia interna, & externa, inter quæ est Angelorum custodia.*

35 *Dæmones an possint inconstantes ad pœnitentiam conuolare, & num. 43.*

36 *Obstinatio Dæmonum in malo an immediatè causetur à Deo.*

37 *An ob intrinsecam eorum naturam.*

38 *Vel ob statum damnationis, in quo sunt.*

39 Origenis *assertio futuram inconstãtis Diaboli pœnitentiam, & saluationem dari.*

40 *Damnatur de hæresi.*

41 Origenes, *quid de Dæmonibus, quid de Hominibus damnatis hæreticauerit.*

42 *Proscriptio libri* Origenes defensus Petri Hallois.

44 *Dæmones numquam cessant ab actuali peccato.*

ADEO transeamus ad Angelos, & videamus, an in Angelis detur Inconstantia.

Et licet hęc quæstio pertineat ad Theologos, non erit tamen iniucundum aliqua de hac materia hic degustare.

1 Et primò, statuendum est spectata Angelorum natura creata nimirum, & defectibili, inueniri omnino in Angelis operandi Inconstantiam, Diuus Hieronymus *Epist.* 146. *ad Damasum de Filio Prodigo. Solus Deus est*, inquit, *in quem non cadit peccatum, cætera cum sint liberi arbitrii, in vtramque par-*

2 *tem possunt flectere voluntatem.* Sed melius D. Ambrosius *lib. 5. de fide cap. 6. Omnis Creatura*, ait, *mutabilis est, sed non mutabilis Dei filius: omnis Creatura accidentia boni, & mali recipit iuxta suam capacitatem naturæ, eamdemque decessionem sentit.*

3 Diuus Augustinus *lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 1. & 6.* dicit: Voluntatem creatam esse mutabilem ad malum, eo ipso quod de nihilo facta est, & hanc putat esse sufficientem rationem mutabilitatis, quod, idem repetit, *lib. 3. contra Maximum cap. 12.*

4 Appellatione autem voluntatis creatæ veniunt Angeli, qui ex nihilo facti sunt, & habent mutabilem libertatem; Suarez *de Angelis lib. 3. cap. 7. num. 9.* Hoc etiam probatur ex litteris apud Iob. 4.

5 *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem*; & propterea Diuus Gregorius *lib. 5. moral. cap. 28.* docet, hanc inconstantiam, seu instabilitatem, & mutabilitatem conuenire naturæ Angelicæ, eo ipso, quo creatura est: *Nam si*, inquit, *Angelorum substantia à mutabilitatis motu fuisset aliena, benè ab Auctore condita, nequaquam in reprobis spiritibus à Beatitudinis suæ Arce cecidisset.*

Hinc ex nostris Abbas Panormitanus,

6 *in dicto cap. firmiter. de Summa Trinitate, & fide Catholicanum.* 3. dicit, quod Dæmones, qui fuerunt creati in statu innocentiæ habuerunt liberum arbitrium, & ex se facti sunt mali. Idem tenet ibidem Antonius de Butr. *num.* 14. Io: Andr. *num.* 25. Imol. *num.* 27. Card. Zabarell. *nu.* 29.

7 Sed an facta semel electione per Angelũ detur in eo Inconstantia: Sanctus Thomas *in 2. par. quæst. 64. art. 2.* tenet, voluntatem Angeli ante electionem ad vtrumuis esse liberam, post electionem verò immobili-

8 ter adhærere, & sic in eo cessare Inconstantiam, quem sequitur vniuersa eius Schola.

9 Sed ab eo dissentiunt plures Theologi, nempe Scotus, Durandus, Sanctus Bonauentura, Richardus, Gregorius, Gabriel, & Maior *in 2. par. dist. 7.* relati à Becano *in Summa Theologica Scholast. cap. 5. de pœ. Dæmonum quæst. 12.* latissimè Suarez, qui hanc partem defendit *lib. 3. de Angelis c. 10.*

Veteres autem Sanctos Patres consentire in hanc posteriorem sententiam dicit Petauius *Theol. Dogmatum to. 3. lib. 1. de Angelis cap. 11.*

10 Et quamuis Angeli boni in suscepta bonitate constantes, immotique persistant, non eorum naturæ tribuendum, sed Diuinæ potestati, ac gratiæ, ratione status ex-

11 tra viam, & in termino: & quod Dæmones in sua nequitia constantissimi sint eò factum interpetrari debet, quod illos Diuina gratia in pœnam peccati, & damnationis destituit, non quod ita ferat ipsorum natura.

Placet mihi quod dicit Becanus *loco cit.* nempe, quod iudicium Angeli duobus modis mutari potest, primo facta mutatione in obiecto, nam res, quæ antea erat vtilis ad aliquem finem obtinendum, postea potest fieri inutilis, & proindè, qui prius iudicauit illam esse vtilem, postea iudicabit illam esse inutilem. Secundo propter nouam dispositionem iudicantis fieri potest, vt Angelus iudicet aliquid appetendum, quod tamen iudicaret non esse appetendum, si aduerteret ad omnes

12 circumstantias; Ergo fieri potest, vt re melius considerata secundùm suas circumstantias incipiat aliter de ipsa iudicare. Et hoc modo Dæmon aliquando appetijt mortem Christi, quam tamen postea voluit impedire re melius considerata.

Potest etiam Angelus esse Inconstans ex mera libertate voluntatis, sine mutatione iudicij: quia voluntas est potentia formaliter libera, ergo positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere, ergo posito quocunque iudicio non necessitatur ad agendum, ergo semper mutare potest electionem, & ex alijs rationibus per eundem Becanum allatis. Facit quod scribit Sanctus Isidorus Pelusiota *lib. 2. epist. 25.* nempe Persarum Angelum ægreferentem, quod Iudæi pessimis suis factis iram Dei, ac seruitutem perpetuam mereri pergerent, eos liberare noluisse, sed huic alterum Angelum obstitisse, qui iustitiæ Dei bonitatem anteponeret, & hunc ad extremam causam obtinuisse, Deo secundùm ipsum sententiam ferente, & assentiente deinceps altero, ergo iste, quod priùs elegerat velle desijt, & Inconstans voluntatem mutauit.

Non sunt ergo Angeli, ait Petauius, ex eo quod liberè diligunt in contrarium, immutabiles, imò inter articulos à Stephano Parisiensi Episcopo damnatos, fuisse quartum capituli primi de Deo, vel Intelligentijs.

Quod substantiæ separatæ, eò quod habent vnum appetitum non mutantur in opere, vel operatione.

De qua operatione testatur Petauius *loco citato num. 9. in fine.* Sed reuertamur ad
13 nostros Addentes ad Abbatem *in dicto cap. Firmiter*, dicunt, quod Dæmones habent liberum arbitrium, sed semper ad malum, per Gloss. *in cap. Qui Episcopus dist. 37.*

14 Angeli verò habent liberum arbitrium semper ad bonum, Hostiens. *ibidem nu. 23.* Io. Andr. *num. 25.* Innocentius *num. 27.* Zabarell. *num. 29.* Ant. de Butrio *num. 14.*

15 Sed an respectu passionum animi detur in Angelis Inconstantia, videndus est ex nostris Turre-cremata *in cap. Vbi duo solummodo Hymni de Consecratione dist. 1.* qui *num. 8.* quærit, an casus Angelorum, qui ceciderunt, diminuerit gaudium, siue felicitatem Angelorum permanentium, & resoluit negatiuè, quia cum essent in Beatitudine, quæ est perfectio consumata, omne desiderium implet, & omnem defectum excludit, & consequenter ab illis propter eum casum exclusa fuit Inconstantia.

16 Et licèt in eo Textu dicatur, quod decimus Ordo Angelorum per superbiam corruens Angelicum numerum minuit, & felicitatem perturbauit; declarat autem idem Auctor, quod sicut numerus Angelorum ex casu aliorum fuit minoratus in numero, ità turbatus est à felicitate extensiuè ad hunc sensum, quia felicitas ipsa extensiua non à toto est participata, sicut fuisset, si omnes permansissent.

17 Secundò, quærit, an Angeli Beati condoleant, compatientes casui aliorum Angelorum, & respondet negatiuè; quia cum Angeli Beati perfectissimè se confirment Deo, nihil potest esse contra voluntatem eorum, sicut nec contra voluntatem Dei, & ideo nihil accidere potest, de quo doleant Beati Angeli, quare cum Deus voluerit malos damnari, consequens est, quod de eorum damnatione non doleant.

18 Tertiò, quærit, an Angeli Beati timeant cadere, seu separari à Deo per peccatum, & pariter respondet negatiuè, quia ratio timoris est possibilitas ad malum; sed in Angelis bonis non est possibilitas ad malum, ergo &c. Et hanc opinionem comprobat multis argumentis, quæ videri possunt apud eundem *loco citato*.

19 An autem voluntas Angelorum sit capax naturalium habituum, qui proprijs actibus acquiruntur, itaut in illis detur Inconstantia, videndus est P. Suarez *lib. 3. de Angelis cap. 12. per totum*.

20 Sed an detur Inconstantia in Angelis quoad custodiam Hominum, & Regnorum, itaut aliquo eorum peccante, ab eo Custos Angelus recedat.

Primò, supponendum est, certum esse de fide, homines viatores Sanctis Angelis per ineffabilem prouidentiam Dei in custodiam esse traditos, vt ex Sanctis Patribus, & sacris Scripturis probat Suarez *de Angelis lib. 6. cap. 17. num. 6.* & post eum P. Lezana *in Summa Theolog. tom. 1. tract. 6. disp. 10. quæst. 1.* Gastal. *de potestate Angelica to. 1. dist. 2. quæst. 4. art. 4. pag. 674. vers. Prima conclusio*.

21 Secundò, supponendum est singulis Hominibus, Communitatibus, Prouincijs, & Regnis singulos Angelos destinatos esse in custodiam, vt ex Sanctis Patribus probat eruditè Petauius *to. 3. Theolog. dogmatum lib. 2. de Angelis cap. 6. & 7.* Suarez *loco citato num. 7.* qui *num. 8.* benè confutat Caluinum *lib. 1. instit. cap. 14. §. 7.* quem Caluinum sequuntur Magdeburgenses.

22 Hanc custodiam agnouerunt etiam Gentiles, qui sub nomine *Genij*, omnia illi attribuerunt, quæ de Custodibus Angelis Christiani prædicant, vt colligitur ab Horatio *Epist. 2. lib. 3.* qui sic ait;

Scit Genius natale comes, qui temperat Astrū,
Naturæ Deus humanæ mortalis in vnum,
Quodque caput vultu mutabilis albus, & ater.

Et Menander Comicus apud Eusebium *lib. 13. de draparatione Euangelica*, suis versibus idem explicat:

Vnicuique Genius verò adstat.
Statim nato Mestagogus vitæ bonus.

Et Epitectus apud Arianum *lib. 1. cap. 14. Tutorem*, inquit, *vnicuique Deus assignauit singulorum Genium, & huic ipsum custodiendum tradit, & quidem eiusmodi, qui neque dormiat; neque falli possit. Nam cui tandem alteri præstantior, ac sollicitiori Custodi vnumquemque nostrum committere? Itaque quando ianuas occluseritis, & tenebras intus induxeritis, mementote vti nunquam vos solos esse dicatis, non enim estis, sed Deus intus est, & vester Genius.* Verba sanè non Philosopho Gentili, sed Christianissimo digna.

23 Et non solùm Iustis, & Fidelibus datus est Angelus Custos, sed etiam Peccatoribus, & Infidelibus baptizatis, & non baptizatis, vt ex omnium Theologorum sententia, præsertim Diui Thomæ *par. 1. quæst. 113. art. 4. ad 3.* qui loquitur de Anti-christo, tenet Suarez *loco cit. cap. 17. num. 14.*

24. Quando verò incipiat hæc Custodia, an à die infusionis animæ in vtero matris, an à natiuitate pueri, non est concors Doctorum sententia, de qua controuersia videndi sunt D. Thom. *d. quæst. 113. art. 4. ad 3.* Suarez *loco cit. cap. 17. num. 18.* latè Gastald. *de potestate Angelica loco cit. dist. 2. quæst. 4. toto artic. 6.* Lezana *d. tract. 6. disput. 10. de Custodia bonorum Angelorum, vers. Dubitari tamen solet.*

25 Hisce suppositis dicendum videtur dari Inconstantiam in Angelo Custode, itaut Homine, vel Regno, vel Prouincia, vel Ciuitate peccante, à custodia illius recedat, sic habetur per Hieremiam 51. ibi, *Curauimus Babilonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Impurus enim* (ait Euagrius relatus à Petauio *loco cit. lib. 2. cap. 6. nu. 11. vers. Euagrius &c.*) *ab Angelo diuelletur.*

26 Et recedere Angelum Custodem ad tempus, docuit D. Ambrosius *in Psalm. 38.* Isidorus Pelusiota, & alij ab eodem Petauio *loco cit. relati nu. 11.* quod voluit etiam Suarez *dicto cap. 17. num. 16.*

Secundò, facit illud Esaiæ 5.

27 *Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriem eius, & erit in condemnationem.* Ibi nomine *Maceriei* intelligitur Angelorum Custodia, vt notat ibi Glossa.

28 Tertiò, ab exemplo deducto ex Historia Ecclesiastica, nam ante destructionem Vrbis Hierosolymæ auditæ sunt voces Angelorum dicentium, *Derelinquamus eam.*

29. Cæterum dicendum est, non dari Inconstantiam in Angelo Custode, itaut peccante homine ab illo recedat, Diuus Thomas *dicta quæst. 113. art. 6. & in 2. dist. 11. quæst. 1. art. 4.* & ibi ferè omnes Theologi, ex quibus multos allegat Suarez *d. lib. 6. cap. 13. num. 15.*

Suaderi potest primò hæc opinio ex illo Exodi 23.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui non dimittet te cum peccaueris.

Sed hanc auctoritatem reprobat Suarez dicens, eam non facere ad causam, quia verbum illud *dimittere*, non significat deserere, sed impunitam relinquere, idem ex eo voluit Gastald. *loco cit. art. 7. col. 2.*

Consolat igitur Suarez ad aliam rationem, dicens, quod quia Dæmon non de-
30 sistit à tentando iustum propter eximia iustitiæ opera, ità nec Sanctus Angelus deserit peccatorem: Nam teste D. Ambrosio *in Psalm. 18.* non discedit Angelus à
31 custodia hominis, nisi iussus à Domino, Gastald. *loco citato vers. Probatur ratione.*

32 Secundò, quia hæc cura data est Angelo independenter à statu hominis viatoris quoad fidem, vel gratiam, ergo sicut Angeli custodiunt eos homines, qui vel fidem, vel gratiam non habuerunt, ità & illos, qui eas amiserunt.

33 Tertiò, quia Deus non deserit peccatores quoad auxilia sufficientia interna, & externa. Inter auxilia verò sufficientia est Angelorum custodia, sic Suarez, & Gastald. *locis citatis.*

34 Non obstant adducta in contrarium; quia verba Hieremiæ, & alia supra relata intelligi debent, non quod Angeli Custodes peccatorem omnino relinquant, sed quod actualem operationem, & exercitium Custodiæ interdum remittant propter incapacitatem, vel indispositionem custodiendi, vt interpretatur Suarez *loco citato num. 16.* Petauius *de Angelis to. 3. lib. 2. cap. 6. num. 12.* latè Gastald. *loco citato.*

35 Sed an mali Angeli, hoc est Dæmones, in sua obstinatione Inconstantes esse possint, & ad pœnitentiam conuolare, Catholica veritas est, nullo modo Dæmones Inconstantes esse posse: Quia adeo obstinati sunt in peccato commisso, propter quod damnati sunt, vt nunquam illus remissionem sint consecuturi, ac proinde nec acturos veram pœnitentiam, per quam veniam consequi possint. Hæc veritas habetur expressè in Scriptura Matth. 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis suis*; & infra, *ibunt in supplicium æternum.*

Marc. 9. Christus ait, *Ibi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.*

Apocal. *par.* 10. de Diabolo dicitur, *Missus est in stagno ignis, & sulguris, vbi, & Bestia, & Pseudo-propheta cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum.* Idem habetur *in cap. 14.* Apostolus Iudas in sua Epistola canonica, ibi, *Vinculis æternis sub caligine reseruati.*

Definita

Definita est etiam hæc veritas *in* 5. Synodo, & *in* 6.*art*.6.& in Concilio Lateran. sub Innoc.III. *regiſtr.in cap.firmiter.de Sũma Trinitate, & fide Catholica*, vbi loquendo de reprobis dicit, quod cum Diabolis pœnam perpetuam recipient, & ità Suarez *de Angelis lib.8.cap.7. num.1. & 3.* Vasquez *disput.* 239. cum quibus omnes Theologi concordant, quamuis dissentiant in causa eorum obstinationis.

36 Nàm Nominales volunt hanc obstinationem in malo immediatè à Deo causari, scilicet quod Deus illis infundat actum ipsum odij Dei, & perpetuò conseruet; sic Ocham *in* 2. *q.* 19. quem sequitur Gabriel. *dist.7. q.vnica,art.*1. vel saltem infundat habitum quemdam intensum odii, vt ait Aureolus 2. *dist.* 7. *artic.* 5. & hoc esse
37 probabile dicunt ibid. Maior, & Marsil.

Thomistæ autem referunt, causam obstinationis Dæmonum in intrinsecam naturam ipsorum, quæ immobiliter adhæret, cuicumque adhæret, quatenùs est inflexibilis arbitrij, & immobiliter adhærentis electioni, quam semel facit; ità Diuus Thomas *par.1.q.64. art.2.* Salmaticen. Nazarius, Zanard. Serra, Io: de Sancto Thoma, & alij antiquiores eius Discipuli.

38 Scotus verò, & cum eo communis Schola, asserit, causam obstinationis Dæmonum simpliciter, & absolutè prouenire ex statu damnationis, in quo sunt, quia sunt in termino, & maximè ex carentia auxilij Diuinæ gratiæ, quam iustè Deus denegat illis, supposito peccato, & perseuerantia in illo statu: Sic Scotus 2. *dist.* 7. *qu.*1. *§.de secundo,* S.Bonauent.*ibidem art.*1. *qu.*1. Durand. Richard.Gregor.& Aegyd. & alij relati à Suarez *lib.* 8. *de Angelorum pœnis cap.* 7. *num.* 10. Bartholomæus Masticus *disput.* 3. *de Dæmonibus quæst.* 5. *num.* 85.

39 Quocircà Origenes, qui voluit Diabolum purgatum viribus, atque peccatis, pristinam aliquando gloriam recepturum, ad eamdem rediturum dignitatem, & conscensurum Regna Cælorum: Immò acturum cum alijs Dæmonibus pœnitentiam aliquando, & cum Sanctis regnaturum: tamquam Princeps huius dogmatis, inter
40 Hereticos reputatus est, vt docent Theophilus Alexandrinus, Athanasius, Hieronymus, Epiphanius, & alij, quos refert Petauius *de Angelis lib.3.nu.4.* Quod etiam testatur *quinta* Synodus, ex cuius actis apparet inter errores Origenis hunc esse.

Omnium impiorum hominum, ipsorumque Dæmonum tormenta finem habitura, atque impios Dæmones in priorem statum suum restitutum iri, quod in anathematismis eadem Synodus expressit. Idem error fuit damnatus à *sexta* Synodo *artic.* 11. *in epistola Sophronij*, qui damnationem *quintæ* Synodi ibidem refert.

Et licet ipse Origenes *in Homilia* 8. *in Ioannem*, asseruerit, Dæmones æterno igni
41 addictos, Homines verò iisdem addictos supplicijs, tandem liberandos alio tamen in loco, nempè *to.* 18. *in Ioannem*, putat, aliquos ex Principibus, & Potentijs Angelicis, qui cum Diabolo ceciderant, per pœnitentiam conuersos ad Deum, per Christum, cuius Diuinitate, ac Potestate obstupefacti erant, & hanc fuisse hæresim Origenis, tenet Alphons. de Castro *aduersus hæreses, in verbo Diabolus, vers. Secunda hæresis*, & priùs *in verbo Beatitudo, vers. Tertia hæresis.* Suarez *dicto lib.8.cap.7.nu.1. & 2.* Grauina *Catholicarum præscript. to.* 3. *lib.4. pag.*25. *&* 26.

Et quamuis nonnulli conati sint Origenem vindicare, nempè Scotus *in* 4. *dist.* 5. *art.* 1. Sixtus Senen. *lib.* 4. *Bibliothecæ anno* 126. Merlinus *in Apologia pro Origene*, Mirandolan. *in Apologia q.* 7. Illis tamen non est assentiendum propter auctoritatem
42 *quintæ*, & *sextæ* Synodi. Ideò mei Assessoratus tempore proscriptus fuit liber P. Petri Hallois è Societ. Iesu, cuius nomen *Origenes defensus*, in quo nitebatur Origenem defendere, & parum modestè loquebatur de *quinta* Synodo. Constans ergò opinio Catholicorum est, Dæmones non
43 posse in sua obstinatione inconstantes esse, nec pœnitere posse, & propterea irrisus fuit quidam delusus à quodam Exorcista, qui inter exorcizandum dicebat, audiuisse à Dæmone, se velle veniam à Deo petere, & de suis peccatis pœnitentiam agere.

44 Imò Dæmonem non solùm non posse agere pœnitentiam, sed nunquam cessare de omni actuali peccato, & semper aliquid committere, voluit Diuus Thomas *par.*1. *quæst.*64. *art.2.ad* 5. *& qu.*16. *de malo, & quæst.*24. *de veritate art.*2. *& in* 2. *dist.*17. *quæst.*1. *art.*1. Diuum Thomam sequuntur alii, quos congerit Suarez *d. lib.*8. *de pœnis Angelorum cap.8.num.*4. Et hanc conclusionem latè assumit P. Andreas Lao *in* 1. *Diui Thomæ disput.*330.*dub.*8.*to.*2.

Ab Angelis transeamus ad Homines, in quibus frequens, & peculiaris est Inconstantia.

Certum est enim in Paradiso illo voluptatis, in quo homo reconditus fuit, vt operaretur, & custodiret illum vix per spatium sex horarum, vt multis placet, vel ad summum vnius diei fuisse constan-
45 tem; cum enim fuit illustratus fidei lumine, & ornatus donis gratiæ supernaturalis, in qua fuit conditus, illud ei Deus præscripsit, vt in accepta fide, innocentia, & obseruantia præcepti perseueraret, sed statim quam esset mutabilis, & inconstans animo apparuit cum violato præ-

cepto gratiam, & innocentiam simul cum fœlicitate status amiserit; In statu autem reparationis oportuit solidari Hominem per virtutem Sanguinis Christi Redemptoris, & in fide illius maximè confirmari iuxta illud Petri *epist. 1. cap. 1. in virtute Dei. Custodimini per fidem in salutem, & cap. 5. Resistite fortes in fide, in qua summè debet esse constans, & ideò eam Christus in Petro fundauit tanquam in petra firmissima.*

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

An Summus Pontifex Inconstans in Fide esse possit.

SVMMARIVM.

1 *Papa non potest esse Inconstans in Fide, & num. 5. cum seqq.*
2 *Papa an possit in hæresim incidere, & à Fide deuiare.*
3 *Papa deuiare inconstans non potest à fide, quatenùs Papa, & num. 6. & 8.*
4 *Papa errare non potest in docenda, & instruenda Ecclesia, quod est de fide, & num. 14.*
5 *Sanctus Petrus tamquam Summus Pontifex obtinuit à Christo priuilegium, ne posset aliquid docere contra fidem, illudque necessariò transtulit ad Successores.*
7 *Papa vti Papa habet potestatem definiendi, quæ ad fidem pertinent.*
9 *Papa non potest decipi vti Papa circa fidem siue cum Concilio definiat, siue extra Concilium, & num. 16.*
10 *Papa solus, absque Concilio, plures hæreticos damnauit, & de ratione numeris seqq.*
11 *Papa nullibi legitur, quod habeat potestatem dependenter à Concilio.*
12 *Concilium potestatem habet dependenter à Papa.*
13 *Concilium conuocari difficiliter potest, & quare.*
14 Alphonsi de Castro *intolerabilis error circa potestatem Papæ.*
17 Sorbonensis Schola *quid senserit circa Pontificis infallibile iudicium in rebus fidei extra Concilium.*
18 *Registratur Decretum eiusdem* Scholæ.
19 Almainus, & Gerson, *quanta sint auctoritatis, & quare.*
20 *Fragilitas humana semper in peius labitur.*
21 *Arrestum* Parlamenti Parisien. *cōtra Summi Pontificis auctoritatem à quibus prodierit.*
22 *Propositio* Parlamenti Parisiensis.
23 *Donum infallibilitatis fuit à Christo concessum Petro, & eius Successoribus, non sub conditione consensus Ecclesiæ, sed statim à sua canonica electione.*
24 *Innocentius X. damnauit quinque Propositiones* Iansenianas.
25 *Papa vt dicatur infallibiliter circa rem fidei definiuisse an sit quærendum, num de illa contulerit cum peritis.*
Papa habet assistentiam Spiritus Sancti, & diuinæ prouidentiæ in rebus fidei.
26 *Innocentius X. quas adhibuerit diligentias in damnatione Propositionum* Iansenij.
27 *Quot consultauerit Peritos.*
28 *Propositiones* Iansenianæ *damnatæ, cum euidenti assistentia Spiritus Sancti.*
29 *Papa de facto, & sine consultatione, controuersiam fidei definienti an sit credendum, quæstio expuncta.*
30 *Deus assistit deffinitionibus fidei, eiusque medijs.*
31 Iansenistarum *distinctio proponitur, & impugnatur num. seqq.*
32 *Papa an possit sine errore dogma fidei statuere super facto non reuelato.*
33 *Hæresis* Rhectorij *existimantis omnes hæreticos beneè sentire, & propterea omnes hæreses veras esse.*
34 *Sensus Scripturæ Diuinæ qualis sit Ecclesiæ credendum.*
35 *Papa est solus Interpres Scripturæ hæresim continentis, & sensus Auctoris illius.*
36 *Papa quid sentiat damnando hæresim in sensu ab Auctore intento.*
37 *Damnatio propositionum* Baij *per Pium V. quomodo.*
38 *Christiani non habent alium Iudicem, vel Doctorem, ad quem constantes recurrant in rebus fidei, nisi Summum Pontificem.*
39 *Papa non præsumitur errare in rebus fidei, etiam quatenùs facti sunt, donec error pateat.*

EX supradictis inferunt communiter Doctores, Summum Pontificem Christi Vicarium, & Petri Succes-
1 sorem in Fide Inconstantem esse non posse. Licet enim ex Textu *in cap. Si Papa 40. distinct.* deducatur, Summum Ponti-
2 ficem posse in hæresim incidere, & à fide deuiare, vt ex multis, quos refert, differit Fagnanus *in cap. Significasti, de elect. num. 68.* Nihilominùs distinguendum est inter
3 Pontificem, qua Pontifex, & qua persona priuata, priori casu dicendum est nullo modo Summum Pontificem posse esse Inconstantem in Fide, imò de fide est,
4 quod Summus Pontifex in docenda, &

instruenda Ecclesia, cuius Caput est, non
potest errare, aliàs fuisset inanis promissio
Saluatoris, registr. in Euang. Lucæ 22. in
illis verbis: *Simon, Ego rogaui pro te, vt non*
5 *deficiat fides tua*. Et quia tunc Christus
dedit priuilegium Petro, vt ipse tanquàm
Summus Pontifex non possit aliquid do-
cere contra fidem. Tale priuilegium ne-
cessariò ad Successores Petri translatum
est, vt colligitur ex *cap. Maiores de Baptis-
mo, & cap. Ita Domini] dist. 19.* Suarez *De
fide disput.15.art.8.num.40.* Baldell. *De fide,
& infidelitate lib.1.disput.37.nu.6.* Ex nostris
Barbos. *in tract. Iuris Ecclesiastici Vniuersi
lib.1.cap.2.num.38.*

Et hanc conclusionem, quod Summus
Pontifex tanquàm Christi Vicarius, &
Petri Successor non possit esse Inconstans
in fide, docuerunt ex Theologis Diuus
Thomas 2.2. *qu.1. art.10. & quæst.11.art.2.
ad 3.* Gaietan. *in Apologia de potestate Papæ
par.2.cap.13.cum seqq.* Turre-cremata *lib.2.
cap. 19.* Pighius *de Ecclesiastica Hierarchia
lib. 4. cap. 3.* Canus *de locis Theolog. lib. 6.
cap. 3. propos. 3.* Caranza *in Summa Concil.
contron. 3.* Card. Bellarm. *lib. 4. de Romano
Pontifice cap.3.* Suarez *de fide disp. 5. sect. 8.
num.8.* Corduba *in qq. Theol.lib.4.quæst.3.in
princip. & §.6.* Sotus *in 4. sentent. quæst.22.*
latè Bannez *2. 2. quæst.1. art.10.* Bordonus
*in Tribunali cap.5.de Rom. Pontifice 8. vers.4.
& qu. 14.* Lezana *in Summa Theolog. tom.3.
tract.1. quæst. 5. vers. Nihilominus veritas est,*
Bertin.*de inquisit. fol.mihi 155. col.2.& 157.
col. 1.* Macedo *in sua Schola Theologiæ posi-
tiuæ Schola 6. cap.4. fol.mihi 241.* Ex nostris
autem Turre-cremata *in cap. Hæc est fides
24. quæst.1.* Couar. *var.lib.1.cap.10.num.12.*
Simanch. *de Cathol. instit. tit.45. vers. Papa
à nu.20.* Pegna *3.par.Direct. q.25.comm.74.
vers. Et hæc sententia,* Acugnha *in dicto cap.
Si Papa n.6.vers.Sit prima conclusio,*Santarell.
de Hæresi cap 31. dub.1. num.3. qui ait, defi-
6 nitam esse in Concilio Viennensi, vt *in
Clement. vnica, de Summa Trinit.* & in Con-
cilio Florentino *sess. 25. in fine,* & in La-
teranensi sub Leone X.qui damnauit *artic.
24.* Lutheri hanc veritatem negantis,
Barbos. *in dicto cap. Si Papa à num. 2.* per
multos, vbi respondet omnibus contra-
riis, & *tract.Iuris Vniuers.Eccles. lib.1. cap.2.
à num. 58.* Cardin. Alban. *de potestate Papæ
par.2. num.172.* vbi assignat rationem, sci-
7 licet, si Papa, vt Papa habet potestatem
definiendi ea, quæ ad fidem pertinent,&
iudicandi in iis potestate perfruitur, si
Inconstans in fide esse, & errare posset,
nihil stabile, & firmum in Ecclesia habe-
remus, quo nihil deteriùs posset contin-
gere, vel, vt ait Gelasius I. *in Epist. 8. ad
Anastasium Imperatorem.*
8 *Hoc est*, inquit, *quod Sedes Apostolica ma-
gnopere cauet, vt quia Mundo radix est Apo-*
*stoli gloriosa confessio: nulla rima prauitatis,
nulla prorsus contagione maculetur, nàm si
(quod Deus auertat, quod fieri non posse confi-
dimus) tale aliquod proueniret vnde cuiquam
auderemus resistere errori? vel vnde correctio-
nem errantibus posceremus?* Quod etiam ad-
uertit P. Theophilus Raináldus, qui dùm
hæc scribo diem clausit extremum, *in Co-
rona aurea super Caput Romani Pontificis, sub
notae.2.verit.7.* Fermosinus post hæc scrip-
ta visus *in cap. Damnamus num.9. 10. & 11.
de Summa Trinit. & fide Catholica,* Fagnan
in cap.Maiores de Baptismo à nu.12. Rubeus
in Annot.ad decis.2. par.3.recent.§.5.num.28.
Fragos. *de Regim. Reipubl. lib.1.dispnt.1.§.3.
to.2.*
9 Quæ conclusio procedit, siue Pontifex
definiat vna cum Concilio, siue extra
Concilium, Suarez *dicta dispnt.5.sect.8.n.6.*
Baldell. *dicta disp.37.num.7.* Osius *in confes-
sione fidei cap.31.* Turre-cremata *in summa
lib.2.cap.109.*Valden.*de Doctrina fidei lib.2.
cap.47.& 48.* Petrus Soto *in Apolog.cap.83.
& seq.* Echius *de Primatu Petri cap.18.*cum
aliis per Sanctarell. *dicto cap.31. dub.1.nu.3.*
Barbos.*dicto cap. Si Papa num.13.*nouissimè
Lezana *2.2.tract.1. disp.8.qu.5. de Papa, siue
Pontifice Romano pag.mihi 89. vers.Nihilomi-
nùs veritas est de fide,* Fermosinus *loco citato
num. 12.* Bagosius *in Apologetico fidei lib. 4.
disput. 2. cap.1. sect.3. to. 1.* vbi probat, ex
10 continuato vsu Ecclesiæ Summos Pon-
tifices solos, absque Concilio, plures Hæ-
reticos damnasse, Caspensis *in suo cursu
Theologico to. 2. tract. 15. de fide, disput. 2.
sect.6. à num.62.*
11 Non enim vnquàm legimus potesta-
tem definiendi, & præcipiendi esse datam
Summo Pontifici dependenter à Conci-
lio, sed è contra datam esse Concilio de-
12 pendenter à Pontifice, quod certè fuit
maximè conueniens, & vtile Ecclesiæ, vt
dubia, & Hæreses, quæ in dies exurge-
rent, repentè reprimerentur, & tolleren-
13 tur, nec deferri deberent ad futurum
Concilium, quod non potest conuocari
sine magno incommodo, & magnis ex-
pensis, & aliquando etiam absolutè con-
uocari non potest propter persecutiones,
& propter bella, quæ fortè vigent contra
Ecclesiam,vel inter Principes, sic Baldell.
loco cit. num.7. Valentia *2.2. disp.1. quæst.1.
14 par. 7. §. 40.* vbi dicit, hoc esse de fide
certum, Raináldus *dicta subnot. 2.verit. 8.
vers.Est ergo Pontifex,* Suarez *loco citato.*
15 Ideò intollerabiliter errauit Alphonsus
de Castro *lib. 1. contra Hæreses cap. 4.* dùm
asseruit, Pontificem, quatenùs Papam, &
de Cathedra loquentem Inconstantem in
fide esse posse, vt aduertit Raynaldus *loco
citato.*

Pariter non est sana doctrina Gersonis
Almaini, Io: Maioris, & Adriani, & ex

nostris Abbatis *in cap. Significasti num. 3. de electione*, Antonii Rosel. *de Concilio qu. 14.*
16 qui non in Pontifice solo, sed in Pontifice simul cum Concilio Generali constituunt infallibile iudicium de rebus fidei.
17 Et quamuis nonnulli velint, hanc esse opinionem facultatis Theologicæ Sorbonæ, hoc tamen commentum est, nam plures eiusdem Scholæ Doctores, & quidem celebriores hoc soli Pontifici concesserunt, vt Diuus Thomas 2.2. *qu.* 1. *artic.* 10. Diuus Bonauentura singulare eiusdem Scholę Parisiensis decus, & ornamentum, & cuius doctrinam Gerson. ad Studentes in Collegio Nauarrę miris laudibus vsque ad Cælum extollit. Henricus Armonicus, Henricus Gandauensis, Ioannes de Celaia, & omnes illi Doctores, qui in Comitiis generalibus eiusdem Scholæ errores Molesoni condemnauerunt, iis verbis:
18 *Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate iudiciali suprema circa ea, quæ sunt fidei, iudicialiter definire.*

Prout de iis omnibus testatur Duallius insignis Doctor Sorbonicus *in tractatu de Suprema Romani Pontificis in Ecclesia potestate lib. 2. de infallibilitate quæst. 4. in fine versic. ad 9.*
19 Nec Almainus, & Gerson sunt in hoc magnæ auctoritatis, quia scripserunt tempore Schismatum, vt notat Duallius *loco cit. pag. mihi* 210.
20 Sed quia humana fragilitas in peius labitur, iuxta illud:

Video meliora, proboque
Deteriora sequor:

dùm hæc transcriberentur prodiit Arrestum Curiæ Parlamenti Parisiensis, quo
21 approbatæ, & in eo registratæ fuerunt nonnullæ propositiones contra Summi Pontificis auctoritatem, quæ à paucis Theologis, & iis quidem hæresi Iansenianа infectis assertæ fuerunt, inter quas vna est:
22 *Sextò, non esse doctrinam, nec dogma facultatis, quod Summus Pontifex nullo accedente consensu Ecclesiæ sit infallibilis.*

Vide pessimam eius Scholæ Inconstantiam, quasi quod infallibilitatis donum concessum Petro, & eius Successoribus à
23 Christo, hac conditione datum fuerit dependenter ab aliquo consensu Ecclesiæ, cum illud in Summum Pontificem statim à sua canonica electione à Christo conferatur.

Sed quò collimant hæc omnia apertè patet, vt scilicet hæresis Ianseniana, quæ sola Pontificis Constitutione damnata est, impunè grassetur, quasi quod potuerit
24 Innocentius X. in damnatione quinque Propositionum Iansenij errare: Quod quidem Monarchico Regis Galliarum Imperio præiudicij magni esse potest.

Neque oportet esse sollicitum, an Summus Pontifex debitam diligentiam adhibuerit, & contulerit rem cum Peritis: Quia eo ipso, quod Deus permittit doctrinam proponi cum auctoritate, supponendum, iam ritè esse discussam à proponente; maximè enim spectat ad Diui-
25 nam prouidentiam, & ad assistentiam Spiritus Sancti, quam habet super regimine suæ Ecclesię, vt non permittat omitti examina, & diligentias debitas, & procedi inconsideratè, ac temerè ad res de fide definiendas, vel ad præcipiendas, aut prohibendas toti Ecclesiæ, Suarez *d. disput. 5. sect. 8. num. 10. in fine*, Sanctus Thomas *quodlibet 9. art. vltimo*, latè Bannez 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dubit. 2. in respons. ad 4. argumentum*, Baldell. *dicta disput.* 37. *n.* 8. Rainald. *subnot.* 2. *vers.* 7. *vers. Non oportet, pag. mihi* 267.
26 Quæ quidem diligentia, me assistente Assessore Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis Romanæ; & maxima quidem adhibita fuit cum sanctæ memoriæ Innocentius Decimus ad condemnationem quinque Propositionum, ex Augustino Iansenij decerptarum, deuenit. Non enim contentus fuit, quod in pluribus Congreg. habitis coram Eminentiss. & Reuerendiss. Supremæ, & Vniuers. Inquisitionis Cardinalibus Inquisitoribus, sententiæ doctissimorum Theologorum, Qualificatorum ordinariorum, adhibitis etiam extraordi-
27 nariis Qualificatoribus, exquirerentur, sed ipsemet Innocentius per plures dies eorumdem Theologorum Qualificatorum sententias maxima cum patientia audiuit, & coram se Cardinalibus Inquisitoribus, Theologis, Qualificatoribus, quemdam Abbatem della Lana, aliosque doctrinæ Iansenianæ fautores orantes admisit; votaque Theologorum, Qualificatorum in scriptis redacta magno studio, & diligentia perscrutatus fuit; aliisque eruditissimis viris in consilium adhibitis, ac indictis per Ecclesias Vrbis supplicationibus, tandem in Peruigilio Pentecostes ad condemnationem prædictarum quinque Propositio-
28 num deuenit afflante equidem Spiritu Sancto, cuius assistentia in hoc grauissimo negocio semper euidentissimè apparuit.

Et ideò quidquid blateret contra me Iansenista ille de Sancto Amour *in suo Diario*, quod plenum calumniis, & mendaciis contra Summum illum Pontificem, Cardinales Franciscum Barberinum, Bernardinum Spadam, & alios, idiomate Gallico exarauit, veritas constans, & inconcussa est, gloriosæ memoriæ Innocentium X. ritè, & rectè illas quinque Propositiones ab Augustino Iansenii excerptas in sensu ab eodem Iansenio intento condemnasse.

Et ideò ab opere Fr. Francisci Bordoni,

cui nomen *Sacrum Tribunal Iudicum in causis sanctæ Fidei contra Hæreticos*, expuncta
29 fuit illa quæstio, an Papæ de facto procedenti ad definiendam controuersiam fidei, sine consultatione credendum sit, & definitum pro fide habendum, quam quæstionem agitat in *cap. 5. de Romano Pontifice quæst. 25. num. 110.* Quia vt supra
30 dictum est, quæstio hæc moraliter impossibilis est, cum Deus, qui assistit definitionibus fidei, assistat etiam, vt media adaptentur prædictis definitionibus.

Sed quia humana malitia modum non habet ad effugiendam damnationem quinque Propositionum à Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexand. VII. factam, confugerunt ad iuris, & facti di-
31 stinctionem, scilicet, quod prædicti Summi Pontifices potuerunt obligare fideles ad obseruandas dictas damnationes, tanquàm fidei dogma, prout respicit iuris quæstionem, hoc est, dictas quinque Propositiones in abstracto, & prout iacent, esse hæreticas, sed non potuisse eos arctare ad credendum de fide, fuisse à Iansenio prolatas in eo sensu, quo damnatæ fue-
32 runt, nàm cum hoc pendeat ex facto non reuelato, super eo facto, dogma fidei Pontifex statuere non potest, quia in facto huiusmodi errare potest.

Cæterùm hoc effugium sublatum est à Viris eruditis, & præsertim à D. Nicolao Dubois Professore Louaniensi, qui luculenter materiam hanc pertractauit *in suis relectionibus editis Louanij* 1665. *&* 1666. Aegydius Estrix *in sua Diatriba Theologica assertione 47. sect. 8. per multas &c.* Emin. à Lauræa *in to. 3. in 3. sententiarum Scoti tota disput.* 6.

33 Et certè distinctio hæc videtur conuenire hæresi Rhectorij, qui (vt Philastro placet) existimauit omnes hæreses veras esse, Hæreticosque semper benè sentire, quam esse magnam dementiam dixit Diuus Augustinus *de Hæresibus, ad quod vult, Deum num.* 72. Hinc dixit D. Hieronymus *super Epist. ad Galatas*, quod in verbis non est Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

34 Quo fit, vt qua lege credimus Ecclesiæ dicenti, hanc esse Scripturam Diuinam, eadem lege credamus, eidem dicenti, hunc, aut illum esse sensum Scripturæ Diuinæ, vt benè in proposito ratiocinatur Alphonsus de Castro *aduersus hæreses lib. 1. cap. 4. col. 2. litt. B.*

35 Et proptereà cum solus Papa sit Interpres Scripturæ, quæ continet hæreses, ità sit Interpres sensus Auctoris Scripturæ, quâ ergò lege credere debemus, scripturam continere hæreses, eadem lege credere debemus, sensum Auctoris scripturam exarantis, & hunc esse sensum Summorum Pontificum damnantium hære-
36 ses in sensu ab Auctore intento patet ex Bulla Martini V. *contra Ioannem Hus, & Hieronymum à Praga, & Ioannem Vuicleff*, dùm eos condemnat, eo quià de Sancto Eucharistiæ Sacramento, & de alijs Sacramentis aliter sentiebant, quàm Sancta Romana Ecclesia credit, tenet, & prædicat.

37 Sed meliùs in Bulla Pij V. *contra Michaelem Baium*, in qua priùs damnat Propositiones Baij in sensu ab Auctore intento, quamuis aliàs possent in alio sensu rectè intelligi.

Quæstio enim fuit, an dictæ quinque Propositiones, prout à Iansenio erant typis datæ, essent Catholicæ, an Hæreticæ, de qua quæstione Summus Pontifex iudicium suscepit; & post longam discussionem, & diligentias à Nobis supra relatas adhibitas, decreuit è Cathedra in sensu à Iansenio intento, esse hæreticas: Quis **autem verè Catholicus audebit dicere, non potuisse duos illos Summos Pontifices Innocentium, & Alexandrum tanquàm de fide hoc decernere, cum potue-**
38 **rint errare? Non enim est ouium iudicare, an Pastor erret, nec ne: Quia non habent oues alium Iudicem, vel Doctorem, ad quem constantes recurrant, nisi Romanũ Pontificem, vt rectè ait Card. Bellarm.** *de Summo Pontifice lib 4. cap. 3. pag. mihi 810. vers. Contrarium.* Sed demus, quod Pontifex in his, quæ sunt facti errare posset, nihilominùs pro eius iudicio præsumendum est, donec error pateat, & ideò Viri
39 Catholici tenentur iudicio Summi Pontificis, non solùm stare, sed credere, vt voluit ex nostris Couar. *var. lib. 1. cap. 10. num. 13.* & ex Theologis Bellarminus *dicto lib. 4. de Summo Pontifice cap. 5. vers. Tenetur in fine capituli.*

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

An Papa possit errare in definitionibus circa mores.

SVMMARIVM.

1 *Papa infallibilis est circa definitiones, quæ concernunt mores quatenùs tendunt in beneficium Ecclesiæ Vniuersalis.*
2 *Papa fieri non potest, quòd erret prohibendo virtutem, vel præcipiendo vitium, aut aliud contra salutem.*
3 *Ecclesia non esset sancta, si posset docere falsum, & circa fidem errare.*
4 *Fides docet omnem virtutem esse bonam, & omne vitium malum.*
Deus deesse non potest Ecclesiæ in necessarijs.
5 *Papa errare an possit circa Canonizationem Sanctorum, & num. seqq. præsertim num. 7. vbi an opinio affirmatiua sit hæretica, & num. 9. an saltem sapiat de hæresi, & nu. 8. vbi an negatiua sit de fide.*
6 *Fagnanus bonus Canonista.*
10 *Papa an possit in hæresim labi, & in fide Inconstans esse tanquam persona priuata, & habens liberum arbitrium, & num. 11.*
Papa impeccabilis non efficitur eo ipso, quod eligitur in Pontificem.
Deus dedit Pontifici infallibilitatem in definiendo, non autem impeccabilitatem in agendo.
12 *Pontifices in fide Inconstantes recensentur.*
13 *Sed ab errore purgantur.*
14 *Commendatur noua opinio* Pighij.
15 *Fundamenta eiusdem opinionis referuntur.*
16 *Et respondetur ad contraria.*
17 *Papa an possit esse hæreticus.*

1 QVOD dictum est de constantia
Papæ circa definitiones fidei,
idem dicendum est circa eas, quæ
concernunt mores, quatenùs tendunt ad
beneficium Ecclesiæ Vniuersalis, Corduba *in qq. Theolog. lib. 4. quæst. 3. §. arguitur,* Auinion. *de Vnitate ouili ad Pastorem cap. 3. num. 18.* Bellarminus *de Romano Pontifice lib. 4. cap. 5.*, Barbosa *in dicto cap. Si Papa num. 23. & 24.* Bertin. *de inquisit. fol. mihi 158. col. 1.* Fragos. *de Regim. Reipub. mox adducen. num. 27.* Caspens. *in suo cursu Theologico tract. 15. de fide tom. 2. disp. 2. sect. 6. num. 65.*

2 Non enim potest fieri, vt Pontifex erret præcipiendo aliquod vitium, vt Vsuram, vel Simoniam, vel prohibendo virtutem, vt iustitiam: Nec potest fieri vt erret, præcipiendo aliquod contra salutem, vt Circumcisionem, vel prohibendo aliquod necessarium ad eam, vt Baptis-
3 mum. Quia Ecclesia tunc non posset
dici Sancta, Sancta enim non potest docere falsum, nec præcipere malum, & sic
docendo erraret circa fidem, quæ docet
omnem virtutem esse bonam, & omne
4 vitium esse malum, & Deus deesset Ecclesiæ in necessarijs, quod non est dicendum, sic egregiè Bellarminus *loco citato cap. 5. per totum,* Molin. *de Iustitia, & Iure to. 2. disp. 325.* Suarez *dicta sect. 8.* Diuus Antoninus *3. par. tit. 18. cap. 8. §. 2.* Cano *de locis lib. 5. cap. 5.* Azor. *to. 2. lib. 5. cap. 6.* Valentia *to. 3. disp. 1. quæst. 1. puncto 7.* Turre-cremata *in Summa lib. 2. cap. 110.* Sanctarell. *de Hæresi cap. 31. disp. p. num. 4.* Lezana *loco cit. vers. Ex dictis autem infert pag. 90.* Acugna *dicto cap. Si Papa num. 7.* Fragos. *de Regim. Reipub. statim referendus num. 27.*

5 Et propterea inferunt Doctores, Papam non posse errare in Canonizatione Sanctorum. Siluester *in quinta Canonizatione;* Valentia *2. 2. quæst. 1. punc. 7.* Antoninus *3. par. tit. 11. cap. 8. §. 2.* Turre-cremata *in tract. de Ecclesia quæst. 1.* Cano *de locis lib. 5. cap. 5.* Bannez *2. 2. quæst. 1. art. 1. dub. 7.* Torres *2. 2. disp. 16. dub. 5.*, & alii ex Diuo Thoma *quodlibet 9. num. 13.* Bordon. *in Tribunal. cap. 5. de Romano Pontifice num. 101.* Lezana *loco cit. pag. 90. vers. Pariter,* Macedo *in sua Schola Theolog. positiua Schola 19. cap. 4.* Bertin. *de inquisit. dicto fol. 158. col. 2. & fol. 159. col. 1.* Ex nostris Couar. *Var. lib. 1. cap. 1. num. 13.* Pegna *in 2. par. Directorij quæst. 17.* Fragos. qui multos colligit *de Regim. Reipub. to. 2. disp. 1. §. 3. lib. 1. num. 29.*

6 Et quamuis plures ex Canonistis nempè Innocentius V. *in cap. 1. num. 24. de Reliquijs, & Veneratione Sanctorum,* Hostien. *ibidem num. 10.* Gloss. *in cap. vnico verbo Sedis Apostolicæ, & verbo si Ecclesia eodem tit. in 6.* Felin. *in cap. Venerabili num. 2. de Testibus*, sentiant contrarium, eorum tamen opinio innititur falsis fundamentis, & rationibus, quæ benè soluuntur à Fagnano *in dicto cap. Venerabili de Testibus à num. 40.* quamuis ipse, vt bonus Canonista, qui
iurauit in verbo Magistri non damnet eorum opinionem saltem tanquam hæreti-
7 cam, cum hic articulus non dùm sit ab
Ecclesia deffinitus, sed pleniùs hanc quæstionem tractat Contilorius *de Canonizatione Sanctorum tot. cap. 10.*, *vbi num. 10.*

recenset Auctores, qui tenent esse de fide
8 credendum, Papam non posse errare in
Canonizatione Sanctorum, sed optimè
omnium Baldellus *to. 2. Theolog. moral. tit.
de Dei adoratione, & oratione lib. 3. disp. 12.
à num. 4.* vbi *num.* 5. dicit, quod Proposi-
tio, quod Papa possit errare in Canoniza-
9 tione Sanctorum, vel est hæretica, vel
saltem sapiens hæresim, & multis aucto-
ritatibus, & rationibus comprobat, & res-
pondet ad contraria, idem tenet Bordo-
nus *resolut. 113. qu. 3.* Em. à Lauræa *d. to.
3. disp. 6. art. 3.* Si verò consideremus Pa-
pam tanquam personam priuatam, quæ
habet libertatem Arbitrij, tam circa fi-
dem, quàm circa mores, Duplex est opi-
10 nio. Altera est quidem communis, tàm
Canonistarum, quàm Theologorum, quod
Inconstans in fide esse possit, & labi in
hæresim, non enim eo ipso, quod quis
eligitur in Pontificem, confirmatur in
gratia, & efficitur impeccabilis, sic Ca-
nonistæ omnes *in dicto cap. Si Papa, & in
cap. Anastasius dist. 19.* nouissimè Fagnanus
in cap. Maiores num. 13. de Baptismo; vbi,
quod Deus dedit Pontifici infallibilitatem
in definiendo, non impeccabilitatem in
agendo, Acunha *dicto cap. Si Papa num. 9.*
Direct. Inquisit. *par. 3. quæst. 25.* Cardina-
lis Albanus *de potestate Papæ par. 1. num. 6.*
Barbosa *dicto cap. Si Papa num. 34.* Et ex
Iuristis Clar. *in §. hæresis vers. Item licet in
§. fin. quæst. 35.* Decianus *tract. crim. lib. 5.
cap. 25. num. 1.* Tuscus *to. 2. concl. 522.
num. 26.* Ex Theologis Bannez *2. 2. quæst.
10. art. 10. dub. 2. conclus. 1.* Adrianus *in
4. de Sacramento confirmationis quæst. ult. §.
ad secund. principale* Alphonsus de Castro
*aduersus hæreses lib. 1. cap. 2. & cap. 4. &
cap. 8. & de Iusta Hæreticorum punitione cap.
23. Initio* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1.*
Siluester *verbo Papa quæst. 4. num. 4.* Augu-
stinus de Ancona *de potestate Ecclesiastica
quæst. 5. art. 2.* Corduba *lib. 4. quæst. 3. &
quæst. 11.* Gaetanus *Opusculo de Primatu Ec-
clesiæ Romanæ*, & alij per Baldellum *lib. 1.
disp. 37. num. 9.* Turrianus *de fide disp. 16.
num. 1.* Duallius *de Pontifice lib. 2. quæst. 1.*
Torres *2. 2. to. 1. disp. 16.* Fermosin. *cap.
damnamus num. 14. de Summa Trinitate, &
Fide Catholica*, Bordonus *de Romano Ponti-
fice cap. 5. num. 78.* Rubeus *in annot. ad
decis. 2. par. 5. recent. §. 5. num. 29.*

Altera opinio est, Papam etiam vti per-
sonam priuatam nullo modo posse esse
inconstantem in fide, nec peccare forma-
liter peccato Hæresis, & esse pertinacem
contra doctrinam, & fidem Ecclesiæ,
quam latè defendit Albertus Pighius *lib.
4. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 8.* Simanc.
de Catholic. Instit. tit. 12. num. 14. vbi hanc
11 opinionem appellat satis piam, & erudi-
tam Cardinalis Baronius sæpiùs *in Anna-
libus*, & præcipuè *ad annum Christi 865. §.
Quæ verò statuta*, Cardin. Osius *contra Pro-
legomena Brentij lib. 2. §. ex quo videre licet*,
Card. Bellarminus *lib. 4. de Romano Pon-
tifice cap. 6.* Suarez *de fide disp. 1. sect. 6.
num. 11.* Bonacina *de excommunicatione
disp. 21. quæst. 5. puncto 1. num. 9. tom. 1.*
Pegna *in Direct. par. 3. comm. 74. §. Sunt
alij*, Baldellus *loco cit. à num. 10.* Fragos. *de
Regim. Reipub. to. 2. lib. 1. disp. 1. §. 3. num.
32. vers. Probabile tamen est.*

Qui priorem defendunt sententiam,
eam confirmant non solùm rationibus,
sed exemplis nonnullorum Pontificum,
12 qui, vt asserunt, in fide Inconstantes fue-
runt, nempe Marcellinus, Liberius, Fe-
lix, Anastasius Secundus, Honorius Pri-
mus, Ioannes XXII., Bonifacius VIII.,
& alij, de quibus Bellarminus *de Romano
Pontifice lib. 4. cap. 8. & 9.*

Qui verò in contrariam transeunt sen-
tentiam, eos omnes Pontifices defendunt
ab Inconstantia in fide, & ab errore hæ-
resis.

13 Nam Marcellinum purgat Bellarminus
loco citato in fine, Baronius *ad annum 302. à
num. 90.*

Liberium idem Baronius *anno 357. &
367.* Sanderus *de visibili Monarchia lib. 7. à
num. 121.* Coccius *to. 1. lib. 7. art. 11.*

Felicem purgant idem Baronius *anno
357.* Coccius *loco citato art. 12.*

Anastasium, quem Gratianus est crimi-
natus *cap. penult. dist. 19.* defendunt Pi-
ghius *lib. 4. cap. 8.* Couar. *lib. 4. Variar.
cap. 13.* Barbosa *ad dict. cap. penult. dist. 19.
num. 1.*

Honorium verò purgant Ioannes Papa
ad Anastasium initio collectaneorum, Sanctus
Maximus *disp. contra Pirrum*, Bellarminus
lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11. Baronius
anno 633. & 681., Andreas Scotus *ad Co-
dicem 19. Photij*, Coccius *locis citatis art.
13.* Duallius *de Romano Pontifice par. 2. q. 4.*

Ioannem XXII. malignè à Caluino alla-
tratum defendit Sanderus *lib. 7. de visibili
Monarchia à num. 1006.*

Bonifacium VIII. purgant Henricus
Spondanus, & Raynaldus *de Corona aurea
super Mitram Pontificis subnot. 2. verit. 7.*

Prædictos, & alios Pontifices, qui di-
cuntur errasse in fide, benè purgant Bel-
larminus *dict. lib. 4. à cap. 8. ad 14.* Azor.
Instit. moral. tom. 2. lib. 5. cap. 4. quæst. 3.
Frãciscus Agricola *de Primatu Petri cap. 21.*
Bordonus *dicto cap. 5. à num. 84.* Barbosa
ad dict. cap. Anastasius dist. 19. Macedo *in
sua Schola Theologiæ positiuæ tota Schola 7.
per multa cap.* longè post hæc scripta Em. à
Lauræa *d. to. 3. disp. 8. §. An Romanus Ponti-
fex in hæresim incidere possit.*

14 Certè negari non potest, quin hæc opi-
nio Pighij licèt noua, & singularis in Ec-

clesia, vt volunt Cano *de locis lib. 6. cap. vlt.*, & Azor. *dicto lib. 5. cap. 5. quest 2.* sit admodùm pia,& probabilis,quia etiam Papæ, vt priuatæ personæ incumbit confirmare fratres suos, & fideles omnes, nec videretur satis Deus consuluisse suæ Ecclesiæ, & indemnitati, & securitati fidelium, si permitteret in Sede,ac in munere Summi Pastoris Lupum consistere, & in oues grassari, easque perdere, & mactare, si non gregatim, & simul omnes, sicut faceret, si pro tota Ecclesia definiret aliquod falsum, vel præciperet aliquod malum, saltem mactare, & perdere singillatim, & vnam post aliam, sicut faceret, si priuatis sermonibus suaderet suam hæresim, & virus insunderet suæ infidelitatis, vt doctè ratiocinatur Baldellus *de fide, & infidelitate lib. 1. disp. 37. num. 11.* apud quem videri possunt plura in hac materia,

16 quibus benè comprobat hanc piam opinionem, respondetque ad Textum *in cap. Si Papa, & in cap. Anastasius dist. 19.* eos loqui ex hypothesi, & conditionaliter, ideò nihil ponere in esse. Quamuis Suarez *in defensione fidei lib. 1. cap. 6. num. 15.*

17 dicat, an Papa esse possit hæreticus, inter Catholicos Doctores adhuc litem sub Iudice esse.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

An Ecclesia Catholica, & Vniuersalis possit esse Inconstans in Fide, & in hæresim labi, & quid de Ecclesia Romana.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia Catholica, & Vniuersalis non potest Inconstans in hæresim labi etiam per ignorantiam.*
Comparatur Columnæ.
2 *Synagoga sæpe defecit.*
3 *Ecclesia Catholica, & vniuersalis in fide infallibilis, quæ sit.*
4 *Ecclesia est regula fidei saltem in credendo.*
5 *Ecclesia duratura est vsque ad finem Mundi.*
Ecclesia fundata est à Deo in æternum.
6 *Heretici, qui negarunt durationem Ecclesiæ vsque ad finem Mundi.*
7 *Ecclesia Romana infallibilis, & quæ sit.*
Papa Episcopus peculiaris Romanæ Ecclesiæ.
Papa supremum Caput Ecclesiæ vniuersalis, & vniuersalis Doctor.
8 *Ecclesia Romana vnde dicatur.*
Petrus fundauit Ecclesiam Romanam iubente Domino.
Petrus permansit in Ecclesia Romana vsque ad mortem.
9 *Symbolum Apostol. canendum in sacris post Euangelium quomodo introductum in Ecclesia Romana.*
10 *Ecclesia Romana Symbolum Apostolorum post Euangelium in sacris olim non canebat in contestationem eius constantiæ, & infallibilitatis in fide.*
11 *Papa an possit inconstans priuare Ecclesiam Romanam, & Vrbem Romam suis priuilegijs.*
12 *Papa an possit inconstans Roma discedere, & alibi Sedem Apostolicam transferre.*
13 *Papa discedere an possit ab Vrbe ex iusta causa.*
Sedes Apostolica non dicitur translata ab Vrbe ex eo, quod Papa inde discesserit.
Papa tenetur defendere Vrbem Romam.
Episcopi seditionem Ciuium sedare non valentes à suis Ecclesijs aufugerunt.
Papa tueri tenetur fidem Catholicam etiam suo sanguine.

1 ECCLESIAM Catholicam, & Vniuersalem nullo modo in rebus fidei Inconstantem esse posse, & in hæresim labi, concors est omnium Doctorum Catholicorum sententia, quam etiam Hæretici negare non audent, vt nec etiam per ignorantiam errare in rebus fidei, in quibus tanquam in veritate à Deo reuelata, & ab omnibus fidelibus credenda, Vniuersa Ecclesia conspirat, docet, ac præcipit, vt ex Sanctis Patribus probat Suarez *dicto tractatu toto cap. 3. & 4.* Bertin. *de Inquisit. fol. mihi* 148. Caspensis *in suo cursu Theologico to. 2. tract. 15. de fide disput. 2. sect. 4. à num. 43. cum seqq.*

Comparatur enim Columnæ, quæ in sua firmitate puram, ac sinceram veritatem conseruat, fidelesque omnes in eadem veritate contra quoscumque ipsius oppressores obfirmat, sic habetur *in cap. à recta 24. quæst. 1. & in cap. in sede eadem causa, & quæstione, & in cap. scire 7. quæst. 1.* Gloss. *in cap. ità Dominus dist. 19. verbo nec porta*, Echius *de Ecclesia tit. 1.* Osius *de Ecclesia cap. 20.* Canus *de locis lib. 4. cap. 20.* Suarez *de fide disput. 5. sect. 6.* Becanus *in summa Theolog. Scholasticæ cap. 5. de Ecclesia*, vbi respondet ad argumenta in contrarium, & præsertim ad Inconstantiam Synagogæ,

2 Synagogæ, quæ sæpè defecit, Bellarminus
latè to. 2. controuerſ. lib. 3. de Ecclesia Mili-
tante cap. 4. plures alij relati à Lezana
in Summa Sacræ Theologiæ to. 3. disp. 8. qu. 4.
verſ. octano esse infallibilem &c.
Et hi omnes non solùm intelligunt de
Ecclesia, prout coniuncta est cum suo Ca-
3 pite visibili, scilicet Papa, aut in Concilio
Generali, sed de Ecclesia ipsa, prout con-
tradistinta à Papa, & Concilijs, & quate-
nus importat totam collectionem fide-
lium, & ideò Ecclesiam esse Regulam fidei
4 saltem in credendo, docent Suarez *de fide*
disp. 5. sect. 6. num. 9., Lezana *loco citato*
verſ. ex his autem.
Constantiam verò Ecclesiæ duraturam
5 esse vsque ad finem Mundi, (quicquid
dicant Hæretici) certum est, quia Deus
fundauit eam in æternum, vt optimè pro-
bant Card. Bellarm. *lib. 3. de Ecclesia mili-*
tante cap. 13. & 16. Becanus *cap. 5. de Ec-*
clesia concluſ. 4. dicta sect. 2., Bordonus *in*
Tribunal. cap. 4. qu. 17. num. 40.
6 Qui autem fuerint Hæretici, qui hoc
negabant, vide Bertin. *de inquisit. fol. mihi*
143. *col. 2.*, & Salel. *de materijs Tribunalis*
fidei lib. 3. varijs in locis, dùm errores Hære-
ticorum, & Hæresiarcharum cõnumerat.
Quod dictum est de Ecclesia Vniuer-
7 sali, idem dicendum est de Ecclesia Ro-
mana, siue pro Ecclesia Romana intelli-
gatur Romana Ecclesia particularis, vtì
coniuncta non solùm Pontifici, vt pecu-
liari Episcopo, & Rectori, sed vtì coniun-
cta Pontifici tanquam Supremo Capiti
Ecclesiæ Vniuersalis, & vniuersali Do-
ctori, siuè intelligatur pro vniuersali Ec-
clesia, quæ Romano Pontifici paret, &
vtroque modo intellecta, nullo modo po-
test esse Inconstans in fide, vt eruditè
probat Suarez *in defensione fidei lib. 1. cap. 5.*
& 6. & in tract. de fide disp. 5. sect. 6. num. 2.
& 4. Becanus *de fide cap. 5. tit. de Ecclesia*,
Bordonus *in Tribunali cap. 4. num. 67. verſ.*
Romana Ecclesia, & facit Text. *in cap. Hac*
fides 24. qu. 1., Iacobatius *de Concilio lib. 4.*
art. 6. num. 19.
8 Dicitur autem Romana Ecclesia à no-
biliori sui parte, Becanus *loco citato*, quia
illam iubente Domino fundauit Petrus
cap. quodcumque 24. quæst. 1. cap. rogamus
eadem causa, & quæstione, & in ea vsque
ad mortem permansit.
Et propterea ex huiusmodi prærogatiua
vsu receptum non fuit, vt Romæ sub Sa-
crum, post Euangelium cantaretur Sym-
9 bolus Apostolorum, donec Henrico Im-
peratore instante apud Benedictum Octa-
uum, vt morem vbetiùs alibi vigentem in
Romanam Ecclesiam induceret, cœpit
Ecclesia Romana illud canere, cui consi-
lio licèt à bona mente profecto, poterat
tamen Pontifex non assentiri, quia illa
10 omissio Symboli erat expressa contesta-
tio constantiæ, vt notat eruditè P. Theo-
philus Raynaldus *loco citato subnotat. 2.*
verit. 7., de quo etiam videndus est Ba-
ronius *anno* 1024. & ibi Spondanus *num. 3.*
Casalius *de veteribus Sanctorum Christianorum*
Ritibus cap. 10. §. de Symbolo pag. mihi 113.
11 Hinc Summum Pontificem non posse
esse Inconstantem priuando Ecclesiam
Romanam, nec Vrbem Romam suis pri-
uilegijs voluit Albericus *in cap. iubemus*
C. de Sacroſ. Ecclesijs, Iacobatius *de Conci-*
lio lib. 3. art. 6. num. 22.
12 Nec Roma discedendo, & alibi Sedem
Apostolicam transferendo, Io. And. *in cap.*
fundamenta Ecclesiæ de elect. in 6. & ibi An-
charanus *num. 12.*, Archidiaconus *in cap.*
Rogamus 24. quæst. 1., & ibi Turre-cre-
mata *num. 2. & 3.*, & Bellamera, Abbas
in cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi
Domin. *in cap. 1. & 2. dist 12.*, idem
Turre-cremata *in Summa lib. 2. cap. 40. ad*
finem, Simanchas *de Cathol. Instic. cap. 24.*
num. 15., Palat. Rub. *de retent. Regni Na-*
uarræ 2. par. §. 4. col. 3. Aninyon. *de Vnit. ouil.*
& Pastor cap. 18. num. 1. & cap. 21. nu. 22.
Magdalenus *de numero Testium par. 1. cap. 3.*
Cosmas *in prag. sanctione in gloſſ. verbo Cu-*
riam in §. Cui rei in tit. de Collationibus, Ro-
man. *conſ. 352. num. 17.*, Corduba *in quæst.*
lib. 4. quæst. 1. propoſ. 8. verſ. Sed vtrum
Sedes ista, Rebuffus *in concord. tit. de mandat.*
Apostolicis §. 1. in princip., latè Iacobatius
de Concilio lib. 8. cap. 6. verſ. Et ad præmissa,
Cuperſ. *in cap. oportebat 79. dist. in §. Papa*
Romæ, & in §. Sequitur, & in §. Diuo Petro,
Aluarus Pelagius *de Planctu Ecclesiæ lib. 1.*
cap. 32., Silua *de Benefic. 3. par. quæst. 8.*
num. 12., Corrad. *in Templo Iudicum lib. 1.*
cap. 1. §. 1. quæst. 2., Altamiranus *de Visit.*
verſ. non obstant, latissimè, & pulchrè Al-
phonsus Mendoza *in qualibet. quæst. 4. Scho-*
last. per totam, Bellarminus *de Romano Pon-*
tifice lib. 4. cap. 4. Azor. *instit. moral. to. 2.*
lib. 4. cap. 11. quæst. 2., Baronius *ad Marty-*
rologium die 18. Ianuarij, Dionysius Paulus
de vera quatuor Patriarchalium Sedium cre-
ctione cap. 12. à n. 56., nouissimè Lotherius
de re benef lib. 1. quæst. 46. num. 19.
13 Hoc tamen intelligendum est de trans-
latione Sedis Romanæ in alium locum,
non autem de discessu Summi Pontificis
ab Vrbe Roma, quia potest dari occasio,
vel propter seditionem Ciuium, vel pro-
pter Bella, vel alia iusta de causa, vt Pon-
tifex Roma discedat, & aliò se transferat
cum Romana Curia, vt in exemplis rela-
tis à Cardinali Bellarmino *loco citato*: Non
tamen exindè potest inferri, vt Sedes Ro-
mana sit translata, vt dicit Bellarminus
vbi supra Iacobatius *de Concilio loco citato*
num. 13., qui reprobat Albericum asseren-
tem, Clementem Quintum de facto tran-

stulisse Sedem Apostolicam vltra Montes, & eam fixisse in Ciuitate Auinionen., quia illa non fuit translatio Sedis, sed absentia Pontificum ab Vrbe Roma, Caspensis *in suo Cursu Theologico tract.* 15. *de fide disp.* 2. *sect.* 5. *num.* 61. Qui licèt per septuaginta annos ibi manserint, nihilominus ad suam residentiam reuersi sunt sub Gregorio XI. & hoc dicit etiam Lotherius *loco citato in fine num.*19. fatetur tamen Iacobatius *loco citato num.* 14. quod si Pontifex vellet perpetuò stare absens ab Vrbe, & alibi morari, hoc ei non liceret, quia esset per indirectũ transferre Sedem.

Quod autem dictum est propter seditionem, & Bella posse Romanum Pontificem, relicta Roma, ad alium locum se transferre; Non probat Felinus relatus à Iacobatio *loco citato num.*20. Quia non debet Pontifex Romam deserere propter periculum mortis iuxta præceptum Christi, *Vado Romam iterum crucifigi*, de quo *in cap. per Venerabilem, qui filij sint legitimi*,& per Turrecrematam *in dicto cap. Rogamus* 24. *quæst.*1. Quin imò debet totis viribus conari Ecclesiam suam pacatam reddere, & Vrbem Romam Principum auxilio à Rebellibus defendere.

Sed quicquid dicat Felinus, Praxis est in contrarium,& optima quidem ratione. Non enim debet Summus Pontifex exponere se periculo occisionis, si potest alia via succurrere, & obuiare seditionibus Ciuium,& Bello imminenti. Plures enim Episcopi Sancti cum non potuissent seditiones Ciuium sedare à suis Ecclesijs aufugerunt, vt luculentum habemus exemplum in Sancto Athanasio, qui pro omnibus sufficiat.

Sententia autem Christi habet locum, si seditio orta esset ob fidem Catholicam, quam etiam sanguine suo Summus Pontifex tueri debet, non autem si ex alia causa, quia tunc intrat aliud Christi præceptum: *Si vos persecuti fuerint &c.* de quo videndus est idem S.Athanasius *de sua fuga &c.*

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

An Concilium Generale possit esse Inconstans in fide: Et an Papa possit Concilium sua auctoritate congregatum prorogare, differre, vel dissoluere: Et an si iurauerit congregare Concilium, possit Inconstans promissionem iuratam non adimplere.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Generale quando errare inconstans non possit in doctrina fidei, vel circa morum definitiones.*

2 *Concilium definiens præsidentibus Legatis Papæ non habentibus particularem instructionem an inconstans possit errare.*

Definitio Concilij an procedit à suprema potestate.

Concilium repræsentat Ecclesiam vniuersalem.

3 *Concilium non est supra Papam, sed Papa est supra Concilium.*

4 *Et qui tractent istam quæstionem.*

5 *Definitiones fidei factæ in Concilio Generali præsidentibus Legatis Sedis Apostolicæ, & per Papam confirmatæ deseruiunt pro regula infallibili fidei,& non sunt subiectæ errori.*

6 *Dogma fidei à Summo Pontifice, vel à Concilio legitimè congregato, & à Papa confirmato semel definitũ an possit ab illis iterum ad trutinam reuocari, reformari, retractari.*

7 *Canones fidei mutari non possunt.*

8 *Concilium prius quomodo emendari possit per posterius.*

9 *Concilium posterius potest emendare prius quoad quæstiones facti, & morum præcepta.*

10 *Quæstiones facti, quæ possint emendari in Concilio posteriori.*

11 *Papa an possit inconstans, prorogare, differre, vel dissoluere Concilium eius auctoritate congregatum.*

Prorogans immutare non dicitur.

12 *Papa ex quibus causis possit inconstans prorogare Concilium.*

13 *Papa quibus in casibus sine consensu Patrum non possit inconstans Concilium legitimè congregatum, prorogare, differre, dissoluere.*

Concilium conuocandum ad definiendam aliquam magnam difficultatem, vel causam fidei.

14 *Heretici si conuerti, vel doceri vellent à Patribus Concilij non posset inconstans Papa eisdem Patribus inuitis prorogare, transferre, vel dissoluere Concilium legitimè congregatum.*

15 *Quid si Episcopi non sint talis litteraturæ, vt possint hereticos confundere, sed ex eorum disputatione hæresim potius augeri ti-*

meatur, quàm extingui.

16 *Concilium intimatum pro alia causa, quam fidei, & nondum congregatum, quando Papa possit inconstans differre, inuitis Patribus, & quando non, & quid agendum si Papa illud indebitè inconstans differre præsumeret.*

17 *Concilium congregatum incepta iam Reformatione, quibus in casibus Papa inconstans possit, vel non possit prorogare, differre, transferre, dissoluere, & quid agendum si indebite ad id deueniret.*

18 *Concilium quando possit à Papa dissolui.*
Concilium debet durare vsque ad finem, & determinationem causæ, propter quam est congregatum.

19 *Concilium Tridentinum quibus ex causis inditum, translatum, suspensum, ac demùm in Ciuitate Tridenti remissum.*
Sfortia Cardinalis Pallauicinus *laudatur.*

20 *Papa an, & quando teneatur constanter adimplere promissionem in Conclaui iuratam de conuocando Concilium.*
Papa si ad sedandum Schisma Concilium conuocare in Conclaui iurauit, tenetur id constanter seruare, nec debet absolui.

21 *Papa an possit inconstans contraire Capitulis, quæ dum esset Cardinalis in Conclaui vouit, & iurauit.*

QVOD dictum est supra de Ecclesia Romana, idem dicendum est de Concilio generali. Hoc enim non
1 posse esse Inconstans in fide, scilicet in his, quæ in doctrina fidei, vel morum definit, concors est omnium Catholicorum sententia, sed eum hisce conditionibus.

Primò, si de licentia, & auctoritate Summi Pontificis sit congregatum.

Secundò, si Papa in illo præsideat.

Tertiò, si ipse præsidere nolit, vel non possit, præsideat tamen per Legatos, & tunc si secundùm instructionem datam Legatis decernat in materia fidei, errare non potest, *cap. Canones, cap. Sicut, cap. Sancta dist. 15. cap. Et si illa 50. distinct. cap. Audiuimus 24. qu. 1.* Suarez *de Fide, disp. 5. sect. 7. per tot.* latè Turre-cremata *in Summa, lib. 3. cap. 58.* Albertin. *de agnoscend. assertionibus Cathol. qu. 30. nu. 18.* Alphonsus de Castro *aduersus hæreses lib. 1. cap. 2. verbo Concilium*, Canus *de locis lib. 5. cap. 4. conclus. 3.* Card. Bellarminus *de Concilio lib. 2. cap. 11.* Bannez *2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 3. concl. 3.* Lezana *de Fide disp. 8. qu. 6. de Concilio*, Duallius *de potestate Pontificis par. 4. qu. 6.* Campeggius *de Concilio cap. 35.* Barbosa *in dicto cap. Canones nu. 13.* Fagnan. *in cap. maiores num. 36. de Baptismo*, Caspensis *in suo cursu Theologico tract. 15. de fide, disp. 2. sect. 7.*

2 Difficultas est, si Concilium præsidentibus Legatis sine instructione particulari aliquid definiat cum prædictis Legatis, possit errare: Nàm nonnulli Parisienses, qui tenent Concilium esse supra Pontificem, tenent non posse errare, tùm quia definitio procedit à suprema potestate, tùm etiam quia Concilium repræsentat Ecclesiam Vniuersalem, vt innuit Suarez *dicta sect. 7. num. 11.* quàm sententiam pluribus rationibus comprobat Duallius *de potestate Pontificis par. 4. qu. 6. per totam.*

3 Sed in contrarium est veritas, quia secundùm opinionem omnium ferè Catholicorum, & præsertim recentiorum, Concilium non est supra Papam, sed Papa est supra Concilium, quæ opinio est adeò certa, vt Bellarminus dixerit ferè esse de fide; Amicus ad fidem proximè accedere; Valentia oppositum pugnare cum certissima fide de Primatu Petri; Ferrara contrariam esse à fide alienam; Tannerus esse erroneam, & temerariam, imò hæresi proximam, vt refert Lezana *dicta quæst. 6. de Concilio, vers. Nihilominùs opposita sententia*, quamuis Duallius *dicta par. 4. quæst. 7. in fin.* conetur demonstrare, neutram opinionem esse hæreticam, temerariam, vel erroneam, qui autem plura de hac quæ-
4 stione, scilicet, an Concilium sit supra Papam, vel è contra adeat Duallium *loco citato qu. 7.* & ex nostris Iacobat. *de Concilio lib. 10. art. 7.* qui latissimè vtriusque opinionis, auctoritates, & fundamenta enumerat, Fragos. *de Regim. Reipubl. par. 2. lib. 1. disput. 1. §. 7. num. 98.* nouiter post hæc scripta P. Estrix *in Diatriba Theologica tota assertione 45.*

Cæterùm si definitiones fidei factæ in Concilio Generali Legatis Sedis Aposto-
5 licæ præsidentibus fuerint confirmatæ à Papa; tunc deseruiunt pro regula infallibili fidei, quià non sunt subiectæ errori, vt ex communi sententia Catholicorum, & praxi Ecclesiæ à Concilio Nicæno vsq; ad Tridentinum, benè probat Suarez *dicta sect. 7. nu. 9.* & omnes Doctores à me supra citati concedunt.

6 Sed an dogma fidei à Summo Pontifice, vel à Concilio legitimè congregato, & à Papa confirmato semel definitum, possit ab illis iterùm ad trutinam reuocari, moderari, reformari, & retractari: Dicendum est, illicitam esse huiusmodi Inconstantiam: nàm vt inquit Tertullianus *de Virgin. veland. Regula quidem fidei vna omninò est sola, immobilis, & irreformabilis, &c.*

Et egregiè Sanctus Leo *Epistola 41. ad Marcianum Augustum*, mittens Legatos ad Concilium Calcedonense: *Obtestor, inquit, & obsecro Clementiam Vestram, vt in præsenti Synodo fidem, quam Beati Patres Nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari, & quæ olim à*

maiorum sunt auctoritate damnata; rediuiuis non permittatis conatibus excitari, illudque potiùs iubeatis, vt antiqua Nicenæ Synodi constituta, remota Hæreticorum interpretatione permaneant. Idem docet *Epistola* 81. *aliàs* 79. *ad Leonem Augustum*, quæ incipit *Officys*. *In* 6. *Synodo actione* 4. *lectæ sunt litteræ Agatonis Papæ, in quibus suis Legatis dat licentiam, & auctoritatem satisfaciendi, in quantum eis iniunctum est, sic tamen, vt nihil omninò præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem Apostolicæ Sedis, vt à prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est sinceriter enarrare*.

Hoc ipsum docet Gelasius *in Epist*. 13. *ad Episcopos Dardaniæ*; & latè disputat Facundus Episcopus Herman. *lib*. 2. *pro tribus Capitulis cap*. 6. *& lib*. 5. *cap*. 5. *& lib*. 2. *cap*. 2. Quinimò, & Imperatores ipsi hoc statuunt, nàm Marcianus Augustus ait:

Quisquis post veritatem acceptam aliud vlteriùs inquirit, mendacium quærit, quod dictum refert idem Facundus *loco citato*; & Imperator *in lege, Nemo Clericus, C. de Summa Trinitate, & fide Catholica*, apertè dicit, iniuriam fieri Reuerendiss. Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderet. Quam legem conditam fuisse consensu, & hortatu Leonis Papæ, videtur colligi ex eius *Epistola* 48. *aliàs* 50. *mihi* 52. ibi: *In eam fidem, quam Euangelicis, & Apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres Nostros accepimus, & tenemus (nulla penitùs disputatione cuiusque retractationis admissa) omnium corda concurrant, nec per vanam, fallacemque versutiam, aut infirma videantur, aut dubia, quæ in ipso angulari Lapide Christo fundata sunt sine fine mansura*, dicit Suarez *de fide, disp*. 20. *nu*. 7. quem sequitur Cardinalis de Lugo *de veritate fidei Diuinæ, disput*. 22. *sect*. 5. *num*. 131.

Et hanc Inconstantiam optimè refellit eruditissimus Marca *in discept. pro confirmatione* 5. *Synodi num*. 20. qui sic loquitur, *Ex Epistolis Vigily, colligere licet vnam, & alteram regulam apprimè vtilem, & omnibus disceptationibus Ecclesiasticis valdè accommodatam*.

7 *Earum prima est fidei canones mutari non posse, & quæstiones dogmatum vniuersalis Synodi, semel sopitas iterùm excitari non debere*.

Non obstat doctrina S. Augustini *lib*. 2. *de Baptismo, contra Donatum cap*. 3. dùm

8 ait, sæpè Concilia priora, posterioribus emendari cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur, quod latebat, quia debet intelligi non de reuocatione dogmatum, seu de eorum emendatione, vel correctione, sed in posterioribus magis explicitè, & distinctè explicari nonnullas quæstiones, quæ in prioribus tractatæ fuerunt, vt respondet Ioannes Baptista Bagotius *in Apologetico fidei lib*. 4. *disput*. 3. *cap*. 5. *sect*. 2.

9 Secundò, respondet Bellarminus *de Conciliorum auctoritate lib*. 2. *cap*. 7. loqui Augustinum de quæstionibus facti, vel morum præceptis, non de fidei doctrina, quod innuit Tertullianus *loco citato*, dùm dicit:

Hac lege fidei manente cætera iam disciplinæ, & conuersationis admittunt nouitatem correctionis, operante scilicet, & proficiente vsque in finem gratia Dei, & cum sequitur Marca *loco citato num*. 20.

Dixi de quæstionibus facti, intellige, non habentibus talem connexitatem cum dogmatibus fidei, vt ab illis separari non possint.

10 In casu enim Augustini quæstio erat, an Cæcilianus tradidisset libros sacros Hostibus fidei, an non: Quæ nihil commune habere videbatur cum dogmate fidei, vt explicat Bellarminus *loco citato, vers. Respondeo primò*, & melius *cap*. 8. *vers. Respondeo quidam aiunt*.

11 Sed an semel congregato Concilio auctoritate Papæ, possit Papa Inconstans illud prorogare, differre, vel dissoluere: hanc quæstionem latè tractat Cardinalis Iacobatius *de Concilio lib*. 10. *art*. 6. & postquàm retulit argumenta pro vtraque parte, dirimit quæstionem infrascriptis conclusionibus.

Prima est, si Concilium est congregatum ex causa, quàm solus Papa posset sine Concilio expedire, & tunc si Papa moueatur bona ratione, & cessat omnis dolus, & prorogatio, sine translatio non est allatura periculum circa statum Ecclesiæ, & circa fidem, solus Papa, etiàm renuentibus Patribus, poterit Concilium prorogare, quia, qui prorogat, nihil dicitur immutare, *l. maaente, ff. de precario*.

12 Inter causas rationabiles huius Inconstantiæ enumerat Iacobatius infirmitatem Pontificis, si vellt esse præsens in Concilio, vel si videret, quod Patres ex studijs priuatis, potiùs tenderent ad euersionem fidei, pacis, & vnitatis Ecclesiæ, vel Hierarchicum ordinem vellent confundere.

Vel si in tyrannidem Synodus conuersa conaretur vsurpare iura Apostolici Principatus.

Vel esset fauorabilis Ecclesiæ hostibus.

Vel Synodus affectaret, gloriæ suæ augendæ causa, perpetuitatem.

Vel si locus Concilij desineret esse tutus propter potentiam Principis ipsius loci.

Adde, vel propter Exercitum hostium vicinum.

Vel si in loco Concilij pestis grassaretur.

Vel si Conciliares malitiosè id agerent.

vt superueniente obitu Pontificis, ad illos deuolueretur electio.

13 Secunda conclusio, si Concilium est congregatum propter causam, quæ non pendet solùm ab arbitrio Papæ, & tunc non poterit esse Inconstans Papa prorogando, transferendo, vel dissoluendo sine consensu Patrum.

Puta, si Concilium sit congregatum ex causa fidei ad definiendum aliquas magnas causas, & difficultates in fide, in quibus est necessaria Concilii congregatio, iuxtà Textum *in cap. Maiores de Baptismo.*

Vel ad extirpandam hæresim, quæ scandalizat Vniuersalem Ecclesiam, & sit dubium, an sit verè hæresis.

Vel si sit congregatum contra Papam, qui dicitur Hæreticus, vel Schismaticus.

Vel si sit congregatum ex causa Papatus, eò quod duo contendunt de Papatu, & controuersia est exorta in ipsa electione.

Istis enim casibus Inconstantia in Papa esset contra bonum vniuersale Ecclesiæ, & propterea ante initam disputationem de fide, & hæresi Papæ, non posset Pontifex illud dissoluere, vel transferre, maximè inchoato processu, nisi superueniret aliqua notoria, & legitima causa.

Si verò nō tractaretur de causa Papatus, nec de heresi contra Papā, sed esset congregatum Concilium ad extirpandā hæresim iā in per Ecclesiā damnatā, tunc cum non sit necessaria auctoritas Concilii ad finem, vt iterùm damnetur, potest Papa Concilium dissoluere, etiā n inuitis Patribus, quia ex quo sententia Papæ concurreret cum Decreto Concilii, præualeret ipsius sententia ipsi Concilio.

14 At si Hæretici vellent conuerti à Patribus Concilii, Papa inuitis Patribus non posset illud dissoluere.

Idem dicendum est, si Hæretici vellent doceri à Concilio, quia Papa non posset illud dissoluere: sed si Papa videret, quod Episcopi congregati in Concilio non essent talis litteraturæ, vt possent confundere, & superare Hæreticos; sed ex disputatione posset potiùs augeri hæresis, quàm extingui, credit Iacobatius, quod Papa,
15 etiam resistentibus Patribus, posset Concilium differre in aliud tempus, donec congregaret Peritos, ad confundendos Hæreticos. Et quod dictum est de prorogatione, idem dicendum est de translatione, si locus, vbi est congregatum Concilium esset sub dominio alicuius Principis, qui faueret Hæreticis.

Tertia conclusio, si Concilium esset intimatum, non pro causa fidei, sed pro reformatione Ecclesiæ in capite, & in membris, vel pro pace componenda inter
16 Principes Christianos, vel pro pace Ecclesiæ, & tunc, si non dùm est congregatum, Papa poterit ex nuda sui voluntate differre illud in alius tempus, si talis dilatio non esset allatura scandalum in Vniuersali Ecclesia circa fidem.

Hoc autem intelligit ille Auctor, nisi Papa dolosè differat, vt impediat reformationem, vt si fortè pluriès prorogasset, & malitiosè differret, vt nunquàm Concilium haberetur, & longior dilatio scandalum allatura esset in Ecclesia, & isto casu non esset Papa audiendus, imò quia Concilium iàm est indictum, posset per se ipsum congregari, & sic congregatum teneri, vel per eos, ad quos deuoluitur procuratio Congregationis requisito Papa, vt auctoritatem interponat, alioquin, vt sit contra incorrigibilem, & turbantem bonum Vniuersale Ecclesiæ, posset resisti per modos traditos, quando Papa est incorrigibilis.

Si verò est congregatum Concilium, & est incepta reformatio in capite, & in membris, & tunc si adsit legitima causa, & grauis, poterit Papa illud transferre, & prorogare, etiam contra voluntatem Pa-
17 trum: Aut nulla subsistente causa graui, sed ex leui, & friuola vult Concilium transferre, vel differre, & tunc, aut nullum resultat scandalum in Ecclesia, nec prorogatio, vel mutatio affert aliquod præiudicium, & tunc Papa poterit prorogare, & mutare: Aut prorogatio, & mutatio est allatura præiudicium, seu scandalum in Vniuersali Ecclesia, quia fortè immineret periculum magnæ stragis inter Christianos, ex qua infideles efficerentur potentiores ad perdendos Christianos, vel quia malus modus viuendi ità inoleuit apud Clericos, cui nisi celeriter prouideatur, sequeretur scandalum in laicis, & fortè periculum in Ecclesia circa fidem. Vel quia cæptum est procedi in aliquibus pro reformatione in capite, & his similibus casibus non potest Papa transferre Concilium, nisi de consensu Patrum; & si hoc faceret, non esset ei à Concilio obediendum, *cap. Etsi illa prima, qu.7.*

Quod intelligit Auctor, nisi Papa per se ipsum prouidisset causæ illi, propter quam congregatum est Concilium, puta si reduxisset Clericos ad rectam normam viuendi, vel pacem composuisset inter Principes Christianos: & si ipsum reformasset, nec tantum distulisset, quod pertinacia ipsius illi obesse posset, vt si redderetur suspectus de fide, & tunc quia consuluisset indemnitati Ecclesiæ per se ipsum, posset Concilium non solum prorogare, & differre, sed etiam dissoluere, nisi superueniret aliqua causa de nouo, quæ indigeret Conciliari decisione.

18 Quarta conclusio, si tractetur de dissolutione Concilii, dicit Iacobatius, quod in omnibus illis casibus, in quibus dictum est, Papam non posse Concilium differre, vel transferre, non poterit etiam dissoluere, finita autem causa, propter quam est congregatum; semper erit in illius potestate illud dissoluere.

Item, potest dissoluere Concilium, si Papa prouidisset benè omnibus, pro quibus est congregatum.

Item, si Papa videret ex continuatione Concilii oriri discordiam, & susurrum in Ecclesia, nec per prorogationem, vel translationem aliter prouideri posset, & generaliter existente causa apertissimè legitima, vtili, & necessaria, semper Papa poterit dissoluere Concilium. Si autem nulla subesset causa dissolutionis, nec finem accepissent in Concilio deducta, propter quæ Concilium esset congregatum, nullo modo Inconstans posset illud dissoluere, ne Congregatio fieret lusoria, & ridicula, nullum bonum exitum afferens, & tandem concludit ille Auctor, quod Concilium debet durare vsque ad finem, & determinationem causæ, propter quam est congregatum. Et circa huiusmodi Inconstantiam videndus est etiam Campegius *de Concilio cap.4.num.4.*

19 Sed quæ causæ induxerunt Summos Pontifices ad indicendum, transferendum, suspendendum, demùm ad remittendum Concilii in Ciuitate Tridentina, videndæ sunt in veridica, & elegantissima Historia Concilii Tridentini per Eruditissimum Cardinalem Sfortiam Pallauicinum, in qua libertatem eiusdem Concilii adeò propugnauit aduersus mendacia, & calumnias Petri Suauis Polani, seu potiùs Fratris Pauli: eruitæ, vt strenuus Vindex Potestatis Pontificiæ meritò appellari possit: & si ille ob alias virtutes singulares, quibus præditus fuit, non meruisset ad Purpuram euehi, ob hoc solum opus illam iure meritò consequi debuisset: Vnlnus enim, quod reputabatur insanabile illatum Ecclesiæ Catholicæ per mendacissimam Historiam Polani, sua eruditione, diligentia, & stylo eleganti sanauit, & abstulit.

Sed si Papa in Conclaui promitteret intra certum tempus, puta biennium, 20 conuocare Concilium, & iure iurando promissionem firmaret; an demùm Inconstans posset iuratam promissionem non adimplere. Quæstio hæc examinatur ab eodem Iacobatio *dicto tract. de Concilio lib.7. artic.1. à num.28.* qui videtur concludere, quod si Papa habuit iustam causam non conuocandi, excusatur à periurio, & subiungit, quod nulla etiam subsistente causa excusatur, quia potuit arbitrari, an intra illud tempus debuerit conuocare.

Quod tamen fallit, si fuisset facta promissio iurata conuocandi Concilium pro sedando Schismate.

Quia tunc Papa, non seruando promissionem, & iuramentum, esset nutritor Schismatis, & absolutio esset quædam destructio, quæ non esset impendenda, vt in *cap. Legatur 24.qu.2.* ità tenet Antonius de Butrio *in cap. 1. de Constitutionibus*, quem sequitur Iacobatius *loco citato num.12.*

21 Sed an Papa, qui dùm esset Cardinalis in Conclaui quædam Capitula vouit, & iurauit obseruare, Inconstans possit iuratam promissionem non seruare, & voto, & iuramento contraire, alibi forsan dicemus: Interim videndi sunt Iacobatius *eodem tractatu de Concilio lib.7.art.5.* Barbatia *cons.1.lib.1.* Alex. *cons.224.vers.6.* Felin. *in cap.1. de probationibus*, Anchar. *cons.281. incip. In auxilium veritatis, & iustitiæ*, Bursattus *consil. 342. lib 4.* Flau. Cherub. *in Compend. Bullar. in Bullam 63. Pij IV. in eligendis, schol.1.* Emin. Cardin. Brancatius *in suis eruditissimis Opusculis, tract. de Capitulis Conclauis, per tot.* & præsertim *in respons. ad tertium, & quartum quæsitum.*

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

An Homo debeat esse constans in fide. An dubius in fide possit dici Hæreticus. An qui signo aliquo externo fidem abnegauit, corde tamen illam retinuit, possit dici Hæreticus.

SVMMARIVM.

1 *Homines cuncti debent esse in fide constantes.*
Fides debet esse firma.
Firmitas quid sit.
2 *Dubius fidei an quis esse possit, absque vitio infidelitatis, vel hæresis.*
Dubius fidei an sit mitius puniendus.

Dubius fidei an debeat denunciari.

3 *Dubius in fide qualiter dicatur hæreticus.*

4 *Infidelis priuatiuè quis dicatur.*

5 *Dubius fidei quando dicatur hæreticus.*
Primi motus frequenter accidunt contra voluntatem.
Dubius fidei in primis motibus ex scrupulo conscientiæ, & contra voluntatem, si deindè in eadem fide se benè firmet, & sit, in Charitate meretur.
Resistens stimulis carnis si sit in charitate, meretur.
Tentationes circa fidem unde aliquando proueniant, & quomodo corrigendæ.

6 *Homines sanæ mentis irrident, & contemnunt tentationes circa fidem.*

7 *Dubius circa dogmata ab Ecclesia nondum definita, & paratus acquiescere determinatione Ecclesiæ non potest dici hæreticus.*
Dubius circa dogmata fidei quando sit excusandus.

8 *Dubius circa credibilia expressa in Symbolo, vel in Sacra Scriptura ob ignorantiam, vel simplicitatem non est hæreticus.*

9 *Nati, & educati apud hæreticos iustam habent causam dubitandi de fide, donec illius credibilitatem apprehendant.*

10 *Dubius vnius tantùm articuli ab Ecclesia determinati est damnabilis de hæresi.*

11 *Dubius vnius articuli, vel loci Sacræ Scripturæ dilucidationis gratia, vt fidei veritates declarare, & persuadere possit illas non credentibus cum firmo proposito, quod fidei dogmata, & Sacræ Scipturæ veræ sint, non potest dici hæreticus, sed dignus laude.*

12 *Dubius fidei, qui dimissa dubitationis pertinacia petit reconciliari Ecclesiæ est recipiendus abiurata prius hæresi, & qualiter debeat abiurare, & de praxi Sacri Tribunalis Supremæ Inquisitionis.*
Abiuratio dubitanti de fide, & petenti reconciliari cum Ecclesia imponitur secundum qualitatem personarum.

13 *Dubius fidei mentalis an possit absolui à quolibet Confessario approbato.*
Fidem negare, vel falsam profiteri non licet.
Nedum expressè, sed, & tacitè per nutum, vel motum digitorum.

14 *Negatio fidei exterior ob timorem tormentorum illicita non obstante quod retineatur in corde.*

15 *Negans exterius fidem, illamque in mente, & corde retinens, an sit reputandus hæreticus.*
De Historia Marcellini Papæ.
Negans fidem merè coactus per vim, & metum sine cooperatione voluntatis, an hæreticus sit, vel peccet de hæresi.
Quid si vis non sit absoluta, sed conditionalis.

16 *Sancti Officij praxis circa spontè comparentes, & se denunciantes vel prænentos, & fatentes de actibus exterioribus Apostaticis cum assertione, quod corde hæresi non adhæserint.*

1 CAETEROS verò homines fortes, & Constantes in fide esse oportere monet D. Petrus *d. Epist.* 1. *cap.* 5. in fide enim nulla potest dari Inconstantia, cum fides debeat esse firma *cap. Firmiter de Summ. Trinit. & fide Cathol.* Firmitas autem est animi constantia, quia apprehensione ità quis inhæret, vt aliquo impulsu ab ea euelli non possit, vt benè Abbas Panormit. *in d. cap. Firmiter in primo notabili.*

Homo itaque debet adeò esse constans, & firmus in fide, vt nec etiam dubius in
2 ea absque vitio infidelitatis, vel hæresis esse possit *cap.* 1. *extra de Hæret.* vbi Gloss. *in verbo dubius* assignat supradictam rationem firmitatis, & Inconstantiæ, Hostien. *d. cap.* 1. *num.* 1., Boich. *num.* 3., Anchar. *num.* 1., Anton. de Butr. *nu.* 1., Felin. *nu.* 1. Soccin. *num.* 1., Anan. *num.* 1., Arnaldus Albertin. *in rubr. de Hæret. in* 6. *quæst.* 13. *num.* 26., Add. ad Azor. *in Summ. rub. de Hæret. litt. C*, Add. ad Hostien. *in eadem Summa §. Si quis dicatur num.* 1., Goffredus *in Summa de Hæret. num.* 1. *vers. Quomodo*, Armilla *verb. hæresis num.* 17., Rosella *verb. Hæreticus in princip. vers. Item dubius in fide*, Tabiena *vers. Hæret. num.* 26. *ad finem*, Raymundus *vers. hæresis cap.* 2. Repertor. Inquisitor. *verb. Hæreticus*, Alphonsus de Castro *de iusta Hæreticorum punitione lib.* 1. *cap.* 7. *in* 2. *requisito* Iudicial. Inquisit. *in verb. Dubius in fide num.* 1., Squillaur. *de fide Cathol. cap.* 18. *num.* 2., Bonif. Vital. *de malef. rub. de crimine hæresis num.* 2., Carer. *de Hæret. num.* 8. *in princ.* Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 17. *vers.* 9. Roias *in singul.* 57. *num.* 4., Pegna ad Eymericum *par.* 2. *ad cap.* 1. *extra de Hæret.* Plures alios refert Sanchez *ad præcepta Decalogi lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 11., Farinaccius *de hæresi quæst.* 178. *num.* 90. & 91., Addo Suarez *de fide disp.* 19. *sect.* 4. *num.* 10., Plures etiam ex Iurisperitis refert Barbos. *de Potest. Episc. par.* 2. *alleg.* 40. *num.* 16., Laym. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 5., Castro Palao *to.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punc.* 2. *num.* 9., Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 3., Alberghinus *in Man. Qualif. cap.* 5 *nu.* 2., Card. de Lugo *in tract. de virtute fidei Diuinæ disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 16. & 17., P. Diana *to.* 1. *par* 2. *tract.* 2., Miscellan. *resolut.* 53. vbi alios refert.

Et quamuis ipse contrariam sententiam reputet probabilem ex Cano *de loc. lib.* 12. *cap.* 9., Emanuel Sà *verf. Hæresis num.* 1., Sanchez *d. cap.* 7. *num.* 12., Tanner. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 8. *dub.* 6. *num.* 107., Portell. *in add. ad dubia Regul. vers. Hæresis num.* 4. Putean 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *dub.* 2., aliquos refert modernissimè P. Thomas del Bene *tract. de offic. S. Inquisitionis par.* 1. *dub.* 6. *num.* 2. *post hæc scripta impress.*, & eosdem

videtur sequi *dicta par. 1. dub. 13. sect. 3. num. 2.*

Nihilominùs non est recedendum ab opinione affirmatiua tanquam vera, & communiori, quam vltra allegatos tenet Duard. *ad Bullam Cœnę Domini lib.2. can.1. quæst. 23.*, Ricciull. *de Iure person. lib. 5. cap. 4.*, Sanctarell. *de hæresi cap. 1. dub. 3.* Azeued. *ad ll. Regias lib. 8. tit. 3. l. 1. n.42. & 43.*, Carena *in prax. par. 2. tit. 1. §. 3.*, Bordonus *in Tribunal. S. Officij cap.9. nu.74. vers. Quæres* 20. vbi tamen *in vers. dicerem*, asserit, hunc mitiùs esse puniendum Pater Lezana *in Summa qq. Regul. to. 3. vers. Hæresis, & Hæreticus num. 2. ad finem*, qui dicit talem sic dubium in fide, & Inconstantem debere denunciari. Fermosinus post hæc scripta visus *ad rub. de Summa Trinitate quæst.5. num.32.* P. del Bene *d. par.1. dub.6. num.3.*, Pueron. *in Bulla Cœnę cap.1. sub num. 88. vers. de tertia.*

Rationibus autem adductis à Cano, & ab alijs relatis à P. Diana expressis, benè, & solidè respondet P. Suarez *d. disp. 19. sect.4. num. 23.*, Card. de Lugo *d. disp.20. sect. 1. num. 17. 18. 19.*, Riciull. *d. cap.4. num.7.*, Textus enim *in d. cap. 1. de Hæret.*
3 in quo pars affirmatina fundatur, debet intelligi, quod dubius in fide sit Hæreticus, & infidelis priuatiuè, quia scilicet priuatur certitudine assensus necessaria ad habitum fidei retinendum, non autem esse hæreticum contrariè, quasi habeat actum fidei contrarium, cum re vera non habeat, nec minus quoad forum externum, tantummodo nempè Infidelis priua-
4 tiuè esse non potest, nisi qui nihil credit, vel omnia ignorat culpabiliter, nam qui fidem Christi habet, licèt aliquid non credat propter ignorantiam culpabilem non est fidelis, qui verò in vno articulo dubitat, aliorum fidem retinet quantum ad assensum, & voluntatem credendi, ergò non potest dici Infidelis priuatiuè.

Preterea sola priuatio assensus contra vnum articulum non est sufficiens dispositio ad tollendam totam fidem, nisi intercedat aliqua dispositio contraria certitudini totius fidei, ergò vt dubitans sit infidelis, necesse est, vt non tantùm priuatiuè, sed etiam contrariè talis sit, & est ergò Hæreticus, & per consequens ipsa dubitatio est hæresis, vt ferè his verbis ratiocinatur Suarez *d. disp. 19. sect. 4. num. 14. vers. Sed hoc videtur*, quem sequitur, etsi non tam clarè Alberghin. *loco cit. num. 2.*, Card. de Lugo *loco citato num. 9.* Riciull. *vers. alia ratione num. 17.*

Minùs obstat, quòd Textus *in d. cap. 1.* habeat locum in foro externo, quia illius verba non debent intelligi de infidelitate, prout solùm est contraria fidelitati, seù veritati, sed prout opponitur fidei Catholicæ, nec solùm secundum præsumptionem fori externi, sed secundum veritatem, & hoc in vniuersum de omni dubio, sic Suarez *loco citato num. 11.* Alberghinus *loco citato num. 3.*, Card. de Lugo *loco cit. num. 9.*

Cæterum non omnis dubietas in fide facit hæreticum, oportet enim quod du-
5 bitatio habeat pertinacem animi deliberationem, & complacentiam in dubitando, Fermosinus *loco citato num. 34.* vbi quod requiritur, quod dubitans habeat plenam aduertentiam intellectus, & perfectam deliberationem voluntatis, sciens, & aduertens, dubitans cum pertinacia de rebus fidei id sciens Ecclesiam illud amplecti, secùs si dubitatio procedat à scrupulo conscientiæ ex primis motibus, qui frequenter contra voluntatem accidunt: Nam qui post talem dubitationem se benè firmat in fide, si sit in charitate meretur, sicut & qui resistit stimulis carnis, Ioannes And. *d. cap. 1.*, Boich. *num. 2.*, Anchar. *num. 1*, Anton. de Butr. *num. 5.*, Abbas Panormit. *num.1.*, Zabarell. *num.7.* Marianus Soccin. *num.7.*, Anan. *num. 1.*, cum alijs, tùm ex nostris, tùm ex Summistis, quos adducit Farinac. *d. quæst. 178. §. 4. num. 98.*, Addo Ricciull. *loco citato num. 1.*, Barbos. *ad dictum cap. 1. num. 4.*, Fragos. *de Regim. Reipub. par.2. lib.1.disp.3. §. 1. num. 19. vers. Sub limita*, Fermosinus *d. quæst.5. num.42.*, Layman. *lib. 2. tract.1. cap. 13. quæst. 1. num. 5.* Qui in fine dicit præstare plerumque, tales cogitationes, & tentationes contemnere tanquam inefficaces ad consensum impetrandum apud eos, qui Dei gratia muniti sunt. Verùm in quibusdam hominibus huiusmodi tentationes à Deo permittuntur propter vitam eorum sceleratam, & præsertim propter impuritatis vitium, quibus proinde suadendum est, vt se corrigant, tunc fidem eorum, atque fiduciam in Deo constantiorem fore, Del Bene *loco citato nu.67.*
6 Quamuis has tentationes à viris fanę mentis esse irridendas, & contemnendas ex D. Bernardo, & Gersone docet Sanchez *lib. 2. cap. 7. num. 13.*

Secundò oportet, quod Inconstantia, & dubietas versentur circa dogmata defi-
7 nita ab Ecclesia, nam dubitans in non definitis Hæreticus non esset, si paratus esset acquiescere determinationi Ecclesiæ, Felinus *d. cap.1. num.4.*, & ibi Anan. *num. 3.* & probatur ex ijs, quæ dicunt Doctores *in cap. Cum Christus eodem tit.*, quod licet dubitare de ijs, quæ nondum ab Ecclesia sunt definita, Pegna ad Eymer. *par. 2. d. cap.1. de Hæret.* cum alijs relatis à Farinac. *d. quæst. 178. num. 102.*, Fragos. *d. par. 2. lib. 1. quæst. 5. num. 10.*, qui tamen insulsè reprobat Pegnam *loco citato*, cuius dicta clarè

clarè non percepit; dùm enim afferit Pegna, non esse Hæreticum, qui dubitat de credibilibus in sacris literis non contentis, sed per Ecclesiam definitis, non simpliciter loquitur, sed cum modificatione, hoc est, si dubitans ea scire non præsumatur verisimiliter, & antequàm sit admonitus: Ex qualitate ergò Personæ metienda est dubitatio, vt indè quis præsumatur, vel non præsumatur Hæreticus.

Etenim si etiam in credibilibus expressè contentis in Symbolo, & Sacris Scripturis, quis dubitet ex ignorantia, vel sim-
8 plicitate non est hæreticus *cap. 1. in princ. & in §. in nullo, de Summa Triuit.* Innocent. *d. cap. 1. n. 7. eod. tit.* & ibi Io. Andr. *n.* 26. Butr. *n.* 9. *&* 11. Imol. *n.* 11. Zabarell. *nu.* 7. Abbas *nu.* 15. cum alijs relatis à Ricciull. *loco citato nu.* 2. Farinac. *d. qu.* 178. *nu.* 100. qui *nu.* 105. reprobat Pegnam vbi supra, sed immeritò, quia Pegna cum modificatione loquitur, vt supra diximus.

Multò ergo magis si ignoranter dubitat de credibilibus non expressis in Sacra Scriptura, quamuis ab Ecclesia definitis.

Hinc meritò inter Hæreticos nati, & educati, si Orthodoxam Religionem ignorant, possunt interim dubitare, do-
9 nec instruantur, & argumenta, siuè credibilitatem nostræ fidei rectè apprehendant *cap. Dixit Dominus 24. quæst. 3.* Valent. *to. 3. disp. 1. quæst. 10. par. 4.* Sanchez *lib. 2. cap. 1. num.* 8. Layman. *loco cit. nu.* 5. Alberghin. *d. cap. 5. num.* 9. Del Bene *loco citato nu.* 4.

Dubietas autem, siuè Inconstantia huiusmodi damnabilis est, non solùm si
10 quis dubitet de tota fide, sed etiam si dubitet de vno solo articulo ab Ecclesia determinato, D. Thomas *2. 2. quæst. 5. artic. 3.*, Pegna *d. cap. 1. fol.* 89. *col. 1. vers. Septimo modo*, Farinac. *d. quæst.* 178. *nu.* 94. Alberghin. *loco citato num.* 6.

At si quis pro maiori dilucidatione vnius articuli, vel loci Sacræ Scripturæ dubitaret firmo semper, & constanti pro-
11 posito, quod fidei dogmata, & Sacræ Scripturæ verissimæ, & certissimæ sunt, non esset Hæreticus, imò laude dignus, si ad declarandas fidei veritates, illas non credentibus persuadere posset, Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 18. vers. 7. dubitantes*, Pegna *d. cap. 1. fol. 86. col. 1. vers. 2. modo*, Zecchius *in Summa par. 1. rub. de fide cap. 11. num.* 6., Farinac. *d. quæst.* 178. *num.* 103.

Ille autem, qui dimissa pertinacia dubitationis, Ecclesiæ reconciliari petit, recipiendus est abiurata prius hæresi de formali, sicut seruatur in Sacro Tribunali
12 supremæ, & vniuersalis Inquisitionis Romanæ, Pegna *loco citato*, Farinac. *dicta quæst.* 178. *num.* 107., Alberghin. *d. cap.* 5. *num.* 8., vel de vehementi, vel de leui iuxta qualitatem personarum, Pegna, & Farinaccius *locis citatis*.

An autem dubius in fide mentalis possit absolui à quolibet Confessario ab Or-
13 dinario approbato, videndus est Barbos. qui plures allegat *allegat.* 40. *num.* 16., Pueron. *in Bulla Cœnæ cap. 1. num.* 93.

Quod si in fide dubitando inconstans esse non licet, multò minùs fas est externa voce, aliouè signo illam negare, falsamuè profiteri, Diuus Thomas *2. 2. qu. 3. art.* 2. latè Valentia *qu. 3. par. 2.*, Sanchez *ad præcepta lib. 2. cap. 4.*, Molan. *de fide Hæret. seruan. lib. 4. cap. 9.*, Layman. *lib. 2. tract. 1. cap. 11. num. 1.*, Ricciul. *de Iure personarum lib. 1. cap. 4. num. 2.*; Suarez *de fide, spe, & charitate disp. 14. sect. 1. & 2.*, *& aduersus Regem Angliæ lib. 6. cap. 9.*; Card. de Lugo *de virtute fidei Diuinæ disp. 14. sect.* 2. Pegna ad Eymeric. *par. 1. qu. 9. comment. 24.*, & Macedo *lib. 3. de Clauibus Petri cap. 9.*; Bertin. *de Inquisitione fol. mihi* 211.

Quæ conclusio habet locum non solùm si voce expressè illa negetur, verum etiam si tacitè, nempè nutu, vel motu digitorum, Cardinalis de Lugo *loco citato sect. 5. §. 1. num.* 93.

14 Secundò procedit etiam, si quis timore tormentorum fidem negaret exterius illam tamen corde retineret, vt aduersus hæreses Elesitorum, & Priscillianistorum benè docet Suarez *d. disp. 14. sect. 1. nu. 1. & 2.*, Card. de Lugo *d. sect. 2. num.* 31.

Sed an is reputetur Hæreticus, negant communiter Doctores ex exemplo Marcellini Summi Pontificis (si tamen vera est Historia, de qua multi meritò dubitant) qui à Paganis tempore Diocletiani,
15 & Maximiliani Templum ingredi, & Idolis sacrificare coactus fuit: Quia tamen Christi fidem in mente, & in corde habuit, hæreticus non fuit reputatus *cap. Nunc autem 21. distinct.*, Decius *cons.* 151. Albertin. *de agnoscen. quæst. 30. nu. 6. & 8.* Simanc *de Cathol. Instit. tit. 17. num. 29. & in Enchiridion. violata Relig. tit. 47. num.* 21. Calderin. *cons. 4. de Hæret.*, Clar. *§. Hæresis num.* 3., Decian. *d. tract. lib. 5. cap. 18. num.* 3., Pegna *par. 1. quæst. 9. comment.* 24. cum alijs per Farinac. *quæst.* 183. *num.* 23. Addo Ricciul. *lib. 1. cap. 4. num.* 10., Caren. *in praxi par. 2. tit. 3. §. 15. & 16.*, vbi latè de Marcellino Papa, Sousa *in Aphorism. lib. 1. cap.* 17., Bordon. *in Sacro Tribunali cap. 36. num.* 66., Suarez *de fide disp. 14. sect. 6. num.* 4., & post Filiuccium, & Castro Palao, Alberghin. *de pœn. Hæret. cap. 6. num.* 3.

Quod multò magis habet locum, si vis, & metus essent absoluti, idest si voluntas nullo modo cooperetur, sed mera inferatur coactio, vt paulò post dicemus; quia sic Inconstans, nec Hæreticus est, neque peccat peccato Heresis *cap. maiores de Bap-*

tismo, & eius effectu, Albert in. *in rub. de Hæret. in 6. qu. 2. nu. 41. & qu. 13. nu. 68. & in cap. 1. eodem tit. qu. 15. nu. 21. 22. & 23, & in tract. de agnoscen. qu. 30. nu. 7.* Pegna *d. cōment. 24. vers. ac primo* cum alijs per Farinaccium *d. quæst 183. num. 31.*, P. del Bene *de offic. S. Inquisitionis par. 1. dubit. 171.*

Si autem vis non sit absoluta, sed conditionalis, tunc qui ex tali vi fidem abnegat, non euitabit heresis suspicionem, vel leuem, vel vehementem, iuxta personarum conditionem, & metus qualitatem; Pegna *d. comment. 24. vers. Sed hac*, Farinaccius *d. quæst. 183. num. 29.*

Et propterea qui sponte accedunt, & comparent in Sancto Officio, denuncian-
16 tes se de exterioribus actibus Apostaticis, sed cum assertione, quod corde Infidelitati, vel heresi non adheserunt, vt plurimum absoluuntur præuia abiuratione de vehementi, iniunctis solummodò pœnitentiis salutaribus, si verò præuenti fateantur actus externos Apostaticos, sed corde fidem Catholicam retinuisse asserant, torquentur super intentione, & si substineant, iniungitur illis abiuratio de vehementi, ac pœnis contra Apostatas statutis plectuntur, mitiùs tamen, siuè seueriùs iuxta qualitatem personarum, de quo stylo testantur Pegna *par. 2. direct. comment. 59. vers. Sed videamus*, Caren. *in prax. par. 2. tit. 18. §. 3.*, vbi de sponte comparentibus Farinaccius *d. qu. 183. nu. 3.*

Et ideò meo tempore aliqui præuenti damnati fuerunt ad carceres arbitrio, alij ad tempus, alij verò ad Triremes.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

An liceat simulare fidem. An liceat simulare se Hæreticum ad lucrandos Hæreticos. An liceat vti vestibus Infidelium. An licita sit simulatio fidei in esu Carnium.

SVMMARIVM.

1 *Fides simulata reprobatur.*

2 *Hæresis simulata an liceat ad lucrandos Hæreticos, & Infideles.*

Sanctus Petrus quomodo exerceret legalia, vt se subtraheret a Gentibus, & ne scandalizaret Iudæos.

Exempla eorum, qui promiserunt sequi Sectas Hæreticorum, vt illas cognitas confunderent.

3 *Sanctus Eusebius hæreticum an se mentitus fuerit, vt ab hæreticis filium liberaret, & historia examinatur num. 6.*

Alia Diui Ephrem refertur, & examinatur, num. 6.

4 *Mendacium licitum non est etiam propter propriam, vel aliorum vtilitatem.*

5 *Simulatio hæresis etiam ad effectum confundendi hæreticos nil aliud est quàm mendacium in rebus fidei.*

Propositum discedendi à fide denotat in proponente inconstantiam, seu infirmitatem, & dubium fidei, non tamen importat fidei negationem.

Catholicus adhuc remanet, qui habet propositum discedendi à fide.

8 *Martyres quomodo sacrificare velle Idolis simularent.*

9 *Hæresis exterior an, & quando profiteri possit.*

10 *Vestes Infidelium non spectantes ad eorum Religionis Sectam, sed ad nationem, puta Turcarum, an, & quomodo gestare liceat Catholicis transeuntibus per eorum Regiones.*

11 *Quid vbi viget consuetudo quod fideles in illis Regionibus degentes huiusmodi vestibus non vtantur, vel è contra.*

Christiani Constantinopolis quibus vtantur vestibus.

12 *Vestes distinguentes formaliter Infideles, prout Romæ est galerum, vel velum flaui coloris, quo vtuntur Iudæi, an & quando gestare liceat Catholicis.*

13 *Catholici vti an, & quando possint vestibus quibus vtuntur Infideles ad profitendum eorum Religionem & num. 15.*

14 *Decretum Sacræ Congregationis in hac materia, & alia plura num. 29. & seqq.*

15 *Catholicus an vti possit vestibus infidelium, quando id videntes putarent quod priorem fidem reliquerit, vel è contra.*

16 *Quid de vestibus continentibus actualem cultum Idoli, vel Auctoris Sectæ & num. 25.*

17 *Quid de continentibus signum expressum protestationis falsæ Sectæ, puta versiculum Alcorani.*

De Laminis Granatensibus, & eorum versiculis.

18 *Catholicus an vti possit vestibus Infidelium significantibus, venerationem, cultum, deuotionem Idoli, aliquem esse Idoli Sacerdotem, vel Religiosum eius Sectæ, vel Christianam fidem abnegasse.*

19 *Quid de vestibus habentibus duplicem signifi-*

vatum, nempe falsa Secta, & nobilitatis, & num. 30. referuntur decreta Sacra Congregationis.

20 *Vester Infidelium an gestare liceat per iocum in Comedijs, Representationibus, Laruis.*

Iocus neque professionem, neque confessionem inducit.

21 *Catholicus nequit gestare vestes Infidelium, nisi cessante omni scandalo, & quando illud dicatur cessare.*

22 *Scandalum quale, & quantum esse debeat, vt neque ex grauissima causa contemni possit.*

23 *Christianus transiens per loca Turcarum an eorum habitu vti possit, vt se occultet.*

24 *Quid de vestibus concernentibus Religionem, puta Sacerdotis communis Mahometani, vel Religiosi Ethnici.*

26 *Vexilla Infidelium an quando, & quomodo liceat in Nauibus fingere, ne Infideles fugiant illis visis.*

27 *Catholicus an, & quando possit omittere vestes Christianorum stante edicto Principis infidelis, quod omnes Christiani certa vtantur veste.*

Christiani tenentur confiteri fidem, quando de illa interrogantur, non autem tenentur illam confiteri signis.

Fides non obligat ad perditionem sui.

28 *Princeps infidelis si mandet vt omnes subditi vtantur certa veste ad profitendam falsam Religionẽ non licet Christianis illa veste vti.*

Quid si praecipiat in signum falsa Religionis gestari signum, vel vestem, quam Christiani antea spontè gestabant.

29 *Apostata degentes in Terris Infidelium, & ad fidem redeuntes quomodo se gerere debeant tam circa abiurationem Apostasia, quàm circa habitum, & vestes, siue coram Infidelibus, siue coram fidelibus ex decretis Sacra Congregationis.*

Balnea Infidelium sunt captiuorum carceres.

30 *Gentiles, Indiani conuersi ad fidem Christianã an, & quomodo permittantur accipere, & gestare Lineam, Curumbyna, Sandalos, & similia, & lauationes exercere ex decretis Sacræ Congregationis.*

31 *Carnes Infidelium an, & quando comedere liceat Catholicis, siue ad id vrgente praecepto Tyranni in contemptum legis Ecclesiastica, siue occasione transitus per eorum loca, & ne se Catholicos prodant.*

32 *Et quibus in casibus id nullatenus liceat Catholicis.*

33 *Papa an possit dispensare cum haretico nuper ad fidem conuerso vt comedat carnes diebus vetitis cum Ecclesia ad simulandam haresim cum parentibus.*

Papa non potest dispensare super actu protestatiua falsa Religionis.

Papa an, & quando tollere possit praeceptum Ecclesia.

Papa non potest dispensare in praecepto diuino.

34 *Idolotita quando liceat comedere.*

1 NON solùm autem reprobatur Inconstantia in homine Christiano, quæ consistit in abnegatione fidei expressè, vel tacitè, sed etiam quæ consistit in simulatione, vt latè Suarez *in defens. fidei lib.6. cap. 9. & lib. 9. de legibus cap. 17. num. 15.*, Vasquez *in 1. 2. disp. 182. nu.14.* Cardinalis de Lugo *de virtute fidei Diuinæ disp. 14. sect. 5. §. 4. num. 114.* Coninch. *de fide disp. 55. dub. 3. num. 39.* Turrianus d. *tract. 4. disp.35. dub. 3. §. Sed contrarium,* Castro Palao *tract. 4. disp.1. punct. 16.nu.3.* Baldell. *Theol. moral. to. 2. lib. 1. disp. 14. à num.* 18. èx nostris Pegna *d. comment. 24.* Riccinll. *de Iure person. d. lib. cap.4.num.27.* Siluester *verb. fides quæst. 3.*

Cæterum an in aliquo casu sit licita simulata Inconstantia, videlicet ad lucrandos Hæreticos, vel Infideles; Quæstio
2 hæc antiquis temporibus torsit ingenia Sanctorum Patrum Hieronymi, & Augustini super facto Petri exercentis legalia, & subtrahentis se à Gentibus, ne scandalizaret Iudæos. Hinc Sancti Patres, & Scholastici, vt partes vel Hieronymi, vel Augustini tuerentur, & Petrum à peccato, & à reprehensione Pauli immunem redderent, varia scripserunt: Nos verò adducemus quid Auctores nostri de hac Inconstantia senserint.

Archidiaconus *in cap. Vtilem 22. qu. 2.* dixit, quod fortè excusarentur Catholici si promitterent Patarenis, quod eorum Sectam sequerentur, vt ea cognita, & considerata posteà illam confunderent iudicando, vel improbando, vel alio modo, Idem tenent Bellarm. Io. Fantuc. & Vgo *ibidem* Ias. *in l. si mora num. 4. ff. solut. matrim.*

Neque hæc opinio caret sua probabilitate, nam auctoritate D. Hieronymi *in cap.2. ad Galat. epist.* 89. eam tenet Adrianus *in 4. sentent. tract. de Baptism. quæst. 1. art. 1.*, & non improbabilem tenent Filiucc. *tract. 22. cap. 3. num.* 82. Hurtado *de fide disp. 49. §. 61.* Lao *eadem disp. 24. num. 7.*

Fundatur autem hæc opinio in variis, tùm Sacræ Scripturæ, tùm Sanctorum exemplis, quæ in vnum congerunt P. Baldell. & Card. de Lugo *locis citatis*, & præsertim ex supradicto facto Petri Apostoli obseruantis ceremonias legales, vt Iudæos lucrifaceret. Et magis ad rem ex facto Eusebij Martyris Episcopi Vercellen. relato à D. Ambrosio *sermone 69. de S. Eusebio* his verbis.

3 *Sicut ait S. Paulus Factus sum Iudæus Iudæis, vt Iudæos lucrifacerem, ità Eusebius Hæreticis se hæreticum mentitus est, vt de hæresi filium liberaret; Dixit enim illorum se consentire perfidiæ, hoc sibi placere quod illis, sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent*

grauiter se moueri: Vos enim, inquit, qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi filium prætulistis: Quo audito Hæretici subscriptionem Dionysij, qui quia tumor erat, solebat Eusebium Patrem vocare, omninò deleuerunt. Postea verò Eusebius voti etiam compos Arianos insultauit, id enim finxerat, vt Dionysium à macula illius subscriptionis, cuius iam pænitens erat, omninò liberaret.

Hæc autem fictio laudatur, & extollitur ibi ab Ambrosio in ordine ad finem illum obtinendum.

Addo Ego exemplum Diui Ephrem; de quo in eius vita, qui simulauit, se velle profiteri Sectam Hæreticorum, vt ex illorum manibus librum, hæreses continentem, subriperet, quem librum, cum recepisset, totum fœde conspurcauit.

Cæterùm hæc opinio nullatenùs est tenenda; non enim mentiri licet, etiam propter vtilitatem propriam, vel aliorum, vt benè probat Diuus Augustinus *Epist.* 8.
4 *&* 19. quam citat Baronius *anno Christi* 414. *num.* 13. facit Textus *in cap. super eo, de vsur.* & ibi Innocent. Petr. Mart. *in cap. Afferte, de præsumpt. vers. Afferte, in* 1. *par. num.* 31. Burgos de Paz. *in proœm. ad ll. Tauri num.* 271. Barbos. *dicto cap. super eo num.* 4. Alphons. de Castro *aduersus hereses lib.* 10. *vers. Mendacium*, Corduba *qq. Theol. lib.* 1. *qu.* 29. Sot. *de ratione tegend. secret. num.* 3. *q.* 3. *conclus.* 5. in puncto quæstionis, Vasquez *in* 1. 2. *disput.* 182. *cap.* 4. vbi latè probat, nil
5 aliud esse huiusmodi simulationem, quàm mendacium in rebus fidei: Hancque opinionem tenent omnes Doctores, qui ab opinione Adriani discedunt, & simpliciter negant hanc fictam inconstantiam esse licitam, vt Alex. de Ales. 3. *p. q.* 183. *nu.* 2. Caietan. 2. 2. *quæst.* 3. *artic.* 2. Bannes *ibidem* S. Antonin. 2. *p. art.* 12. *cap.* 6. Siluester *vers. Fides, q.* 3. Nauarr. *in Man. cap.* 11. *num.* 27. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *dub.* 4. Suarez *de fide, lib.* 6. *cap.* 9. *& lib.* 9. *de legibus cap.* 17. *nu.* 14. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 4. *num.* 13. 14. Tolet. *in Summ. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 7. Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 11. Reginald. *lib.* 17. *nu.* 33. quos omnes congerit Baldell. *de fide, lib.* 1. *disput.* 14. *num.* 18. Idem tenet Card. de Lugo *d. disp.* 14. *sect.* 5. §. 4. qui ad rationes, & exempla Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum benè respondet, & nouissimè Macedo, qui quæstionem hanc accuratissimè tractat *lib.* 3. *de Clauibus, cap.* 11.

Ad factum verò Sancti Eusebij Episcopi Vercellen. primò negat Card. Bellarm. *de Scriptoribus Ecclesiasticis, in censura operum Sancti Ambrosij*: sermonem illum esse Sancti Ambrosij.

Idem dicit Card. Baronius *tom.* 3. *anno Christi* 355. qui etiam latè probat minùs fideliter referri ibi factum Eusebij.

Nàm Sanctus Dionysius non subscripserat Hæresi Arianæ, sed condemnationi solùm Athanasij eo pacto, vt heresis Ariana non approbaretur, & hoc solùm Hæretici petebant ab Eusebio subscribi, quod tamen ipse propter Athanasij innocentiam posteà facere recusauit: Non itaque
6 finxit se Hæreticum, sed solùm velle consentire Athanasij condemnationi, quod sine peccato iustitiæ fingere potuit, cum id totum faceret ad liberandum Athanasium à nota subscriptionis Dionysij, nec per hæc vllo modo se Hæreticum professus est, cum de fide tunc non ageretur, sed de condemnatione Athanasij, prout respondet hisce verbis Cardin. de Lugo *loco citato nu.* 133. quem sequitur Macedo *loco citato*.

Ad factum verò Sancti Ephrem, aduertendum est, Sanctum non finxisse se Hæreticum, sed promisisse velle sectari Sectam. Aliud autem est negare fidem, aliud promittere, se fidem negaturum. Nàm qui ostendit propositum discedendi à fide, videtur quidem significare simul infirmitatem suæ fidei præsentis, vel du-
7 bium illius, atque etiam quod tempore promissionis sit Inconstans in vera fide, in rigore tamen non negat ille tunc fidem, sed dicit habere propositum posteà faciendi, remanente eo tempore Catholico, Sanchez *ad præcepta lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 22. Cardin. de Lugo *dicta disput.* 14. *sect.* 5. §. 4. *à num.* 124.
8 Et hac ratione excusari possunt facta Sanctorum Martyrum, nempè Apolloniæ, quæ paululum temporis ad deliberandum, an vellet sacrificare Idolis, pacata stetit, ex quo poterat argui formido, & dubium internum circa fidem.

Et Sancti Iuliani Martyris, referente Surio *die* 9. *Ianuarij*, qui cum à Præside inuitaretur, vt cum Socijs suis veniret ad Templum, præter solitum apertum, & solemni pompa ornatum, vt sacrificium Diis offerret, respondit: *Quandoquidem hortaris, vt omnibus in vnum conuenientibus Dijs vestris immolemur, id quidem facere non piget: Ideò semper distulimus, vt in hoc Templo mirabili magnum sacrificium cunctis cernentibus immolemur*; quod quidem dixit, & euentus probauit, vt Sacerdotes, & Gentiles innumeros illuc ea occasione conuenientes Templum eius oratione corruens cum magna Gentilismi iactura comprimeret.

Et Sanctarum illarum Mulierum, de quibus in actis Sancti Blasij apud Surium ex Metaphraste 3. *February* narratur, quod inuitatæ à Præside ad sacrificandum, dixerunt: *Si vis, vt Dijs tuis sacrificemus, eamus prope lacum. Nos autem eum ablucri-*

mus vultus nostros in lacum, accedemus, & eis sacrificabimus, quò cum venissent Idola, omnia ea fide illuc allata in lacum proiecerunt.

Hinc Archidiaconus *in dicto cap. Vtilem 22. qu. 2.* optimè defendi potest; non enim, vt ait Theophilus Rainaldus *in appendice ad librum Lessij de Iust. & Iur. cap. 12. num. 6.*
9 dicit, fas esse graui causa profiteri exterius hæresim, aut errorem adhibita locutione restricta, sed quod fortè excusatur Catholicus, si promittat Patharenis, quod eorum sectam sequeretur, vt ea cognita, & considerata, posset illam postea confundere; loquitur enim Archidiaconus de sola promissione, non autem de externa hæresis professione simulata, tamen ob finem bonum habita, ad quod non aduertit Ricciull. *de Iure personarum lib. 1. c. 4.* dùm referendo Archidiaconum illum errore notauit.

An autem liceat simulare fidem vtendo vestibus Infidelium.

Dic cum Card. de Lugo *loco cit. sect. 5. §. 1.* ad quatuor classes reduci posse huiusmodi vestes.

In prima sunt vestes, quibus Infideles distingui solent materialiter à Fidelibus non quidem formaliter, prout Infideles
10 sunt, sed prout ad talem Nationem pertinent, quales sunt vestes Turcarum, quæ magis pertinent ad Nationem, & Prouinciam, quàm ad Religionis sectam: Vndè licet omnes Christianam fidem susciperent, antiquas tamen vestes retinerunt. Hisce vestibus, concludunt Doctores, posse Fidelem vti, quando transit, per Infidelium Regiones, requiritur tamen aliqua iusta causa, hoc est periculi vitandi, quia licet hæc actio nòn sit per se mala, habet tamen speciem mali, iuxta illud Pauli 1. *Thessalonicen. 5. Ab omni specie mali abstinete Vos*; & ità docent Sanchez *ad Præcepta, lib. 2. cap. 4. num. 17.* Suarez *de fide, disp 14. sect. 5. num. 5.* P. Baldell. *de fide, & infidelit. disput. 15. num. 6.* Ricciull. *dicto tract. lib. 1. cap. 5. num. 2.* Bordon. *in Sacr. Tribun. cap. 1. num. 104.* nouissimè Fr. Ignatius Lupus *in Commen. ad Edictum Sancti Officij par. 2. lib. 12. differ. 2. ad fin.*

Contrarium tamen, quod nulla requiratur causa tenet P. Pasqualig. *decis. 153. n. 3.* qui respondet ad sententiam D. Pauli, quia loquitur de vera specie mali, non de
11 apparenti: idem tenet Arriaga *2. 2. tract. de fide, disput. 22. sect. 3. num. 18.*

P. Verricell. *tract. de Apostol. Mission. tit. 1. de fide q. 14. sect. 1. n. 4.* cōciliat opiniones, vt si tractetur de solis vestibus, quibus vtuntur soli Infideles, licet non adsit aliqua lex, vel recepta consuetudo, quæ prohibeat, quin Fideles possint ijs vestibus vti, de facto tamen cum multi Fideles in eo loco commorentur, nihilominùs nullus Fidelium iis vestibus vtitur: tunc illicitum est iis vestibus vti sine causa iusta, quia non potest Fidelis sine fidei irreuerentia præbere cæteris fundamentum prudenter dubitandi de sua fide; & isto casu non requiritur grauis causa, vt licitè vtaris, sed sufficit leuis causa.

Aut verò tales sunt vestes, vt iis etiam Fideles vtantur pro libito, & tunc nulla causa requiritur, vt licitè vtaris, & ità testatur se vidisse seruari in Ciuitate Constantinopolitana, in qua Christiani pro libito, & sine causa vtuntur eo genere vestium, quo vtuntur Turcæ, nempè habitu Turcico cum capitis operimento, quod vocant *Calpak*.

In secunda classe sunt vestes, quæ vsurpantur ad dignoscendos Infideles forma-
12 liter, vt Infideles sunt, vt Romæ Iudæi, qui debent vti galero, vel velo flaui coloris, & super huiusmodi vestium classe non conueniunt Doctores: nàm Caietan. Nauar. Tolet. D. Antonin. Valent. Angel. Siluester. Philiar. Tabien: quos citat Sanchez *dicto cap. 4. nù. 18.* quibus addi possunt Ricciull. *loco cit. num. 1.* Meratius, Becan. Arriaga citati à P. Verricell. *dicta qu. 14. sect. 2 num 6.* tenent, Catholicum non posse vti illis vestibus, quia illis vtens, implicitè profitetur, se esse illius falsæ sectæ cultorem.

Contrariam tamen opinionem intercedente graui causa posse Catholicum vti illis vestibus, tenuerunt Azor. Sanchez, Suarez, Valentia, Bannes, Aragon. Pesantis, Vvirgers, Palatius, Pitigianus, Coninch, Turrian. Benzonius, Sà, Ledesma, Villalobos, Castro-palao, Gordonus, Duallius, Tanner, Hurtado, Cardin. de Lugo, P. Diana, Lopez, Rodriquez, Layman. Pasqualig. Pelizzar. relati à P. Verricello *dicta qu. 14. sect. 2. à num. 7.* qui benè probat hanc opinionem respondendo contrariis.

In tertia classe sunt vestes, quibus vtuntur Infideles, non solùm, vt dignoscantur, sed etiam ad profitendam suam falsam Religionem, & tunc nullo casu posse
13 Catholicos prædictis vestibus vti, voluere Aragon. Bannes, Lopez, Nauarra, Suarez, Valentia, Sanchez, Benzonius, Turrianus, Meratius, Becanus, Pitigianus, Castro-palao, Bonacina, Dian. relati à Verricello *loco citato sect. 3.* qui *num. 13.* adducit Decretum Sacræ Congregationis, *editum Kalendis Augusti* 1630. tenoris infrascripti.

Circa habitum Apostatarum fuit quæsitum; An possent illud retinere ad vitandum vitæ periculum, donec nanciscantur idoneam occasionem transfugiendi ad terras Christianorum, si non sit protestatiuus Religionis, cuiusmodi esset vestis linea, & talaris, qua soli Sacerdotes

Infideles vtuntur, sed tantùm discretiuus nationis, quale est operimentum capitis, quod vulgò dicitur Turbante.

14 *Sacra Congregatio censuit, reuersos ad fidem tuta conscientia omnem habitum indistinctè deferre posse nationis discretiuum, dummodò non sit protestatiuus falsæ Religionis, donec nanciscantur occasionem transfugiendi ad Fideles, nec proindè arcendos à susceptione Sacramentorum, si propositum habeant profitendi fidem, quando iuridicè de illa interrogantur.*

Sed de Decretis S.Congregat. inferiùs.

Contrariam opinionem, nempe licitum esse, harum vestium vsum ex graui causâ tenent Azot. Coninch. Hurtado, Card. de Lugo, Duallius, Vvigers, Pasqualig. Machiado relati ab eodem Verricell. *loco citato num.* 14. vbi quod Becanus, & Bonacina hanc opinionem probabilem dicunt.

In hac contrarietate Cardin. de Lugo putat posse conciliari opiniones à posteriori, hoc est, si videntes personam illam
15 huiusmodi vestes gestantem, quæ anteà Fidelis, & Christiana erat, putent, quod priorem fidem reliquerit nullo modo hoc casu ei licere vti huiusmodi vestibus.

Si autem non indicarent eam negasse fidem, sed vel dubitarent, vel fortasse putarent, non ad id significandum, sed potiùs ad se occultandum, & vitandum vitæ periculum, assumptam fuisse vestem illam, tunc licitè ea vti posse. Quæ distinctio vera esse potest, vbi datur casus, quod in ea regione adsint alij Catholici: si verò non adsint, & ideò argumentum à posteriori non suffragari crederem non nisi ex grauissima causa huiusmodi vestibus posse Fideles vti, quamuis, etsi sequatur scandalum, posse in tali casu Catholicum vti illis vestibus; tenuerit Sanchez *dicto cap.4. num.* 20. cuius opinionem dicit probabilem P. Diana *to. 3. tract. 5. Miscellan. resolut. 49. vers. Sed plus addunt*; licet ipse cum Suarez *tract.de fide, disp.*14. *sect.*5. *nu.* 12. contrariam opinionem longè probabilem putet.

In quarta, & vltima classe sunt vestes illæ, quæ non solùm significant professionem falsæ sectæ, sed etiam continent cultum actualem auctoris falsæ sectæ, vel
16 Idoli, & in his etiam dissentiunt Auctores. Nàm Bannes, Aragonius, Ledesma, Rodriquez, Sanchez, Suarez, Castro-palao, Becanus, Card. de Lugo, Turrianus, Villalobos, & Lorca, quos citat P.Verricell. *loco cit. sect.* 4. tenent nullo casu esse licitum vti illis vestibus; quibus addo P.Macedo *de Clauibus Petri, lib.3.c.15.vers.Verum.*

Contrariã opinionem tenent Coninch. *d.dub.3. num.72.* Hurtad. *d. disput.48.* §.54. P.Verricellus *loco cit.*qui tamen distinguit tres casus.

17 Primus, quandò vestes dant signum expressum protestationis falsæ sectæ, quia cum huiusmodi signum sit intrinsecè malum, nullo casu licitum est. Huiusmodi esset, si in veste deferantur aliqui versiculi Alcorani, quibus illa secta profitetur, vt ibi gratia: *Allhà, Illhà, Illhali Mehmet, Rasul Allhà*: hoc est: *Non est Deus, nisi Deus Mehmet Nuncius Dei*: Quo versiculo demto nomine *Mehmet*, plenæ sunt Laminæ illæ Granatenses, quæ post diligentiam ferè quinquaginta annorum adductæ sunt Romam, in quarum versione ego insudaui ferè per duodecim annos.

18 Secundus est casus, quando huiusmodi vestes nullum alium habent significatum, quàm venerationem, cultum, & deuotionem Idoli, vel quando sunt significatiuæ, aliquem esse Sacerdotem Idoli, vel esse Religiosum eius sectæ; vel quando esset certum signum abnegatæ fidei, tunc enim nullo modo licet huiusmodi vestibus vti, quia signa illa sunt intrinsecè mala.

19 Tertius casus est, quando huiusmodi vestes habent apud illam gentem duplicem significatum, vel vsum, nempe significatum falsæ sectæ, & significatum nobilitatis, itàvt possit quis vti illis ad vnum, & ad alterum finem, & tunc ex graui causâ earum vsus licitus est, nàm est separabilis vsus ad Idolatriam ab vsu ad nobilitatem ostendẽdam, vt benè ibi comprobat idem P.Verricellus *sect.4 toto nu.*25.

Denique in hac materia obseruandum est cum Suarez *dicta disput.4. sect.5.num.*13. quem sequitur Baldell. *loco cit. num.* 16.
20 nempe aduerti debere ad modum, quo gestantur huiusmodi vestes, nàm si quis illas gestaret modo prophano, & longè diuerso ab illo, quo solent gestari ad vsum Religionis, potiùs existimabitur illas contemnere, & earum deportationem nihil facere, quàm admittere, & ei adhærere: & facilè cessabit omne scandalum, & separabitur à vestibus prædictis significatio falsæ Religionis. Hinc propterea, qui vtuntur huiusmodi vestibus per iocum, vt puta in Comedijs, & Repræsentationibus, vel Laruis, peccatum non committunt, tùm quia quæ ioci causâ fiunt, neque professionem, neque confessionem inducunt, *l. 3. ff. de Seruo corrupto, l. obligationum substantia, in fine vers. Nec enim, ff.de actionibus*; tùm quia neque spectantibus scandalum pariunt, Valent. Sanchez, Azor. relat. à Ricciull. *loco cit. num.3.*

Obseruat etiam Card. de Lugo secundum suam opinionem, quam *supra* retulimus, hoc est à posteriori iudicandum esse: An vsus prædictarum vestium licitus sit, non sufficere, quod aliqui sciant, vtentem, ob alium finem vestes, & signa
21 vsurpare, sed requiri, quod, vel omnes

id sciant, vel signa talia sint, vt in ijs circumstantijs, qui aliundè fictionem non nouerunt, & sciunt ipsum anteà fidelem, non possint ex vestibus, vel signis illis determinatè iudicare, quod fidem reliquerit, itàvt nec ipsi Infideles, si nossent hominem anteà fuisse Christianum, possent illius fidei inconstantiam, & mutationem iudicare: secundum quod tàm huiusmodi vestes, quàm alia omnia signa, etiamsi ex se determinata non sint ad talem significationem, possent tamen esse illicita ratione scandali. Quare quando dicuntur aliquando licere, semper intelligi debet secluso scandalo, quo stante iam ratione illius redditur vsus illicitus, Suarez *loco citato num.* 13. Coninch. *dicto dub.* 3. *num.* 75. Castro-palao *dub.* 17. *nu.* 10. Card. de Lugo *loco cit. num.* 90. *&* 91. P. Verricell. *d. qu.* 14. *sect.* 5. *nu.* 32.

22 Quale autem, & quantum debeat esse scandalum, vt neque ex grauissima causa contemni possit, videndus est Hurtado *de Charitate, disp.* 173. *sect.* 23.

23 Ex supradictis infert Cardin. de Lugo, licere Christiano transeunti per loca Turcarum vti habitu Turcarum, vt se occultet, Sanchez cum alijs *dicto cap.* 4. *num.* 22. P. Verricell. *d. sect.* 5. *num.* 29.

24 Si verò vestes concernerent Religionem, vt si sit habitus communis Sacerdotis Mahometani, vel Religiosi Ethnici, grauissima causa requiritur, sed aliquando licebit, Coninch. *d. dubit.* 3. *num.* 73. *&* 74. Verricell. *d. sect.* 5. *num.* 29. Macedo *d. lib.* 3. *cap.* 15. §. *Placet.*

25 Si denique continerent cultum actualem falsæ sectæ, videndum, an sint determinatæ ad eum cultum significandum, vt qui vident, & sciunt se vtentem anteà fuisse Christianum, inducantur omninò ad iudicandum, quod reliquerit fidem: Si verò id determinatè non significant, atque adeò ex grauissima causa licitus possit esse eius vsus.

26 Infert secundò Card. de Lugo *num.* 95. licitum esse stratagemma, quo Christiani vexilla hostium in nauibus suis fingunt, vt hostes infideles visis vexillis non fugiant, Azor. *Instit. moral. to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *qu.* 6. Sanchez *dicto cap.* 4. *num.* 23. Layman. Tanner. Diana à Verricell. *loco citato num.* 29.

Et quamuis Sanchez cum eodem Azorio dicat, tunc non licere, si in vexillis pingeretur imago Mahometis, Martis, vel Mercurij, quos vt Deos colunt Infideles.

Hoc tamen non placet Hurtado *d. disput.* 58. §. 58. nec Layman. *tract. de fide, cap.* 11. quos etiam citat Macedo, quia possunt illæ imagines depingi, non ad cultum, sed ad significandum triumphum de Mahometo, vel de falsis Diis, sicut familiæ nobiles gestant in suis gentilitiis imaginem Regis, quem olim vicerunt in bello, & propterea consulit, vt hæ imagines pingantur cum catenis, vel compedibus subtilibus, qui ab hostibus à longe non percipiantur, quo pacto cessat superstitionis periculum, cui videtur subscribere Card. de Lugo *dicto, num.* 95.

Sed hanc opinionem nimis scrupulosam esse ait P. Verricellus *loco cit. num.* 29. nàm qui vident huiusmodi vexillum prope, & cognoscunt nauim esse Hispanam, vel homines Hispanos, certè non credent eos abnegasse fidem, sed pro certo habebunt, Hispanos finxisse illud vexillum, cum Idolo ad decipiendos hostes. Qui verò à longe vident vexillum cum Idolo, tunc non possunt videre catenas illas subtiles, & propterea effugium hoc inane est.

Meliùs ergò Layman. *dicto cap.* 11. *nu.* 4. *verf. Simili modo*, ait, quod in huiusmodi symbolis fidei professionem non cogimur generatim agnoscere: Quandoquidem etiam apud Christianos eiusmodi signa, puta, Mercurij, Veneris, & Martis, tanquam fabulosa adhibentur, aliàs non possemus in Palatiis, & Villis imagines horū Deorum falsorum retinere: Ideò non possunt damnari Milites nostri, si iis tanquàm indifferentibus, insidiarum causa in bello vtantur.

27 Tertiò, Card. de Lugo *loco citato nu.* 96. infert, quod si Princeps Infidelis præcipit deferri ab omnibus Christianis sibi subditis, vt tali veste vtantur, vt dignoscantur, possit adhùc Christianus, vt se occultet, vel non prodat, omittere talem vestem ex iusta causa saluandi vitam, siue id præcipiat ob finem politicum, siue ob finem Religionis, quia vel illa lex est merè politica, vel in odium Religionis, si sit politica, non obligat ex virtute fidei ad fidem tali signo confitendam, cuius positiua confessio obligat, quando Christianus interrogatur in odium fidei, si verò sit in odium fidei, eo ipso est iniusta, & non obligat in vim legis, nec aliundè etiam obligat virtus fidei ad fidem confitendam, & signo illo manifestandam, quia interrogatio illa generalis nón est interrogatio, sed præceptum, vt Christiani se positiuè prodant, agnoscantur, & puniantur: quo casu fides non obligat, vt quilibet se prodat; esset enim in detrimentum fidei, si quilibet Tyrannus obligare posset fideles, vt se proderent, & ità omnes simul extingueret, vt contra Gaiet an. docent relati à Sanchez *d. cap.* 4. *num.* 29. Suarez *dicta sect.* 5. *num.* 10. Coninch. *dicto dub.* 3. *num.* 76.

28 Si autem è contra Princeps Infidelis

iuberet; vt omnes Infideles tali veste vterentur; si lex illa sit vniuersalis pro omnibus subditis, quos omnes Princeps obligare vult ad professionem falsæ Religionis, & ad signum externum, quo in vestis indeterminatæ vsu id profiteantur; hoc casu dicendum est, non licere Fidelibus vti tali veste; quia tunc Princeps non præcipit actum ciuilem, & politicum, sed superstitiosum, nempe profitendi falsam sectam signo, & veste illa, Hurtad. *loco citato*, §. 77. *in fin.* Coninch. *vt supra nu.* 73. Castro-palao *d. pun.* 17. *nu.* 8. Card. de Lugo *loco citato num.* 97. qui *num* 98. dicit, aliter fortasse esset dicendum, si Princeps ille non præciperet subditis vsum vestis nouæ, vel alicuius noui signi ad illum finem, sed solum præciperet, vt certum vestis genus, quam ipsi iam subditi liberè, & spontaneè solebant indifferenter gestare, deinceps ex debito gestarent in signum falsæ Religionis: tunc enim non videtur, quod subditi Fideles deberent communem, & sibi iam familiarem vestem relinquere, ne viderentur Principi in falsa Religione consentire; quia continuatio in veste sua priore non esset determinare signum obedientiæ, vel mutatæ Religionis, cum satis constare posset de alio fine, & vsu perseuerandi in ea veste. Imò lex illa videtur tendere ad cognoscendum Fideles per nouum signum, nempe per dimissionem prioris vestis, quæ lex, vt dictum est, non obligat.

Pro coronide placet hic apponere Decreta Sacræ Congregationis Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis in hac materia.

Die 18. Iulij 1630.

29 *Vtrum Apostatæ à fide ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicitè, & publicè coram Infidelibus cum periculo vitæ, sicut negarunt fidem. An verò sufficiat coram Fidelibus publicè abiurare Apostasiam in proprijs balneis, quæ sunt Captiuorum carceres, & simpliciter apud Infideles abstinendo ab actibus Infidelitatis, & deponendo habitum.*

Sacra Congregatio censuit, Apostatas à fide redeuntes ad pœnitentiam omninò debere abiurare Apostasiam coram Fidelibus Captiuis, quibus dederunt scandalum in proprijs carceribus publicè, & explicitè. At coram Infidelibus non videtur hoc necessarium, sed sufficit, vt coram ipsis abstineant ab actibus Infidelitatis, deponantque habitum protestatiuum falsæ Religionis, & curent, vt successiuè temporis cognoscant etiam Infideles, vel ab ipsis, vel ab alijs eorum abiurationem, licet id etiam cum periculo vitæ.

Secundus casus.

Et circa habitum, si non sit Protestatiuus Religionis, cuiusmodi est vestis linea, & zadaris, qua soli Sacerdotes Infideles vtuntur sed tantùm discretiuus Nationis, quem vulgò Turbante *appellant; quæritur: An possint cum retinere ad vitandum vitæ periculum, donec nanciscantur idoneam occasionem transfugiendi ad terras Christianorum, ibi Apostasiam abiuraturi.*

Sacra Congregatio censuit, reuersos ad fidem tuta conscientia omnem habitum indistinctè deferre posse Nationis discretiuum, dummodò non sit Protestatiuus falsæ Religionis, donec nanciscantur occasionem transfugiendi ad Fideles; non proindè arcendos à susceptione Sacramentorum, si propositum habeant profitendi fidem, quando iuridicè de illa interrogantur 28. Ianuarij 1638.

Tertius casus.

Si licebit ad graue periculum, siue damnum vitandum, puta, mortis, & exilij, vti vestibus primò, & per se determinatis ad cultum falsæ sectæ, non tamen illo fine.

Sacra Congregatio censuit reuersos ad fidem tuta conscientia omnem habitum indistinctè deferre posse Nationis discretiuum, dummodò tamen non sit protestatiuus falsæ Religionis.

30 Addo aliud notabile Decretum sub Pontifice Gregorio XV. in Congregatione Sancti Officij latum die 26. Ianuarij 1623.

Cum Sanctissimus Dominus Noster acceperit, Brachmanos, aliosque Orientales Indiæ Gentiles difficilè propterea adduci ad Christi fidem amplectendam, quod dimittere nolint lineas, & curumbyna, quibus nobilitatem, & progeniem, ac ciuile cuiusque munus agnosci perhibent, neque sandalis, & lauationibus abstinere, quoniam ad corporis ornatum, & munditiem pertinere putant: Cupiens Sanctitas Sua, quantum sine Dei offensione, & populorum scandalo licet eorum conuersioni consulere, multa, ac solerti præmissa discussione, auditisque votis Dominorum Cardinalium aduersus hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, censuit, humanæ infirmitatis miserando indulgeri, vsque ad aliam Sanctitatis Suæ, & Sedis Apostolicæ deliberationem, posse Brachmanos, aliosque vt supra Gentiles conuersos, & conuertendos ad fidem, ad stirpes discriminandas, & in signum politicæ nobilitatis, & officij lineas, & curumbyna assumere, & deferre, atque sandalis pro elegantia, & lauationibus pro munditia corporis vti, dummodò ad omnem superstitionem expurgandam, eaque tollenda, quæ scandalum præbere feruntur, infrascriptas leges, & conditiones obseruent.

Lineam, & curumbyna non accipiant in Templis Idolorum, neque vt hactenùs factum dicitur ab eorum Ministro, seu Iocim, *siue alio eius nomine vocetur, neque a legis Concionatore, vel Magistro, quem* Bonim, *seu aliter appellant, neque ab alio quouis Infideli Homine, sed à Sacerdote Catholico, qui ea benedicat lustrali aqua, & pijs precibus ab Ordinario loci pro tota Diœcesi*

Diœcesi approbandis, atque super lineam præsertim recitandis vt infra: factaque in manibus ipsius Sacerdotis fidei professione suscipiant, ita tamen, vt cum traditur linea, non appendatur, vt mos esse fertur in pollice dexteræ conferentis, nec inferior lineæ pars manu sinistra eiusdem capiatur, nec dextera ipsa eleuetur, vt prauum omne mysterium, si quod his ceremonijs intenditur prorsus cum illis aboleatur, neque eam suscepturi Fani Ministro, si talis consuetudo adsit erudiendi tradantur, cum pietatis Cultores instrui non debeant ab impietatis Magistris. Orationes, si quæ dici solent, siue Manteu, *siue* Hienopauidæ, *aut alio nomine vocentur in lineæ, aut curumbyni traditione, & multa diligentia perdisci nullo modo addiscantur, aut recitentur, sicuti enim tanquam perniciosissima figmenta Diaboli, præsenti Decreto damnantur, atque anathematizantur, ita sempiterna obliuione obrui, ac deleri debent.*

Sacrificia quoque, si quæ vsurpari consueuerint in lineæ, siue curumbyni susceptione fieri ne vtiquam possint: Et generaliter ritus omnes, & cæremoniæ, & preces, quæ, vt fertur, Gayteres, *&* Sandiæ *vocantur, & alia quæq; ante actum, & in ipso actu, vel post, quandocumque obseruari, recitarine consueta, districtè prohibentur.*

Non tradant, nec sumant, nec ferant lineam tribus filis compositam in honorem, vt fieri quidam aiunt, trium suæ Gentis Deorum; nec nodum, quo fila colliguntur, aut curumbynum, siue nexum in Bramæ, *aut* Parthami Surim, *aut alterius cuiuscumque Idoli venerationem, nec ad alium quemuis Gentilium finem, sed lineam in memoriam tantùm, & obsequium Sanctissimæ, & Indiuiduæ Trinitatis, recitata omninò super illam in eius susceptione eiusdem Sanctissimæ Trinitatis oratione, eamque, & curumbynum simpliciter in signum ciuilis nobilitatis, & officij, ac familiarum distributionem, quod dantes, & recipientes in ipso actu iuxta formam ab Ordinario loci, vt infra præscribendam, expressè protestentur.*

Neq; ad lineam quisquam appendatur, quod Idolatriam, aut superstitionem, & vt ab aliquibus fieri asseritur quoquo modo redoleat, si quid tamen appendi placeret, per quam laudabile esset, vel sanctissimæ Crucis, vel Domini Nostri Iesu Christi, vel Beatiss. Virginis, seu aliqua quæque religiosa imago appendatur.

Lineam, si sponte fregerint, ne in pœnitentiam peregrinentur, nec pro ea recipienda conuiuia, aut alia, si quæ fieri solita sunt solemnia, faciant.

Nullis etiam precibus, vel cæremonijs adhibitis (quidquid ante hac fecisse dicantur) lineam, & curumbynum reassumant, si quouis alio modo amiserint, & reassumere voluerint.

Cum ad Deum supplicationes fundant, lineam, quasi ex obligatione præ manibus, vt fama est eos habere, non habeant.

Funiculo, seu Mungi, *vt vocant, si quo per aliquot dies, vt fertur, ante lineæ assumptionem præcincti incedunt, ampliùs non vtantur, cum nobilitatis stemma non sit, sed superstitiosa ad lineam capessendam præparatio.*

Qui fidem iam susceperunt, & lineas, & curumbyna habent superstitioso sibi ritu collata, noua, obseruatis ijs, quæ hoc Decreto præcipiuntur, assumant, prioribus lineis confractis, & combustis: Omnia enim scandala eiusmodi lineæ, & curumbyni sententia Domini adiudicata sunt igni. Matth. 13. 41. *Idque ipsum efficietur ab ijs, qui fidem amplexuri de cætero sunt, antequam sacra abluantur vnda.*

Curumbyni nodus, si lauandi causa, siue qualibet alia soluatur, id ob commodum, non ad aliquem finem superstitiosum fiat, & cum religatur, orationes, si quæ in eo actu dici assuetæ sunt, omninò omittantur. Sandalis ad ciuile ornamentum corporis tantummodò vtantur, abstinentes prorsus ab ea materia, & forma, ab eaque parte corporis vngenda, vnde cuiuscumque Idoli cultus denotari dicitur.

Lauacra non alia occasione, & fine, quàm corporis reficiendi, & à naturalibus sordibus mundandi permittuntur, reiectis tamen penitùs orationibus, & ritibus circa tempus, modum, & alijs, si quæ adhiberi solent, siue ante ablutionem, vel post, siue in ablutione ipsa.

Alia plura in omnibus supradictis esse possunt, quæ superstitionem, & Gentilitatem præseferant, aut Deum, vel proximum verbo, vel facto, aut aliter offendunt, quæ tamen Sanctitatis Suæ notitiam effugiunt: Ea igitur vniuersa, & singula Sanctissimus damnat, ac districtiori quo possit vnquam excogitari modo prohibet, cum ciuilem tantummodò prædictorum vsum a qualibet, vel leuissima culpa, aut macula, nedum ab impurissima superstitionis labe purgatum, detestatumque permittere intendat. Præcipit idcircò Sanctitas Sua, vt Brachmanes, alijque Gentiles supradicti ad finem politicum dumtaxat seis concessionibus vsuros, & omnia, quæ præsenti Decreto damnantur, & interdicuntur, damnare, reijcere, & penitùs se repudiare coram Ordinario loci, aut proprio Parocho, si copia sit, alioquin coram Christiano Sacerdote, iuxta formam ab eodem Ordinario præscribendam protestentur: Videlicet, qui hactenus receperunt fidem, cum primum eis hæc innotuerint, & qui post hac recepturi sunt, antequam ad Baptismum admittantur, si eius ætatis sint, & vsum habeant rationis, sin minus cum ad eam ætatem peruenerint.

Insuper Sanctitas Sua per viscera Iesu Christi hortatur, & rogat, ac pro ea, qua fungitur auctoritate strictissimè iubet, ne prædictorum insignium, & aliorum, quæ permittuntur occasione nouella Christi germina cum membris Diaboli commisceantur in ijs, quæ superstitionem, aut abrenunciatum Idolorum cultum quolibet modo sapiunt, fierent enim deteriora prioribus, cum meliùs fuisset illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum esse conuersos.

Eos denique, qui mundana, hoc est inani nobi-

litate glorientur, etiam, atq; etiam obtestatur, & obsecrat, vt memores se fassos esse, membra eius corporis, cuius caput ille, qui mitis est, & humilis corde, & qui non respicit personam hominum in communi consortio, praecipue autem in Ecclesijs, vbi humilissima esse debet conuersatio nostra; obscuros, & viles genere non despiciant seorsum ab eis audiendo Diuina, & Sacramenta percipiendo: Qui enim eodem verbo pascuntur, eodemque pane recreantur, atque eiusdem Regni futuri ei sunt consortes, diuersis in locis stare, aut assidere, quasi pro inferioris conditionis horum dedignatione in domo Dei, quae est Ecclesia non deceat; Satiùs namque est cum humilibus respici, quam cum alijs à longè cognosci, atque ad modicum tempus huiusmodi contemptibilibus aggregare, quam in aeternum cum contemptoribus separari de medio Insterum, atque ità decreuit; & mandauit Sanctitas Sua in omnibus, quae praecepta, aut prohibita, vel denegata supra sunt, donec aliud fuerit à se, & ab Apostolica Sede prouisum inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in contrarium quibuscumque.

Videnda sunt alia Decreta Sacrae Congregationis de Propaganda fide pro Chinensibus apud P. Lezan. *in to. 3. fac. Theol. pag. 372.*

31 Vtrùm autem in esu Carnium licita sit huiusmodi simulatio, & inconstantia; dicendum est, quod si vrget Tyranni praeceptum, vt in contemptum legis Ecclesiasticae carnes comedas, & nisi comederes mortem minati, nullo modo licitam esse huiusmodi simulationem, & inconstantiam, vt docet Sanchez *dicto cap. 4. num. 4.* Coninch. *loco citato nu. 53. & 54.* Hurtado *d. disput. 48. num. 100.* Macedo *lib. 3. cap. 14. d. tract. de Clau. Petri.*

Ratio est, quia licet esus carnium sit per se indifferens signum, tamen quia eo casu continet obedientiam expressam Tyranno praecipienti in Religionis contemptum, illicita est simulatio, Card. de Lugo *d. disput. 14. sect. 5. §. 2. num. 103.* Verricell. *d. tract. de Apost. Mission. tract. 1. de fide, qu. 15. num. 3. vers. Primus casus est.*

Si autem nullum vrgeat Tyranni praeceptum cogentis carnes comedere, sed Catholicus transiens per loca Haereticorum, vbi omnes eas comedunt, velit eas comedere, ne se prodat Catholicum, tunc secundum veriorem opinionem licita est huiusmodi comestio, quia praeceptum Ecclesiae non obligat cum tanto detrimento, nec tunc praeceptum Diuinum fidei, vel Religionis interuenit, quia illa comestio, nec secundùm se, nec in iis circumstantiis est signum determinatè significans negationem, vel formalem contemptum praecepti, cum multi etiam Catholici ex gula, siue necessitate comedant, vel possit sic edens morbo occulto laborare, quo à praecepto excusetur. Et propterea hanc opinionem tenent contra Valentiam, Azor. Becan. & alios, quos adducit Hurtado *d. disput. 48. §. 99.* Sanchez *d. cap. 4. num. 25.* Coninch. *d. dubit. 3. num. 50.* Cardin. de Lugo *d. §. 2. num. 104.* Ricciull. *d. tract. lib. 1. cap. 7. per tot.* Plures alios citat Verricell. *loco cit. num. 6. vers. Affirmant verò,* Macedo *loco citato.*

32 Haec tamen comestio non esset licita, quando posset alicui nocere, vel esse scandalo, Coninch. Card. de Lugo, & Ricciull. *locis citatis.*

Secundò, quando solùm periculum esset irrisionis, qui potiùs Catholico cedit in honorem, quàm in ignominiam, Coninch. & Card. de Lugo *locis cit.* P. Verricell. *loc. cit. nu. 11.*

Tertiò, quando Catholicus posset eam necessitatem vitare praetexendo debilitatem stomachi, vel appetitum piscium, vel ouorum, Coninch. *loc. cit.* Card. de Lugo *loc. cit. num. 106.*

Quartò, quando etiam sine superioris coactione sodales Haeretici se se mutuò inuitant, & hortantur ad esum carnium in contemptum Ecclesiae, vel vt probent, an sit ibi aliquis Catholicus, qui non audeat eas comedere, quia circumstantia illa videtur determinare esum carnium ad significandam inconstantiam, & defectionem, vel à fide, vel ab obedientia Ecclesiae, Coninch. *loc. cit. num. 53.* Card. de Lugo *loc. cit. num 106.* Verricell. *loc. cit. n. 2. vers. Tertius casus,* vbi de Oratore Regis Angliae, qui morabatur Constantinopoli, & inuitauerat ad conuiuium tùm Haereticos, tùm Catholicos, & in eo parauerat carnes, & pisces, ad Catholicos autem conuersus, dixit:

Domini comedite ex hoc carnium ferculo, non enim, quod intrat in os coinquinat hominem.

Sed dùm haec transcriberem quidam Iuuenis Franco-furdien. Haereticus, postquàm moratus fuit Romae per multos annos, tandem Haeresim abiurauit, & fidem Catholicam professus est, reuersus in Patriam petijt secum dispensari, vt posset cum Parentibus, & aliis Haereticis carnes

33 diebus vetitis ab Ecclesia comedere, vt se simularet Haereticum: Petitione relata in Congregatione Sancti Officij coram f. m. Alexandro VII. habita: Vnus ex Dominis Cardinalibus dixit, Sedem Apostolicam non consueuisse concedere talem dispensationem.

Dixi Ego, non solùm non consueuisse, sed non posse eam concedere, quia Iuuenis ille non solùm volebat simulare fidem, sed coram Parentibus, quibus inuitis Catholicae Ecclesiae reconciliatus fuerat, protestati, se adhùc esse Haereti-

eum: ideò cum tractetur de actu protestatiuo, non potest super eo Papa dispensare.

Et quamuis Summus Pontifex possit tollere præceptum Ecclesiasticum; non etiam honestum, vel necessarium, nec potest illud tollere ad finem faciendi actum protestatiuum falsæ Religionis; nam hoc casu Papa dispensaret in præcepto Diuino, quod ei non licet.

34 Quando autem sit licitum comedere Idolothyta, videndus est Card. de Lugo *d.disput.14. sect.5. §.3.* & nouissimè P. Vericell. *loc.cit. qu.16.* & P. Macedo *lib.3. de Clauibus cap.14.*

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Quis dicatur Apostata à fide. An sciens se nulliter Baptizatum, nec curet iuxta ritum Ecclesiæ Baptizari, si ad reprobam transeat Religionem, possit dici Apostata. An Cathecumenus in fide instructus recedendo à fide possit dici Apostata. An Infidelis petens se Baptizari, si demùm inconstans pœniteat, possit cogi ad suscipiendum Baptismum. An inconstantia coacta excuset ab Apostasia. Quæ abiuratio indicenda sit non formaliter Apostatis. An Apostata ad fidem redeundo, recipiendus sit ab Ecclesia. Qualiter Apostatæ à fide per Christianos capti expediantur in S. Officio. Quid de Seruis Infidelium.

SVMMARIVM.

1 *Apostata quis dicatur.*
Apostasia definitur.

2 *Apostasia an requirat totalem deficientiam à fide, vel sufficiat deficientia in parte.*
Apostata subijcitur omnibus pœnis, quibus subijcitur Hæreticus, & num.27.

3 *Apostasiæ essentiale quid sit, & quid accidentale.*
Apostata potest à fide inconstans recedere, quamuis ad nullam sectam conuertatur.

4 *Christianus in aliquibus articulis inconstans an dicatur Apostata, vel Hæreticus.*

5 *Secta vna Infidelium relicta ad aliam transiens, non dicitur Apostata.*
Desertor militiæ non dicitur, qui illam nunquam suscepit.

6 *Baptizatus nulliter, & nullitatis conscius, nec curans iuxta Ecclesiæ ritum Baptizari, si ad reprobam Religionem se transferat, an possit dici Apostata, uel Hæreticus.*
Fores Ecclesiæ ingressus non dicitur qui est nulliter Baptizatus.
Egressus dici non potest, qui non fuit vnquam ingressus.

7 *Baptizatus nulliter, sed nullitatem ignorans, & putans se rectè Baptizatum, si inconstans à fide recedat Apostata censendus.*
Baptismum flaminis adeptus dicitur qui fuit nulliter Baptizatus, & nullitatem ignorat, licet non fuerit consecutus baptismum fluminis.
Baptizatus nulliter, sed nullitatem ignorans, si decederet, ex defectu Baptismi, non occluderetur ei cælestis aditus.
Baptismum nulliter suscipiens, stante ignorantia nullitatis non differt ab eo, qui Baptismum suscipit secundum ritum Ecclesiæ.

8 *Baptizatus sciens nullitatem Baptismi, & non curans iterum Baptizari, sed Christianum se dicens, & pro tali existimatus, si sit inconstans in fide, an censeatur Apostata.*

9 *Christianus volens haberi, legibus Christianorum subijcitur quamuis talis non sit.*
Hæreticus reputatur Catholicus, si pro Catholico se gerat.

10 *Cathecumenus in fide instructus, & antè Baptismum ab ea recedens, an, & quomodo dici possit Apostata, & ad quas pœnas teneatur.*
Cathecumenus quis dicatur.
Nouitius non potest dici Apostata, si intra annum probationis à Religione recedat.

11 *Infidelis petens sua spontè Baptizari, si postea inconstans pœniteat, an ad suscipiendum Baptismum cogi possit ab Ecclesia.*
Quid si deuenisset ad actum Baptismi quamuis nulliter, & num.17.
Res integra non dicitur, quando quis deuenit ad actum.
Illusio ergam Deum, vel Pontificem non permittenda.
Christiani pati non debent, quod Infideles aliquid faciant, quod fidei confusionem derisum, vel contumeliam inducat.
Votum intrandi Religionem est constanter seruandum.

12 *Petitio sola Baptismi, non dat iurisdictionem in petentem.*

13 *Ecclesia iurisdictionem non habet in eum, qui*

charactere baptismali non est insignitus.

Coactio ad suscipiendum Baptismum est actus iurisdictionis.

14 *Actus nullus nullum producit effectum, nec facit desinere rem esse integram.*

Fides promissa an sit seruanda fauore fidei.

15 *Infans consignandus est patri ad fidem conuerso, non autem matri, quamuis aliàs apud matrem ali deberet.*

16 *Infidelis recusans baptizari, postquam id promisit, puniri potest pœna extraordinaria, tanquam delinquens, & ratione delicti subiectus foro Ecclesiæ.*

18 *Sacerdos inualidè ordinatus, qui pro Sacerdote se exercuit an cogi possit vt ritè ordinetur, & num. seq.*

19 *Dubius validitatis sui Baptismi, vel suæ ordinationis debet rebaptizari, & reordinari sub conditione.*

Matrimonium nulliter contrahens ex defectu intentionis, an possit per Ecclesiam cogi ad illud ratificandum.

20 *Sponsalia contrahens an, & quando cogi possit ad matrimonium, etiam sub censuris.*

21 *Matrimonium recusans post sponsalia, & ob id excommunicatus si excommunicationem per annum substinuerit, debet absolui, quamuis absolutionem non petat.*

22 *Cathecumenus non cogitur ad suscipiendum Baptismum ex Decreto Sac. Congregationis in casu, de quo hìc.*

23 *Coactus ad Apostatandum coactione vera, & præcisa Apostasiam non committit, nec peccatum.*

Coactus non dicitur agere, sed pati, & pœnas non incurrit.

24 *Negans fidem coactus, coactione conditionali puta ob timorem mortis, vel tormentorum, illamque retinens corde, non potest dici Apostata.*

Sed tamen peccat mortaliter.

Vita profundi potius debet, quam fides negari.

Voluntas coacta adhuc voluntas est.

25 *Negans fidem coactus coactione conditionali, quam hæresis suspicionem incurrat an leuem vel vehementem.*

Perseuerantia in negatione fidei, vel Idolorum adoratione post cessatam coactionem, inducit vehementem hæresis suspicionem.

Actus diuturne continuatus processisse dicitur ex corde.

26 *Persona negans fidem coactè, quæ de leui, quæ de vehementi dicatur suspecta.*

27 *Metus qualis requiratur, vt coactè negans fidem, vel adorans Idola, non incurrat vehementem hæresis suspicionem, & an reuerentialis sufficiat.*

28 *Apostata sanctè inconstans, & ad fidem Catholicam rediens, an sit restituendus.*

29 *Apostata sui peccati pœnitens ab Ecclesia debet admitti.*

Hæretici ad fidem reuersi recipiendi sunt.

30 *Apostasia non constituit crimen diuersum ab hæresi.*

31 *Fides est materia spiritualis, & Ecclesiastica, immunis ab omni imperio, & potestate seculari.*

32 *Ius canonicum seruandum in materia fidei; non autem ius ciuile.*

Lex Imperialis in Hæreticos, & Apostatas, quare prodierit.

Error Gabrielis Pereiræ.

Iudex secularis an punire possit Apostatas, præsertim in Lusitania.

33 *Facultas iudicandi in causis hæresis fuit Iudicibus secularibus adempta per ius canonicum.*

Lex ciuilis in causis hæresis euanuit post dispositionem iuris Canonici.

Lex ciuilis circa pœnas hæreticorum quomodo sit valida.

34 *Iudex secularis an in causa hæresis possit cognoscere quæstiones facti.*

Quæstio facti in causa Hæresis, vel Apostasiæ est inseparabilis à quæstione iuris.

Verba hæreticalia protulisse non sufficit, vt quis censeatur hæreticus, nisi illa scienter, & cum pertinacia protulerit.

35 *Ordinatio Lusitana contra Hæreticos an fuerit per Sedem Apostolicam approbata.*

Status Ecclesiasticus Lusitaniæ non potuit acceptare instantias Regis circa causas Hæreticorum sine consensu Sedis Apostolicæ.

36 Caldas Pereyra *laudatur simul, & obseruatur.*

37 *Ordinatio Lusitana contra Hæreticos, & Apostatas abolita, & non seruatur.*

Iudex secularis an possit aliquo casu cognoscere quæstionem facti in causa hæresis.

38 *Apostata quomodo expediri soleant in S. Officio, siue sponte comparentes, siue præuenti.*

Quid si sint pueri.

Quid de captis à Christianis, & signanter à triremibus Melitæ coram Inquisitore se præsentantibus, & corde fidem Catholicam retinuisse asserentibus.

Apostata captus asserens se fuisse captum ab Infidelibus in statu infantili, nec fuisse sufficienter instructum in fide Christiana, & probans se Baptizatum, & in eo statu captum, an sit reputandus Apostata quomodo sit expediendus, & an remaneat captiuus, vel libertate donetur.

39 *Fides infusa per Baptismum non sufficit ad Apostasiam, sed requiritur vox exterius docentis.*

40 *Baptismus probari quomodo possit, & debeat.*

41 *Baptismus in præiudicium tertij non probatur, nec per assertionem Baptizati, nec per vnicum testem.*

42 *Apostata, qui maiori in ætate incidit in Apostasiam, quomodo expediendus, & an remaneat in captiuitate.*

Fides prodesse non debet illi, qui illam contempsit.

Apostata captus in pugna, quomodo dimittendus.

Apostata Mancipium non potest à Domino Infidelibus vendi, nec ab illis redimi, etiam dato plurium Mancipiorum Christianorum excambio.

Licentia, quod Apostatæ à fide Christiana capti per Triremes Christianorum nondum reconciliati, possint redimi ab Infidelibus minantibus, se alias non permissuros redimi mancipia Christianorum penès ipsos reductos in seruitutem, an sit concedenda.

43 *Serui Infideles, Iudæorum, vel Hæreticorum, an possint fugere ad Ecclesiam, vt Christiani fiant, & libertate donentur.*

44 *Serui Christianorum damnati per Sanctam Inquisitionem tanquam Hæretici, fiunt ipso iure liberi.*

45 *Hæretico post denunciationem intra tempus gratiæ comparenti, & se conuertenti condonantur omnia bona, sed eius mancipia Christiana adhuc libertate donantur.*

46 *An idem sit de Seruis, qui olim erant Christiani, ac de recenter baptizatis.*

47 *Quid de Seruo, qui tantummodò declarauit suam voluntatem, quod volit baptizari.*

48 *Seruus Infidelis bono zelo denuncians Dominum à fide Apostatantem, libertate donatur.*

49 *Serui Christiani comparati per Iudæos libertate donātur, quāuis in bello iusto capti sint.*

50 *An id procedat siue Iudæi sint subditi Principibus Christianis, siue non.*

Iudæi regulariter non possunt tenere Seruos Christianos.

51 *Christiani Serui inconstantes, & fidei desertores si à Iudæis comparantur, non donantur libertati.*

52 *Iudæi ementes mercimonij causa Seruum non Christianum, tenentur intra tres menses venalem illum exponere, & quid si non inueniant emptorem.*

53 *Quid si illum non exposuerint intra tres menses, vel emant ad sibi seruiendum.*

54 *Iudæus non exponens Seruum venalem intra tres menses, præsumitur illum emisse seruandi causa, & contra hanc præsumptionem non admittitur probatio.*

55 *Valor solidi.*

Scutum aureum an ex generali populorum consuetudine subrogatum sit loco solidi, & de illius valore.

1 QVI verò in totum inconstans est in
4 fide, is Apostata appellatur, Canus *lib. 12. de loc. Theol. cap. 9. col. 5. vers. Sed primum Argumentum*; Vgolin. *de censur. Pontif. reseruat. 2. par. cap. 1. §. 1. num. 7.* Sanchez *ad praecepta lib. 2. cap. 7. nu. 15. in fine*, Suarez *de fide disp. 16. tract. 5. num. 3.* Hurtado *de fide disput. 89. §. 5.* Card. de Lugo *eod. tract. disp. 18. sect. 4. num. 96. vers. Prima sententia* ex nostris plures congerit Farinac. *de hæresi quæst. 183. §. 2. num. 13.* vbi ex Toleto definit, Apostasiam esse errorem hominis baptizati, fidei Catholicæ ex toto contrarium: Addo Sousam *in Aphorism. lib. 1. cap. 8. nu. 11.* qui Apostasiam dicit esse temerarium à statu fidei recessum taliter quod à fide Orthodoxa in totum recedatur, Alberghinus *in man. cap. 3. num. 1.* Caren. *in prax. par. 2. tit. 3. §. 1.* Lupus *in com. in Edictum S. Officij par. 2. lib. 11. art. 1. differ. 1. & 2.* P. del Bene *de Offic. Sanctæ Inquisitionis par. 1. dubit. 47. sect. 2. petit. 1. num. 1.* Pueron. *in Bulla Cœnæ cap. 1. num. 32.* Cortiada *decis. 67. num. 19.*

Et quamuis Doctores nonnulli, quos referunt Suarez, & Card. de Lugo, velint
2 Apostatam etiam vocari, qui fidem solùm ex parte deserit, hanc tamen esse quæstionem nominis dicit cum Suarez idem Card. de Lugo *loco citato* quia omnes Hæreticorum pœnæ, & quidquid in iure statutum est contra Hæreticos, habent locum in Apostatis *cap. Contra Christianos de Hæreticis in 6. l. 2. C. de Apostatis*, Sanchez *d. cap. 7. num. 18.* P. del Bene *loco citato petit. 2. num. 1.* Pueron. *loco cit. sub nu. 33. vers. id tamen.*

Solùm ergo per Antonomasiam dicitur Apostata ille, qui in totum recedit à fide, vt de Iuliano Imperatore habetur apud Sanctos Patres, non tamen sequitur, quod etiam qui recedit in parte à fide, non possit minus propriè appellari Apostata, Card. de Lugo *loco citato.*

In hac autem Inconstantia, seù Apostasia duo possunt considerari; Et primùm Inconstantia, siuè recessus totalis temerarius à fide semel suscepta, quod est essentiale in Apostasia.

Secundum conuersio ad aliquam Se-
3 ctam, & hoc est accidentale: Potest enim Apostata recedere à fide, etiamsi ad nullam Sectam conuertatur, Sanchez *d. cap. 7. num. 16.* Sanctarell. *de hæresi cap. 2. dub. vnic.* Caren. *d. par. 2. tit. 3. §. 9. num. 3.*

4 Hinc infertur, quod si Christianus Catholicus non sit Inconstans, nisi in aliquibus articulis fidei, is non Apostata, sed Hæreticus censetur *cap. Non potest. 2. qu. 7. cap. Beatus 2. quæst. 4. cap. Non obseruatis 16. quæst. vltima cap. Contra Christianos de Haeret. in 6. l. 1. C. de Apostat.* Cano *de locis lib. 12. cap. 9.* Villad. *de Haeret. quæst. 20.* Albertin. *in rub. de Haeret. lib. 6. quæst. 11. num. 4.* Simanc. *de Cathol. Institut. cap. 7. & in Enchiridion. violatæ Relig. cap. 4.* Caren. *de Hæret. §. circa secundum num. 73.* Grill. *eod. tit. qu. 2. num. 8.* Sanctarell. *loco citato num. 1.* Roias *de Hæret. par. 1. num. 486.* Ricciull. *de iure person. lib. 6. cap. 2. num. 5.* Farinac. *de Hæresi qu. 183. num. 16.* quidquid dixerit Salelles *in tract. de mater. Trib.*

fidei cap. 13. reg. 108. num. 79. P. Thomas
del Bene *d. tract. dub.* 47. *par.* 1. *num.* 3.
Pieron. *loco citato num.* 33.

Secundò infertur. Eum, qui ab im-
5 proba Secta Inconstans in aliam reproba-
tam se transfert, veluti de Iudaismo ad
Paganismum, Apostatam dici non posse,
cum enim Christianam fidem nunquam
susceperit, nec Militiæ Christi nomen
dederit, desertor reputari nequit *argumen-
to l.*4. §. *Idemque ff. de re milit.* Et hanc opi-
nionem tenent Oldrad. *consi.* 1. Alciat.
consi. 478. Clar. §. *fin. qu.*7. *nu.* 4. Albertin.
*in rub. C. de Iudæis num.*3. Campeg. *de Dote
qu.* 77. *vers. & ex his* Sanctarell. *loco citato*
Ricciull. *loco citato nu.* 6. *&* 7. P. del Bene
d. tract. par. 1. *dub.* 47. *petit.* 1. *num.* 4.
Sperell. *decis.* 2. *num.* 51.

Tertiò infertur, nulliter baptizatum,
6 si sciat nullitatem Baptismi, nec curet
iuxta Ecclesiæ ritum baptizari, si ad repro-
bam Religionem se transferat, non posse
dici Apostatam: Quia cum per Baptismi
nullitatem nunquam fuerit Ecclesię fores
ingressus *cap.*1. *&* 3.*de Presbyt. non baptizat.*
non potest dici propterea, quod sit egres-
sus *argumento l. manumissiones ff. de Iustit. &
Iure l. decem ff. de verb. oblig.* Alphonsus de
Castro *de iusta Hæretic. punit. lib.* 1. *cap.* 8.
in 3. *dub.* Ricciull. *loco citato lib.* 6. *cap.* 3.
num. 1. Quicquid dixerit P. del Bene *de
offic. Sacr. Inquis. par* 1. *dub.*2. *petit.*1. *corr.*1.
volens talem dici Hæreticum.

Primò fallit hæc illatio, si Baptizatus
ignorans Baptismi nullitatem putaret se
7 rectè baptizatum, nam si Inconstans rece-
dat à fide, Apostata censendus est. Al-
phonsus de Castro *loco cit. ad fin.* Ricciull.
loco citato num. 3. vbi assignat rationem,
quia licèt is non sit consecutus Baptismū
fluminis, est tamen adeptus Baptismum
flaminis, & si contingeret ipsum decedere
ex defectu Baptismi, Cęlestis aditus illi non
fuisset occlusus *cap.*2.*de Presbyt.non baptizat
cap. debitum de Baptism. cap. fin. vers. Nullus
expectet de pœnit. dist.* 7., quo fit vt talis,
quantum ad hoc nihil differat ab eo, qui
iuxta Ecclesiæ ritum Baptismum suscepit.
8 Fallit secundò, quando quis scit, se non
esse formaliter baptizatum, licèt non cu-
ret iterùm baptizari, tamen Christianum
se dicit, & ab omnibus pro tali existimari
contendit, vt reprobato Alphonso de Ca-
stro substinet, & quidem optimè Ricciull.
loco citato cap. 3. *num.* 4. *&* 5.
9 Et ratio est, quia cum pro Christiano
voluerit haberi, legibus Christianorum
subiici debet *argumento l. Iudæi C.de Iudæis.*
Sicuti dicimus de Hæretico, qui talis re-
putatur, quamuis non sit Catholicus, si
pro Catholico se gerat. Simanc. *de Cathol.
Instit. tit.* 3. *num.* 5. Igneus *l.* 1. §. *Hoc au-
tem ff. ad Sillanianum*, cum alijs per Ric-

ciull. *loco citato numero* 6.

Quartò infertur. Cathecumenum in
fide instructum recedentem à fide ante
Baptismum, non esse propriè Apostatam,
10 nam cum Cathecumenus sit intra tem-
pus ad eius fidei probationem præfitum
l. nulli vbi Bartol. *num.* 2. *C. de Sacramen-
tum Baptismi*, consequens est, vt quamuis
constanti animo statuisset Baptismū susci-
pere, si tamen intra illud tempus mutata
voluntate fuerit ad priorem voluntatem
reuersus, non est dicendus Apostata, tùm
quia nunquā fuit ingressus Ecclesiam, tùm
etiam quia id iure permittente facit ad
exemplum Nouitij, qui si intra probatio-
nis tempus à Religione recessit, non po-
test dici Apostata *cap.penult. de Reg.* Anan.
cap. Consuluisti eodem tit. & hanc opinio-
nem tenet Ricciull. *d. tract. de iure person.
lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 28. & itā quoad pœnas
Hæreticorum, siuè Apostatarum, quod
illis non possit Inconstans Cathecumenus
puniri tenent Simanc. *de Cathol. Instit.tit.*3.
*de Hæret. num.*6. Farinacc. *de hæresi qu.* 178.
num, 131. Sanctarell. *eod. tract. cap.*1. *dub.*2.
num. 5. vbi latè Card. de Lugo *de veritate
fidei Diuinæ disp.*18. *sect.*4. *num.*4. Hurtado
disput. 89. §. 3. Lorea *disp.* 50. *num.* 11.
Qui dicunt in foro Conscientiæ posse
appellari hos Cathecumenos Apostatas,
secùs in foro externo, P. del Bene *d.tract.
par.* 1. *dub.* 2. *petit.* 1. *num.* 5.

An autem Infidelis petens sua sponte
11 baptizari, si demùm Inconstans pœniteat,
nolitque ampliùs Baptismum suscipere,
cogi possit ad Baptismum recipiendum,
Ricciull. *dict. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 26. tenet
affirmatiuam opinionem, nempe, quod
possit ab Ecclesia cogi ad suscipiendum
Baptismum allegat Marquard. *de Iudæis
par.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. qui tamen hoc non
dicit, sed disputat quæstionem de Iudæo,
qui non solùm petijt Baptismum, sed
etiam peruenit ad actum Baptismi, quia
se ipsum baptizauerat, quamuis nulliter,
vt in cap.debitum, extrau.de Baptis. fundatur
auctoritate Hostiensis *in d. cap.* qui tenet
hoc casu, Infidelem esse cogendum ad
suscipiendum Baptismum.

Primò, quia res non est integra, ex quo
processit ad actum.

Secundò, quia non debet illudi Deo,
sicuti non permittitur illusio ergà Deum,
nec erga Pontificem *cap. Bonæ il* 2.*de postu-
lat. Prælat.*

Tertiò, quia in fauorem fidei talis est
cogendus, vt Baptismum recipiat, & fi-
dem seruet *argumento cap.* 2. *de conuersione
Infidelium.*

Quartò, quia non debemus pati, quod
Infideles aliquid faciant, quod fidei nostrę
confusionem inducat, vel quod verti
possit in derisum, & contumeliam Crea-

toris *cap. Etsi Iudaeos* §. 1. *in fin. de Iudais*.

Quintò, quia sicuti qui votum emisit, vel habuit propositum intrandi Religionem Inconstans esse non potest, sed cogitur seruare votum *cap. Consulti* §. 1. *de Regul.* Ità & qui peruenit ad actũ Baptismi.

Hæc Hostiensis, quem sequitur Marquard. *loco citato*.

Non est ergo simpliciter verum, quod
12 dicit Ricciullus, scilicet, quod per simplicem spontaneam petitionem Baptismi Infidelis cogatur ad Baptismum recipiendum, sola enim petitio Baptismi non dat Iurisdictionem in petentem, Sanctarell. *de hæresi cap. 1. dub. 2. num. 5.*

Sed nec rationes adductæ ab Hostiensi in casu suo videntur tollere difficultatem; Certum est enim, Ecclesiam non habere iurisdictionem in eum, qui charactere bap-
13 tismali non fuerit insignitus, Sanctarell. *loco citato num. 5.* Ergo non potest ipsum cogere ad Baptismum suscipiendum, quia esset in eum iurisdictionem exercere, Sanctarell. *loco citato*, Card. de Lugo *de veritate fidei Diuinæ disp. 20. sect. 4. §. 1. num. 140.*

Non obstat, quod res non sit integra, quia ille processit ad actum; Nam cum actus fuerit nullus, ex quo non est seruata forma substantialis Baptismi, nec impressus character; Ideò adhuc ille dicitur
14 absque Baptismo. Actus enim nullus nullum producit effectum *cap. non præstat de Reg. Iur. in 6.* Barbos. *axiom. 12. nu. 25.* Nec rem integram desinere facit Costa Papien. *de integra dist. 66. num. 6.*

Non obstat, quod quando tractatur de fauore fidei, quis possit cogi ad seruandã fidem promissam, quia *Text. in cap. 2. de conuers. Infidel.* hoc non probat; sed tantùm quod filius quamuis infans debet consignari Patri conuerso ad fidem, non
15 autem Matri, licèt aliàs infans apud Matrem ali deberet, & hoc in fauorem fidei; Sed non per hoc deducitur, quod ille infans, si demùm deueniat adultus, possit cogi ad suscipiendum Baptismum, ex quo natus est in Infidelitate, quidquid esset, post Baptismum Patris.

Textus autem *in cap. Quidam cedendi de renun.*, benè procedit in suo casu, quia, qui petit licentiam renunciandi, est subiectus Iurisdictioni Ecclesiæ, & Papæ, & ideò ne illudatur Papæ cogitur ad cedendum, si licentiam obtinuit; de qua opinione videbimus infra.

Cætera argumenta tolluntur vnica responsione, nempe quod benè poterit Infi-
16 delis iste puniri aliqua pœna extraordinaria, tanquam delinquens, quia ratione delicti effectus fuit de foro Ecclesiæ quoad pœnam, sed non quoad suscipiendum Baptismum.

Non obstat, quod qui vouit Religionem, possit cogi ad implendum votum, quia procedit ex quo vouens est de iurisdictione Ecclesiæ.

17 Hinc propterea cauendum est ab Henriquez *lib. 2. de Baptismo cap. 25. num. 6.* & à Sayro *de Censur. lib. 3. cap. 4. num. 15.* qui dicunt esse probabile, istos posse cogi ab Ecclesia ad suscipiendum verum Baptismum, cum ex parte sua illud iam susceperint; Quam sententiam verissimam putat Sanchez *lib. 2. oper. moral. cap. 7. in fine*: Nam eorum opinio confunditur ex supradictis, & eorum opinionem reprobat P. del Bene *loco citato corrol. 1. num. 18. vers. Respondetur*.

Sed post hæc scripta vidi Fagundez *in præcep. Decal. lib. 1. cap. 10. num. 3.* qui in hac materia procedit cum distinctione; Vel enim, inquit, Baptismus ita fuit nullus, vt præsumptio nihilominùs sit pro validitate ipsius, verbi gratia, quando defectus fuit ex intentione Baptizantis, vel suscipientis; Vel talis fuit defectus, vt constet omninò de illius nullitate, nimirùm quando constat non fuisse adhibita necessaria verba, vel aquam naturalem, aut quid simile.

Priori casu posset Ecclesia cogere nulliter baptizatum ad suscipiendum verum Baptismum, vel saltem vt haberet se pro baptizato.

Secundo verò casu, nullo modo poterit cogi, quia ex nullo capite id facere potest, cum Ecclesia non habeat in talem aliquam iurisdictionem, & quamuis ex parte sua receperit Baptismum deueniendo ad actum, id quidem procedit in foro interno, vt censeatur coram Deo Apostata, vel Hæreticus, sed in foro exteriori ob hoc non poterit cogi ad suscipiendum Baptismum; Et hanc opinionem sequitur Alberghin. *in Manual. cap. 9. nu. 10.*

Nouissimè vidi Baldell. *in Theolog. moral. to. 2. lib. 1. disp. 36. num. 8.* qui tenet cum Henriquez, & Sayro. Sed nec rationes ab eo allegatæ sunt alicuius momenti.

18 Non prima, quod scilicet ille, qui ex aliquo accidenti fuit inualidè ordinatus Sacerdos, & se pro Sacerdote exercuit, potest cogi, vt ritè ordinetur ex Glos. *in cap. 1. de Voto in 6.* & per Abb. *in cap. 1. de Presbyt. non baptizat.*

Quia Gloss. *in dicto cap. 1.* nullum verbum de hoc facit, saltem in meo Codice.

Abbas verò *in d. cap. 1. de Presbyt. non baptizat.* tenet, eum, qui dubitat de Baptismo,
19 & de ordine suscepto, debere baptizari, & reordinari sub conditione, iuxta Textum *in cap. 2. de Baptismo, & eius effectu*. Demùm format quæstionem. *Quid autem, si iste talis nollet ordinari?* Et refert opinionem Io. Andreæ, qui te-

net; quod iste potest remanere Laicus si
velit, sed Antonius de Butrio, cuius opi-
nionem sequitur Abbas, tenet contra-
rium, scilicet, quod iste talis potest cogi
ad suscipiendum ordinem propter inten-
tionem, quam habuit ad ordinem; sed
Doctores supradicti supponunt istum fuis-
se baptizatum, & sic sub iurisdictione Ec-
clesiæ, quæ quæstio valdè differt à nostra,
cum in hac tractetur de Baptismo, in illa
verò de ordine: Cum ergo nulliter bap-
tizatus non sit sub iurisdictione Ecclesiæ,
nec intentio ad suscipiendum baptismum
tribuat ius Ecclesiæ, vt cogat illum, nulla-
tenus in casu nostro poterit cogi ad bap-
tismum suscipiendum benè Cardinalis de
Lugo *d. tract. disp. 20. sect. 4. §. 1. num. 141.*

Doctrina verò Couarruiæ alleg. à Bal-
dello; nempe quod Ecclesia possit cogere
nulliter contrahentem Matrimonium ex
defectu intentionis, vt illud ratificet, si
vera est, non enim eam inueni in meo
Codice; procedit, quia sic contrahens te-
netur ex promissione facta in foro exter-
no ad seruanda promissa, sicut quilibet
contrahens potest cogi ad implendum
contractum promissionis, cò quia subdi-
tus est Ecclesiæ.

Præterea nec omninò, qui promittit se
contracturum Matrimonium deueniendo
20 etiam ad sponsalia cogitur præcisè ad
illud contrahendum; Nam licèt Doctores
dicant, quod potest cogi etiam sub censu-
ris Ecclesiasticis *cap. 1. & 2. de Adult. cap.
ex litteris cap. Sicut, & cap. Requisiuit de
sponsal.* Rota *decis. 73. post secundum volu-
men Consil.* Farinac. *& decis. 163. par. 9.
recent.*

Hæc tamen conclusio non habet lo-
cum, quando alter ex sponsis habet iu-
stam causam non adimplendi promissa,
quia tunc Ecclesia abstinet à coactione.
Penia *decis. 517. to. 1. vbi adden.* alias plu-
res decisiones allegant Rubeus *ad dec. 431.
par. 4. recent. to. 2. nu. 79.* Buratt. *decis. 311.*
Dunozet. Iun. *decis. 296. num. 11.*

Et hoc propter exitus infelices, qui so-
lent oriri ex matrimonijs coactis, etiam
quod alter pariter ex sponsis fuerit ex-
21 communicatus, si tamen excommunica-
tionem per annum substinuerit, liberum
eum facit Ecclesia ab adimplemento pro-
missionis Matrimonij, & absolui debet,
etiamsi non petat absolutionem; Sanchez
de matrim. lib. 1. disp. 29. num. 8. cum alijs
per Barbos. *in cap. ex litteris il secondo de
sponsal. & matrim. num. 5.* adden. ad Buratt.
d. decis. 311. num. 5. vbi plures Rotæ de-
cisiones allegant.

Multò magis dicendum est in casu, qui
accidit Mutinæ: Nam cum Iudæus qui-
dam iam apud Cathecumenos instructus
22 duceretur ad Ecclesiam, vt ibi Baptismum
susciperet, & omnia essent maxima solem-
nitate parata, in ipsamet Ecclesia Incon-
stans nullo modo induci potuit, vt Baptis-
mum reciperet: Casu ad Sacram Congre-
gationem delato, noluit ipsa, vt cogere-
tur ad illud suscipiendum.

Cæterum an Inconstantia coacta excu-
set ab Apostasia.

Dic. Quod si coactio est vera, præcisa,
& absoluta, nempe quia renitens, & liga-
tus circumciditur, vel eius genua tali vi
flectuntur ab alio ante Idola, vel manus
alicuius fuerunt apprehensæ, vt thurifica-
23 retur, hoc in casu huiusmodi Inconstan-
tia non facit quemquam Apostatam, nec
peccantem *cap. Maiores §. ille verò extr. de
Baptism. cap. Presbyt. 50. dist. cap. Constat 1.
qu. 1.* Glos. *cap. de Iudæis vers. coacti 45.
distinct.* Albertin. *de Haret. qu. 3.* Simanc.
de Cathol. Instit. tit. 17. num. 29. Penia ad
Eymeric. *par. 1. comment. 24.* Ricciull.
de Iure personarum lib. 6. cap. 5. num. 2.
Farinac. *de heresi qu. 183. num. 31.*

Ratio est, quia is in tali coactione di-
citur pati, non agere, vt dicit Text. *in cap.
Sacris de his, quæ vi, metusue causa fiunt,*
& propterea pœnam non debet pati *l. fœ-
dissimam* vbi Bald. & Salycet. *C. ad l. Iul. de
Adult.* Gloss. *in cap. Ita ne putauerit 32. qu. 5.*
Ricciull. *loco citato num. 3.*

Si autem coactio, seu vis non fuerit
præcisa, & absoluta, sed conditionalis, vt
si quis timore mortis, vel tormentorum
adigatur ad fidem abnegandam, aut ad
sacrificandum Idolis, si corde etiam non
24 abneget, Apostata dici nequit *cap. Pri-
mum 22. qu. 2.* Gloss. *in cap. Non solum
vers. negare 11. qu. 3. & in cap. Ita ne vers.
Putauerit 32. qu. 5.* Calderin. *cons. 4. de
Hæret.* Afflict. *in Const. Regni rub. de Haret.
cap. 1.* Albertin. *de Hæret. qu. 30. num. 6.*
Simanc. *de Cathol. Instit. tit. 17. num. 29.
& 35.* cum alijs per Ricciull. *loco cit. nu. 4.*
qui subiungit, sic taliter Inconstantem
peccare mortaliter, tùm quia magis vi-
tam profundere, quàm ad hoc debuit
adduci *cap. Sacris, de his, quæ vi, metusue &c.*
tùm quia licèt coactè neget, negare
tamen dicitur, cum voluntas coacta, idest,
quæ per vim, & metum agit, sit voluntas
*cap. Maiores §. fin. de Baptis. & d. cap. Sacris
l. si Mulier. §. si metu ff. quod metus causa l. si
Patre cogente ff. de ritu nuptiarum,* Barbosa
axiom. 230. num. 8.

Sed quamuis isti Apostatæ formales di-
ci non possint, non liberantur tamen à
suspicione Hæresis, vt dictum est supra;
Quæ suspicio erit, vel leuis, vel vehemens
25 iuxta qualitatem personarum, Gerson.
in tract. de Protest. consid. 29. Penia ad Ey-
meric. *par. 1. quæst. 9. comment. 24.* Azor.
Instit. moral. par. 1. lib. 8. cap. 9. ad finem
Ricciull. *loco citato num. 7.* Farinaccius
dicta

dicta qu. 183. *num.* 29. P. del Bene *d. tract. dub.* 47. *petit* 4. *num.* 3.

Tunc autem iudicabitur quis de vehementi suspectus, si vi, vel metu cessante nihilominùs in negatione fidei, vel Idolorum adoratione perseuerauerit, quia diuturna continuatio, & constantia actum ex corde processisse demonstrat *cap. fin. de frigid. & malef. l.* 2. *C. de his, quę vi &c.* & ità docet Ricciull. *lib.* 6. *d. cap.* 5. *nu.* 8.

Idem dicendum, si Personæ Inconstantes sint graues, veluti Prælatus, Monachus, vel Theologus. Penia ad Eymeric.
26 *d. comment.* 24. Farinac. *d. qu.* 183. *nu.* 30. Ricciull. *loco citato*, P. del Bene *loco citato num.* 6. & 7.

Si verò sint fœminæ, puellæ, pueri, vel rustici, & idiotæ erunt tantùm suspecti de leui, Penia, & Ricciull. *locis citatis*.

De vehementi etiam erunt tales suspecti, si vis, & metus non fuerit mortis, vel tormentorum, sed exilij, fustigationis,
27 infamiæ, carceris, vel alterius generis non cadentis in virum constantem, Penia, Farinac. & Ricciull. *locis citatis*.

Hinc propterea metus reuerentialis non excusat à suspicione de vehementi, Repertor. *Inquisit. verb. filij vers.* 2. Farinac. *d. qu.* 183. *num.* 27. Ricciull. *dicto cap.* 5. *num.* 8.

Quibus autem pœnis subijciantur Apostatæ, dicendum est subijci omnibus illis pœnis, quibus subijciuntur Hæretici, Canonistæ omnes *in cap.* 1. *de Apostatis*, latè Farinac. *d. qu.* 183. *num.* 15.

De quibus cum infra dicendum sit non est cur hic immoremur.

Sed an Apostata sanctè Inconstans ad fidem Catholicam redeundo, recipiendus sit ab Ecclesia.

28 Negatiuam opinionem tenet Arelatanus *in tract. de Heret. notab.* 44: Afflictus *in Constit. Sicilia tit.* 3. Mour. *ex l. hi, qui Sanctam C. de Apostatis*, vbi statutum est ab Imperatoribus Theodosio, Valent. & Arcadio: *Nec vnquam in statum pristinum Apostatæ reuertant, nec flagitium borū obliterabitur pęnitentia.* Et infra, *lapsis enim, & errantibus subuenitur, perditis verò (hoc est Sanctum Baptisma profanantibus) nullo remedio pœnitentia, (quæ solet alys criminibus adesse) succurritur.*

Ex quibus verbis constat Apostatam, quamuis sanctè Inconstantem, & pœnitentem minimè recipiendum fore, nec à pœna pro eo crimine irroganda vllatenus excusandum, quod idem videtur ibi agnouisse, Glos. *fin.* quatenus in hac re distinguendum putat inter forum Iudiciale, & pœnitentiale.

Sed quicquid sit de Iure Ciuili, certum est de Iure Canonico Apostatas sanctè Inconstantes esse ab Ecclesia recipiendos.
29 Nam Concilium Elibertinum *cap.* 46.

de Apostatis, & Concilium Arelatense primum *cap.* 83. statuere Apostatas, si eos sui pœniteat, ab Ecclesia esse admittendos, & hanc opinionem tenet Villadiego *de Heret. qu.* 20. *num.* 2. Penia ad Eymeric. *par.* 2. *comment.* 74. Simanc. *de Cathol. Inst. tit.* 7. *de Apostat. num.* 3. & 4. Menochius *de Arbitrar. cas.* 546. Ricciull. *de Iure person. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 11. Sanctarell. *de heresi cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 4. Farinac. *qu.* 193. *n.* 14. Christineus *decis.* 39. *num.* 4. *lib.* 2. Carena qui hos allegat *in prax. par.* 2. *de Apostat. tit.* 3. §. 6. *num.* 22. Addo Azor. *Instit. moral. to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *qu.* 9. Caldas Pereyra *ad l. vnicam C. ex delict. defunct. num.* 15. Bordon. *in Tribunal. cap.* 8. *qu.* 12. P. del Bene *d. tract. de offic. Inquisit. par.* 1. *dub.* 47. *petit.* 6.

Ratio est, quia sicuti Hæretici ad fidem reuersi recipiendi sunt *l. Manichæos* §. *Præterea ad fin. de Heret. cap. ad abolendam vers. nisi continuò de Haret.* latè Farinac. *de heresi qu.* 193. §. 1. *num.* 2. & nos infra latiùs dicemus.

Ità & Apostatæ, quia Apostasia à fide diuersum crimen non constituit, Diuus
30 Thomas 2. 2. *qu.* 20. *art.* 1. Alphonsus de Castro *de iusta Hęret. punit. lib.* 1. *cap.* 17. Penia *in Direct. par.* 2. *comment.* 24. §. *qui verò*, cum alijs per Ricciull. *d. lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. Suarez *de fide disp.* 16. *sect.* 5. *in fine*, Sanctarell. *d. cap.* 2. *num.* 2. Carena *loco cit.* §. 1. *nu.* 8. *Bordon. loco citato num.* 6. Caldas Pereyra *loco cit. num.* 15. cum alijs per P. del Bene *d. tract. par.* 1. *dub.* 47. *petit.* 1. *num.* 5.

Non obstat Text. *in d. l. hi, qui sanctam*, quia cum tractetur de materia fidei, quæ est spiritualis, & Ecclesiastica ab omni
31 Imperio, & Potestate seculari immunis est, & exempta, & propterea Lex illa nullius est roboris *adnotat in cap. Ecclesia Sanctę Marię de Constit.* benè Caldas Pereyra *loc. cit. num.* 15. *vers. Quare*.

Sed seruandum est Ius Canonicum non Ciuile, Penia ad Eymeric. *par.* 2. *qu.* 49. *comment.* 74. Simanc. *de Cathol. Instit. dicto tit.* 7. *num.* 4. Alphonsus de Castro *de iusta Hęret. punit. lib.* 1. *cap.* 23. Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 21. *qu.* 9. vbi quod licèt Imperatores
32 Catholici, quales fuerunt Constantius, Theodosius, Valentia, Arcad. & Honor. leges suas sanxerint in Hæreticos, & Apostatas tum Clericos, tùm Laicos hoc tamen faciebant, quia Ecclesia nondùm suo Iure pleno, & libero vtebatur, nec Clerici erant omni ex parte exempti à iurisdictione, & legibus Principum, nec quorumdam criminum causæ ad Iudices Ecclesiasticos deferebantur.

Hinc videre est, quàm fœdè lapsus sit Gabriel Pereyra *in tract. de manu Regia to.* 2. *cap.* 74., dum totus intentus in defenden-

dis legibus Regni Lusitaniæ immunitati, & libertati Ecclesiæ contrariis, & præsertim Ordin. *lib.* 5. *tit.* 1. §. *fin.* ausus est affirmare Iudices seculares punire posse Apostatas à fide ea motus ratione, quod leges Ciuiles punientes Hæreticos validæ sint, dummodò non aduersentur Iuri Canonico, eo quod non fuerit sublata cognitio facti Iudicibus secularibus, & quod illa lex fuerit approbata per concordiam initam speciali rescripto Apostolico, nam quot sunt verba, tot verè sunt mendacia.

Et primò, quia leges Ciuiles promulgatæ contra Hæreticos, quatenus tribuunt facultatem Iudicibus secularibus eos puniendi, sunt omninò nullæ, aduersantur enim Iuri Canonico, per quod Iudicibus secularibus ablata est omnis facultas iudi-
33 candi in causis Hæresis, & ideò post hanc Iuris Canonici dispositionem, leges illæ penitùs euanuerunt, vt ait Alphonsus de Castro *de iusta Hæret. punit. cap.* 23. *vers. Reprehenditur ergo ipsemet Arelatanus*, nec ampliùs esse seruandas dicit Decianus *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 26. & cæteri Doctores passim.

Nec Guttierez *par.* 1. *quæst. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 16. fauet opinioni Gabrielis Pereyræ, quia Guttierez loquitur de validitate legum Ciuilium infligentium pœnas Hæreticis, non autem quoad iurisdictionem puniendi: Nam leges Ciuiles quatenus imponunt pœnas Hæreticis fuerunt approbatæ à Iure Canonico, *vt in cap. vergentis de Hæret.* Surdus *conf.* 376. *num.* 3. Decian. *loc. cit. num.* 3. Secus autem quoad iurisdictionem, quam in totum secularibus Iudicibus ademit Summus Pontifex, *vt in cap. Inquisitiones* §. *Prohibemus de Hæret. in* 6. latè Farinac. *de hæresi quæst.* 186. *num.* 153.

Quod verò Iudex secularis possit cognoscere de quæstione facti Apostasiæ, pariter à veritate aberrat; Quia quæstio
34 facti in causa Hæresis, vel Apostasiæ est inseparabilis à quæstione Iuris, Oldrad. *conf.* 210. *num.* 1. Nauarra *in prælud. Man. notab.* 4. *num.* 10. Menoch. *conf.* 82. *nu.* 171. cum aliis per Barbos. *in l. Titia num.* 37. *ff. solut. Matrim.* Fontanell. *de pactis nuptial. clauf.* 4. *gloss.* 13. *par.* 2. *num.* 41.

Ideò sicuti Iudex secularis de quæstione Iuris in causa Hæresis, vel Apostasiæ nequit cognoscere, ità nec etiam de quæstione facti Ancharan. *in cap. ea, quæ nu.* 11. *de reg. Iur. in* 6. Alexand. *d. l. Titia nu.* 12. Barbos. *ibidem num.* 37. Fontanell. *loco cit. nu.* 4. Carena *par.* 2. *de Apostat. & schismat.* §. 3. *num.* 16.

Inseparabilem autem esse quæstionem facti à quæstione Iuris in causa Hæresis patet ex eo, quia non sufficit, quem protulisse verba Hæreticalia, vt censeatur Hæreticus, quod est factum, sed requiritur, quod ea dixerit scienter, & cum pertinacia, quod est Iuris, Barbos. & Fontanella *locis citatis*.

Pariter & purum mendacium est, quod huiusmodi iurisdictio fuerit attributa Laicis per concordiam Auctoritate
35 Apostolica firmatam, quia vt diffusè scripsi occasione controuersiarum inter Collectorem Castracanium, & Ministros Laicos Lusitanos excitatarum, Concordia apprabata à Summmis Pontificibus Nicolao Quarto, & Martino Quarto non solùm non confirmat huiusmodi legem, sed cunctas leges contrarias dispositioni Sacrorum Canonum omninò tollit, & reprobat.

Et cum illa lex, seu Ordinatio hoc vitio laboret, facilè tollitur obiectum Gabrielis, quod Ordinatio fuerit Apostolica auctoritate confirmata. Præterea gratis asseritur à Pereyra fuisse super ista Ordinatione concordatum inter Regem Ioannem Primum, & Prælatos, ac Capitula Regni Portugalliæ, quia de huiusmodi concordia, nec vestigium quidem apparet; Articuli enim relati ab eodem *to.* 1. *de Manu Regia fol. mihi* 255. sunt simplices Instantiæ, seu querelæ Status Ecclesiastici, & responsiones istis instantiis datæ à Rege, quæ nec fuerunt acceptatæ à Statu Ecclesiastico, nec poterant acceptari absque consensu Sedis Apostolicæ *cap. Si diligenti de foro comp.* Cancer. *var. par.* 2. *cap.* 1. *n.* 124. *vers. Quia posito*, Bened. Aegid. Lusitanus *in repet. l.* 1. *C. de Sacros. Eccles.* 5. *par.* §. 2. *num.* 11.

Imò cum de istis, & aliis Statutis, ac Ordinationibus contrariis libertati, & iurisdictioni Ecclesiasticæ Status Ecclesiasticus Regni conquestus fuisset apud Martinum Quintum, & Eugenium Quartum, iidem Pontifices suis Diplomatibus, nempe Martinus *ad Archiepiscopum Bracharen.* 4. *kal. Maij Pontificatus Anno nono*; Eugenius verò *Ad perpetuam rei memoriam Dat. Bononiæ* 4. *Idus Ianuarij anno ab Incarnatione* 1436. *Pontificatus anno sexto*, Statuta, Ordinationes, ac Leges contra Ecclesiasticam libertatem in eo Regno latas penitùs improbarunt, cassarunt, ac irritarunt.

36 Debebat ergo Gabriel Pereyra si non auctoritate eruditissimorum virorum Petri Barbosæ *in d. l. Titia*, & Sayri *in Claui Regia lib.* 9. *cap.* 13. *num.* 26. saltem reuerentiæ Paternæ obsequium præstare; Etenim Caldas Pereyra eius Pater vir certè doctus licèt, & aliàs ipsi iurisdictioni Ecclesiæ infensus, in hac tamen quæstione veritatem agnoscens, asseruit legem illam abolitam, & in eo Regno non ser-
37 uari, & Senatores Regij Portugalliæ

Apostatam remisisse puniendum ad Iudicem Ecclesiasticum, non quod aliter iudicatum audiuerit, sed quod re vera, attenta iuris Canonici dispositione, Iudices laicis in causis Apostasiæ, tanquam merè Ecclesiasticis, se intromittere non possunt, vt benè *in repetitione l. vnicæ, C. quando ex delict. defunct. num.* 15. Opinionem verò Gabrielis, post hæc scripta, nouissimè reiecit P. Diana *par. 3. de Immun. Eccles. resolut.* 2. *& par. 4. eodem tract. resol.* 12. Fragos. Lusitanus *de Regim. Reipub. par. 1. lib. 2. disput.* 4. *§. 4. n. 12. nu.* 370. *vers. Cæterùm hæc Ordinatio non videtur in vsu*, P. del Bene *cap. 10. dub.* 2. *sect. 2. num.* 3. qui cum Pereyra coniungit Cenallos *de Violentia par. 2. qu. 56. num.* 39. quem tamen non inueni in meo Codice talia dicentem, *& d. tract. de Offic. Inquisit. par. 1. dub. 47. petit.* 6.

An autem aliquo in casu Iudex secularis possit cognoscere de quæstione facti omninò separata à quæstione iuris in hac materia hæresis, & apostasiæ, vide Carenam iudicio meo benè distinguentem *dicta par. 2. de Apost. & Schismat. tit. 3. §. 5. per totum*.

38 Cum itaque Apostatæ à fide recipiantur ab Ecclesia, inoleuit mos in S. Officio, quod si tales spontè compareant, benignè recipiuntur, ac imposita illis abiuratione proportionata, vel de formali si fateantur corde adhęsisse sectæ Iudęorum, vel Mahomettanorum, vel de vehementi, si negent corde adhęsisse superstitionibus, ac Ritibus dictarum Sectarum, & pęnitentijs salutaribus liberè expediuntur, de qua spontanea comparitione, & eius effectibus dicemus infra, P. del Bene *dicto tract. par. 1. dub. 47. petit. 4. nu.* 1. qui tamen errat, dùm dicit, pueros Apostatas abiurare de leui, quia huiusmodi præuia instructione, & professione fidei expediuntur, vt mox dicemus.

Si verò sint prænenti, tunc pro modo culpæ puniuntur præmissa tortura super intentione, vt supra dictum est.

Sed quia sæpè accidit, quod huiusmodi Apostatæ capiuntur à Christianis, præsertim à Triremibus sacræ Religionis Meliten. dùm incedentes in habitu Turcarum in nauibus eorum contra Christianos arma sumunt, Melitam verò appulsi statim curant se præsentare coram Inquisitore, asserentes se esse Christianos, à fide quidem apostatasse per actus exteriores, sed corde Catholicam fidem retinuisse, petunt expediri, & liberari à seruitute.

Ad materię dilucidationem distinguendi sunt plures casus.

Et primò, aut Apostata captus dicit, se fuisse captum in infantili ætate, nec fuisse sufficienter instructum in fide Christiana, & verè probat, se fuisse Baptizatum, & in ea ætate captum, hoc casu is non reputatur Apostata, sed expeditur cum sola professione fidei, absque vlla abiuratione, & ad cautelam absoluitur à censuris, & curatur instrui in Christiana fide; sic fuit resolutum in Sacra Congregatione Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis *sub die* 12. *Maij* 1604. ex doctrina Alphonsi de Castro *infra citandi*.

Neque hoc casu remanent captiui, sed donantur libertate post reconciliationem, vt fuit declaratum in eadem S. Congreg. *sub die 8. Febr.* 1624.

Ratio est, quia etsi is possit appellari Apostata, vel Infidelis, adhùc tamen est Infidelis, vel Apostata materialis tantùm, & non formalis, quia nihil de fide Catho-
39 lica audiuit. Non enim sola fides in Baptismo infusa satis est ad erudiendum, sed requiritur vox exteriùs docentis, & proptereà si ista deficit, excusatur ab Apostasia, Alphonsus de Castro *de iusta Hæret. punit. lib. 1. cap. 8. num.* 2. Simanc. *de Cathol. tit. 301. num.* 7. Aragon. *2. 2. qu. 11. à 2. dub.* Sanchez *ad præcept. lib. 2. cap. 1. num.* 8. Layman. *lib. 2. tract. 1. cap. 12. num. 1. & fin.* Suarez *de fide, disp. 17. sect. 2. num.* 4.

40 Dixi *si probet se Baptizatum, & in ea ætate captum*, nàm licet Baptismus probetur per assertionem Baptizati, *cap. Placuit, cap. de Infantibus, de consecrat. distinct.* 4. Gloss. *in cap. Presbyteri, distinct.* 68.

Vel saltem per vnum testem, Gloss. *in cap. Cum itaque, & in cap. Paruulos, & in cap. Placuit, de consecrat. distinct.* 4. Brixien. *in Dictionario, vers. Baptismus*, Gloss. *in cap. Licet vniuersis, de testibus*, cum alijs per Mascard. *de probat. concl. 163. num.* 1.

41 Quando tamen agitur de præiudicio tertij, nec assertio Baptizati, nec vnus testis sufficit, Gloss. *in dicto cap. Placuit*, Mascard. *loco cit. num.* 5.

Secundò, aut captus in Apostasiam incidit in maiori ætate, tunc reconciliatione secuta per abiurationem proportionatam, & absolutione à censuris, non consequitur libertatem, sed remanet seruus in poe-
42 nam Apostasiæ, Bannes *2. 2. qu. 40. artic. 1. dub. 12. & tract. de Dominio qu. 2. to.* 2. Salon. *de Dominio qu. 3. artic. 1. post 4. conclusionem*, Valent. *to. 3. disp. 3. q. 16. pun.* 3. Sayr. *in Clau. lib. 9. cap.* 6.

Ratio enim postulat, vt quod in honorem fidei introductum est, illi, qui fidem contempsit, fides non prosit, Acugna *in cap. Mancipia Christiana dist. 54. num.* 3. & ità fuit resolutum in Sacra Congregatione *sub die 8. Sept.* 1596.

Tertiò, vel talis Apostata captus est pugnando, vel si non pugnando coactè tamen, & hoc casu, si probet nauim ascendisse, vt faciliùs ad partes Christianorum aufugeret animo reuertendi ad Religio-

nem Catholicam, tunc si compareat sponte, non solùm dimittitur post reconciliationem, sed libertate donatur, quia sola voluntas pro facto reputatur, *cap.2.& 3.de voto*, Hostien. *in cap.Debitum n.8.de Baptis.*

Quartò, si quis in minori ætate captus à fide apostatauit, & coactè Piraticam contra Christianos exercuit, vel contra eos pugnauit, tunc post reconciliationem libertate donatur, vt in eadem S.Congregatione resolutum fuit *die 1. Febr.1629.*

Aduertant tamen Domini horum Mancipiorum, ne illos vendant Turcis, quia etsi cadant in commercium, vt alia mancipia, non tamen possunt vendi Turcis, sicuti nec ab illis redimi, etiam dato plurium Christianorum Mancipiorum excambio, vt resolutum fuit in eadem S.Congregatione *sub die 29.Martij 1591.*

Et propterea fuit denegata licentia cuidam Reipublicæ, quæ petebat sibi concedi, vt Apostata à fide adhùc non reconciliatus ab eius triremibus captus posset redimi à Turcis, quia Turcæ minabantur, se non permissuros redimi subditos dictæ Reipublicæ in seruitutem penès eos redactos, vt ex Decreto *sub die 15. Nou. 1607.*

43 An autem Infideles, qui serui sunt Iudeorum, vel Hæreticorum, possint fugere ad Ecclesiam, vt Christiani fiant, & libertate donentur. Affirmatiuè respondendum est per Text. *in cap. Deo Nobis, §.His ità dispositis, C.de Episcopis, & Cler. cap. vlt. de Hæret.& cap.2.& vlt.de Iudæis,& Saracen.* & post Lessium *de Iust. & Iure lib. 2. cap.5. post num.20.* dixit Trullenc. *lib.5.oper.moral. cap.2.dub.6. nu.2.in fin.* quem sequitur Fermosin. *in cap.Nullus 4.de Seruis non ordinan. qu.1. num.29.*

44 Serui verò Christianorum, qui in Tribunali Sanctæ Inquisitionis damnantur tanquàm Hæretici, fiunt ipso iure liberi, *l. fin. §.His autem, C.de Episc.& Cler.l.Manichæos, C.de Hæret.* Fermosin. *loco cit. qu.1. ad 5.quæstionem nu.20.& 22.* Acugna *in cap. Si Iudæorum dist.54. nu.2.*

45 Imò si aliquis Hæreticus intra tempus Gratiæ, post denunciationem compareat, & conuertatur, eique omnia illius bona condonantur; nihilominùs Christiana Mancipia libertate donantur, Sanctarell. *de Hæresi cap.37. dub. 3.* Azor. *tom.1. lib.8. cap.11.q.7.* Penia *in Direct.par.3.comm.168.* cum aliis per Fermosin. *loco cit.nu.20.ad fin.* Thom. del Bene *de Officio S. Inquisit. par.1. dubit.152. num.11.*

46 Quod procedit, siue Seruus fuerit olim Christianus, siue de recenti, & nunc Baptizatus, *cap. fin.dist.54.* Ricciull. *de Iure personarum lib.2. cap.28. num.4.*

47 Imò, & si solam voluntatem suam declarauerit, se velle Baptizari, Ricciull. *loco citato*, Fermosin. *loco cit. nu.24.*

Idem dicendum est de Seruo Infideli, qui bono zelo denuntiauerit Inquisitori-
48 bus Dominum à fide apostatantem; Nàm & is libertate donatur propter opus egregium ab eo perpetratum Castro-palao *to.1. tract.4.disp.5. pun.26. nu.18.* Diana *par.7. tract.7. resol.17. in fin.* Fermosin. *loco cit.nu.25.* Thom.del Bene *de Offic.S.Inquisit. d. par.1. dubit.152. nu.10.*

49 Serui pariter Christiani à Iudæis comparati libertate donantur, quamuis bello iusto capiantur, ne ad aliquod malum contra legem Christi excitentur, *cap.Mancipia dist.54.* Couar. *in reg. Peccatum par. 2. §.11. num.5.* Salon. *in tract. de dominio qu.3. art.1. post 3.conclusionem*, Sayr. *in Claui Regia lib.9.cap.6.num.12.* Fermosin. *loc.cit.n.26.*

50 Qui contra Siluestrum, Sotum, & Molin. tenent hoc procedere, siue Iudæi sint Principibus Christianis subiecti, siue non; cum regulariter Iudæi non valeant tenere Seruos Christianos, Foller. *in Constit. Regni, tit.de Iudæis*, Surd. *de alim.tit.1.qu.18.num.9.* Ricciull. *loco cit.num.3.* Barbos. *ad cap.Mancipia num.1. in fin.*

51 Hoc tamen priuilegium non competit Seruis Christianis inconstantibus in fide, & fidei desertoribus, vt ex multis probat idem Fermosin. *loc.cit. num.27. & 28.*

52 Ampliùs si Seruus non Christianus ematur à Iudæis mercimonij causa, debet illum intra tres menses exponere venalem, quod si non inuenerit emptorem, tunc solutis ei duodecim solidis pro quolibet bono Seruo, si ille ad Ecclesiam confugiens suam voluntatem patefecerit liber efficitur, *cap Fraternitatis, dist.54.cap. fin.de Iudæis*, Ricciull. *d.cap.28.nu.7.* Comitolus *respons.moral.lib.3.q.43. vers. Quoniam propositio*, Barbos. *d.cap. fin. nu.3.*

53 Si autem venalem extra tres menses non exposuerit, vel si emit ad sibi seruiendum, tunc nec potest ampliùs illum vendere, nec alius eum emere, sed sine pretio
54 fit liber, *dicto cap. fin.* & ibi Canonistæ *de Iudæis*, Barbos. *ibidem*, Ricciull. *d.cap.28.n.7.* qui subiungit, quod elapsis dictis tribus mensibus insurget præsumptio, quod Iudæus emerit Seruum seruandi causa, contra quam præsumptionem non admittitur probatio in contrarium, *d.cap.Fraternitatis dist.54.* Gloss. *in d.cap. fin. in figurat.casus*, & ibi Abbas *num.1.*

55 Duodecim verò solidi, de quibus fit mentio *in dicto cap. fin.* erunt duodecim scuta aurea, quæ ex generali omnium populorum consuetudine illis subrogata sunt, vt ex Alciato, & Budæo, dixit Caluinus *in Lexicon. Iuris, verbo solidus substantiuè*. Quod pretium tanquàm eo tempore rationabile hodie poterit variari, reducendo illud ad pretium modo congruum, & rationabile, Ricciull. *loco cit. nu.9.*

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

De Schiſmaticis. Quis dicatur Schiſmaticus. Quis inobediens Papę. Quando Papę Schiſmatico non liceat obedire. An Schiſmaticus dici poſſit, qui recedit ab obedientia Epiſcopi. An Schiſma poſſit eſſe ſine Hæreſi. An Schiſmaticus recipiendus ſit ab Eccleſia, & quomodò recipiatur. De pœnis Schiſmaticorum. An Conſtitutiones Apoſtolicæ comprehendant Orientales. An filij Schiſmaticorum priuentur bonis, & inhabiles reddantur ad honores, & dignitates remiſſiuè.

SVMMARIVM.

1 *Schiſmaticus quis dicatur, & vnde.*

2 *Vnitas Eccleſiæ in quo conſiſtat, & quomodo fundatur.*

3 *Schiſmaticus dicitur qui renuit obedire Summo Pontifici vti Papæ, illumque cognoſcere in Caput Eccleſiæ.*

4 *Schiſmaticus eſt non ſolùm qui directa intentione, ſed & qui opere, vel effectu ſe ſubtrahit ab obedientia Pontificis.*

5 *Concilium, ſine auctoritate Papæ congregantes, vel legitimè diſſolutum proſequentes, Schiſmatici ſunt.*

6 *Schiſmaticus, in quo differat ab Inobediente.*

7 *Inobediens Pontifici ſibi infeſto, & ſuſpecto, quem tamen credit Caput Eccleſiæ, non eſt Schiſmaticus.*

8 *Rebellis Papæ, vti Principi temporali, non eſt Schiſmaticus.*

9 *Negans ſubiectionem Pontifici, quia probabiliter dubitat de illius canonica electione, an, & quando dici poſſit Schiſmaticus.*

10 *Renuens obedire alteri ex duobus electis Pontificibus, pendente Schiſma, vſquequò ab Eccleſia definiatur, cui ſit obediendum, an, & quando dicatur Schiſmaticus, & num. ſequen.*

11 *Dubius de valida electione Papæ ab Eccleſia ob eamdem dubietatem adhuc non recepti, an, & quando dicatur Schiſmaticus, & num. ſeq.*

Obedientia homini tanquam Pontifici, & tanquam de fide tali non debetur, donec à tota Eccleſia ſit acceptatus.

12 *Pontifex legitimus de fide eſt credendus, qui talis eſt electus, & ab vniuerſali Eccleſia receptus.*

Eique obedientia, ſine vitio Schiſmatis, negari non poteſt.

13 *Priuilegium obtentum à Papa Schiſmatico an, & quando ſuffragetur, & num. 30.*

14 *Separans ſe à ſuo Epiſcopo an, & quando dici poſſit Schiſmaticus.*

15 *Obedientia Epiſcopo Hæretico, vel per Summum Pontificem ab officio, & exercitio Pontificalium ſuſpenſo, & ab Eccleſia interdicto, ſine nota Schiſmatis negari poteſt, & num. ſeq.*

Suſpenſio Epiſcoporum Belgiæ refertur, & illius praxis, & de priuilegijs Prouinciæ illius, & num. ſeq.

Contra auctoritatem Pontificiam nulla conſuetudo, nullum priuilegium adduci poteſt.

16 *Papa ſolus cognoſcere poteſt cauſas maiores, prout ſunt cauſa fidei, & contra Epiſcopos.*

17 *Inobediens fœdè Epiſcopo, vt quia in illum coniurauerit, illum à Ciuitate eiecerit, illiuſque iuriſdictionem occupauerit, an, & quando dicatur Schiſmaticus.*

18 *Schiſmaticus indicatur qui ſe ſeparat à membris Eccleſiæ, & quando contingat hæc ſeparatio.*

19 *Schiſma an, & quando poſſit eſſe ſine hæreſi, & an hæreſis dari poſſit ſine Schiſmate.*

20 *Schiſma ſeror eſt Hæreſis.*

Schiſmatici æquiparantur Hæretici.

Schiſmatici Blaſphemi de fide ſuſpecti, puniendi vt hæretici.

21 *Negans Summum Pontificem eſſe Caput Eccleſiæ, & Vicarium Chriſti, Hæreticus eſt.*

22 *Schiſmaticus rediens ad vnionem Eccleſiæ, & negatam Summo Pontifici obedientiam præſtans, an, & quomodo ſit recipiendus.*

23 *Schiſmaticus qualiter teneatur ſchiſma abiurare.*

24 *Orientales Schiſmatici, redeuntes ad vnitatem Eccleſiæ, quomodo recipiendi.*

25 *Schiſmaticus ſuſpicionem hæreſis, abiurare debet pro modo ſuſpicionis.*

Suſpectus de ſchiſmate non tenetur abiurare, ſed ſolùm confeſſus, vel conuictus de illo.

Præſumptio ex præſumptione non naſcitur.

26 *Schiſmaticus amittit poteſtatem, ordinem, & iuriſdictionem, & de effectibus iſtius pœnæ.*

Poteſtas ſacramentalis, quid importet.

Quid poteſtas iuriſdictionalis.

Poteſtas ſacramentalis per ſchiſma, vel hæreſim, quatenus amittatur.

Differentia inter poteſtatem ſacramentalem, & iuriſdictionalem.

27 *Schismaticus verè conficit, & consecrat Eucharistiam, confirmat, & ordinat.*
Ordinati ab Episcopo Schismatico veri Ordinis characterem, an, & quando recipiant.
Ordinati scienter ab Episcopo schismatico, an, & quando ministrare possint.
Schismaticus an, & quando validè consecret Altaria, Templa, Vestes, &c.
Consecratio Altarium; Templorum, Vestium, Vasorum, &c. ordinis sunt.
28 *Schismaticus nequit absoluere, excommunicare, indulgentias concedere, beneficia conferre, leges, vel constitutiones edicere.*
Ecclesia habent Pastorem schismaticum, dicitur vacare.
Actus facti Sede vacante, sunt nulli.
29 *Collatio beneficij facta per Schismaticum est nulla.*
Vniones factæ à Schismatico, nullæ sunt.
30 *Priuilegium concessum ab vno Imperatore, pluribus contendentibus de Imperio, quando suffragetur.*
31 *Titulus priuilegij concessi per Pontificem schismaticum iuncto cursu 40. annorum, prabet iustam causam præscribendi.*
Error mixtus iuris scilicet, & facti causat iustum titulum ad præscribendum.
32 *Priuilegium concessum à Papa, vel Prælato, pro tali communiter reputato, licet schismatico, vel nulliter electo, tribuit iustam causam præscribendi.*
Reputatio communis sufficit pro validitate gestorum.
Papa communiter pro tali reputatus, validè gerit.
Schismaticus nominatim non denunciatus, an amittat iurisdictionem.
33 *Schismaticus an sit excommunicatus ipso iure, secundum ius antiquum.*
34 *Et quid stante Bulla in Cœna Domini.*
35 *Orientales an comprehendantur sub Constitutionibus Apostolicis.*
Quid de censuris latis contra Schismaticos.
36 *Orientales quando comprehendantur sub Constitutionibus Apostolicis.*
Consuetudo immemorabilis contraria sacris Canonibus à Græcis introducta durante Schismate, an sit valida, & excuset à peccato.
Schismatici, qui incurrant in excommunicationem Bullæ Cœnæ.
37 *Schismaticus pure mentalis non percutitur hac excommunicatione.*
Quid de fautoribus Schismaticorum.
Constitutio Pauli IV. contra Schismaticos, & quos comprehendat.
38 *Schismaticus an, & quando efficiatur irregularis, vel infamis.*
Et quatenus duret eius irregularitas.
Schismatici comprehensi in Bulla Pauli IV. deprehensi, aut confessi, aut conuicti, ipso facto remanent priuati Ordinibus, & depositi, ac ad Ordines inhabiles.
Quid de fautoribus Schismaticorum an incurrant infamiam, & irregularitatem.
39 *Schismaticus an priuetur beneficijs obtentis.*
40 *Schismaticus est inhabilis ad obtinenda beneficia.*
Quid si pœnitentiam peregerit.
41 *Schismatici bona, an, & quando confiscentur.*
Catholici an possint auferre bona Mercatorum Schismaticorum Græciæ.
Græci Schismatici tolerantur ab Ecclesia.
42 *Schismaticus an, & quando sit tradendus Curiæ seculari, & consequenter morti.*
Quid si sit Clericus.
43 *Clericus incorrigibilis, quando animaduerti possit per Iudicem secularem.*
Pœna eorum, qui recipiunt à Schismaticis Ordines, vel beneficia.
44 *Filij Schismaticorum an priuentur bonis, & reputentur inhabiles ad honores, & dignitates.*

TERTIÒ datur Inconstantia in fide propter Schisma.
Nàm Schismaticus est ille, qui inconstans recedit ab vnione Ecclesiæ; & ab ea separatur, D.Thomas 2.2.*q.*39.*art.*1. & ibi Bannes *in fin.* Abbas Antiquus *in cap.* 1. *de Schismat. num.* 1. Io: Andr. *num.*3. Butrius *num.*4. Diaz *in prax. crimin. Canon. vers. Schismatici cap.* 112. & ibi Ignatius Lopez, Albertin. *in rubr. de Hæret. in* 6.*q.*11. *num.*2. Simanc. *de Cathol. tit.* 58.*nu.*1. Petrus Gregor. *Syntagma Iuris lib.*33.*cap.*11.*num.*1. Sanchez *lib.*2.*oper. moral. cap.*36. Sanctarell. *de Hæresi cap.*43.*dub.*1. Farinacc. *eodem tract. qu.*184.§.1.*num.*3. & nouissimè Macedo *de Clauibus Petri qu. prauia art.*3. *assert.*3. P.del Bene *de Offic. S.Inquisitionis par.*2. *dubit.*235. *sect.*1. *num.*1. *& sect.*2. *nu.*1.

2 Cumque vnitas Ecclesiæ in eo consistat, vt vniuersi Fideles eius membra, apto quodam ordine inter se eum Pontifice eius Capite connectantur, sibi cohæreant, vt in actionibus spiritualibus ad id corpus pertinentibus in fidei doctrina, cultu Religionis, & in spirituali regimine, Caput in reliqua membra quēdam Principatum habeat, atque illa ex eo pendeant, ipsique subdita sint, P. del Bene *loco citato num.*2. Pueron. *in Bulla Cenæ loco infra allegando num.* 232.

Meritò ista vnitas scinditur, dùm Fidelis inconstans non vult se gerere tanquam huiusmodi corporis membrum in aliqua, vel aliquibus spiritualibus actionibus ad hoc Ecclesiæ corpus pertinentibus, aut renuit subesse Pontifici, Sanchez *loco cit. nu.*1. Sanctarell. *loco citato nu.*2. P.del Bene *num.* 3.

Erit ergò Schismaticus ille, qui renuit
3 obedire Summo Pontifici, vt Papa est, nec vult eum cognoscere vt Caput Ecclesiæ, *cap. Concilia* 17.*distin.* Ioãẽs Anan. *in*

rubr. de Schismat. num. 7. Gloss. *in cap. 1. de*
Schismaticis in 6. Bonif. de Vitalin. *in Cle-*
ment. ad nostrum num. 44. de Haret. cum aliis
per Farinacc. *d. qu. 184.* Sanctarell. & San-
chez *loc. cit.* Caren. *par. 2. de Apostat. &*
Schismat. tit. 5. §. 10. n. 28. Bordon *in Tribun.*
cap. 7. nu. 7. P. del Bene *loc. cit. nu. 8.* Pueron.
in Bulla Cœnæ cap. 1. num. 228. Bard. *in Bulla*
Cruciata par. 1. tract. 2. cap. 4. sect. 2. §. 8.
num. 104.
4 Quod habet locum in eo, qui non so-
lùm directa intentione se subtrahit ab
obedientia Pontificis, sed etiamsi indire-
ctè nimirum effectu, & opere, Gaiet. *in*
Summ. vers. Schisma, & 2. 2. qu. 39. artic. 1.
vers. Ad tertium dubium, & ibi Bannes *dub. 1.*
ad 2. Valen. *2. 2. disp. 3. qu. 15. pun. 1. post ter-*
tiam propositionem, Vgolin. *de Censuris Papæ*
reseruat. 2. par. cap. 1. vers. Necnon Schismaticus
§. 1. num. 1. vers. 3. Suarez *de Censur. disp. 21.*
P. del Bene *loc. cit. num. 11. sect. 2. num. 13.*
Petr. de Ledesma *2. to. Summa tract. 3. cap.*
12. conclus. 3. Farinac. *dicta qu. 184. num. 20.*
in fine.
Hinc deducitur, quod qui absque au-
ctoritate Summi Pontificis Concilium
5 generale congregant, vel dissolutum le-
gitimè prosequuntur, Schismatici sunt,
Sanchez *loc. cit. nu. 5.* Sanctarell. *loc. cit. nu. 3.*
vers. Dico tertio, P. del Bene *loc. cit. nu. 13.*
Dixi, *qui renuit obedire Pontifici, qua-*
tenùs Papa; Schismaticus est: Nàm si quis
non obediret Papæ præcipienti aliquid,
vt puta, vt arma deponeret, vel alienum
6 restitueret, is propriè non est Schismati-
cus, sed inobediens, quia licet ei non obe-
diat, recognoscit tamen illum vt Caput
Ecclesiæ, Gaiet. *in Summ. vers. Excommuni-*
catio num. 7. Suarez *d. disput. 21. sect. 2. nu. 12.*
Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 20. q. 4.* Vgolin. *in Bulla*
Cœnæ, vers. Necnon Schismaticos n. 9. Sanchez
dicto cap. 36. num. 3. Sanctarell. *loc. cit. num. 4.*
Layman. *tract. 3. cap. 34. num. 4. vers. Duplex,*
Duard. *in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 1. quæst. 56.*
num. 16.
Pariter non iudicaretur Schismaticus
7 ille, qui non obediret Summo Pontifici
sibi infesto, vel suspecto, si tamen aliàs
credat illum Caput Ecclesiæ: sic tenent
omnes supracitati, quibus addo Duard.
d. quæst. 56. num. 16. in fin. & Macedo *art. 3.*
Caren. *loco cit. num. 30.* Farinacc. *d. qu. 184.*
num. 11. P. del Bene *num. 6.*
Nec ille, qui non obediret Papæ, vt
Principi temporali, nec exhiberet illi su-
biectionem in Ciuitate dominii tempo-
8 ralis Pontificii, quamuis iste sit Rebellis,
Card. de Lugo *de virtute fidei Diuinæ, disp.*
25. sect. 3. num. 36. Carena *loc. cit. num. 30.*
Sanchez *d. cap. 36. nu. 3. & 4.* Farinacc. *dicta*
qu. 184. num. 11. P. del Bene *num. 9.* Pueron.
loc. cit. num. 235.
Nec ille erit Schismaticus, qui negat
9 Pontifici subiectionem, quia probabiliter
dubitat de eius electione legitima, Gaiet.
in Summ. in vers. Schisma, in fin. Petrus de
Ledesma *concl. 3.* Vgolin. *eodem §. 1. num. 2.*
Valent. *eadem disp. 3.* Sanchez *dicto cap. 36.*
Layman. *d. cap. 11. num. 4. vers. Duplex.*
Cæterùm quamuis hæc conclusio eru-
ditissimorum Virorum calculo sit appro-
bata, cum grano tamen salis est intelli-
genda.
Aut enim sumus in Schismate propter
electionem duorum Pontificum, & tunc
licita est dubitatio, cui nam sit obedien-
dum vsquequo per Ecclesiam non sit dif-
10 finitum, cui sit obediendum, & ideò non
erit Schismaticus ille, qui nullum eorum
recognoscit in Summum Pontificem:
Non enim iste renuit subesse Pontifici,
sed huic personæ, quam putat, non esse
Pontificem, Simanc. *de Cathol. cap. 56. in fin.*
Turre-cremata *de Ecclesia lib. 4. c. 14. par. 1.*
cum aliis per Sanctarell. *loco citato num. 11.*
Bordon. *tit. de Schismat. qu. 5. num. 8.* Pueron.
loc. cit. num. 243.
11 Aut sumus in Papa vnico electo, sed
statim secuta eius electione contingit du-
bitari, an sit canonicè electus, & propte-
reà ab Ecclesia non recipitur. Et etiam
isto casu dicendum est, talem, qui cum
aliis dubitat de electione valida Papæ, non
esse Schismaticum per ea, quæ tradit Sua-
rez *disput. 10. de Summo Pontif. sect. 5. num. 6.*
vbi, quod vsquequo Pontifex non sit ac-
ceptatus à tota Ecclesia, non est de fide
hunc Hominem esse verè Pontificem, &
ei esse obediendum.
Aut sumus in Pontifice electo, & ab
Vniuersali Ecclesia recepto; tunc quia
non solùm probabilis est opinio, sed de
12 fide illum esse legitimum Pontificem,
Pueron. *loc. cit. sub nu. 241. vers. Est siquidem.*
Nefas est absque vitio Schismatis ei non
obedire, latè Card. de Lugo *d. tract. disp. 1.*
sect. 13. §. 2.
Imò in supradictis duobus casibus, qui
non adhiberet diligentiam in inquirendo,
quis sit verus Summus Pontifex, Schisma-
ticus reputaretur, *cap. quoties cordis 9. qu. 1.*
cap. Schisma 28. qu. 1. & ità docet Gloss. *in*
verb. Magis, & in cap. negligentes 23. quæst. 1.
Felin. *cap. 1. de Heret. qu. 13. num. 24. & 25.*
Soccin. *in cap. Fraternitatis, de Schismat. n. 11.*
Turre-cremata *in summ. de Eccles. lib. 4. par.*
1. cap. 14. Sanctarell. *d. cap. 43. dub. 1. num. 11.*
in fine.
13 An autem priuilegium habitum à Papa
Schismatico suffragetur, videnda est *Deci-*
sio 289. Gregorii XV. *per totam, & decis. 228.*
post 2. volum. cons. Farin. *quæ est inter impress.*
Coccin. *decis. 295. par. 1.*
14 Pariter non erit Schismaticus, qui à suo
Episcopo se separat, si tamen nec ab Ec-
clesiæ vnitate, nec ab obedientia Summi

Pontificis recedat, Innocent. *in cap. 1. de Schismat.* & ibi Hostien. *num. 1.* Butr. *in fin.* Anan. *num. 3.* Zabarell *num. 1.* Decian. *tract. crimin. lib. 3. cap. 60. nu. 3.* Sanchez *d. cap. 36. nu. 6. & 13.* Sanctarell. *loc. cit. nu. 6.* Layman. *tract. 3. cap. 11.* Castro-palao *disp. 5. pun. 5.* Macedo *q. prævia art. 3. assert. 3.* P. del Bene *loco cit. sect. 6. per tot.* Pueron. *loco supra cit. sub num. 233. vers. Qua ratione, & priùs sub num. 226. vers. Rursus 11.*

Et licet iste vocetur Schismaticus, *cap. scire debet 7. qu. 1. & cap. loquitur Dominus 24. qu. 3.*

Largè tamen, seu amplè sumpto Schismatis vocabulo, potest talis Schismaticus appellari, Sanctarell. *loc. cit. num. 6.* Sanchez *dicto num. 6.* Farinacc. *dicta qu. 184 num. 27.* Azor. *institut. moral. to. 1. lib. 8. cap. 20. qu. 4.* P. del Bene *loc. cit. num. 3.* Pueron. *vbi supra sub d. num. 233. vers. Quamuis.*

15 Multo minùs esset Schismaticus ille, qui recederet ab obedientia Episcopi Hæretici, vel suspensi à Summo Pontifice ab officio, & exercitio Pontificalium, & interdicti ab Ecclesia: Sicuti dùm hæc scriberem fuerunt ità suspensi, & interdicti Archiepiscopus Mechlinien. & Episcopus Gandauen. quia vocati Romam ad comparendum personaliter, & ad se purgandos ob nonnulla ab eis scripta suspicionem hæresis redolentia: Primò se excusarunt ob senectutem, petentes audiri per Procuratorem, quibus cum benignè Sanctissimus D. N. Innocentius Papa X. gratiam fecisset, renuerunt etiam comparere per Procuratorem, sub prætextu quod non possent euocari extra Prouinciam, obstantibus consuetudinibus, & priuilegiis Prouinciæ Belgicæ: Sanctissimus tamen D. N. vt sartam tectam Pontificiam auctoritatem seruaret, termino illis præfixo, & elapso, ad sententiam suspensionis, & interdicti deuenit. Et iustissimè quidem, quia nulla consuetudo, vel priuilegium adduci potest contra auctoritatem Pontificiam, Berous *in rubr. de Constitut. num. 60.*

Præsertim quando tractatur de causis maioribus, quales sunt causæ fidei, & contra Episcopos, quæ à solo Pontifice co-
16 gnosci possunt, Concil Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 5.* Et quamuis Schismaticis edictis, & libellis iniuriosis in Sanctissimum Dominum Nostrum, & Sedem Apostolicam, eiusque Ministros consilium Brabantiæ obstreperet; inuictus tamen animus Sanctitatis Suæ à sua iusta sententia dimoueri non potuit, sed semper firmus, & constans in ea permansit, donec resipiscentes prædicti Præsules mandatis Sanctæ Sedis paruere.

Et supradictam sententiam tenent, Innocent. *in cap. 1. num. 1. vers. Si autem aliqui; de Schismat.* per Text. *in cap. Sanè 16. qu. 7. in cap. sanè 16. quæst. 7.* cum aliis relatis per Farin. *d. q. 184. num. 28.*

Imò, & si quis non solùm se subtraheret ab obedientia Episcopi, sed in ipsum coniuraret, & à Ciuitate eiiceret, illiusque iurisdictionem occuparet, non tamen re-
17 putandus est Schismaticus, si in superiorem recognouit Ecclesiam Romanam, licet enim sit fœdè inobediens, non tamen ab vnitate Ecclesiæ est diuisus, Hostien. *dicto cap. 1. de Schismat.* & ibi Anton. de Butrio *num. 4.* Io: Andr. *num. 3.* Anchar. *num. 2.* Abbas *num. 1.* Anan. *nu. 2.* Zabarell. *num. 2.* Farinacc. *d. qu. 184. nu. 3.*

Secundò, Schismaticus est, qui recedit ab vnitate, & communione membrorum
18 Ecclesiæ, quatenùs Ecclesiæ membra sunt, *cap. Nouantianus, cap. Denique 7. qu. 1.* Canonistæ omnes *d. cap. 1.* Farinacc. *dicta qu. 184. num. 8.* Sanchez *d. cap. 36. nu. 2.* cum aliis per Sanctarell. *d. cap. 43. dub. 1.* Duard. *in Bulla Cœna can. 1. qu. 56. vnic. concl. nu. 9.* Pueron. *d. cap. 1. sub num. 232. in fin.* Fagnan. *in cap. Quod à prædecessore num. 9. de Schismaticis.*

Tunc autem dicitur quis separare se ab aliis membris Ecclesiæ, quando ità vult spirituales actiones exercere, vt sperare, credere, orare, ieiunare, ministrare, & recipere Sacramenta, &c. non vt pars Ecclesiæ, sed tanquàm si ipsemet esset quoddam totum seorsum, Gaietan. *in summ. verf. Schisma*, Petr. de Ledesma *2. to. summ. tract. 3. cap. 12. conclus. 3.* Valent. *2. 2. disp. 3. q. 15. pun. 1.* Sanchez *d. cap. 36. num. 2.* Pueron. *vbi supra num. 232.*

Aduertendum est tamen posse esse Schisma sine Hæresi, sed non Hæresim
19 sine Schismate: verum tamen est, quod Schisma est semper ferè coniunctum Hæresi, Nauarr. *in summ. cap. 27. nu. 57.* Suarez *de Censur. disput. 21. sect. 2. num. 12.* Azorius *to. 1. lib. 8. cap. 20. qu. 1.* Valent. *to. 3. disput. 7. qu. 18. pun. 1.*

Et ità intelligi debet Text. *in cap. Inter Hæresim 24. qu. 3.* vbi dicitur, Schisma non esse sine Hæresi, quia scilicet ordinariè Schisma est coniunctum Hæresi, & tales esse Schismaticos nostri temporis, dixit Lopez ad Diaz *in prax. versic. Schismatici cap. 12.* Sanctarell. *loco cit. num. 7.*

Hinc propterea Simanch. *de Cathol. tit. 58. num. 2.* ait, Schisma esse sororem Hæ-
20 resis, & Hæreticos, & Schismaticos æquiparari voluere Canonistæ *in cap. firmiter, de Hæret.* vbi Hostien. *num. 1.* Abbas *num. 2.* Butr. *num. 3.* Io: Andr. *num. 1.* Felin. *num. 1.* Anan. *num. 1.* Soccin. *num. 4.* & idem patet *ex cap. 1. de Hæret. in 6.* ibi; *Ipsosque indicamus Schismaticos blasphemos, tanquam Hæreticos puniendos*, & ibi notat Franch. *num. 2.* Gemin. *num. 1. & 4.* Sanctarell. *loc. cit. nu. 7.*

Cum ergò

Cum ergò ferè semper Schismatici sint Hæretici, & si formaliter tales non sint, sunt nihilominùs de Hæresi suspecti, D. Thom. 2. 2. *qu.* 3. *art.* 2. *ad* 3. Gaietan. *in summ. in ver. Schisma*, Azor. *d. cap.* 20. *q.* 4. Sanctarell. *loc. cit. num.* 7. *in fin.* & ex nostris Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *num.* 24.

Si quis verò vna cum Schismate crederet, Romanum Pontificem non esse Caput Ecclesiæ, nec Christi Vicarium,
21 vtique esset Hæreticus, Siluester *versic. Schisma nu.* 1. Alphonsus de Castro *aduersus Hæreses lib.* 1. *cap.* 9. Suarez *loc. cit. num.* 12. cum aliis per Sanctarell. *loc. cit. nu.* 5. Farin. *d. q.* 184. *num.* 11.

Et si quis horum sanctè inconstans ad vnitatem Ecclesiæ redeat, vel negatam
22 Summo Pontifici obedientiam præstat, vtiq; recipiendus est ab Ecclesia, Anchar. *d. cap. firmiter, de Haret. num.* 3. & ibi Anan. *num.* 2. Monach. *cap.* 1. *num.* 5. *de Schismat. in* 6. & ibi Probus *num.* 19. *in fin.* Archid. *in cap. inter Hæresim, & Schisma num.* 12. *versi. debet abiurare* 24. *qu.* 3. Goffred. *in summ. de Schismat. nu.* 5. cum alijs per Farinacc. *dicta q.* 184. *num.* 34.

23 Sed tenetur abiurare Schisma iuxtà formam abiurationis positam *in cap. Quoties* 1. *qu.* 7. Simanch. *de Cathol. to.* 1. *rubr. de abiurat. num.* 5. Penia ad Eymer. *par.* 2. *qu.* 48. *comment.* 73. cum alijs per Farinacc. *dicta q.* 184. *num.* 35. Caren. *d.* §. 11. *nu.* 39.

Verùm quia hodie, exceptis Orientalibus, nulli ferè inueniuntur Schismatici, qui in Sancto Officio compareant, ideò
24 Orientales recipiuntur sola fidei professione emissa, iuxta formulas à Summis Pontificibus Clem. VIII. & Vrbano VIII. præscriptas: Nec vidi vllum vnquàm ex his quamuis denunciatum, & præsertim in Sancto Officio puniri.

Sed quia irrepserat abusus, vt Orientales Schismatici facta fidei professione dimitterentur, absque absolutione ab excommunicatione, fuit resolutum *sub die* 7. *Octobris* 1655. coram s. mem. Alexandro VII. vt omninò absoluerentur à prædicta excommunicatione, & cum illis super quacumque Irregularitate dispensaretur.

25 Remanente verò sola Hæresis suspicione, debent illam abiurare pro modo suspicionis, Penia *loco cit.* Farinacc. *d. qu.* 184. *num.* 35. *in fin.* Caren. *d.* §. 11. *num.* 39. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 29. *vers. Hoc supposito*, Cardin. de Lugo *loc. cit. num.* 43. qui dicit, hanc suspicionem sibi videri vehementem contra Dianam: Sed non potest aliquis gradus suspicionis ità generaliter constitui, nisi considerato Schismate, & eius circumstantiis.

Quod dicimus de abiuratione, habet locum in Schismatico confesso, vel conuicto: nàm si solùm esset suspectus de Schismate, non posset cogi ad abiurandum vt suspectus de Hæresi, quia ex præsumptione non nascitur præsumptio, sed ex facto certo, Bartol. *l.* 2. §. *Diuus*, *ff. de Iure Fisci*, Carena *loc. cit. num.* 41. Bordon. *cap.* 7. *de Schismate num.* 37. & 38.

Pluribus autem pœnis subiacet huiusmodi Inconstantia.

26 Et prima pœna est amissionis Potestatis, Ordinis, & Iurisdictionis, *cap.* 1. *extr. de Schismat. cap. Nouatianus* 7. *q.* 1. D. Thom. 2. 2. *qu.* 39. *art.* 3. qui distinguit inter Potestatem Sacramentalem, & Iurisdictionalem.

Ad primam spectat confectio Corporis Christi, & reliquorum Sacramentorum collatio, Gloss. Abb. & reliqui *in cap.* 1. *de Schismat.*

Ad secundam spectat facultas excommunicandi, absoluendi, & indulgentias concedendi, conferendi beneficia, alienandi res Ecclesiæ, de quibus *in dicto cap.* Farinacc. *d. q.* 184. *num.* 43. Ricciull. *d. tract. lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 16. & 17. Duard. *in dicta qu.* 56. *num.* 14.

Prima Potestate non priuatur essentialiter Schismaticus, remanet semper enim in Homine, qui per consecrationem eam adeptus est donec viuit, siue in Schisma, siue in Hæresim labatur: Priuatur tamen vsu licito Sacramentalis Potestatis per lapsum in Schisma, siue in Hæresim, sed si ea vtatur, illa habebit suum effectum, quia in Sacramentalibus homo operatur vt instrumentum Dei, & propterea effectus Sacramentales propter culpam conferentis non excluduntur, P. del Bene *de Officio S. Inquisitionis par.* 1. *dub.* 48. *sect.* 2. *num.* 2.

Altera verò, quæ per simplicem hominis iniunctionem confertur, ei non sic immobiliter adhæret, vt Sacramentalis, ideò in Schismatico non manet, D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. Valent. *ibidem art.* 3. & 4. Azor. *Instit. moral. d. cap.* 20. *qu.* 9. Ricciull. *d. cap.* 2. *à nu.* 16. Duard. *d. q.* 56. *nu.* 14. latè Farinacc. *d. qu.* 184. *num.* 43.

27 Hinc propterea infertur, Schismaticos verè conficere, & consecrare Eucharistiam, verè confirmare, verè ordinare, & ordinatos ab illis veri ordinis characterem recipere, quamuis sic ordinati sint ipso iure suspensi, si scienter ab Episcopo Schismatico Ordines recipiant, nec possent in Ordinibus susceptis ministrare, nisi obtenta dispensatione Apostolica, vt censuit Sacra Congregatio *sub die* 16. *Nouembris* 1607. Clem. VIII. *in Constitut.* 47. Verricell. *de Missionibus q.* 84. *in fine.*

Parique ratione, si Altaria, Vasa, Templa, aut Vestes Schismaticus consecret,

ratum est,quod facit, quia hæc sunt Ordinis, ità Azor. *d. cap.* 20. *q.* 9.

Quod tamen habet locum, si Schismaticus administraret secundum formam Ecclesiæ, & intendat facere, quod facit Ecclesia, Soccin. *cap. 1. de Schismat. num.* 1. Ricciull. *d. lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 3.

28 Secundò infertur, Schismaticum neque absoluere, neque excommunicare, nec indulgentias concedere, non eligere, non Beneficia conferre, non leges, sine Constitutiones dare, vel ponere, posse; sic Azor. *d. cap.* 20. *qu.* 9. *vers. Non possunt.*

Et ratio est, quia dùm Ecclesia habet Pastorem Schismaticum, dicitur vacare, *cap.* 1. *cap. Cum Vobis de Præsumpt.*

Actus verò facti Sede vacante sunt nulli, *cap. Precariæ* 12. *qu.* 2. *cap. Si qui de rebus* 12. *qu.* 1. Abb. *in cap. Causam quæ, num.* 11. *de Iudicijs*, Aldobrand. *conf.* 1. *nu.* 52. Ricciull. *d. lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 2.

29 Et quod collationes factæ à Schismatico nullæ sint, est Text. *in cap.* 1. §. *adijcientes*, *de Schismat.*

Vniones pariter factæ à Schismatico eodem vitio laborant, Coccin. *decis.* 295. *num.* 1. *Rot. decis.* 352 *par.* 4. *recent.*

30 Priuilegium quoque concessum à Pontifice Schismatico est nullius roboris, *cap. Factus in fin.* 7. *qu.* 1. *cap. Didicimus* 34. *qu.* 1. Gregor. XV. *decis.* 289. *nu.* 1.

Et prædicta procedunt quamuìs cederent in fauorem, & vtilitatem Ecclesiæ, Ricciull. *d. lib.* 9. *cap.* 4. *nu.* 7.

Si verò Schisma contingeret, quia plures pro Pontificibus, vel pro Prælatis se gererent, & iura vtriusque partis essent ambigua, validitas, vel inualiditas actus penderet à futuro euentu, nempè si detegatur verus Papa, vel Prælatus, vt de duobus Imperatoribus scribit Oldrad. *cons.* 22. Alberic. *in l. benè à Zenone, C. de Quadriennij præscript. col.* 2. Ricciull. *loc. cit. nu.* 9.

31 Hic tamen Titulus cum cursu quadraginta annorum, præbet iustam causam præscribendi, Coccin. *decis.* 295. Greg. XV. *decis.* 289. Rot. *d. decis.* 352. *nu.* 3. *par.* 4. *recent.* Ricciull. *loc. cit. num.* 10.

Et ratio est, quia cum isto casu non versemur in mero iuris errore, sed vel in errore facti, vel saltèm in mixto facti, & iuris, huiusmodi mixtum causat iustum Titulum ad præscribendum, Rot. *decis.* 3. *de Procur. in nouiss.* Aegid. *dec.* 704. Coccin. *dicta decis.* 295. *num.* 8. Ricciull. *loco citato num.* 11.

Quæ multò magis procedunt, quando vnus tantùm se gereret pro Papa, vel Præ-
32 lato, in aliqua Regione, qui licèt esset Schismaticus, vel nulliter electus, communi tamen reputatione ibi haberetur pro vero Papa, vel Prælato; quia ad validitatẽ gestorum sufficit communis reputatio, *l. Barbarius*, *ff. de Offic. Prætor.* cuius dispositio procedit etiam in Papa, vt dicit Iason. *in d. l. n.* 64. Gemin. *cons.* 8. Greg. XV. *dicta decis.* 289. *num.* 4. Ricciull. *loco citata num.* 15.

Cæterùm an Schismaticus non denunciatus nominatim priuatus sit iurisdictione, non conueniunt Doctores, vt videre est penès Azor. *dicto cap.* 20. *qu.* 9. Duard. *dicta qu.* 56. *nu.* 13. *vers. Quæ quidem militant*, Card. de Lugo *d. tract. de virt. fidei Diuina disput.* 20. *sect.* 3. *nu.* 59. Carena *loc. cit. par.* 2. *tit.* 2. §. 12. *num.* 43. Bordon. *d. cap.* 7. *num.* 24. P. del Bene *loco citato num.* 5. Sed de hoc infra.

Secunda pœna est excommunicatio. An autem inflicta sit ipso iure à iure communi, controuersum est apud Docto-
33 res; nàm Innocent. *cap.* 1. *de Schismat. nu.* 2. Soccin. *num.* 6. & 7. Decian. *lib.* 5. *cap.* 64. *ibid. num.* 1. & *cap.* 67. *nu.* 2. Roias *de Heret. par.* 1. *nu.* 531. Hostien. *in Summ.* §. *Qua pœna nu.* 3. Diaz *in prax. Canon. vers. Schismaticus c.* 112. Valent. 2. 2. *qu.* 30. *artic.* 3. & 4. tenent affirmatiuam per Text. *in cap.* 1. *de Schismat.* & *in cap. Nulli fas, dist.* 19. & *in cap. de Liguribus* 23. *qu.* 2.

Sed ex his Textibus non benè probatur hæc opinio: nàm Text. *in cap.* 1. *de Schismaticis*, & *in cap. Nulli fas, dist.* 19. & *in cap. de Liguribus* dicunt solùm, Schismaticos esse excommunicatione appellandos, & propterea Abb. *in rubr. de Schismat. num.* 2. ex dictis Textibus hoc non colligi apertè dixit: Putat tamen posse colligi hanc pœnam excommunicationis, *ex cap. Licet, de elect.*

Sed fallitur, quia in dicto Textu non excommunicantur Schismatici in vniuersum, sed illi, qui creato vero Pontifice, alium creant, & tanquàm Ecclesiæ Caput venerantur, vt benè Azor. *dicto cap.* 20. *qu.* 6. Sanctarell. *dicto cap.* 43. *dub.* 1. *nu.* 8.

Turre-cremata verò *in summa de Ecclesia lib.* 4. *par.* 1. *cap.* 8. dicit, Schismaticos esse excommunicatos, *in cap.* 2. *de Schismat.* & *in d. cap. de Liguribus.*

At ipse quoque fallitur, quia *in d. cap.* 2. nihil dicitur de excommunicatione; & *in dicto cap. de Liguribus* solùm dicitur, Schismaticos esse excommunicandos, Sanctarell. *loco cit. ad fin.*

Hinc Butr. *in dicto cap.* 1. *de Schismat. n.* 2. & alii, quos refert Innocent. *vt supra*, Azor. *dicto cap.* 26. *qu.* 6. Sanctarell. *dicta cap.* 43. *dub.* 1. *n.* 8. Sayr. *de Censur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 19. dicunt, in iure non ferri aliquam excommunicationem contra huiusmodi Schismaticos, ex Text. *in cap. in nomine* 23. *dist.* vbi dicitur *damnetur*, quod verbum intelligitur de excommunicatione ferenda, non lata, & ex hoc fortassè in Sancto Officio non absoluebantur Schis-

matici à censuris, sed sola fidei professione facta dimittebantur.

34 Sed quidquid sit de iure antiquo; hodie vigore Bullæ in Cœna Domini, sunt Schismatici ipso iure excommunicati, *vt in 1. Canone*, ibi, *Necnon Schismaticos*, Nauarr. *in Man. cap. 27. rubr. de Cens. Ecclesiast. num.* 50. Vgolin. *de Censur. par. 2. in glosf. Necnon Schismaticos*, Duard. *in Bulla, dicta qu. 56. vnic. conclus. nu. 6.* Azor *d. cap. 20. qu. 6.* Farinacc. *d. qu. 184. num. 37.* Card. de Lugo *d. disput. 25. sect. 3. num. 37.* Sanchez *d. cap. 36. num. 11.* P. Thesaur. *in Prax. Ecclesiast. vers. Schisma cap. 1. vers. Excommunicationem incurrunt Schismatici*, Carena *d. §. 12. num. 44.* P. del Bene *loc. cit. sect. 3. nu. 1.*

Et quamuis dubium sit, an Constitutiones Apostolicæ comprehendant Orientales, quia mens Summorum Pontificum est, non dirigere eas ad illos, vt voluit Azor. *Instit. moral. to. 1. lib. 5. cap. 11. quæst. 7.*

35 & hanc opinionem sequuntur Salas, & alij relati à P. Vericell. *de Apost. Mission. qu. 83. num. 4.*

Nihilominùs quando tractatur de Censuris in Bulla Cœnæ Domini, latis contra Schismaticos, non est dubium ijs comprehendi etiam Orientales, vt fuit resolutum in Sacra Congregatione *die 7. Iunij 1639.*

36 Quod idem dicendum quando tractatur de Dogmatibus fidei, vel quando implicitè in eisdem Constitutionibus de illis disponitur, vt in casu appellationis ad futurum Concilium, & deferentium arma ad Infideles; vt fuit resolutum in Sacra Congregatione de Propaganda fide *die 14. Iulij 1631.* de qua latè Verricell. *loco cit.*

Sed an consuetudo immemorabilis contra sacros Canones, à Græcis introducta durante Schismate valida sit, & excuset à peccato: Videndus est Verricell. *de Apostol. Mission. q. 87.* & post eum Fermosin. *in cap. fin. de consuetudine qu. 6.*

In hanc autem excommunicationem incurrunt non solùm Schismatici, qui alium Pseudo-pontificem eligunt, cum hi per antonomasiam Schismatici vocentur, sed etiam qui sine alterius Pontificis electione separant se ab obedientia veri Pontificis, Card. de Lugo *dicta disput. 24. sect. 3. num. 37. vers. His breuiter*, P. Thesaur. *loc. cit. vers. Prima excommunicatio.*

Quinimò addit Card. de Lugo, se credere comprehendi etiam illos, qui subdolè malitiam velare conantes, dicunt, se non negare obedientiam Sedi Apostolicæ, sed huic personæ ob peculiares rationes, posteà tamen eius Successori obedientiam præstituros: & propterea esse addita illa verba: *Qui se à nostra, & cuiusuis Pontificis pro tempore existentis obedientia subtrahunt.*

37 Non percutit tamen hæc excommunicatio Schismaticos purè mentales, Sanch. *dicto cap. 36. nu. 16.* Duard. *d. concl. vnic. nu. 8.* Caren. *dicto §. 12. nu. 45.* P. del Bene *loc. cit. num. 10.*

Nec eorum Fautores, Sanchez *loco cit. num. 16.* Duard. *loco cit. num. 8.* Bonacin. *in Decalog. disp. 3. qu. 4. punc. 5. num. 11.* Carena *dicto §. 12. num. 45.* P. del Bene *loc. cit. sect. 3. num. 5.*

Ij tamen sunt excommunicati à Constitutione Pauli IV. *Cum ex Apostolatus Officio 19. nu. 1. to. 1. Bullar.* P. del Bene *loco cit. num. 6. vers. Quamuis.*

Quæ Constitutio cum non comprehendat in vniuersum Schismaticos omnes, sed tantummodò Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Primates, Cardinales, Legatos, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges, & Imperatores, ea excommunicatio non extenditur, nisi ad personas in Constitutione expressas; sic Card. de Lugo *loco cit. in fin.*

Et de hac Constitutione videndi sunt Duard. *loco citato num. 13.* Scortia *in Select. epist. 71. theorem. 182.* P. Thesaur. *loco citato.*

38 Tertia pœna est Irregularitatis, Specul. *tit. de Dispens. §. Iuncto, num. 17.* Raymundus *in summa, verb. schisma, vers. vltimo*, Maiol. *de Irregular. lib. 5. cap. 46. num. 4.* Penia ad Eymer. *par. 2. quæst. 48. comment. 73.* Azor. *dicto cap. 20. qu. 8.*

Contrariam opinionem tenuerunt Suarez *de Censur. par. 3. disput. 43. sect. 2. num. 7.* Sayr. *in Thes. lib. 7. cap. 12. num. 16.* Sanchez *d. cap. 36. num. 2.* qui dicit, nullum ex Textibus, in quibus se fundant Doctores, tenentes pro Irregularitate hoc probare. Idem tenet Sanctarell. *dicto cap. 43. dub. 1. num. 13.* P. Diana *par. 4. tract. 7. resolut. 29. vers. Notandum est hic contra Peniam*, Cardin. de Lugo *loco cit. num. 4.* Et hos sequitur P. del Bene *loco cit. num. 1. ad 4.*

Hæc tamen contraria opinio non procedit, quando crimen est notorium notorietate facti, quia tunc Schismaticus est irregularis irregularitate proueniente ex infamia, qua cessante, cessat quoque irregularitas, Sayr. Sanchez. & Sanctarell. *locis citatis*, P. Thesaur. *loc. cit.* qui subiungit, quod vigore dictæ Bullæ Pauli IV. Cardinales, Episcopi, Legati in Schisma incurrisse, deprehensi, aut confessi, aut conuicti ipso facto sunt Ordinibus priuati, idest ipso iure depositi, & ad Ordines inhabiles, P. del Bene *sect. 5. num. 5.*

Et Fautores istorum sunt ipso iure infames, & consequenter Irregulares, quod idem voluit P. Diana *loc. cit.* Bonacin. *in Bulla Cœnæ disput. 1. qu. 1. pun. 5. nu. 3.*

39 Quarta pœna est priuatio Beneficiorum anteà obtentorum, Rebuff. *in Prax. Benef.*

tit. de modo amittendi Benef. num. 29. Parif. *de Refignat. lib.*3. *qu.*1. *num.*36. Simanch. *de Cathol.tit.*58.*num.*7. Farinacc.*qu.*184.*nu.*42. Lotther. *de re benef. lib.*3.*q.*28.*nu.*35.

Sed hanc pœnam nullo iure probari tener, Sanchez *dicto cap.*36.quem fequuntur Caftro-palao, & Hurtad. *citati* à Card. de Lugo, *dicta difput.* 25. *fect.*3. *nu.*43. Bonac. *dicto pun.*5.*num.*12. Carena *d.*§.12.*nu.*48. *ad fin.* P.del Bene *d. fect.*4. *num.*9.

40 Quinta pœna huius Inconftantiæ eft inhabilitas ad obtinenda beneficia, *cap. Quia diligentia, de elect.* Azor.*d.cap.*20.*q.*8. Penia *d.Comment.*73. Suarez *d.difp.*43.*nu.*2. & 7. Sanchez *d.cap.*36. *num.*18. Sanctarell. *loc.cit.num.*3. ex noftris Decian.*in cap.At fi Clerici*, §.*de Adult.nu.*151.*de Iud.* cum aliis, quos refert, & fequitur Garzias *de Benef. par.*11. *cap.*10.*nu.*161. Caren. *d.*§.12.*nu.*48. P.del Bene *loc.cit. fect.*4.*nu.*1.

Quæ pœna habet locum etiam peracta pœnitentia, vt reprobato, Crauett. *in conf.* 293. *num.* 10. voluit Penia *d. Comment.* 73. Suarez *difp.*43.*fect.*2.*num.*7. Garzias *loc.cit.* Carena *dicto* §.12. *num.*48. P.del Bene *loco citato*.

41 Sexta pęna eft confifcationis bonorum, *cap.*1. *de Schifmat. in* 6. *cap.Si vos contra* 23. *quaft.*8. Simanch. *de Cathol. d.tit.*58. *rubr.de Schifmat.num.*27. Decian. *lib.*5. *cap.*67.*nu.*5. & 14. Farinacc. *qu.*184.*nu.*47.

Verùm Textus prædicti non probant, Schifmaticis hanc pœnam effe irrogandam, loquuntur enim de Hæreticis,vel de Schifmaticis, & Hæreticis fimul, vt patet *ex dicto cap.* 1. ibi: *Ipfos iudicantnus Schifmaticos, & Blafphemos,& tanquàm Hæreticos puniendos*: *In cap. Si vos*: hoc habetur expreffè, quia ibi non folùm erant Schifmatici, fed Hæretici, quia rebaptizabantur.

Vigore tamen Bullæ Pauli IV. *fupra citata* intrat confifcatio, refpectu perfonarum in ea contentarum; imò eorum bona temporalia occupanti conceduntur, Pater Thefaur. *loco cit. num.* 4. *verf. Sed ex Bulla*, qui fubiungit, non propterea licitum effe Catholicis auferre à Gręcis Mercatoribus bona eorum, etiamfi Schifmatici effe dicantur, feu Ecclefiæ Schifmaticorum: Tùm quia Ecclefia eos tolerat ex Archid. *in cap. Magnum* 11. *qu.* 1. Tùm etiam quia ipfi feculares fæpè laborant ignorantia inuincibili Schifmatis, vndè requireretur monitio Sedis Apoftolicæ.

42 Septima pœna eft traditio Curiæ fecülari, & confequenter mortis, quando tractatur de impœnitentibus, *cap. de Liguribus* 24.*qu.*5.*cap.Non vos* 23.*qu.*5. Anan. *in rubr. de Schifmat.num.*6. vbi dicit,quod Schifmatici, qui adhærent falfæ Ecclefiæ, fi in bello capiantur,debent furca fufpendi, Diaz. *in prax. can. in ver. fchifma,cap.*112. *fed mihi* 116. vbi quod Clericus degradatur, & traditur Curiæ feculari, fi fit incorrigibilis, & habet Schifma admixtum cum Hærefi, Decian. *d.cap.*67.*nu.*19. Farinacc.*dicta qu.* 184. *num.* 51. & quod Clericus Schifmaticus Curiæ feculari tradi non debeat, nifi fit incorrigibilis, & feruata forma, *cap. Cum non ab Homine, de Iudicijs*, dixit Fermofin. *dicto cap. Cum non ab Homine quaft.* 25.

Cauendum tamen eft à Marta *de Iurifdictione par.*2. *cap.*38. dùm dicit, Clericos Schifmaticos contumaces nulla præcedente monitione ftatim fubijci iurifdictioni laicorum, per Text. *in cap. Nec licuit*,17.*dift* & à Duardo *loco fuperiùs citato*, qui fretus auctoritate Martæ dicit, quod Schifmatici priuantur priuilegio fori, & poffunt à poteftate laica puniri, quia crimen eft mixti fori.

Nàm Gregorius Papa, non Pelagius, vt dicit Marta *in d.cap.Nec licuit*,non fubijcit ftatim laicæ poteftati Clericos Schifmaticos, fed dicit, quod fecundum Canones debent comprimi per poteftatem fecularem. Ideò priùs eft feruanda forma facrorum Canonum, hoc eft per traditionem Curiæ feculari ab Ecclefia, ad notat. per Io: Andr. *in cap. Cum non ab Homine nu.* 9. *de Iudic.*

Vel priuato prius Clerico Schifmatico fori priuilegio à Iudice Ecclefiaftico, Grafs. *de effect.Clericat.effect.*1.*nu.*1012.

Vel in omnem cafum, quando funt tales Schifmatici, qui per Ecclefiam coerceri nequeant, vt declarat Turre-cremata *in dicto cap. Nec licuit num.*10. & ità intelligendum effe Textum *in d. cap. de Liguribus* 23.*qu.*5. dicit idem Turre-cremata *loco cit.* Farinacc. *d.qu.*184.*nu.*52.

Facit,quod tradit Epifcopus Eugubinus *decif.*125.*num.*30. vbi quod Iudex fecularis tunc poteft animaduertere in Clericos incorrigibiles, quando adeò proterui funt,

43 vt Ecclefia non poffit eos, vel anathemate, vel diftrictione perfonæ deprimere: & quando Ecclefia adhibuit omnia remedia, & de facto corrigi non poffunt.

Aliæ autem pœnæ, quæ enumerantur à dicto P.del Bene *d.fect.*5.non funt proprię pœnæ Schifmaticorum, fed eorum, qui recipiunt Ordines, vel Beneficia à Schifmaticis.

44 An autem filii Schifmaticorum priuentur bonis, & ad honores, & dignitates inhabiles reputentur,videndus eft Farinacc. *dicta quaft.*184. *num.*58. & 59.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Quis dicatur Hæreticus. An retinens opinionem Catholicam, & veram, putans esse contra Catholicam veritatem sit Hæreticus. Quando simplicitas, & Ignorantia excusent ab hæresi. Quid de profitentibus ioco verba Hæreticalia inaduertenter ex Ira, & metu, &c. An Cathecumenus recedens à fide dici possit Hæreticus. An qui educatus, & nutritus est inter Christianos, si deficiat à fide possit dici Hæreticus. An Iudæi ad fidem conuersi possint cogi pœnis Hæreticorum ad perseuerandum in fide Christiana. An Iudæi, qui post perpetratum delictum petunt baptizari, euadant pœnas pro delicto inflictas. An baptizatus, cuius Baptismus sit aliqua ratione irritus, si recedat à fide possit puniri vt Hæreticus.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus verè quis dicatur.*
2 Hæresis *vox quid significet.*
3 *Hæresis nomen quomodo accipiatur secundum vsum Ecclesiæ.*
4 *Hæresis definitio.*
5 *Hæresis debet procedere ab errore intellectus. Opinionem falsam retinens, & credens sic ab Ecclesia teneri, paratus se corrigere agnito errore non dicitur hæreticus.*
6 *Error circa contenta in Symbolo fidei non excusat ab hæresi.*
7 *Error circa ea, quæ quis in fide scire tenetur, non excusat à peccato in foro conscientiæ. Errans in rebus fidei an, & quando torquendus sit super intentione.*
8 *Opinionem Catholicam, & veram retinens, sed putans illam esse contra Catholicam veritatem an censeatur hæreticus, & an peccet & num. seq. Percutiens laicum credens percutere Clericum non incidit in excommunicationem.*
9 *Credulitas materialis tantùm ex parte obiecti non sufficit ad fidem. Fides requirit assensum de veritate formali.*
10 *Simplicitas excusat rusticos, mulieres, aliosque hebetis ingenij in fide errantes ab hæresi formali.*
11 *Simplicitas quibus in casibus non excuset.*
12 *Ignorantia an, & quando excuset ab hæresi. Hæresis requirit errorē sciente in rebus fidei.*
13 *Ignorantia quantumuis crassa, & supina excusat ab hæresi in foro interno. Ignorantia crassa quomodo differat ab ignorantia affectata.*
14 *Ignorantia affectata an, & quando excuset ab hæresi in foro interno.*
15 *Ignorantia an, & quando excuset ab hæresi in foro externo.*
16 *Verba hæreticalia iocosè proferens an, & quando censeatur hæreticus, & quomodo dimittendus ab Inquisitione & num. 20.*
17 *Quid si proferantur inaduertenter, & ob linguæ lubricitatem & num. 20.*
18 *Quid si proferantur per iram, & ex impetu subitaneo & num. 20.*
19 *Quid si proferantur recitatiuè, & sine dolo malo referendo aliorum hæreses.*
20 *Proferens verba hæreticalia habet contra se præsumptionem malæ intentionis, & hæresis. Ideo exceptionem probare tenetur.*
21 *Verba dubia non censentur hæreticalia, sed intelligenda sunt in bono sensu.*
22 *Negans exterius fidem coactus, illamque retinens corde an, & quando censeatur hæreticus.*
23 *Cogitationes Blasphemæ, turpissimæ, & hæreticæ contra Deum, & Sanctos vnde proueniant, quomodo vitentur, & an faciant eē patientem hæreticum.*
24 *Hæresis non potest considerari in Iudæis, vel Paganis, alijsque non baptizatis.*
25 *Cathecumenus deserens fidem ante Baptismum an sit censendus hæreticus.*
26 *Hæreticus an, & quando censendus sit, qui inter Christianos nutritus, & conuersatus in fide delinquit. Baptizatus an, & quando quis præsumi debeat ex professione, seu communi reputatione, & opinione. Negatiua Baptismi an probetur, ex non descriptione in libro Parochi.*
27 *Lusitani venientes in Italiam, & Iudaizantes omninò puniendi vti Apostatæ à fide. Negociatio Christianis cum hæreticis quantum sit interdicta. Apostasia plus sceleris quàm hæresis.*
28 *Iudæi ad fidem conuersi, & in illa inconstantes habentur pro hæreticis. Commercium Christianorum cum Apostatis, & hæreticis vbi, & quando interdictum. Veneti expulsi à Dalmatia.*
30 *Iudæi priores Ritus seruantes post eorum con-*

uersionem ad fidem cogendi ad illos descendus, & ad obseruandos Ritus Catholicos pœnis contra hæreticos statutis.

31 *Iudæi Baptismate abluti in infantia ad Iudaismum redeuntes puniuntur tanquam hæretici.*

32 *Pueri Hebreorum vsu rationis carentes an possint inuitis parentibus baptizari.*

33 *Puer baptizatus inuitis parentibus Iudæis an possit in adulta ætate cogi ad persistendum in fide, & an possit parentibus sub aliqua cautione restitui.*

34 *Filius patris conuersi ad fidem Christianam ad petitionem eiusdem patris est baptizandus.*
Quid si conuersa esset mater.
Quid si conuersus esset auus paternus an possit petere, quod baptizatur nepos inuitis parentibus Iudæis.

35 *Filius Iudei baptizati à fide apostatantis inuitis parentibus baptizandus, & de ratione.*
Apostata omnis ratione baptismi subiectus foro potestati, & iurisdictioni Ecclesiæ.
Filius Apostata quoad spiritualia subiectus foro Ecclesiæ.
Apostata amittit patriam potestatem.

36 *Patria potestas in re spirituali non habetur in consideratione.*

37 *Patruus an, & quando instare possit quod nepos baptizetur.*

38 *Vsum rationis quando habere dicatur puer, seu infans Hebræus vt valeat petere Baptismum.*

39 *Aetas, quæ requiratur in pueris Hebræis, vt possint trahi ad Baptismum.*

40 *Iudæus putans se baptizatum, cum verè non sit, si in hæresim incidat an, & quando sit puniendus tanquam hæreticus.*

41 *Iudæus putans se baptizatum, est baptizatus baptismo flaminis.*

42 *Iudæus baptizatus coactè an, & quando baptismum colere, & seruare compellatur.*

43 *Iudæus coactus ad suscipiendum baptismum coactione præcisa, & absoluta an, & quando teneatur seruare fidem Christianam, & aliàs puniri possit tanquam hæreticus.*

44 *Quid si baptismum per actus positiuos approbauerit, & metum purgauerit.*

45 *Iudæi transeuntes ad aliam Sectam, puta Saracanorum, vel aliorum Infidelium an, & quando puniri possint ab Ecclesia.*

46 *Quid si falsas opiniones contra Christianam fidem retineant.*

47 *Iudæi transeuntes ad Sectam Saracenicam possunt puniri ab Ecclesia.*

48 *Iudæi delinquentes, & postmodum baptismum petentes an, & quando euadant pœnas temporales delictorum commissorum ante baptismum.*

49 *Pius Princeps quando commendandus ob pœnas delictorum condonatas Iudæo petenti Baptismum.*

50 *Quid si Baptismum petat Iudæus in triremibus condemnatus.*

51 *Iudæus fingens se Christianum, & suscipiens Eucharistiam, qua pœna plectendus.*

52 *Baptizatus à fide Inconstans recedens si eius Baptismus sit irritus ex defectu materiæ, vel intentionis ministri, sed ipse seuerè baptizatum putauit, & pro tali se gesserit, an debeat puniri tanquam hæreticus.*

53 *Quid si Baptismus sit inualidus ex parte ipsius baptizati, qui voluit exterius, sed fictè, & sine intentione baptizari.*

54 *Hæresis quomodo differat ab Apostasia.*

QVARTÒ datur Inconstantia in fide ob hæresim.
Qui ergo Christianam fidem est
1 professus, & Inconstans elegit aliam doctrinam, quam putat meliorem in materia fidei, quàm sit doctrina ab Ecclesia tradita, is verè dicitur Hæreticus *cap. Hæresis 24. qu. 3.* Suarez *de fide disp. 19. sect. 1. nu. 1.* Sanctarell. *de Hæresi cap. 1. dub. 1. num. 3,* Fragos. *de Regim. Reipubl. par. 2. lib. 1. disp. 3. num. 13.*
2 Vox enim *Hæresis* Græco idiomate significat electionem, Tertull. *de Præscript. Hæreticorum cap. 6. & 37.* D. Hieronymus *in Epistola ad Titum 3. & in cap. 5. ad Galatas,* Isidorus *lib. 8. Ethimol. cap. 3.* Raban. *de Institut. Christiana lib. 2. cap. 58.* Cano *lib. 12. de locis cap. 8. vers. primum igitur,* Simanc. *de Cathol. tit. 30.* Eymer. *21. qu. 1.* & ibi Pegna *comment. 26.* Becan. *de fide cap. 14. qu. 1. num. 1.* Valent. *2. 2. disp. 1. qu. 11. punct. 1. in princip.* Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 9. qu. 1.* Suarez *d. disp. 19.* Rebuffus *in prax. benefic. in explicatione Bullæ Cœnæ,* Couuar. *lib. 3. Var. cap. 1. num. 7.* Castro *aduersus Hæreses lib. 1. cap. 1. & de iusta Hæret. punitione cap. 1.* Sanctarell. qui hos omnes *d. dub. 1.* Repert. Inquisit. *vers. Hæresis,* Farinac. *qu. 178. num. 41.* Alberghin. *in man. cap. 1. num. 1.* Bordon. *in Tribunal. cap. 9. num. 3.* Ricciull. *de Iure personarum lib. 5. cap. 1.*
Et quamuis in materia doctrinæ omnis
3 electio hæresis possit appellari, vt dicebat Cicero de Catone *in Paradoxis,* vbi appellat Sectam Stoycorum hæresim, ex vsu tamen Ecclesiæ hæresis nomen accipitur solùm pro errore contra fidem *cap. ad abolendam, & passim toto tit. de Hæret.* Sanctarell. *loco cit. dub. 1. num. 2.* Ricciull. *loco citato num. 2.*
Et propterea hæresis definitur, vt sit
4 error in intellectu voluntarius in homine baptizato contra aliquam Catholicæ fidei veritatem cum pertinacia assertoris, Sanchez *ad præcept. lib. 2. cap. 7. nu. 1.* Couuar. *lib. 3. Var. cap. 1. num. 2.* Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 9. qu. 1.* Pegna *d. comment. 26.* Sanctarell. *loco citato,* Farinac. *qu. 178. num. 6. ad finem.* apud quem leges plures Hæresis, & Hæretici definitiones.

Ex hac definitione primò infertur, quod
5 vt fit hæc Inconftantia in fide punibilis debet procedere ex errore Intellectus; fi enim ità quis falsùm opinetur credens fic ab Ecclefia teneri, non erit in fide Inconftans, dummodò paratus fit fe corrigere, vbi in errorem fe lapfum cognofcat, Innocentius *in cap. 1. num. 7. C. de Summa Trinitate, & fide Catholica*, vbi cæteri Canoniftæ relati à Farinaccio *qu. 179. §. 1. n. 1.* Et hanc doctrinam Innocentij fequuntur omnes Summiftæ ab eodem Farinaccio *loco citato* adducti, licèt nonnulli alij ab eo allegati de hoc nihil dicant.

Declara tamen hanc illationem non procedere in ijs, quæ funt expreffa in Sym-
6 bolo fidei, & quæ tenetur quilibet Chriftianus explicitè fcire, & credere; quoad enim contenta in Symbolo huiufmodi error non excufat, Repert. Inquifit. *verf. error*, Calder. *de Haret. num. 7.* Farinaceius *qu. 179. num. 4.*

7 Sicuti nec excufat in foro confcientiæ à peccato in his, quæ fcire tenetur, Repert. Inquifit. *verf. Hærefis §. 1. rubr. Quid fi hærefis verf. ex fupradictis*, Simanch. *de Cathol. tit. 31. rub. de Haret. nu. 9.* Farinac. *d. qu. 179. num. 7. verf. limita 5.*

An verò ifte tanquam præfumptus Inconftans fit torquendus pendet à qualitate perfonæ, & articuli, in quo errat Bellam. *cap. 1. de Summa Trinitate, & fide Catholica*, Farinac. *loco citato num. 6.*

Sed nunquid debeat fic errans reuocare fuum dictum, Cotta *in memor. ver. Hæreticus* dicit fe vidiffe quemdam fic imputatum dimiffum fuiffe liberum, addita tamen pœnitentia, quod tribus diebus folemnibus publicè pr̨ Valuis Ecclefiæ fe Populo exhiberet fatendo errorem fuum. Cottam fequitur Farinaceius *d. qu. 179. num. 5.*

In hac tamen Suprema, & Vniuerfali Inquifitione non feruatur huiufmodi opinio, nifi fortafsè concurreret fcandalum, fed fola errantis inftructione Inconftans fic dimittitur.

8 Sed an è contrario retinens opinionem Catholicam, & veram, putans eam effe contra Catholicam veritatem, dicatur Inconftans in fide.

Negatiuam opinionem tenet Simanch. *de Cathol. tit. 31. num. 9. verf. Proindè fi quis fequatur*, quamuis dicat talem fic opinantem grauiter peccare.

Ratio eft, quia cum ifte credat verum, nihil credit contra Catholicam fidem, & propterea fine falfa credulitate non poteft dari Inconftantia in fide, Ricciull. *de Iure perfonarum lib. 5. cap. 5. num. 1. verf. Dicitur.*

Secundò, quia credens percutere Clericum, fi percutiat laicum non incidit in excommunicationem, Soccinus *in cap. Peruenit num. 142. de fent. Excomm.* Ricciull. *loco citato.*

Sed affirmatiuam opinionem, hunc effe
9 omninò in fide Inconftantem tenuerunt plures adducti à Sanchez *d. cap. 7. num. 3.* Paramo *de origine Inquifitionis lib. 3. qu. 3. num. 20.* Farinac. *d. qu. 179. num. 2. verf. Quid è contra*, Ricciull. *dicto cap. 5. num 1.*

Non obftat prima ratio negatiuæ opinionis, quia cum credulitas veri contradicat formaliter Ecclefiæ, non poteft dici, quod quis ità credendo verum credat, Ricciull. *loco citato num. 6.* & benè, nam cum illa credulitas fit materialis tantùm ex parte obiecti non fufficit ad fidem, quæ debet effe affenfus de veritate formali, qualis non eft hic, qui exiftimando illud obiectum non effe Catholicum, ei tamen affentitur, quæ eft communis doctrina, vt notat Sanchez *lib. 2. cap. 7. num. 30.* Enriquez *lib. 13. cap. 7. num. 3.* Layman. *tract. 1. cap. 16.* & Macedo *in qu. 1. de Hærefi affert. 2.*

Non obftat fimile de excommunicatione, quia excommunicatio non nafcitur ex animo ficut hæretis, fed ex actu, qui cum tendit in laicum, licèt animus feratur in Clericum, non caufat excommunicationem, Soccin. *loco citato*, cum alijs per Ricciull. *loco citato num. 7.*

Secundò infertur Rufticos, Mulieres,
10 aliofque hebetis ingenij potiùs per fimplicitatem, quàm per errorem in hærefim incidentes, non poffe dici formaliter Hæreticos, vt de muliere voluit Repert. Inquifit. *verb. fides verf. verùm fimplices*, Angel. *eodem verb. num. 6.* Tabien. *eodem num. 7.* Simanch. *inferiùs citan. num. 28.*

De Ruftico verò Simanch. *de Cathol. tit. 17. rub. de defenf. Reorum num. 21.* Tolet. *in fumm. lib. 4. cap. 3. num. 4.*

Et de hebetis ingenij Sanchez *ad præcep. lib. 2. cap. 3. num. 28.*

Et de his omnibus Farinaceius *d. qu. 179. à num. 14.*

Huiufmodi tamen fimplicitas non ex-
11 cufat à crimine hærefis in his, quæ refpiciunt articulos fidei, quos quis explicitè fcire tenetur, Albertin. *in repet. rub. de Hæret. in 6.* nifi ignorantia fit inuincibilis, vt mox dicemus.

Nec fi coniuncta fit cum pertinacia, Tabien. *verb. fides nu. 7.* Campeg. *in addit.* ad Zanchin. *tract. de Hæret. cap. 2. litt. B.*

Nec fi monitus non curet confulere Peritiores, Simanch. *de Catholic. tit. 38. Rub. de fide Catholica num. 28.* Zanchin. *loco citato.*

Infertur tertiò Ignorantem excufari ab
12 huiufmodi Inconftantia, & hærefi, nam vt quis fit hæreticus neceffariò requiritur, vt fcienter erret in rebus fidei, Diuus

Thomas 2.2. *qu.* 12. *art.* 2. *ad* 3. & ibi Gaiet. Couuar. *Var. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. Clar. §. *Hæresis num.* 2. Simanch. *de Cathol. tit.* 31. *num.* 10. & *tit.* 46. *num.* 14. Albert. *de Agnosc. qu.* 36. *num.* 2. Paramo *de origine S. Inquisitionis lib.* 3. *qu.* 3. *num.* 25. Farinac. *qu.* 179. §. 3. *num.* 23.

Sed in hac materia aliud est in foro in-
13 teriori, aliud in exteriori; siquidem quod attinet ad forum interiùs, Ignorantia quantumuis crassa, & supina excusat, Cano *de locis lib.* 12. *cap.* 9. *col.* 21. Castro *de iusta Hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 9. & *lib.* 2. *cap.* 18. alios adducit Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 20. Sanctarell. *d. cap.* 1. *dub.* 5. *nu.* 20. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 10. *vers. Contrarium*, Farinac. *qu.* 179. *num.* 29. *vers. Vide generaliter*, Carena *in prax. par.* 2. *tit. de Hæret.* §. 11. *num.* 66.

Et quamuis P. Bordonus *loco allegato num.* 47. nitatur probare Ignorantiam crassam non excusare in foro conscientię, illius tamen opinioni non est adhęrendum quia coniungit Ignorantiam crassam cum affectata, quæ tamen diuersimodè se habent, cum affectata Ignorantia sit error ex electione, nec paratus sit corrigi, qui data opera commonitionem Ecclesiæ, eiusque doctrinam declinat Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 21.

Imò etiam Ignorantiam affectatam
14 excusare in foro interiori ab hæresi, quando ille, qui affectat, est paratus obedire Ecclesiæ, tenuerunt Azor, *to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *qu.* 9. & *lib.* 8. *cap.* 9. *qu.* 8. Becan. *de fide cap.* 14. *qu.* 2. *num.* 16. Suarez *ead. disp.* 19. *sect.* 3. *num.* 18. cum alijs, quos adducit Ricciull. *d. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 13. Sanctarell. *d. cap.* 1. *dub.* 5. *nu.* 23. Farinac. *d. qu.* 179. *num.* 30. *in corpore*, & multi alij, quos citat, & sequitur Macedo *art.* 1.

15 Si verò sumus in foro exteriori nulla Ignorantia excusat, quæ non sit probabilis, & iusta, Azor. *d. qu.* 8. *in fine*, Farinac. *d. qu.* 179. *num.* 30. Carena *dicto* §. 11. *num.* 68.

Quartò infertur proferentem verba
16 Hæreticalia ex ioco non esse Inconstantem in fide, Archid. *cap. Inter Schisma* 24. *qu.* 3. *num.* 1. & ibi Bellam. *nu.* 2. Simanc. *de Cathol. tit.* 17. *de defens. Reorum num.* 72. Rosella *verbo Hæreticus, vers. quod si aliquis*, Nauarr. *cons.* 8. *de Hæret.* Canus *d. cap.* 9. Sanctarell. *d. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 30. Repert. Inquisit. *verb. Hæreticus, vers. Sed Andreas de Isernia* Iudiciale Inquisit. *in verb. verbum num.* 2. Squillant. *de fide Catholica cap.* 20. *num.* 1. & alij ex nostris per Farinac. *dicta qu.* 179. *num.* 40. Carena *loco citato* §. 12. *num.* 70. Bordon. *in Tribunal. cap.* 9. *qu.* 24. *num.* 78. & 80.

17 Idem est si quis lubrico linguæ, vel inaduertenter Hæreticalia verba proferat, Carena *de Hæret. num.* 2. & 29. Zanchin. *eodem cap.* 7. *num.* 9. Repert. & Iudic. Inquisit. Squillant. & Farinaccius, Carena, & Bordonus *locis citatis*.

18 Idem est si quis ira, & iracundia, & subitaneo impetu verba Hæreticalia proferat, Simanch. *loco citato num.* 47. & *in Enchiridion. tit.* 47. *rub. de defens. Reorum num.* 24. Gundisalu. *de Hæret. qu.* 8. *num.* 6. Pegna *par.* 3. *comment.* 17. *colum.* 1. alij per Farinac. *d. qu.* 179. *num.* 42. Carena, & Bordon. *locis citatis*.

Idem est in eo, qui recitatiuè, sine dolo
19 malo aliorum Hæreses refert; Non enim is censendus est Inconstans in fide, Simanc *de Cathol. loco citato num.* 18. Decian. *lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 61. Pegna *d. comment.* 17. *littera C per totum*, Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 10. *num.* 7. Farinac. *d. qu.* 179. *num.* 45. Carena *d.* §. 12. *num.* 70. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 4.

Sed aduertant Inquisitores, quod non ità passim huiusmodi excusationem ad-
20 mittant; nam debent exactè examinare qualitates personæ loquentis, modum loquendi, scandalum datum, & similia, Iudicial. Inquisit. *verb. Hæreticus num.* 33. Squillant. *de fide Catholica cap.* 20. *num.* 1. Pegna *d. comment.* 17. Farinacc. *d. qu.* 179. *num.* 62. Albert. *de agnosc. qu.* 36. *num.* 18. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 13. Carena *loco cit. à num.* 72. *vers. benè Sousa*.

Ratio est, quia talia proferens in dubio habet contra se præsumptionem malæ intentionis, & Inconstantiæ, Calder. *de Hæret. credent. num.* 6. Albert. *d. qu.* 36. *num.* 18. alij per Farinac. *dicta quæst.* 179. *num.* 3.

Et propterea debet proferens hanc suam exceptionem probare, Albert. *loco citato*, Homobon. *in examine tom.* 1. *tract.* 79. 4. Carena *loco citato*

Hoc tamen non habet locum, si verba
21 sint dubia, quia ad excludendum delictum, verba dubia intelligenda sunt in bono sensu, Roias *de Hæret. par.* 1. *nu.* 209. Decian. *lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 6. Farinaccius *d. qu.* 179. *num.* 52.

Quintò infertur, qui non voluntariè,
22 sed metu coactus exterioribus verbis, vel actibus Inconstans in fide est, eam abnegando ore, corde tamen fidem retinet, Hæreticus dici nequit ad latè tradita per Farinac. *qu.* 183. §. 3. *num.* 23.

Sed quia de hac materia copiosè supra diximus, dùm de Apostasia tractauimus, ideò ad ea Lectorem remitto.

Sextò infertur, non esse Inconstantem in fide, nec Hæreticum, qui inuitus cogi-
23 tationes, Blasphemas turpissimas, & hæreticas contra Deum, & Sanctos patitur, quamuis illis videatur consentire, quia deficit

deficit plena voluntas, Sanchez *d. cap. 7. num. 13.* vbi dicit, hæc omnia provenire ex suggestione Dæmonis ad conscientiarum bonarum tranquillitatem impediendam, & docet sanum consilium esse, & convenientissimum vitandi harum tentationum modum, eas prorsùs contemnere ex Diuo Bonauentura, & Gersone *ab eo allegato*.

Septimò infertur, ex secunda particula definitionis, ibi, *in homine baptizato*, non
24 posse incidere in hæresim Iudæos, vel Paganos, cum per Baptismum non dùm professi sint fidem Christianam, Diuus Thomas 2. 2. *qu.* 10. *art.* 5. *& qu.* 11. *art.* 1. Suarez *de fide disp.* 43. *sect.* 1. Simanch. *de Cathol. tit.* 31. Turre-cremata *in summ. Ecclesiæ par.* 2. *cap.* 1. Clar. §. *Hæresis* cum alijs à Scortia *in select. Theorem.* 8. *epit.* 4. *num.* 2. Roias *singul.* 37. *num.* 5. *& de Hæret. par.* 2. *num.* 471. Albert. *in rub. de Hæret. in* 6. *qu.* 6. *num.* 12. Farinac. *qu.* 178. *nu.* 123. *& in fragment. ver. Iudæi num.* 655. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *qu.* 21. Carena *par.* 2. *tit.* 14. §. 1. Sanctarell. *de hæresi cap.* 1. *dub.* 2.

Maior difficultas est in Cathecumeno, an iste possit dici Inconstans in fide, nam cum fidem Christianam semel receperit,
25 eam deserendo Inconstans videtur censeri Hæreticus, quamuis illam nondùm in Baptismo professus sit. Sic tenet Castro *de iusta Hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 8. Bannes 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. Suarez *d. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 4. Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *qu.* 3. cum alijs per Sanctarell. *loco citato cap.* 1. *dub.* 2, *num.* 3.

Contrariam opinionem, nempe Cathecumenum in fide Inconstantem, non esse Hæreticum, tenuerunt Abbas *in cap. Firmissimè de Hæret.* & ibi Soccin. *num.* 26. Io. Andr. *in cap. ad abolendam num.* 3. *eodem tit.* & ibi Butr. *num.* 14. Zabarell. *num.* 6. Anchar. *num.* 1. Turre-cremata *d. cap.* 1. Valent. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 11. Vgolin. *de Cens.* 2. *par. cap.* 1. *num.* 2. *&* 3. Sayr. *in Thesaur. to.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Sanch. *d. cap.* 7. *nu.* 34. Farinac. *d. qu.* 178. *nu.* 135. *verf. sublimita*, Card. de Lugo *de virtute fidei Diuinæ disp.* 21. *sect.* 4. §. 1. *num.* 139. Fragos. *de Regim. Respub. par.* 1. *lib.* 1. *disp.* 2. *num.* 229. Aragon. 2. 2. *qu.* 11. *art.* 2. *dub.* 3. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 3. Macedo *quæst. prænia assert.* 2.

Non obstat ratio opinionis contrariæ, quia Cathecumenus recepit fidem Christianam mente, non re ipsa, ideò quod spectat ad Ecclesiæ iudicium, Hæreticus dici nequit, sic Card. de Lugo, & Fragos. *locis citatis*.

Cæterum, an ille, qui inter Christianos enutritus, & conuersatus est, si Inconstans
26 sit in fide Christiana puniri possit tanquam Hæreticus, Castro Palao *to.* 1. *tract.* 4. *disp.* 8. *pun.* 16. §. 6. *num.* 1. tenet, hunc tanquam Hæreticum posse puniri, & de facto Cæsar-augustæ anno 1619. quemdam Maurum, qui aduersus fidem nostram deliquerat, reconciliatum fuisse, & quamuis in libro Parochi eius Baptismus scriptus non reperiretur.

Rationem assignat, quia in hac materia sufficit, quod in communi hominum existimatione reputetur baptizatus, eò quia inter Christianos natus, & enutritus est.

Sed Cardinalis de Lugo putat, dictum Maurum fuisse reputatum Hæreticum propter rem dubiam, nempe probationem super illius Baptismo dubiam remansisse, & in dubio præsumendum esse, quem baptizatum propter professionem, & communem reputationem, vel tanquam Hæreticum formalem non fuisse punitum, sed propter delictum commissum contra nostram Religionem.

Sed in hac re mihi dicendum videtur, quod, aut Maurus ille erat progenitus ex parentibus Mauris non baptizatis, vel baptizatis: Priori casu, quamuis demum fuisset nutritus, & educatus inter Christianos, nullo modo debeat reputari Hæreticus; Quia illa sola opinio communis non facit quem baptizatum respectu ipsius baptizati, nec ad illum puniendum sufficit illa opinio, nisi verè, & concludenter probetur illius baptismus, vt tenentur facere Inquisitores, Sanctarell. *loc. cit. cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 5.

Vel nisi is tanquam Christianus vixerit, putans se baptizatum.

Secundo verò casu, si ex parentibus baptizatis ortus erat, & educatus inter Christianos, doctrina Castri Palao vera est, quia quando aliquis natus est de Christianis parentibus, & inter Christianos fideliter conuersatus est, adeò violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, vt huiusmodi præsumptio pro certitudine habeatur, donec contrarium manifestis constiterit argumentis, vt habetur *in cap. fin.* & ibi Abbas *ante num.* 1. *de Presbyt. non baptizato*, Pacian. *de Probat. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 17.

Nec ex eo, quod Baptismus non fuerit descriptus in libro Parochi euidenter probabatur, Maurum illum non fuisse baptizatum, quia potuit Parochus per incuriam omittere descriptionem, vel potuit à non Parocho baptizari; Et cum hac distinctione concordat Cantera *quæst. crim. de Hæret. nu.* 5. Diana *tr.* 8. *par.* 4. *resol.* 113. Vide tamen Card. de Lugo *de virtute fidei Diuin. disp.* 20. *sect.* 4. §. 1. *num.* 143. aliter distinguentem.

Et super hac vehementi præsumptione puto benè fundari Decretum Pauli Quarti

editum die vltima Aprilis anni 1556., de quo P. Diana *par.4. resol. pag.* 324. & Iudicial. Inquisit. *pag.* 423. nempe, quod Portu-
27 gallenses, seu Lusitani, quos in Lusitania, seu Portugallia constat legitimè permansisse, & inde discessisse, & in Italiam venisse, vbi reperiantur esse Iudæi, siue iudaizare, condemnentur vt Apostatæ à fide, prout de iure similes Apostatæ condemnari, & puniri debent, non obstante quod expositi fuerint torturæ, seu tormentis, in quibus negauerint, se fuisse baptizatos, vel christianè vixisse, aut opera christiana egisse, vel Sacramenta Ecclesiæ percepisse, cum iam pro liquido, & clarè à Sancta Sede compertum sit, & habeatur à sexaginta annis, vel circa, quod nullus Hebræus toleratus fuerit habitare in Lusitania, seu Portugallia, nisi fuerint baptizati, & christianè vixerint, & ità seruari mandauit, statuit, & ordinauit.

Sed proh dolor! Nonnulli Principes non solùm Infideles, Schismaticos, Hæreticos, & Iudæos in suis Ditionibus tolerant, sed etiam Christianos, & præsertim Lusitanos iudaizantes, adeoque illis fauent, vt Iudices Ecclesiastici præsertim Inquisitores in illos animaduertere nullo modo possint, quasi contra Ius Diuinum tutela Principis secularis suffragetur.

Aduertant ergo Principes Catholici, quibus iniunctum est non solùm Regimen Politicum, & Ciuile, sed demandarum præsidium fidei, & Ecclesię, & qui debent rationem reddere Deo propter Ecclesiam, & fidem Catholicam, quam à Christo tuendam susceperunt, quã conscientia huiusmodi Sacrilegos non solùm tolerent, sed tueantur, & defendant.

Sciant ex decreto Concilii Lateranensis *registrato in capit. Sic vt ait de Hęreticis*, sub Anathemate negotiationem cum Hęreticis esse interdictam.

Sciant sub censuris, & pœnis vetitum fuisse à Gregorio Decimoquinto, ne Hęretici in locis Italię, & Insularum adiacentium, neque etiam sub commercij, & mercimonii titulo, aut alio quouis prętextu domicilium contrahere, seu Domum apertam habere, vel conductam, vel gratis concessam, seu habitare, vel morari possint.

Quod si hęc omnia statuta sint contra Hęreticos, quid dicendum erit de Apostatis à fide, in quibus plus sceleris inest, quàm in Hęreticis? Ricciull. *de Iure personarum lib. 6. cap. 4. num.* 8. Sanctarell. *de hæresi cap. 2. dub. vnic. num.* 3.

Nec fundent se Principes *in Extrauagant. ad euitanda*, quia etsi Iudei, qui ad Chri-
28 stianam fidem conuolarunt, si demum sint in fide Inconstantes, habeantur pro Hęreticis, vt *in cap. Contra Christianos de Hęret.in* 6. & ibi post Glos. *in ver. redierint*, Io. Andr. Archid. Germinian. & Franc. & alij multi relati per Farinacc. *qu.* 178. *num.* 136.

Nihilominus cum huiusmodi Apostatis interdicatur commercium per alias Constitutiones, non intrat priuilegium dictę Constitutionis *Ad euitanda*, Card. de Lugo *d. disp. 22. sect.* 4.

Nec habet locum, quando scandalum graue imminet ex huiusmodi tolerantia, & commercio, Card. de Lugo *d. disp. 22. sect. 1. num.* 1.

Caueant ergo Principes, ne sub prætextu mercimonij, seu Portus Franci, & liberi, scandalum adeò graue dent toti Mundo Catholico, & ne iram Dei irritent; Ex hoc insurgunt Bella, grassantur Pestes, & Fames, & Regna transferuntur de Gente in Gentem.

Narrat Spondanus *anno 1356. num.* 12. Venetos in se concitasse iram Dei ob fauorem exhibitum quibusdam Hæreticis: Cum videlicet contigisset Ministros Rei-
29 publicæ ità se se Inquisitori Hæreticæ prauitatis (qui nonnullos à Iudaismo Christianos rursum ad perfidiam relapsos in carcerem coniecerat) opposuisse, vt etiam familiares Inquisitoris quæsito quodam prætextu friuolo captos, quęstionibus tormentorum subiecissent; Et propterea impetiti bello à Ludouico Hungariæ Rege à tota Dalmatia expulsi fuerunt, & coacti fuere Pacem magis necessariam, quam speciosam inire, deposito titulo Dalmatię, quo supra ferè trecentos annos vsi fuerant; Vt non sit mirandum, si permiserit Deus vindex fidei Orthodoxæ, eius violatores, siue directos, siue indirectos pœnis subijci temporalibus, qui spiritualium contemptores videri curabant: Nec moniri ab Innocentio Sexto resipiscere voluerunt.

Cæterum quia in Iudæos incidimus. Dic, quod Iudæi ad fidem conuersi, si
30 Inconstantes priores Ritus seruent, cogendi sunt ad illos deserendos, & ad obseruandos Christianę fidei Ritus per pęnas contra Hæreticos statutas iuxta Text. *in cap. Contra Christianos de Hæret. in 6. & in cap. quidam Extrau. eodem*, & ibi Io. Andr. *nu.*2. Auton. de Butr. *num.* 4. Zabarell. *num.* 1. Anan. *num.* 3. Hostien. *in summ. de Apostat.* §. *Quot species num.2. vers.& scias*, Repert. Inquisit. *in ver. Apostasia vers. Sed Apostasia à fide, & in ver. Cogendi*, Menoch. *de Arbit. cas.* 546. *nu.* 23. Farinacc. *qu.* 178. *nu.* 139.

Et hoc dictum habet locum, quamuis Iudæi in infantia Baptismate sint abluti,
31 nam si Inconstantes in fide Christiana ad Iudaismum redeunt, puniuntur tanquam Hæretici *d. cap. Contra Christianos*, & ibi Glos. *in figur. casus, & in ver. infantes*, Io.

Monach. *ante num.* 1. Archiad. *eod. ver. Infantes* Gemin. *num.* 1. Franch. *num.* 1. cum aliis per Farinacc. *d. qu.* 178. *nu.* 140. Fragof. *de Regim. Reipub. to.* 1. *lib.* 1. *disp.* 2. *num.* 227.

Hocque procedit, quamuis infans inui-
32 tis parentibus Iudæis esset baptizatus: Nam licet Regula sit, quod pueri Hebræorum vsu rationis carentes non debeant inuitis parentibus baptizari per doctrinam Diui Thomæ *in* 3. *parte qu.* 68. quem sequuntur infiniti Doctores relati à Ricciull. *de iure personarum lib.* 2. *cap.* 32. à Sperell. Episcopo Eugubino *decis.* 1. *à num.* 25. Ciarlin. *controu.* 42. *tom.* 1. Tondut. *quæst. benefic. par.* 1. *cap.* 48. *num.* 4. Et hanc opinionem sæpius canonizauit Sacra Congregatio Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis me existente Assessore, quamuis non desint, qui contrariam teneant sententiam, quos numerat idem Episcopus Eugubinus *d. decis.* 1. *num.* 29. Præsertim quoties non est persona priuata, qui eos baptizare intendit, de quo tamen latè P. Suarez *in* 3. *qu.* 68. *art.* 10. *disp.* 25. *sect.* 4.

Si tamen baptizentur, recipiunt chara-
33 ctèrem, & efficiuntur subditi Ecclesiæ, & ideò eos potest cogere in ætate adulta ad permanendum constantes in fide Christiana ad Text. *in cap. Iudæorum* 28. *qu.* 1. *& in cap.* 2. *de Conuers. Infidelium*; Et ità tenent Doctores allegati ab Episcopo Eugubino *d. decis.* 1. *num.* 36 latissimè Ricciull. *d. lib.* 2. *cap.* 34. *per totum*, vbi reprobato Calderin. *cons.* 3. *de Iudæis*, dicit fuisse declatum Romæ, nullo modo puerum infantem baptizatum inuitis parentibus illis esse restituendum etiam cum cautione de restituendo filio cum peruenerit ad ætatem legitimam, & quod interim non detestabitur fidem Christianam, & verè scio in hac Sacra Congregatione sententiam Calderini vti erroneam fuisse reiectam.

Eoque magis possunt baptizari, si alter
34 ex parentibus ad fidem Christianam conuersus petat filium baptizari, vt est Text. *in cap. Ex litteris*, & ibi Abbas *de Conuers. Infidelium, & d. cap. Iudæi* 28. *qu.* 1. Barbat. *cons.* 57. Vrsill. ad Afflict. *decis.* 151. *num.* 6. cum aliis, tùm ab Episcopo Eugubino *d. dec.* 1. *n.* 39. tùm à Ricciull. *d. lib.* 2. *c.* 32. *n.* 24. Tondut. *d. cap.* 48. *n.* 6. vbi de matre côuersa.

Si verò parentes essent Iudæi, auus tamen paternus esset Christianus, & peteret, ac instaret, pro Baptismo nepotis, esset baptizandus etiam parentibus inuitis, vt latissimè tuetur Gratianus *discep. cap.* 977. *per totum*, vbi dicit, ità resolutum fuisse in Congregatione Neophitorum de Vrbe, non obstantibus contradictionibus multorum Theologorum, Canonistarum, & Iurisconsultorum, qui pro parentibus scribebant, Tondut. *d. cap.* 48. *sub nu.* 6.

Pariter inuitis parentibus debet bapti-
35 zari filius Iudæi, qui post susceptam fidem Christianam à Religione apostatauit, Glossa per illum Textum *in cap. Si baptizata vers. Qui de baptizata de Consecr dist.* 4. Marquard. *de Iudæis par.* 3. *cap.* 2. *num.* 8. cum aliis per Ricciull. *d. cap.* 32. *num.* 32. Abulen. *qu.* 88. *cap.* 8. *lib.* 1. *Regum*.

Ratio est, tùm quia omnes Apostatæ ratione Baptismi sunt subiecti foro Potestatis, & Iurisdictionis Ecclesię, vt *toto tit. de Hæret. & Apostat.* & propterea etiam eorum filij quoad spiritualia, Ricciull. *loc. cit. num.* 34. Tùm etiam quia parentes Apostatæ amittunt Patriam Potestatem, *cap. Quicumque §. vlt. de Hæreticis lib.* 6. Ricciull. *loc. cit. num.* 35.

Quæ etiam Patria Potestas, quando
36 agitur de re spirituali, non habetur in consideratione, vt in terminis considerat post Vrsill. Barbat. Paschal. & Azor. Episcopus Eugubinus *d. decis.* 1. *num.* 40.

Hinc est, quod cum quidam puer natus ex parentibus Iudaizantibus, dum esset in
37 ætate annorum sex, mortuis parentibus apud nouercam remansisset; Cum autem instante patruo Christiano per Ministros S. Officij Venetiarum à nouerca fuisset ereptus, & sub custodia Patriarchæ eiusdem Ciuitatis constitutus, Vniuersitas Hebræorũ exclamauit, Hebræorũ infantes ad fidem Christianam vi trahere non licere: Nihilominus Sacra Congregatio censuit, hunc puerum penès patruum Christianum alendum, & educandum, necnon baptizandum, vt ex Decreto *sub die* 27. *Febr.* 1593.

Quando autem infans, seu puer Hebræus dicatur habere vsum rationis, licèt
38 communis sit opinio, quod sufficiat explesse septimum annum, vt testantur Ricciull. *d. lib.* 2. *cap.* 33. *num.* 3. Ciarlin. *d. cap.* 42. Hoc tamen residere in arbitrio Iudicis Sacra Congregatio determinauit, qui examinato puero, iudicabit, an sit viuacis ingenij, & an sciat quid petat, Ricciull. *loc. cit. n.* 5. Ciarlin. *d. cap.* 42. *n.* 18.

Et memini à Congregatione Consultorum Sancti Officij reuocatum fuisse ad examen puerum quemdam Hebręum, qui supponebatur petiisse Baptismum, & ad Domum Cathecumenorum redactus fuerat; qui tamen adeò heberis ingenij visus fuit, vt etiamsi expleuisset septennium, nihilominus patri Hebręo restitutus fuit.

Quo verò ad Constitutiones Martini
39 Quinti, Eugenij Quarti, & Pauli Tertij, in quibus statuitur, quod pueri Hebręorum non possint trahi ad Baptismum, nisi expleto duodecimo anno; Recordor me sæpius illam Pauli Tertij vidisse, ac legisse, sed testor etiam non esse in vsu.

Dic secundò principaliter, quod Iudęus

etiam, qui putans se baptizatum, & verè
40 baptizatus non est, si in aliquam hęresim incidat, tanquam Hęreticus puniendus est, Simanch. *de Cathol. tit.* 31. *num.* 5. Gabr. *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. *vers. nota tertio*, Alphonsus de Castro *de iusta hęret. punit. lib.* 1. *cap.* 8. Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *qu.* 3. *in fine*, Farinacc. *qu.* 178. *num.* 135.

Quod tamen non placet Card. de Lugo, vt tanquam Hęreticus is debeat puniri, sed solum tanquam lędens Christianam Religionem, vt dicit *disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 146.

Sed cum distinctione doctrina Eminentissimi viri intelligenda est, vt procedat, quando iste Infidelis sciens, se non esse
41 baptizatum, se profitetur Christianum, & sic lędit Christianam Religionem, secus autem si nesciat, se non esse baptizatum, sed credat se talem, nam si esset contra fidem, vti hęreticus puniri debet, quia saltem baptizatus est Baptismo flaminis, vt voluit Simanch. *loc. cit.*

Tertiò habet locum, etiamsi Iudęus
42 coactè Baptismum susceperit, quia illud seruare, & colere compellendus est *cap. Maiores* §. *nunc autem de Baptismo*, Calderin. *de Hęret. rub. de his, qui condemnantur vt Hęretici, num.* 1. Repert. Inquisit. *in ver. Baptismus, vers. Sed vtrum qui fuit baptizatus, & in ver. cogendi*, Farinacc. *d. quęst.* 178. *num.* 142. Fragos. *d. disp.* 2. *num.* 230.

Si tamen coactio fuisset pręcisa, & ab-
43 soluta, non dicitur Inconstans, nec est puniendus, Doctores *in d. cap. Contra Christianos*, Calderin. *loco citato* Farinacc. *dicto num.* 141. & 142. Paris. *cons.* 2. *nu.* 21. *lib.* 4. Vbi quod Iudęi sic baptizati non possunt dici Christiani, nec fidem Christianam tenentur seruare, Fragos. *loc. cit. num.* 230.

Hoc tamen non procedit, si post coa-
44 ctionem pręcisam Iudęus non reclamauit, vel si per aliquos actus positiuos Baptismum approbauit, quia videtur in tali casu metus purgatus, Boich. *d. cap. Maiores de Baptismo*, Paris. *d. cons.* 2. *num.* 26. Marquard. *de Iudæis par.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. Ricciull. *d. lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 3. Fragos. *loco citato*.

Dic pariter, quod licèt Iudęi Inconstan-
45 tes in sua Secta, & transeuntes ad Saracęnos, siue ad alios Infideles, puniri ab Ecclesia non possint, Oldrad. *cons.* 51. Pegna 2. *par. comment.* 69. *vers. cum autem*, Decian. *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 54. Farinacc. *d. qu.* 178. *num.* 132.

Sicuti etiam puniri non possunt contra fidem Christianam delinquentes, vel falsas opiniones retinentes. Hoc tamen non procedit, quando Iudęi sunt Inconstantes in his, quæ & ipsorum, & fidei Christianæ
46 sunt communia, vtpotè si negauerint Deum viuum, & illum Creatorem omniū, siue Idola colerent, Dæmones inuocarent, & adorarent, illisque sacrificarent; his enim, & similibus casibus ab Inquisitoribus posse puniri, dixit Iudicial. Inquis. *ver. inuocare num.* 2. Campegg. ad Zanchin. *de Hæret. cap.* 36. Bursatt. *cons.* 90. *num.* 1. Eymer. *par.* 2. *qu* 46. *per tot.* & ibi Pegna *comment.* 71. Farinacc. *d. q.* 178. *n.* 146.

Hinc cum quidam Iudæus asseruisset, Dæmones non esse, Deum non communicare virtutem rebus malis, vt faciant malum; Iob negasse Diuinam prouidentiam erga Mundum inferiorem, ac Resurrectionem Mortuorum; censuratis Propositionibus, & habitis pro temerarijs, & contrarijs fidei, quam communiter debent tenere Christiani, & Iudæi, fuit damnatus ad detestandum, & abiurandum huiusmodi propositiones, priuatus munere docendi, & legendi, & fuit illi inhibitum, ne de illis imposterum, ac de similibus tractaret ex Decreto 24. *Februarij* 1608.

Et propterea, quia Saracæni in ali-
47 quibus communibus Iudæis cum Christianis discrepant, meritò si Iudæi transeant ad eorum Sectam posse puniri ab Ecclesia verius voluere, Campegg. ad Zanchin. *d. cap.* 36. Decian. *loc. supra cit.* Caren. *par.* 2. *tit.* 14. §. 6. *num.* 18. Quæ opinio, stante Bulla Gregorij Decimitertij *Antiqua Iudæorum perfidia*, debet omninò seruari.

Sed an Iudæi post commissa delicta sanctè Inconstantes petant Baptismum, & cum effectu baptizentur, euadant pœnas
48 temporales delictorum ante Baptismum commissorum, D. Thomas *in* 3. *quæst.* 69. *art.* 2. *ad* 3. tenet nullo modo illas euitare Cathechism. Roman. *par.* 2. *de Baptismi effectu* habet hæc verba; *Sed quamquam in Baptismo pœnas peccatorum condonari exploratum esse debet, ab eo tamen pœnarum genere, quę ciuilibus Iudicijs ob graue aliquod scelus persoluendæ sunt, nemo liberatur, itaut qui morte dignus sit per Baptismum a pœna, quæ legibus constituta est, eripiatur*, dicit tamen Diuus Thomas, quod pius Princeps posset talem pœnam condonare.

Ideò Cathechismus subiungit.

Tametsi vehementer laudanda esset eorum Principum Religio, & pietas, qui eam quoque animaduersionem, vt Dei gloria in suis Sacramentis illustrior fieret sortibus remitterent, & condonarent.

Quæ pietas iudicio meo posset à Principe exerceri in delictis profanis, nempe
49 in homicidio, furto, & similibus, sed in delictis commissis in spretum Religionis Catholicæ non consulerem, quod Princeps illam exerceret, & propterea sanctæ mem. Vrbanus Octauus noluit condonare pœnam vltimi supplicij cuidam scele-

ſtiſſimo Hebræo, qui ſclopo Imaginem Sanctiſſimi Crucifixi vulnerauerat, tùm ob ſceleris grauitatem, tùm ob ſcandalum illatum, quamuis petierit Baptiſmum, & fuiſſet cum effectu baptizatus; & ſic Ferrariæ de anno 1635. primo mei Aſſeſſoratus, fuit de ordine Suæ Sanctitatis, & Sacræ Congregationis per brachium ſeculare laqueo ſuſpenſus.

50 Et de Iudæis ad Triremes damnatis adeſt Decretum Sacræ Congregationis *ſub die 22. Auguſti* 1607. quo cauetur, quod Iudæi exiſtentes in Triremibus volentes amplecti fidem Catholicam, inſtruantur, & baptizentur, ſed remaneant in Triremibus.

De Iudæo autem, qui finxit ſe Chriſtianum, & ſuſcepit Euchariſtiam, quæ pœna eſſet plectendus, fuerunt Conſultores varij in Conſultatione habita *die 16. Decembris* 1557.

51. Cæterùm dicendum eſt, hunc ſceleſtiſſimum grauiſſimis pœnis eſſe puniendum, quia offendit, & læſit Eccleſiam, eiuſque Sacramenta in re graui; ſic Card. de Lugo *de virtute fidei Diuinæ diſput.* 20. §. 1. *n.* 146.

Hactenus de Inconſtantia Iudæorum. Verum, an qui baptizari voluit, & verè baptizatus eſt, ſed Baptiſmus fuit irritus defectu legitimæ materiæ, vel legitimæ intentionis Miniſtri, & putans ſe verè baptizatum, vti talem ſe geſſit, ſi poſtea Inconſtans in fide ab ea receſſerit, poſſit vti Hæreticus puniri.

52. Alphonſus de Caſtro *de Iuſta hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 3. Simanch. *de Cathol. tit.* 31. *n.* 5. Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *qu.* 3. & alij relati à Caſtro-palao *to.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *pun.* 2. *n.* 2. tenent, hoſce tanquam Hæreticos puniri poſſe.

Eos enim appellari Hæreticos patet ex Concilio Nicæno *cap.* 19. & à ſexta Synodo generali *cap.* 95. & hoc nomine eos pariter appellat Sanctus Auguſtinus *libro vnico de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 3. & *lib. de Hæreſ. in* 1. *& hæreſ.* 44.

Contrariam opinionem, iſtos verè non eſſe Hæreticos tenuere Vgolin. *de Cenſur. Pontif. reſeruat.* 2. *par. cap.* 1. *num.* 2. *in fine*, Sayr. *Theſaur. caſ. conſcien. to.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Sanchez *d. cap.* 7. *nu.* 3. Caſtro-palao *loco cit. num.* 20. Suarez *d. diſput.* 19. *ſect.* 5. *nu.* 8. Hurtad. *diſp.* 82. §. 17. Card. de Lugo *d. diſp.* 20. *ſect.* 4. §. 1. *nu.* 140. Fragoſ. *loco cit. num.* 228.

Et quidem optima ratione, quia in his habet locum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. ibi.

Cum Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus, Cardin. de Lugo *loco citato num.* 140.

Et in hoc caſu non attenditur opinio, ſed veritas, Cardin. de Lugo *loc. ſupra citat.*

Si autem Baptiſmus validus eſſet ex parte materiæ, formæ, & Miniſtri, ſed inualidus ex parte Baptizati, qui voluit exterius baptizari, ſed fictè, & ſine intentione, & cum voluntate non recipiendi Sacramentum, certè puniri is poſſet tanquam Hæreticus in foro externo, quia Eccleſia præſumit illum validè baptizatum, niſi fictio illa interna aliundè probari poſſit, Suarez *d. ſect.* 5. *num.* 9. Sanchez *dicto cap.* 7. *num.* 35. Card. de Lugo *loco cit. num.* 145. Fragoſ. *loc. citato num.* 128. *verſic. Dixi.*

53 (beside "terius baptizari")

54 Octauò infertur ex particula diffinitionis hæreſis, *contra aliquam fidei veritatem*: differre Hæreſis Inconſtantiam ab Inconſtantia Apoſtaſiæ. Nàm, vt diximus, hæc eſt totalis receſſus à fide, illa verò ſolùm in aliquibus, vt ex Cano, & Vgolino tenet Sanchez *dicto cap.* 7. *num.* 15.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

De Pertinacia ad conſtituendum quem Hæreticum requiſita. An, qui non fuit de ſuo errore admonitus poſſit dici Pertinax. Praxis Sancti Officij mittendi Admonitores ad Hæreticos Pertinaces in Carceribus Sancti Officij retentos. Quæ cauſæ excuſant à Pertinacia, an Proteſtatio.

SVMMARIVM.

1 *Hæreſis requirit pertinaciam.*
Pertinacia quid ſit in hac materia.
2 *Pertinax an dici poſſit, qui non fuit de ſuo errore admonitus.*
Monitio an, & quando ſit neceſſaria vt quis dicatur pertinax in hæreſi.
Monitio externa ad quid deſeruire poſſit.
3 *Hæreticus pertinax quomodo tractandus ſecundum praxim S. Officij.*
Hæretici pertinaces hodie relinquendi Po-

testatibus secularibus.

4 *Hæreticis pertinacibus terminus præfigendus quomodo sit.*

Quomodo hæreticis negatiuis.

5 *Monitio an sit necessaria ad pertinaciam hæresis in foro externo.*

6 *Pertinacia an requirat temporis diuturnitatem, vel aliquam moram.*

Culpa hæresis potest perpetrari momento temporis ad instar aliorum peccatorum.

Persistens diu latenter in errore in foro externo censetur hæreticus, absque alia probatione pertinaciæ, nec videtur per ignorantiam, sed per malitiam perseuerasse.

7 *Pertinax an, & quando dici possit qui monitus ab Episcopo, vel Inquisitore, illis non credit.*

Contrauentio Ecclesiæ considerari non potest in eo, qui non assentitur Episcopo, vel Inquisitori in non expressis, vel in non damnatis ab Ecclesia, & de ratione.

8 *Pertinacia sufficiens ad hæresim quomodo inueniri quandoque possit in homine docto, quæ eademmet non inuenitur in rustico.*

Homo doctus quando dicatur pertinax in hæresi.

Rusticus quomodo credere debeat de fide, vt etiam errans non dicatur pertinax in hæresi.

9 *Contradictio auctoritati Ecclesiæ an importet pertinaciam in hæresi, quacumque fiat intentione.*

10 *Offerens paratum se corrigi, & acquiescere Ecclesiæ, si ab ea argumentis conuincatur, dicitur pertinax in hæresi, & de ratione.*

11 *Paratus tueri aliquam partem in non definitis ab Ecclesia, etiamsi Ecclesia contrarium definiat, dicitur pertinax in hæresi.*

12 *Sentiens contrarium eius, quod falso putat definitum ab Ecclesia, an dicatur pertinax in hæresi.*

13 *Protestatio an, & quando excuset à pertinacia in hæresi.*

Diffinitiones Ecclesiæ non debent amplius in quæstionem adduci.

14 *Protestatio an, & quomodo excuset à pertinacia in his, quæ explicitè quis scire tenetur.*

Protestatio contraria operationi non excusat.

Protestatio non excusat monitum in iudicio, & ab hæresi non recedentem.

15 *Protestatio an, & quando suffragetur, conuictum de hæresi dicentem se semper cum Ecclesia sensisse.*

1 NONO infertur ex vltima particula dictæ diffinitionis, ibi, *cum pertinacia*, ad effectum, vt quis dicatur Inconstans in fide, & verè Hæreticus, requiri pertinaciam, *cap. vnico, de Summa Trinit. in 6.* & *Clement. vlt. §. vlt. de Vsur.* & *cap. 2. de Summa Trinit. & fide Cathol. cap. Dixit Apostolus 24. qu. 3.* Albert. *de Hæret. qu. 1. num. 19. & qu. 13. num. 14.* Simanch. *dicto tit 31. num. 7.*

Pertinacia autem in hac materia nil aliud est, quàm constans voluntas resistendi doctrinæ, quæ proponitur credenda de fide absque eo quod qui sic resistit, velit suum iudicium auctoritati Ecclesiæ subiicere, Sanchez *d. cap. 7. nu. 2.* Sanctarell. *de Hæresi cap. 1. dub. 4. nu. 17.* Card. de Lugo *d. disput. 20. num. 154.* Farinacc. *q. 196. num. 6.* P. Diana, qui plures ex nostris Moralibus *par. 4. tract. 7. resolut. 36. vers. Prima opinio,* Carena *par. 2. tit. 1. de Hæret. §. 2. num. 12.* P. del Bene *de Offic. S. Inquisit. par. 1. dubit. 2. petit. 2. per tot.*

2 Cæterùm, an pertinax dicatur ille, qui non fuit de suo errore admonitus, non est concors Doctorum sententia: Nàm Alciat. *in l. 2. n. 3. C. de Summ. Trin.* quē sequuntur Menoch. *conf. 149. num. 49. volum. 2.* & latissimè Lupus *in allegat. in mater. Hæresis, post tract. de donat. inter Vir. & Vxor. §. 3. & 4.* Turre-cremata *in Summ. de Ecclesia lib. 4. par. 2. cap. 16.* tenent monitionem esse necessariam.

Et hæc opinio videtur probari *ex cap. Qui in Ecclesia 24. qu. 3.* dùm ibi dicitur: *Si correcti, vt sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaquè pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt*: & ex *cap. Dixit Apostolus 24. q. 3.* ibi, *Dixit Apostolus, Hæreticum Hominem post primam, & secundam correctionem deuita.*

Requiritur ergò monitio antequam quis inter Hæreticos pertinaces possit connumerari.

Sed contrariam opinionem tenent communiter Theologi, monitionem nullo modo requiri, vt quis censeatur Hæreticus pertinax, Suarez *de fide disp. 19. sect. 3. num. 23.* Gaietan. Valent. Castro-palao, Filiucc. & cæteri, quos refert, & sequitur Diana *dicta resolut. 36. vers. Prima opinio,* & eum sequitur Card. de Lugo *d. disput. 20. sect. 5. nu. 157.* ex nostris Simanch. *de Cathol. tit. 48. nu. 7. & 8.* Paramo *de Origine Inquisit. lib. 1. tit. 2. cap. 4. nu. 5.* Ricciull. *de iure personarum lib. 5. cap. 2. num. 10.*

Ratio est, quia monitio externa solùm deseruire potest, vt errans aduertat ad oppositionem sui erroris cum doctrina Ecclesiæ; atsi totum scire potest melius ex libris, & diffinitionibus Conciliorum, quàm ex monitorijs verbis non videtur necessaria alia monitio, vt excusetur à pertinacia, Card. de Lugo *loco cit. num. 18.* Simanch. *loc. supra cit.*

Non obstat Text. *in d. cap. Qui in Ecclesia,* & *Dixit Apostolus,* quia in illis est sermo de monitione externa ad vitandum Hæreticum, non autem de monitione ad illum constituendum, sic Suar. *d. sect. 3. n. 23.*

Vel secundum Cardinalem de Lugo *loco citato num.* 158. dùm dicitur, monitionem esse necessariam, debet intelligi ad iustificandam eius incorrigibilitatem, & separationem ab Ecclesia, & sic pœnam, quæ Hæretico pertinaci datur in foro externo.

Quocirca inoleuit praxis in Sancto Officio retinendi diù hæreticos pertinaces
3 in carceribus, & sæpiùs ad illos mittendi admonitores doctos Viros, curando, vt resipiscant, & dantur primi, secundi, & tertij termini ad resipiscendum, Pegna *lib. 2. comment. 65. vers. In his pertinacibus*. Carena *par.2.tit.2.§.3.nu.*15. Praxis Italico idiomate exarata, quæ sub nomine incerti Auctoris circumfertur, quæ tamen fuit composita à b.m. Card. Scaglia.

Quæ praxis fundatur in Textu *in cap. Conuenientibus* 1.*quæst.*7. §.*Item Petrus*. Vbi littera *Petrus Apochrisarius Papę*, dixit;

Romę exulatus est Macharius hæreticus à Sancta sexta Synodo quadraginta dierum inducias dedit illi Pater Noster Benedictus Papa, & quotidiè mittebat ad eum Bonifacium Consiliarium suum, & instruebat eum commonitorijs verbis ex Diuina Scriptura, & nullatenùs voluit emendari: hoc autem faciebat, vt eum recip:ret in ordine suo.

Quem Textum ad hunc propositum considerat Lupus *allegat. in mater. hęresis* §. 1.

Ideò in Suprema, & Vniuersali Inquisitione *sub die* 8. *Octobris* 1588. fuit resolutum, quod licet Directorium *in par. 3. in primo modo terminandi Processum*, dicat, quod Hæretici impœnitentes debent retineri carcerati per annum, aut sex menses, non tamen reperitur Canon, aut Decretalis, quæ huiusmodi terminum præscribat, sed legitur, vt dixi supra, quod S. Benedictus Papa præfixit terminum quadraginta dierum Machario Patriarchæ Hæretico, deque eo tempore, & de iure antiquo Heretici pertinaces non relinquebantur potestatibus secularibus, proùt posteà constitutum fuit per *cap. Ad abolendam*, & *in cap. Excommunicamus* §. 1. *de Hęret.* vbi etiam habetur quamprimùm expediendos, & tradendos brachio seculari. Potest tamen præfigi ei aliquis honestus terminus aliquorum dierum, & deindè secundus breuior, & etiam tertius, & vlterior, & adhùc durante pertinacia, & adhibita etiam diligentia Theologorum, iuxta notat. à Directorio, *vbi supra*, procedendum est ad sententiam diffinitiuam, & Reus tradendus brachio seculari.

Et quod dicitur à Directorio *de termino anni, aut sex mensium*, fuit monitio ma-
4 gistralis, & particularis in casu illo, in quo Hæreticus pertinax cupiebat comburi, putans se esse Martyrē, aut pro tali haberi.

Verùm tamen est, quod cum Hæreticis negatiuis conuictis per testes proceditur cum longioribus terminis ad resipiscendum.

Talis enim terminus iterùm, atque iterùm sæpiùs conceditur ob periculum, ne testes vera deposuerint, & Reus sit innocens; & in hoc casu aliqui Summistę, & Doctores dicunt, iudicium differendum vsque ad annum: Memores esse enim debent Inquisitores, & Ordinarij documenti Tito dati, qui cum esset Episcopus debebat quærere oues errantes, vt ad Ecclesiæ ouile eas reduceret, Card. de Lugo, & Ioannes Lupus *locis citatis*.

Alciati ergò doctrina minimè tenenda est, neque quoad forum internum, neque
5 quoad externum, vt malè opinati sunt Petrus de Aragona, & alij citati à Diana *dicta resolut.* 36. qui tamen immeritò pro hac opinione citat Sanctarell. *de Hęres. cap.*1. *dub.*4. *num.*18. *in fine*: non enim ibi loquitur de monitione requisita in foro externo, sed declarat opinionem Siluestri, de qua infra.

Non inquam opinio Alciati tenenda est, nàm in specie reprobatur à Simanch. *dicto tit.* 4. *num.* 7. & à Diana *d. resolut.* 36. *vers. Tertia opinio*, Card. de Lugo *loco cit. num.*157.

Ex hoc etiam deducitur ad pertinaciam
6 constituendam non requiri temporis diuturnitatem, vel aliquam moram; quia temporis momento potest culpa Hæresis perpetrari instar aliorum peccatorum. Gaietan. 2. 2. *qu.* 11. 2. *notab.* Canus *dicto loco cap.*9. *colum.*19. cum alijs per Sanchez *dicto cap.*7.*num.*7. Card. de Lugo *d.disp.*20. *nu.*157. Albergh. *Man. cap.*1.*de Hęret.nu.*8. Farinacc. *qu.*196.*num.*19.

Siluestri verò doctrina *in ver.Hæresis q.*1. *num.* 1. *vers. Sciendum*, procedit in eo, qui latenter diù perstitit in errore.

Iste enim quoad forum externum habetur pro Hæretico absque alia probatione pertinaciæ, quia talis non videtur per ignorantiam, sed per malitiam perseuerasse; sic eum declarat Sanchez *dicto cap.*7. *num.* 7.

An verò pertinax dicatur ille, qui monitus ab Episcopo, & Inquisitore illis non
7 credit: Distinguendum est, vel sumus in his, quæ expresè sunt damnata ab Ecclesia, vel expresè ab ea asserta, aut in non expresè damnatis, vel assertis. Priori casu monitus ab Episcopo, vel Inquisitore, si non assentiat pertinax reputabitur: Secundò verò nequaquàm, sic Alphonsus de Castro *de Iusta, cap.*10. *col.* 5. Farinacc. *dicta qu.*196. *num.*10.

Rario esse potest, nàm qui non assentit Episcopo, vel Inquisitori in non expressis, vel in non damnatis ab Ecclesia exi-

ſtimare poteſt, ſe non contrauenire Eccleſiæ: Ideò hoc caſu non tenetur credere, niſi ipſimet Eccleſiæ, vel Summo Pontifici: ſic Canus *de locis lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 17. cum alijs per Sanchez *dicto cap.* 7. *nu.* 25. Farinacc. *dicta qu.* 196. *nu.* 12.

Et ex Toleto, ſubiungit Sanchez, quandoque inueniri pertinaciam in homine
8 docto ſufficientem ad Hæreſim, quæ non inuenitur in ruſtico. Homo enim doctus erit pertinax, quotiès re vera aliquid contra traditiones Apoſtolicas, vel Pontificis diffinitionem tenet, quia ſcit, haſce eſſe certas regulas fidei. Ruſticus verò non erit pertinax credens aliquid, quod ſcit eſſe contra traditionem Apoſtolicam, aut Pontificis determinationem, dummodò credat non eſſe contra Eccleſiam paratus ab ea corrigi, quia hic non tenetur ſcire in particulari, illas eſſe certas fidei regulas; & hæc ſit ratio illi credendi, vt credat quidquid tenet Eccleſia.

Præterea ad hanc pertinaciam conſtituendam ſat erit, ſi non ſolùm directè, ſed
9 indirectè quis velit refragari auctoritati Eccleſiæ, quacumque intentione contradicat, ſiue cupiditate lucri, ſiue gloriæ, ſiue cuiuſuis alterius rei ductus, ſiue quauis alia intentione contradicat, Vaſquez *par.* 2. *quæſt.* 73. *num.* 7. *diſput.* 126. *cap.* 3. *in initio*, Sanchez *d. cap.* 7. *num.* 4. latiſſimè, & doctè Card. de Lugo *d. diſp.* 20. *num.* 163. vbi concordat opiniones Suarez, & Vaſquez, qui videbantur ſibi inuicem aduerſari.

10 Nec excuſatur à pertinacia ille, qui offert ſe paratum corrigi, & acquieſcere Eccleſiæ, ſi ab ea argumentis conuincatur, quia is non eſt paratus conſentire auctoritati Eccleſiæ, ſed rationibus, & argumentis ab ea adducendis in confirmationem ſuæ diffinitionis, ſic ex Vaſquez, & Ledeſma, Sanchez *dicto cap.* 7. *num.* 6. Cardin. de Lugo *d. diſput.* 20. *ſect.* 5. *num.* 166.

11 Nec pertinax deſiit eſſe ille, qui in nondùm ab Eccleſia diffinitis amplectitur eo animo aliquam partem, & ità tenaciter, vt ſit paratus ad illam tuendam, etſi contrarium Eccleſia diffiniat, Gaietan. *in Summ. ver. Hæreſis*, Nauarr. *in Summ. cap.* 11. *num.* 22. Vaſquez *d. diſput.* 126. *cap.* 3. *num.* 8. Sanchez *d. cap.* 7. *num.* 2. 9. Card. de Lugo *d. ſect.* 5. *num.* 167.

12 Idem eſt in eo, qui falsò putans aliquid eſſe ab Eccleſia diffinitum, contrarium ſentit, quia tunc formaliter à fidei ratione recedit, credens, non in vniuerſum eſſe vera diffinita ab Eccleſia, Henriquez *in Summ. lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 17. *num.* 3. Bannes 2. 2. *qu.* 11. *à nu.* 22. Aragon. *eadem qu.* 11. *artic.* 1. *colum.* 6. Sayr. *Theſaur. tom.* 1. *lib.* 3. *cap* 4. *num.* 14. Ledeſma 2. *tom. Summ. tract.* 1. *cap.* 8. quos citat Sanchez *d. cap.* 7. *nu.* 30. Card. de Lugo *nu.* 167. qui reprobat Simanch. *de Cathol. inſtic. tit.* 31. *num.* 9. contrarium tenentem.

An autem proteſtatio excuſet à pertinacia latè Farinacc. *qu.* 178. *à nu.* 18. P. del Bene *de Officio Sanctiſs. Inquiſitionis par.* 1. *dubit.* 5.

13 Tu dic, proteſtationem tunc excuſare à pertinacia, & ab Hæreſi, quando ſumus in rebus dubijs non diffinitis ab Eccleſia, quia iàm diffinita non debent in quæſtionem adduci, *cap. Maiores* 24. *q.* 1. *cap. Hæc eſt fides, eadem cauſa, & qu.* Decian. *lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 11. *& cap.* 55. *num.* 8. Farinacc. *d. qu.* 178. *num.* 158. *&* 159. Sanctarell. *de Hæreſ. d. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 27. Card. de Lugo *loco cit. num.* 170. Pegna *Comment.* 26. *par.* 1. Simanch. *de Cathol. tit.* 55. *num.* 5. Souſa *in Aphoriſm. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. P. del Bene *loco cit. in Corollarijs num.* 6.

14 Ità pariter in his, quæ quis explicitè ſcire tenetur, proteſtatio non excuſat, Pegna *d. Comment.* 26. Simanch. *de Cathol. tit.* 50. *rubr. de pœnis*, Albertin. *de agnoſc. q.* 12. *num.* 9. Farinacc. *d. qu.* 178. *nu.* 155.

Quod quidem intelligendum eſt, vt procedat in foro exteriori, ſecùs in foro animæ, in quo quæuis proteſtatio excuſat, Alphonſus de Caſtro *de Iuſta, lib.* 1. *cap.* 11. Decian. *lib.* 5. *cap.* 55. *num.* 8. Farinacc. *dicta qu.* 178. *nu.* 176. Souſa *d. cap.* 14. *nu.* 6. Card. de Lugo *d. ſect.* 5. *num.* 170.

Nec proteſtatio prodeſſe poteſt, quando quis operatur contrarium eius, quod proteſtatur per regulam Textus *in cap. Cum M. Ferrarienſis de Conſtit.* Albert. *d. qu.* 12. *num.* 9. Simanch. *d. tit.* 55. *num.* 7. Gerſon. *de proteſt. conſ.* 3. Pegna *d. Comment.* 26. Farinac. *d. q.* 178. *num.* 159. Sanctarell. *d. dub.* 6. *nu.* 27. *verſ. Sicut nec excuſat*, P. del Bene *loco citato num.* 8.

Multo minùs proteſtatio excuſat, quando ſumus in iudicio, & is monitus à Iudice, quod hæreſim dicit, ab ea recedere non vult, Iudic. Inquiſit. *verb. Credibilia, verſ. Si autem*, Decian. *d. cap.* 55. *nu.* 8. Pegna *d. Comment.* 26. Farinacc. *d. qu.* 178. *nu.* 160. Sanctarell. *dicto dub.* 6. *num.* 27. *verſ. Item non excuſatur.*

15 An verò ſi quis ſit de Hæreſi conuictus, proteſtetur, ſe ſemper cum Eccleſia ſenſiſſe, & modò ſentire, dicemus *infra de Hæretico negatiuo*: Vide Sanctarell. *dub.* 6. *verſic. Præterea proteſtatio*, Caren. *in prax. S. Officij par.* 2. *tit.* 1. §. 9. plures affert, P. del Bene *loco citato num.* 9.

CAPVT

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

De Hæreticis Externis, & Internis. Quis dicatur Hæreticus Externus. An qui notis, vel cifris ſcribit Hæreſim, dicatur Hæreticus Externus. An in verbis æquiuocis, vel in ſomno prolatis. An qui detegit Hæreſim in confeſſione, vel qui petendi conſilij cauſa Hæreſim detegit: Et quale factum requiratur ad manifeſtationem Hæreſis externæ.

SVMMARIVM.

1 *Hæreſis alia externa, alia interna, ſeu mentalis.*
2 *Hæreſis alia externa, alia interna, & alia externa, & interna ſimul.*
3 *Hæreſis externa tantum quæ.*
4 *Hæretici præſumpti qui ſint.*
5 *Hæreſis interna tantum quæ.*
6 *Quæ interna, & externa ſimul.*
7 *Significatio externa fit vel verbis, vel factis.*
Significatio hæreſis externæ ex quibus reſultet.
8 *Hęreſis externa ex ſignis, vel verbis indifferentibus non detegitur.*
9 *Hęreſis externa an, & quando reſultet ex characteribus notis, ſeu cifris.*
10 *Cifræ quando non excuſent ab hæreſi externa.*
11 *Hæreticus mentalis ſcribens ſuam hæreſim notis abſtruſis, & non intelligibilibus, ſi poſtea amico communicaret, vel ad ſui memoriam retineret Regulam intelligendi illa notas, an cenſeatur hæreticus externus.*
12 *Hæreſis externa an poſſit manifeſtari ex verbis æquiuocis.*
Verba æquiuoca in dubio ſumenda ſunt in ſenſu Catholico.
Hæreſis quando dicatur manifeſtari ex verbis, vel ſignis.
13 *Hæreſis interna an, & quando detegatur, ex eo quod dormiens fateatur, & profiteatur hæreſim, quam occultat in mente.*
Vox dormientis non eſt manifeſtatiua ſenſus vigilantis.
14 *Hæreticus externus an, & quando dici poſſit qui ſuam hęreſim detegit in confeſſione.*
Hæreticus ad conſequendum Sacramentum Confeſſionis, an pernecesse debeat dolere, & habere propoſitum.
15 *Hæreticus reuelans ſuam occultam hęreſim Inquiſitori, vel amico, per modum petitionis conſilij, an, & quando dici poſſit hęreticus externus.*
16 *Factum expreſſiuum latentis hęreſis quando, & ex quibus reſultet.*
17 *Fornicatio exercita eo animo, quod fornicans putet eam ſibi licere, an ſit actus hęreſis manifeſtatiuus.*
18 *Carnes an comedens in diebus vetitis, putans illas licitè poſſe edi, an, & quando dicatur hęreſim manifeſtare.*
19 *Quid ſi comedat illas appoſitas ad diſcernendum Lutheranos à Chriſtianis?*
20 *Hæreticus internus prorumpens in blaſphemias non hęreticales, an, & quando dicatur hæreticus externus.*
21 *Hæreticus internus nutus faciens indifferentes, an dicatur hæreſim manifeſtare.*

1 HORVM autem Hæreticorum Inconſtantia alia eſt externa, alia verò interna, & mentalis, Filiuc. *to.2.tract.22. cap.6.* Alberghin. *Man. cap.2. nu.2.* Ricciull. *lib.5.cap.9.nu.1.*

2 Rursùs alia eſt externa tantùm, alia interna, & mentalis tantùm, alia externa, & interna ſimul, Duard. *ad Bullam Cœnæ lib.2. can.1.qu.20.nu.11.* Trullench. *loco cit.* Sayr. *in Theſaur. lib.3. cap.4. num.19.*

3 Inconſtantia, ſeu Hæreſis externa tantùm eſt illa, quando quis retenta in intellectu fide, aliquid contra eam vel ob metum, vel paſſionem facit, vel profert, Suarez *d.tract. diſp.14. sect.vlt. num.4.* Trullench. *loco cit. num.3. verſ. ad hæreſim materialem*, Duard. *loco cit.*

Et ad hanc ſpeciem Hæreſis externæ
tantùm referuntur omnes illi, qui Hære-
4 ticì prȩſumpti vocantur, Suarez. & Duard.
locis citatis. Quales ſunt, qui dicto, vel
facto reddunt ſe ſuſpectos de Hæreſi, Me-
noch. *de præſumpt.lib.5. præſumpt.6.num.14.*
Duard. *loc. cit. num.8.* Ricciull. *loc. citato à
num. 1.* de quibus infra ſingillatim dice-
mus.

Interna verò, & mentalis Hæreſis, ſeu
5 Inconſtantia in fide, eſt illa, quam quis in
mente retinet nullo extrinſeco ſigno ap-
parente, Suarez *d. diſput.21. sect.2. num. 1.*
Duard. *loc. cit. num. 12.* Trullench. *num. 3.*
Ricciull. *d.cap.9.num.3.* Bordon. *in Tribun.
cap.10. num.1.*

6 Interna verò, & externa ſimul illa eſt, quæ reſidet in intellectu, & aliquo ſigno

externo se prodit, Suarez *loco cit.* Duard. *loco cit. num.* 13. Trullench. *num.* 3.

Cæterùm, cum externa significatio fiat
7 vel verbis, vel factis, Eymer. *in direct. q.* 50. & ibi Pegna *Comment.* 75. Roias *de Hæret. à num.* 276. Suarez *d. sect.* 2. *num.* 8.

Non omne verbum, vel factum aptum est ad detegendam huiusmodi Inconstantiam, sed requiritur tale, itaùt si aliquis adesset, cognosceret eum, qui talia edidit, in tali Hæresi esse, Nauarr. *in cap. Cogitationis n.* 10. *corollar.* 2. *de pænit. dist.* 1. Vgolin. *de Censur. Pap. reseruat.* 2. *par. cap.* 1. §. 1. *nu.* 17. Sanch. *ad Præcept. lib.* 2. *cap.* 8. *nu.* 7. Albergh. *in Man. cap.* 2. *num.* 2.

Hinc propterea signum, vel verbum indifferens, non est aptum ad detegendam
8 huiusmodi in fide Inconstantiam, Sayr. *in Thesaur. to.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 26. cum alijs per Sanchez *loco cit. num.* 8. Alberghin. *loc. cit. nu.* 2. P. del Bene *de Offic. S. Inquisit. par.* 1. *dubit.* 12. *num.* 5.

Ideò non dicitur Hæreticus externus,
9 qui scribit Hæresim characteribus, vel notis, quæ vulgò *cifræ* vocantur à se ipso compositis ad sibi soli significandum, quæ talia sint, vt à nullo alio intelligi possint, Sanchez *loco citato num.* 10.

Dixi *à nullo alio intelligi valeant*, quia si à perito in arte intelligi possent, & vt vulgò dicitur *discifrari*, certè is non excusaretur ab hæresi externa, Hurtad. *de fide disp.* 83. *sect.* 3. §. 15. Card. de Lugo *disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 13. Pueron. *in Bulla Cænæ cap.* 1. *num.* 113.

Et propterea cum hodie ars interpretandi notas, seu cifras facillima reddita sit, ferè nullus sic scribens hæreses, excusari poterit ab hæresi externa.

10 Pariter non excusaretur sic scribens hæreses, si alijs Regulam interpretandi, hoc est *contra cifram*, traderet, vel etiam apud se retineret, quia tunc hæresis non est per se occulta, sed per accidens, Card. de Lugo *loco cit. num.* 13.

An autem Inconstans in fide, & Hæreticus mentalis scribens notis abstrusis suam hæresim, quam nullus præter illum intelligere tunc potest, si elapso tempore aliquo alicui amico regulam intelligendi illas notas communicasset, vel ad sui memoriam, illam apud se retineret, censeatur Hæreticus externus. Vide doctè, & sub-
11 tiliter differentem more suo Cardinalem de Lugo *loco citato num.* 14. qui tamen poterat se breuiùs expedire ad tradita per Vasquez *in* 1. 2. *qu.* 96. *artic.* 4. *disput.* 160. *cap.* 5. *num.* 22. & per Sanchez *loco citato num.* 25.

12 An verò verba æquiuoca apta sint ad manifestandam heresim externam, negant Hurtad. *d. disp.* 83. §. 13. & 14. Castro-palao *de fide tract.* 4. *disput.* 3. *pun.* 3. *num.* 4. Tùm quia verba æquiuoca in dubio sumenda sunt in sensu Catholico: tùm etiam quia verbum, vel signum manifestatiuum hæresis tale esse debet, vt videntes, & audientes prudenter, & absque temeritate colligere possint animum Hæreticum internum.

Contrariam tamen opinionem tenent Sanchez *ad Præcepta lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 26. Suarez *disp.* 22. *num.* 2. *vers. Secùs verò*, & *de censur. disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 17. Card. de Lugo *dicta disput.* 23. *sect.* 2. *à num.* 19.

Ratio est, quia illa æquiuocatio non minuit culpam, sed per accidens illam occultat, Bonacin. *de Censur. disput.* 2. *qu.* 5. *pun.* 2. *num.* 6. Card. de Lugo *loco cit. sect.* 2. *num.* 9.

13 Nec sufficeret ad detegendam hæresim internam, si quis dùm dormit fateatur, & verè profiteatur hæresim, quam in mente occultat, quia illa non est manifestatio, cum vox dormientis non sit significatiua sensus vigilantis, Suarez *d. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 12. Sanchez *dicto cap.* 8. *num.* 24. Card. de Lugo *d. sect.* 2. *num.* 33. P. del Bene *loco cit. num.* 13.

Quod procedit, quamuis in vigilia præuiderit se in somno manifestaturum hæresim, vt contra Bonacin. *disput.* 2. *de Censur. q.* 5. *pun.* 2. *n.* 7. tenet Card. de Lugo *loco cit.*

Et hoc habet locum, quamuis qui talia profert in somno, verè non dormiret, sed simulatè: Nàm si non habet in animo per illa verba plus significandi, quam si à dormiente, vel ab ebrio proferantur, non potest dici Hæreticus externus: Secùs autem si assumeret illam occasionem, vt suam hæresim internam exprimeret, quia tunc sunt veræ voces non dormientis, sed vigilantis, vt benè contra Hurtadum, & Dianam tenet Cardin. de Lugo *loco citato num.* 37. & 38.

14 Pariter non est Hæreticus externus, qui heresim internam detegit in Confessione, quia actus iste, & optimus est, ac extra iudicium humanum, Simanch. *de Cathol. tit.* 42. *num.* 9. Couuarr. *reg. peccatum* 2. *par. in initio nu.* 7. cum alijs per Sanchez *d. cap.* 8. *num.* 19. & post eum Albertin. Bonacin. Ricciull. & Boss. *de triplici Iubilæo sect.* 1. *casu* 10. §. 4. *num.* 139. P. del Bene *loco cit. num.* 10.

Dummodò bono animo id faciat, secùs si simulatè, vel alio prauo fine, & absque intentione faciendi veram Confessionem hæresim proferret, Sanchez, & Boss. *locis citatis*.

Non tamen requiritur, quod de peccato hæresis doleat, vel habeat propositum necessarium ad valorem Sacramenti, vt *locis citatis* Sanchez, & Boss. testantur.

Cauendum est ergò à Barbosa *de pote-*

*state Episcopi allegat.*40.*num.*19. qui contrarium asserit, & confundit hunc casum cum sequenti.

15 Nec erit Hæreticus externus ille, qui reuelat suam occultam hæresim Inquisitori, vel alicui alteri amico, non vt illam asserat, sed vt ab eo consilium petat, vt voluere plures citati à Sanchez *loco alleg.* quibus addo Barbos.& Boss. *locis cit.*

Duplicem huic conclusioni limitationem afferunt nonnulli, & primò Azor. qui dicit, illam procedere, si is apetiat hæresim, quam alias tenuit consilij petendi gratia, secùs autem si eam, quam nunc tenet.

Secundo Bannes, & alij à Sanchez allegati *loc. cit.* dicunt, tunc procedere conclusionem, si quis Virum doctum consilit, vt acquiescat Ecclesiæ; secùs tamen, vt acquiescat illi Viro docto.

Sed neutra limitatio placet doctissimo Sanchez: Non prima, quia adhuc ille actus bonus est, cum ad capiendum consilium in animæ bonum fiat, non autem ad profitendam hæresim. Non secunda, quia adhuc ille actus bonus est, & latet in animo, se nolle acquiescere Ecclesiæ, vt benè vtramque limitationem reprobat Sanchez *dicto cap.*8.*num.*20. quem sequitur Boss. *loc.cit. num.*140.

Quo verò ad factum expressiuum latentis Inconstantiæ in fide dicendum est, debere esse tale, ex quo saltem hæresis

16 præsumptio oriatur, verbi gratia: si credens Baptismum esse reiterandum, rebaptizet; vel negans auctoritatem Ecclesiæ in instituendis ieiunijs, hac intentione comedat carnes in Quadragesima, Sanch. *d. cap.*8. *num.*15. Boss. qui alios, *num.* 129. Sanctarell. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 13. *versic. Si quis.*

Secùs autem, si actus esset immunis à suspicione hæresis, qualis est, si quis crederet iuternè, fornicationem non esse peccatum, externè fornicaretur, sic Sanchez *loc.cit.* Boss.*loc.cit.* Card.de Lugo *loco cit. num.*25. P.del Bene *loc.cit.*

Quia fornicatio potest ex alia causa quàm ex hæresi prouenire: Puta ex concupiscentia, & ex desiderio prolis, vt dicunt *supra citati*. Et licet etiam vsus carnium possit prouenire ex infirmitate, vel gula, nihilominùs adest suspicio hæresis in his, qui comedunt carnes diebus prohibitis, nullas habentes causas excusationis, quæ non adest in fornicantibus, & hoc propter Hæresim Lutheri, & aliorum Nouatorum in hac materia, vt benè aduertit Boss. *num.* 128. Et Ego dixi *latè in responsione ad Historiam Inquisitionis Venetæ.*

17 Nec placet distinctio Bordoni *in Tribun. cap.*12. *num.*21. *vers.Ego dicerem*, asserentis, quod si quis accedit ad fornicandum eo animo, quod credat talem accessum sibi licere, tunc esse actum hæresis manifestatiuum, quia etsi actus iste non inuoluat suspicionem hæresis, si ille animus lateat, hoc verum esse pro foro iudiciali, non autem in ordine ad censuram, quia Bordonus perit principium,dùm enim omnes Doctores dicunt, quod actus externus debet hæresis suspicionem parere, non sufficit illa mentalis intentio, nisi exteriùs irrumpat etiam ad effectum excommunicationis, quia ex illo actu non insurgit suspicio hæresis, vt dicunt Suarez, Sanchez, & Boss. *loc. cit.* in puncto Sanctarell. *de Hæres. cap.*3. *dub.*2. *num.*12.

18 Cæterùm, edens in diebus vetitis modicum carnis putans licitè posse edi, an ex hoc esu manifestaret hæresim; placet distinctio. Aut cum esu modicæ carnis concurrunt aliæ coniecturæ suspicionis hæresis, puta, si ità illam modicam quantitatem carnis comederet, vt notabilem comedendi quantitatem animum habere demonstret.

Vel si hac expressa intentione ferculum carnis in mensa apponat, vt qui Lutherani sunt à Catholicis discernantur, &

19 sine protestatione,imò animo protestandi hæresim Lutheranam, etiam tantillum carnis comedat, procul dubio Hæreticus externus erit censendus,quia paruitas materiæ tunc non excusat, Duard. *in Bull. can.* 5. *qu.*24. 3. *conclus. num.* 21. *vers. Quod puto*, Boss. *loc. cit. num.* 129. & ità intelligendi veniunt Sanchez, Sanctarell. Card. de Lugo, & alij simpliciter loquentes.

Et propterea dixit idem Card.de Lugo, quod licet hereticus internus prorumpens in blasphemias non hæreticales, non di-

20 catur hæreticus externus,quia huiusmodi blasphemiæ non significant mentem hæreticam,licet ex illa procedant: At tamen si illæ blasphemiæ in eo loco essent signa Hæreticorum, vt in Anglia, & Scotia, si quis malediceret Papæ, & sacris Imaginibus, certè proferens huiusmodi blasphemias ex mente hæretica, esset Hæreticus externus.

Sed si quis ex hæresi interiori digitos moueret, annueret oculis, percuteret fœmur, vel similia faceret, quæ nullam ha-

21 bent cum hæresi interiori connexionem, non esset censendus Hæreticus externus, Sayr. *in Thesaur. lib.*3.*cap.*4.*num.*26. Suarez *d. disput.*21. *sect.*2. *num.*10. & 11. Ricciull. *d.lib.*5.*cap.*9.*nu.*10.cum alijs per Sanctarell. *d. dub.*2. *num.*12.

Rursùs in fide Inconstantium, nonnulli appellantur Hæretici affirmatiui, alij Hæretici negatiui.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

De Hæreticis Affirmatiuis, & Negatiuis. De sponte Comparentibus. Vnde Priuilegium sponte Comparentium. Quæ debeant concurrere, vt quis gaudeat priuilegio sponte Comparentis. An sponte Comparens teneatur nominare Complices, seu Conscios, & qui sint isti Conscij. An dicatur sponte Comparens, qui post denunciationem coram Inquisitore compareat. An præuentus Indicijs super vna Hæresi, Blasphemia, vel Sacrilegio, si plura fateatur, dicatur sponte Comparens. An Sacerdos inquisitus de reiterata celebratione Missarum coram Ordinario, si fateatur, se non promotum, habeatur pro sponte Comparente. An expeditus à Sancto Officio, si redeat, & fateatur ea, quæ negauit, habeatur pro sponte Comparente. An si quis fateatur, se celebrasse non promotum, & taceat, se audiuisse Confessiones, habeatur pro sponte Comparente. An Inquisitor ex officio possit indagare, an quis sponte Comparens sit. An qui semel abiurauit Hæreses, si incidat in Hæreses non abiuratas, quas sponte fatetur, habendus sit pro sponte Comparente. An Relapsus, qui timore probationum compareat, debeat haberi pro sponte Comparente. Nati, & educati inter Hæreses, quomodò recipiantur. An indicijs præuenti, si non citati compareant, dicantur sponte Comparentes, vel sponte Confessi, & quis dicatur sponte Confessus. Quas pœnas non euadant sponte Comparentes. Quomodò accipiantur Hæretici, qui vel cum tergiuersatione, vel cum tortura fatentur Hæreses. Quibus casibus Hæreticis pœnitentibus non parcatur.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici affirmatiui, qui.*
2 *Hæretici affirmatiui pertinaces, & impœnitentes, qui.*
3 *Hæretici pœnitentes, qui.*
4 *Hæretici affirmatiui sponte comparentes, qui.*
5 *Hæretici comparentes sponte iuxta praxim Sancti Officij expediuntur sola abiuratione, & pœnitentijs salutaribus, vitatis omnibus alijs pœnis.*
6 *Hæretici quomodo antiquitùs expedirentur à Sancto Officio, quando sponte comparebant.*
Tempus gratiæ antiquorum.
7 *Hæretici quocumque tempore hodie compareant sponte, gaudent priuilegio sponte comparentium.*
8 *Priuilegium sponte comparentium, vnde emanet.*
9 *Hæresis Nouati, quod lapsi non recipiendi sint ab Ecclesia.*
10 *Edictum temporis gratiæ habet locum etiamsi comparentes intra terminum fuerint denunciati, siue id sciant, siue non.*
11 *Leges ciuiles non abhorrent Hæreticum impœnitentem.*
12 *Reus læsæ maiestatis humanæ sponte comparens sine pœna dimittitur de iure ciuili.*
13 *Quid de receptatore latronum.*
14 *Quid de receptatore desertorum.*
Athenienses manifestanti seipsum impunitatem concedebant.
15 *Hæreticus sponte comparens, vt gaudeat priuilegio de se, & alijs debet veritatem dicere.*
16 *Hæreticus renuens complices reuelare, quamuis sponte comparuerit, an possit à censuris absoluere, & quid agendum de eo.*
17 *Confessio nisi fiat plena, non iudicatur quis verè contritus, & ad fidem ex corde conuersus.*
Venia dimidia non speranda.
Hæreticus renuens reuelare Magistrum, an sit tradendus Curiæ sæculari quamuis sponte comparuerit.
18 *Hæreticus volens iuuari priuilegio sponte comparentium non solùm tenetur reuelare complices, sed & alios hæreticos, & hæresis suspectos.*
Interrogatio facienda hæreticis oltramontanis in Sancto Officio sponte comparentibus.
19 *Hæreticus sponte comparens quos conscios no-*

minare teneatur, & an testes delictorum.

20 *Conscij parricidij puniendi ex lege Pompeia, qui intelligantur.*

Clausula Dummodo non habeat complices, vel conscios, *apponi solita per Sacram Pœnitentiariam in facultate absoluendi ab hæresi, de quibus complicibus, seu conscijs sit intelligenda, & de eius praxi.*

21 *Inquisitor an, quando, & quomodo procedere possit contra conscios ab hæretico sponte comparente nominatos.*

22 *Hæreticus denunciatus ex sola denunciatione non potest carcerari, nec citari, sed solùm potest generaliter inquiri.*

23 *Denunciatio an, & quomodo in causa hæresis sit loco testis.*

24 *Denunciator accusans testis esse non potest.*

Denunciatio quam faciat operationem iuxta praxim Sancti Officij.

Denunciatus citari non potest sine grauibus indicijs.

25 *Captura denunciati quæ indicia requirat.*

26 *Denunciatus quomodo arrestandus, vbi timetur eius fuga.*

Carcer Sancti Officij infamiam irrogat.

Tortura irrogari solet in carceribus Sancti Officij.

27 *Comparitio spontanea quando dicatur.*

28 *Hæreticus accusatus, & vocatus si suum peccatum agnoscat, priusquam sit de crimine conuictus, quomodo expediendus.*

29 *Indicia plura requiruntur ad praueniendum denunciatum, nec sufficit vnum.*

Denunciatus sponte accedens, post denunciationem porrectam, & in actis receptam an, & quando habeatur pro sponte comparente.

30 *Denunciatus comparens eadem die denunciationis habendus pro sponte comparente, & de ratione.*

Hora aduotari non solet in denunciatione.

31 *Praeuentus indicijs quoad vnum delictum, si fateatur aliud simile, pro quo non erat indiciatus an, & quando habeatur pro sponte comparente & num. 34. & 35.*

32 *Inquisitus de vna hæresi potest interrogari de alia.*

33 *Interrogari nemo potest in iudicio nisi præcedant indicia.*

34 *Rei confessi, vel conuicti de hæresi torquendi pro vlteriori veritate habenda.*

35 *Rei interrogati in genere fatentes delicta, de quibus non sunt indiciati, nec denunciati, quomodo expediendi.*

36 *Sacerdos inquisitus coram Ordinario, vel Inquisitore de reiterata celebratione Missarum, eadem die si fateatur ad interrogatoria generalia se celebrasse non promotum an sit habendus pro sponte comparente.*

Sacerdotes externi delinquentes in celebratione Missarum possunt interrogari an sint Sacerdotes, & à quo ordinati.

Rei iam expediti in Sancto Officio sponte deinde comparentes, & fatentes omnia, quæ priùs negauerant, an gaudeant priuilegio sponte comparentium.

37 *Confitens delictum post sententiam absolutoriam potest ex illa confessione condemnari.*

Iniustitia sententiæ absolutoriæ à delicto resultat ex eo, quod reus illud fateatur.

38 *Iudiciatus grauissimè de Blasphemijs, & propositionibus hæreticalibus negans in tortura, quomodo fuerit expeditus, & quomodo iterum expeditus fuerit posteà sponte confessus.*

Confessus per spontaneam comparitionem se celebrasse non promotum, sed tacens audiuisse confessiones, & post absolutionem pro celebratione impertitam de confessionibus denunciatus an gaudeat priuilegio sponte comparentium, & per plures num. seqq. & num. 45. resolutio casus.

Verbum plena *æquipollet verbo* integra.

Veritas integra quæ dicatur.

39 *Fatens delictum, sed tacens qualitatem aggrauantem non gaudet beneficio Statuti pœnam minuentis sponte confesso.*

40 *Reus diminutus quis dicatur.*

41 *Sanctum Officium Tribunal mixtum fori pœnitentialis, & iudicialis externi.*

Venia an, & quando indignus sit in foro pœnitentiali, qui integrum peccatorum mortalium numerum non fatetur.

Obliuio considerari non potest in delicto atrocissimo, sæpius reiterato, & recenti.

42 *Poligamia an sit vna quamuis reus tres, vel quatuor vxores eodem tempore duxerit.*

Nuptiarum secundarum appellatione veniunt tertiæ, & vlteriores.

Poligamus sponte confessus accepisse secundam vxorem, tacens autem tertiam, tanquam diminutus puniendus.

43 *Veritas delicti quando dicatur plenè confessa.*

44 *Diminutus quando dicatur, qui tacet locum, & tempus delicti.*

Hæreticus aliquas hæreses fateus, & alias tacens si ab Inquisitoribus absoluatur, an, & quando censeatur absolutus ab omnibus etiam non confessis & num. seq.

Diminutus est, qui non dixit integram veritatem.

45 *Pœna mortis tenetur Sacerdos tam qui pluries celebret in eodem die, quàm qui audiat confessiones sine facultate.*

Dolus considerari an, & quando possit in fatente vnum delictum, & tacente aliud.

Inquisitor an possit ex officio ante absolutionem perquirere, num sponte comparens delictum confessus, sit diminutus.

46 *Fiscus an possit excludere ab indulto concesso pro homicidio reum confitentem illud non fuisse homicidium simplex, sed qualificatum, puta proditorium.*

Indicium diminutionis an resultare possit ex spontanea comparitione.

47 *Relapsus sponte comparens an sit absoluendus cum priuilegio sponte comparentium.*

Ecclesia nunquam claudit gremium redeuntibus

48 *Impunitas mulieri relapsæ sponte comparenti concessa.*

49 *Inquisitores an, & quomodo reconciliare possint relapsos sponte comparentes.*
Facultas Inquisitorum Portugalliæ pro absoluendis Indis nouis Christianis relapsis.

50 *Relapsus sponte accedens antequam præueniatur indicijs, sed timore denunciationis, vel futurarum probationum an sit admittendus ad priuileginm sponte comparentium.*

51 *Reus an dicatur sponte comparens, quamuis timeat denunciationem, vel futuras probationes, & sciat, vel suspicetur se præuentum, & ideo compareat.*

52 *Proferens blasphemias hæreticales an comparens, quia fuit sibi dictum à quodam quòd volebat eum denunciare, an gaudeat priuilegio sponte comparentium.*

53 *Relapsus in nouas hęreses an sit habendus pro relapso.*

54 *Hæresiarchæ, & Dogmatistæ sponte comparentes quomodo expediendi.*

55 *Comparitio spontanea natis, & educatis in hæresi prodest sine difficultate.*
Hæresis vltra Baptismum requirit sufficientem instructionem.

56 *Infans baptizatus, & in falsa doctrina nutritus apud hæreticos quando sit censendus hæreticus.*

57 *Hæreticus an sit necesse quod fidem habuerit, & fuerit in professione Christiana.*

58 *Puer baptizatus, & nutritus inter hæreticos quomodo ad reconciliationem cum Ecclesia recipiendus, & instruendus.*

59 *Minor annorum quatuordecim quomodo admittatur ad reconciliationem cum Ecclesia, & quis ad hunc effectum dicatur minor.*

60 *Clausula* circa pœnam relapsus *quando sit apponenda in reconciliatione minoris cum Ecclesia.*

61 *Minor an sit mitiùs puniendus etiam in Sancto Officio.*

62 *Abiuratio æqualiter imponitur maioribus, & minoribus, & de ratione.*
Abiuratio non est pœna corporalis, & de eius effectu.
Minores in expeditione, & pœnitentijs gaudent maioribus prærogatiuis, quàm maiores.

63 *Gestatio habitelli reducitur ad pœnam corporalem, & ad infamiam.*
Habitellus Hęresiarchis sponte comparentibus non imponitur.
Hæreticus se conferens ad abiurandam hæresim, & interim captus, an sit puniendus.

64 *Natus, & educatus inter hæreticos, si capiatur mitiùs puniendus ex defectu instructionis, & quid cum eo agere expediat.*

65 *Hæreticus suasus ad comparendum si renuat, & protestetur se velle in hęresi perseuerare, quid agendum.*

66 *Præuenti denunciatione, & indicijs, non tamen vocati, neque citati ad iudicium coram Inquisitore, si compareant, an dicantur sponte comparentes.*
Conscius præuentionis quis dicatur.

67 *Praxis Supremę Inquisitionis cum pręuentis denunciatione, & indicijs, idque scientibus, & suspicantibus, qui sponte compareant.*
Confessus mitiùs punitur.

68 *Confiscatio non imponitur comparenti post denunciationem, & indicia, eaque scienti, vel suspicanti secundùm praxim Supremæ Inquisitionis.*

69 *Confessus sponte quis dicatur, & signanter an vocatus ad iudicium.*

70 *Et quis secundùm praxim Supremę Inquisitionis.*

71 *Sponte confessus quas pœnas non euadat secundùm eamdem praxim.*
Sponte confessus negans tamen qualitatē delictum aggrauantem, si de illa conuincatur, non gaudet diminutione pœnę.

72 *Hęreticus pœnitens, & confessus cum tergiuersatione, vel in tortura, quas pœnas euadat, & quas non.*

73 *Hęretici vocati ad iudicium quo tempore recipiantur secundùm praxim Sancti Tribunalis.*

74 *Hęreticus tortus, & in tortura confessus an, & quando recipi possit ad misericordiam.*
Ratificatio confessionis emanatę in tortura facta extra torturam, quid operetur.

75 *Hęreticus post sententiam an, quando, & quomodo per Inquisitorem recipi possit ad misericordiam.*

76 *Hęreticus iam traditus Curię seculari an, quando, & quomodo per Inquisitorem recipi possit ad misericordiam.*

77 *Hęreticus venia indignus etiam pro prima vice si neget* propositiones, *de quibus hìc, & de ratione, ac quomodo puniendus.*

78 *Celebrans Missas, vel audiens confessiones Sacramentales sine ordine Sacerdotali, venia indignus etiam pro prima vice.*

79 *Schisma venia indignum, etiam pro prima vice.*

80 *Lamię, quę maleficijs infantes occidunt venia indignę etiam pro prima vice.*

1 AFFIRMATIVI sunt illi, qui errorem, quem habent in mente, aut verbo, aut factis ostendunt, Repert. Inquisit. *ver. Hęret. nu.* 15. Farinacc. qui plures refert *quęst.* 178. §. 1. *num.* 19. Caren. qui alios *par.* 2. *tit.* 1. §. 9. Alberghin. *in man. cap.* 2. *num.* 6. & cæteri quotquot in hac materia scripserunt, P. del Bene *de officio Sanctiss. Inquisitionis par.* 1. *dub.* 13. *sect.* 1. *num.* 4.

2 Horum autem nonnulli sunt pessimè Constantes in hæresi, qui pertinaces, & impœnitentes dicuntur, Tabien. *ver. Hęreticus num.* 16. Decian. *lib.* 5. *cap.* 55. *nu.* 1. Farinacc. *qu.* 196. §. 1. *num.* 1. eo quod scienter tenent aliquid contra Ecclesiam Catholicam, vt tradit Diuus Augustinus

*lib 4. contra Donatistas cap.6. & in Epist.*164. Diuus Thomas 1. 1. *quæst. 32. cap. vnic. eodem tit.* Sanchez *ad præcepta Decalogi lib. 2. cap. 7. num. 2.* latè Farinacc. *qu.*196. *à num.* 1.

Alij verò Inconstantes laudabiliter in erroribus, quia ad pœnitentiam reducuntur, & hi sunt, qui aliquando errorem in mente habuerant, illumque factis, vel verbis ostenderunt, postmodùm tamen ad se reuersi, saniorique consilio edocti, ab errore corde resiliuere, & illum abiurauere, vt notat Repert. Inquisit. *ver. Hæreticus pœnitens dicitur ille*, Eymer. *par.2. qu.40. nu.2.* & ibi Pegna *comment.*65. *littera B*, Farinacc. *qu.* 192. *num.* 4.

3

Horum autem aliqui (quod attinet ad forum Iudiciale) dicuntur sponte comparentes, quia nullis omnino præuenti indicijs, sponte comparent coram Ordinario, vel Inquisitore, & suos errores fatentur, & veniam petunt, Farinacc. *qu.* 193. *nu.*28. *vers. In Supremo.*

4

Et hi omnem euadunt pœnam temporalem; Expediuntur enim sola abiuratione, & pœnitentijs salutaribus iuxta praxim S. Officij, de qua testatur Farinacc. *d. qu.* 193. *num.*28. *ad finem*, Alphonsus de Castro *de Iusta lib.* 1. *cap.* 22. *col.* 1. *vers. quocumque enim tempore*, Riceiull. *de Iure personarum lib.*5. *cap.* 41. *num.* 10. vbi quod sponte comparentes euitant pœnam carceris, & confiscationis, Pegna *par.* 3. *comment.* 142. *vers. verum*, Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 13. *num.* 22. & *tit.* 47. *num.* 27. & euitant omnes alias pœnas, Suarez *de fide disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 14. Riceiull. *loco citato num.* 12.

5

Quod procedit quocumque tempore hi accedant sponte ad Iudicem fidei, licèt enim antiquitùs, præsertim quando Inquisitores procedebant ad loca eorum iurisdictionis, promulgabant Edictum, quo cauebatur, quod si hæretici, vel suspecti de hæresi infra tempus assignatum, puta trium mensium, accederent ad eundem Inquisitorem, & coram eo fassi fuerint errores, immunes ab omni pœna euaderent, & hoc tempus *gratiæ* vocabatur, iuxta dispositionem Concilij Biterren. *cap.* 2. vt notant Guido Fulcod. *qu.* 2. & ibi Caren. idem Carena *par.* 2. *tit.* 10. §.4. Sousa *in Aphorism. lib.*4. *cap.* 1. Alberghin. *in manu. cap.*40. *num.* 2. Farinacc. *qu.* 193. *num.* 28.

6

7 Hodie tamen huiusmodi tempus gratiæ recessit ab Aula, quia quocunque tempore Hæretici sponte compareant, si non fuerint indicijs præuenti, gaudent priuilegio sponte Comparentium, vt dicunt Alphonsus de Castro, & alij *supra citati.*

Hoc autem priuilegium sponte Comparentium emanat à pietate Sanctæ Ma-

8 tris Ecclesiæ, quæ tanquã pia Mater sponsi sui dulcissimi vestigia sequendo extensis, vt aiunt, vlnis Hæreticum resipiscentem recipere solet. Dixit enim Christus *Eum, qui venerit ad me non eijciam foras*, vt benè considerat Alphonsus de Castro *de iusta Hæret. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 1.

9 Hinc propterea damnatus fuit Nouatus, à quo Hæretici Nouatiani sunt dicti, qui in tantum prorupit insaniam, vt veritas non sit docere, lapsos non esse recipiendos ab Ecclesia, vt aduertit idem Alphons. de Castro *loco citato.*

Vigilius Papa *Epist.* 5. *ad Episc. Mennam* professus est hanc pietatem his verbis:

Hoc tantummodò, sicut Apostolicæ moderationi conuenit per omnia reseruantes, vt si aliquis vel eorum, vel quorumlibet errantium, quasi agnita Catholicæ fidei veritate pœnitentiam agens reuerti voluerit, & Hæresis, in qua volutatur, errore contempto, scripturæ quoque professione vniuersam errorum suorum, & complicum damnauerit prauitatem, & Apostolicæ sequens instituta doctrinæ, anathema dixerit ei, qui vel prædictas quatuor Synodos in fidei causa non sequitur, vel beatæ recordationis Prædecessoris nostri Leonis venerabilia constituta in omnibus non confitetur, & non in omnibus viribus, omniq; animi sequitur puritate; Tunc communionis nostræ (quam nulli nos negare conuenit pœnitenti) sub Apostolica, & canonica (sicut præfati sumus) satisfactione modis omnibus agetur. Quia Redemptor Noster non velit aliquem perdere, sed omnes pro sua pietate saluare.

Concilium demùm Biterrense decreuit, quod venientes infra terminum gratiæ, si pœnituerint, & plenam de se, ac de alijs veritatem dixerint, habeant impunitatem, mortis, exilij, & confiscationis bonorum.

10 Quod quidem Decretum, quando publicatur Edictum temporis gratiæ habet locum, etiamsi comparentes intra terminum prædictum fuerint priùs denunciati, & siue ille sciat, se esse denunciatum, siue non, aliàs illud indultum seruiret de vento, quia non indiciati, nec præuenti quocunque tempore accedant ad Iudicem, semper sunt admittendi, vt benè Alphons. de Castro *dicto tract. lib.*1. *cap.*22. *vers. Nàm alioquin.*

11 Nec à pietate Ecclesiæ abhorrent leges ciuiles, vt expressè habetur *in l. licet crimina* 40. *C. Theodos. de Hæret. lib.* 16. cuius verba sunt:

Licet crimina soleat pœna purgare, Nos tamen prauas hominum voluntates admonitione pœnitentiæ volumus emendare.

Quicumque igitur Hæreticorum, siue Donatistæ sint, siue Manichæi, vel cuiuscumque alterius prauæ opinionis, ac Sectæ profanis ritibus aggregati Catholicam fidem, & Ritum, quem per omnes homines cupimus obseruari, simplici

confessione susceperint, licet adeò inueteratum malum, longa, ac diuturna meditatione nutriuerint, vt etiam legibus antea latis videantur obnoxij. Tamen hos statim, vt fuerint Deum simplici Religione confessi, ab omni noxa absoluendos esse censemus, vt ad omnem reatum, siue antea contractus sit, seu postea (quod nolumus) contrahetur, etiamsi maximè reos pœna videatur vrgere sufficiat ad abolitionem errorum, proprio damnasse iudicio, & Dei Omnipotentis Nomen inter ipsa quoque pericula requisitum fuisse complexum, quia nusquam debet in miseris inuocatum Religionis deesse subsidium. Vt igitur priores, quas statuimus leges in excidium sacrilegarum mentium, omni executionis vrgeri iubemus effectu, ità his, qui simplicis fide Religionis, licet sua confessione maluerint, censemus datis legibus non teneri. Quæ ideò sanximus, quo vniuersi cognoscant, nec profanis hominum studijs deesse vindictam, & ad rectum redundare cultum legum quoque adesse suffragium.

12 Quod in delicto Maiestatis humanæ expressè sanciuere Imperatores Honorius, & Arcadius *in l. Quisquis, §. Sanè, C. ad l. Iuliam Maiestatis*, ibi:

Sanè si quis ex his in exordio inita factionis studio veræ laudis accensus ipse prodiderit factionem, & præmio, & honore à Nobis donabitur.

Is verò qui vsus fuerit factione, si vel sero incognita (tamen adhùc) consiliorum arcana patefecerit absolutione tantùm, ac venia dignus habebitur.

13 Et in receptatione latronum idem dicit Textus *in l. 2. §. Domini etiam, C. de his, qui latrones occultauerint.*

14 Idem quoque statutum est in receptatore desertorum, vt habetur *in l. 1. C. de Desertatoribus lib. 12.*

Elegans est etiam Textus *in l. Edicto, ff. de Iure Fisci*, vbi habentur hæc verba:

Edicto Diui Traiani, quod propofuit, significatur, vt si quis antequam causa eius ad ærarium deferatur, professus esset eam rem, quam possideret, capere sibi non licere, ex ea partem Fisco inferat, partem sibi retineat.

Ad idem conducit Textus *in l. vnica, C. de his, qui se deferunt lib. 10.* quem Textum benè explicat Amaia *in l. 1. C. de Delat. lib. 10. num. 57.* eruditissimè Tiraquell. *de pœnis temperandis cauf. 30. num. 2.*

Sed, & secundum Atheniensium leges omnium optimas, & à quibus maxima pars nostrarum desumpta est, teste Liuio *1. decad. lib. 1.* manifestanti, se ipsum etiam impunitas concedebatur, Besold. *cons. 82. num. 26.*

15 Vt autem quis gaudeat priuilegio spontè comparentis, debet plenam de se, & de aliis dicere veritatem, hoc est nominare omnes complices, aliàs veluti diminutus nullam veniam consequi potest, vt patet ex verbis Concilij Biterren. ibi:

Dicentes plenam de se, & de alijs veritatem, habeant impunitatem, Pegna *par. 2. comment. 59. vers. Ex his possumus*, Sousa *in Aphorism. lib. 4. cap. 8. num. 4.* Alberghin. *in Man. cap. 40. nu. 6.* Caren. *par. 2. tit. 10. §. 1. nu. 7.*

16 Et si complices reuelare renuerint, non possunt absolui à censuris, vt fuit resolutum in Sacra Congregatione *die 19. Sept. 1602.* de quo tamen infra.

17 Non enim iudicandus est verè contritus, nec ex corde ad fidem conuersus, qui plenè non confitetur, & dimidiam vult sperare veniam, quod nequaquam licet, *cap. Quem pænitet de Pœniten. dist. 1. cap. Omnes de Pœnit. & remiss.* Simanch. *in Enchiridion. tit. 61. num. 4.* Roias *de Hæret. par. 2. assert. 21.* Sousa, & Alberghin. *loc. cit.*

Non tamen tradendus esset Curiæ seculari, quia hoc pertinet ad maiorem diminutionem, nisi fortasse occultauerit Magistrum, vt considerat Card. de Lugo reprobato Suarez *dicta disput. 24. sect. 2. num. 45.*

18 Imò non solùm complices tenetur spontè comparens reuelare, sed etiam alios Hæreticos, vel de Hæresi suspectos. Et propterea inoleuit praxis in Sancto Officio interrogandi præsertim Hæreticos Anglos, Gallos, Germanos, & alios vltra montes natos in Hæresi, qui spontè comparent in Sancto Officio: *An sciant degere Romæ, vel in Italia alios Hæreticos illarum Regionum.*

19 Sed an teneatur nominare conscios, hoc est eos, coram quibus Hæreses, vel Blasphemias hæreticales protulit, vel delicta ad Sanctum Officium spectantia perpetratus est: Dic, quod si conscij non sint participes delicti, nec suspecti de adhæsione ad hæreses prolatas, sed solùm merè scientes non sunt nominandi.

Nàm conscius, qui debet denunciari, dicitur ille, qui aut commisit, aut committenti consensit, non ille, coram quo sciente, aut cognoscente delictum perpetratum est: Non enim testes, quibus præsentibus, & scientibus aliquid actum est, dicendi sunt conscij, sed qui ope, consilio, aut voluntate adfuerunt, Couarr. *lib. 4. cap. 16. num. 9.* Caluinus *Lexicon. Iurid. in ver. Conscius*, facit Text. *in l. vtrum, ff. ad l. Pompeiam de Parricid.* vbi habetur, *Vtrum qui occiderint Parentes, an etiam conscij, pœna Parricidij afficiantur, quæri potest: & ait Maecianus, etiam conscios, eadem pœna afficiendos, non solùm Parricidas; Proindè conscij etiam extranei eadem pœna afficiendi:* vbi Gloss. *in verb. Conscij*, dicit: *Subaudi, & participes, nàm ex sola scientia non punireutur.*

20 Et proptereà dùm exercerem munus priùs Correctoris, demùm Datarij in Sacra Pœnitentiaria dicebam, quod clausula illa apposita

appoſita in facultate abſoluendi ab Hæreſi, *dummodò non habeat*, qui petit abſolutionem, *Complices, vel Conſcios*, debere intelligi, non de ſimpliciter conſciis, ſed de aliquo modo participantibus in delicto: Nàm illa limitatio adiecta eſt, vt ſcilicet, qui petit abſolutionem, debeat priùs comparere in Sancto Officio, & denunciare ſe, & complices. Cum ergò non teneatur denunciare ſimpliciter conſcios, neceſſariò intelligenda eſt de conſcijs aliquo modo in delicto participantibus.

Si autem ſpontè comparens nominaret conſcios, poſſet Inquiſitor contra illos procedere, ex quo ſecundum eorum obli-
21 gationem per Edicta Sancti Officij inductam, Hæreticum, vel de Hæreſi ſuſpectum ſpontè comparentem non denunciauerit, quod tamen Ego non vidi obſeruari, niſi in aliquo caſu grauiſſimo, & qualificato, & tunc priùs vocato extraiudicialiter conſcio, & interrogato, quare non denunciauerit, vt appareat, an habuerit aliquam iuſtam cauſam non denunciandi, quia tunc non proceditur vlteriùs contra illum: Si autem nullam cauſam afferat non denunciandi, iuxta qualitatem perſonarum mulcta indicenda eſt, Traſmier. *de Denunciat. par. 3. cap. 7. nu. 13.*

Cæterùm vidi pluries dubitari in Sacra Congregatione, An ſi poſt denunciationem porrectam, & in actis receptam, quis ſpontè accedat, vt fateatur crimen, haberi debeat pro ſpontè comparente.

22 Difficultatem faciebat, quia ex ſola denunciatione non poteſt quis carcerari, nec citari, Abbas *in cap. cum oporteat, de Accuſat.* Iudicial. Inquiſit. *verb. Denunciatio nu. 3.* Sed illa ſufficit ſolùm ad Inquiſitionē generalem, Clar. *§. fin. qu. 7.* Eſcobar. *de Confeſſarijs ſollicitant. par. 2. quæſt. 5. §. 1. num. 3.*

23 Et quamuis in cauſa Hæreſis denunciator ſit etiam loco teſtis, Simanch. *de Cathol. tit. 64. n. 55.* Maſcard. *de probat. concl. 26. in fin.* Triuiſan. *decif. 52. in fin.* Scaccia *de Iudic. cap. 72. num. 1. in fin.* Farinacc. *qu. 185. num. 32.*

24 Hæc tamen concluſio, vel procedit quando non proceditur ſuper ipſa denunciatione, quia tunc, cum habeatur loco accuſationis, non poteſt denunciator eſſe teſtis, iuxta Theor. Bart. *in l. Diuus, ff. de cuſtod. & exhib. reorum*, Boſſ. *tit. de denunc. num. 2. verſ. Iſtos terminos*; vel ſecundum praxim Sancti Officij operatur denunciatio, vt poſſit procedi ad examen teſtium, eos interrogando in ſpecie ſuper delicto denunciato: Non autem, vt ſit ſufficiens ad citationem rei, vel ad illius capturam, quia ad eum citandum requiruntur indicia grauia, Clar. *§. fin. qu. 5. verſ. Scias etiam*, Beccius *conſ. 70. num. 26. lib. 2.* Farinacc. *de Inquiſit. cap. 8. num. 48. & 49.* Martin. del Rio *diſq. Mag. lib. 5. ſect. 3. litt. E.*

25 Vt autem deueniatur ad capturam requiruntur indicia ſufficientia ad torturam, Canter. *de probat. per teſtes, cap. 1. rubr. de indic. ad tortur. num. 60. verſ. Verùm autem*, Genuen. *in prax. cap. 68. nu. 1.* P. Diana *to. 4. tract. 8. reſol. 11.* Carena hos referens *par. 2. tit. 2. §. 6 num. 24.* Traſmier. *de Denunc. qu. 7. cap. 1. nu. 24.* Trimarc. *de confeſſ. abuten. diſp. vlt. ſect. 2.*

Et quamuis Martin. del Rio *loco citato*, dicat, quod vbi captura fit, ne reus fugiat, dum formatur inquiſitio, ſufficiant leuiora indicia.

26 Hoc tamen non obſeruatur, ſed vbi adeſt timor fugæ, etiam ante examinatos teſtes, prætenſus reus ſolet arreſtari, & reponi in carceribus laicalibus, vel Eccleſiaſticis Ordinarij loci, non autem detrudi in carceribus Sancti Officij, vt euitetur infamia, ſi delictum non probaretur, vel ſuper eo non haberentur indicia ad torturam, quæ ſolet irrogari à carceribus Sancti Officij, Cæſar de Graſſ. *decif. 184. nu. 4.* Coſta *de facti ſcientia, & ignorantia, inſpect. 19. num. 8.* faciunt, quæ tradit Pegna *par. 3. comm. 31. verſ. Dixi*; & poſt eum Souſa *in Aphoriſm. lib. 2. cap. 26. nu. 29.* Seſſe *decif. 471. num 5.*

Hinc propterea dixit Archid. *in cap. Vt commiſſi, num. 1. de Hæret. in 6.* quod ille di-
27 citur ſpontè comparere, qui non eſt corporaliter requiſitus, nec contra eum probationes ſunt receptæ.

Imò plus dicit Hoſtien. *in Summ. tit. de Hæret.* quod Hæreticus accuſatus, & vocatus, & antequam ſit de crimine conui-
28 ctus, ſi peccatum ſuum agnouerit, debet ab Inquiſitore recipi ad miſericordiam, & expediri cum pœnitentia ſalutari, ſi cognoſcat illum de peccato præterito dolere, & de emendatione illius bonam habeat ſpem; & Hoſtienſem ſequitur Alphonſus de Caſtro *de Iuſta, lib. 1. cap. 22. pag. mihi 114. verſ. Si Hæreticus.*

Accedit, quod ad præueniendum non ſufficit vnicum indicium, prout eſt illud,
29 quod oritur à ſola denunciatione, ſed debent eſſe plura. Ideò ſemper loquimur in plurali, hoc eſt, *dummodò non ſit præuentus indicijs*, vt benè aduertit Sabell. *lib. 2. de matcr. fidei, cap. 8. reg. 200. nu. 41. & 42.*

In hac quæſtione vidi diuerſimodè actum eſſe.

Nam quando tractatum eſt de perſona nobili, & aliàs bonæ opinionis, & famæ, vel de Religioſo, præſertim alicuius Religionis in Eccleſia Catholica optimæ famæ, & exempli: Iſte comparens ſpontè poſt ſolam denunciationem, habitus eſt, ac ſi eſſet ſpontè comparens.

Si verò tractatum eſt de Viro malæ

famæ, plebeio, vel aliàs in Sancto Officio inquisito, tunc cum eo mitius actum est iuxta negotij qualitatem, sed non fuit habitus pro spontè comparente, neque ac si esset spontè comparens.

Quæ autem dicta sunt non habent locum, quando eadem die denunciationis spontè quis comparuerit, quia iste semper
30 habitus est pro spontè comparente; cum enim non soleat adnotari hora, in qua facta fuit denunciatio, sed solùm dies, fit interpretatio ad fauorem spontè comparentis, quia causa eius est priuilegiata ad tradita per Doctores *in l. 1. ff. solut. matrim.* Fœnutius *de momen. temporis cap. 18. nu. 16.* Ideò debet præsumi, quod ante denunciationem comparuerit.

Vidi pariter dubitari, An præuentus indicijs quoad aliquam Hæresim, vel
31 Blasphemiam, vel Sortilegium, si plura alia similia fateatur, de quibus non erat indiciatus, habendus esset pro sponte comparente.

Et dubitationem faciebat, quia in crimine Hæresis potest reus inquisitus de
32 vna Hæresi, interrogari de alijs, iuxta doctrinam Locati *in Iudiciali Inquisitorum, in verb. Inquisitus*, quam refert Farinacc. *de Hæresi qu. 185. num. 133.*

Et ideò videbatur dicendum, iam istum reum esse præuentum indicijs, quia nemo
33 interrogari potest in iudicio, nisi præcedant indicia, Pegna *3. par. Direct. comm. 8. vers. Et sic prudenter*, Caren. *par. 2. tit. 18. num. 6.*

Et in proposito adest Decretum Pauli Quarti, confirmatum à B. Pio Quinto, quo cauetur, quod rei conuicti, vel con-
34 fessi de Hæresi torqueantur pro vlteriori veritate habenda, de quo Farinacc. *q. 185. num. 133.* P. Diana *to. 4. tract. 6. resol. 27. vers. Sed his non obstant.*

Ego vidi in hac materia obseruari, quod si inditiatus de Hæresi fateatùr hæresim, de qua est indiciatus, & demùm fateatur alias Hæreses, de quibus non est inditiatus, nullo modo habitus fuit pro spontè comparente.

Sed si inquisitus de Sortilegio fateatur blasphemasse, vel è contra.

Vel si professus laicus inditiatus de Polygamia, fateatur, se celebrasse non promotum.

Et in summa, si inditiatus de aliquo delicto fateatur cum eo aliquod diuersum
35 delictum, de quo non poterat interrogari, semper fuit habitus pro spontè comparente quoad illa diuersa delicta; secùs si fateatur alia delicta eiusdem speciei.

Et sic intelligenda venit Sacræ Congregationis resolutio facta *sub die 12. Maij 1604.* in qua fuit dictum:

Spontè comparentes non censentur rei, qui in genere interrogati fatentur delicta, de quibus non sunt indiciati, nec denunciati, sed secundùm prudentiam Inquisitorum mitiùs puniuntur.

Sed in hac materia cadit etiam dubitatio, An Sacerdos inquisitus coram Ordinario de reiterata celebratione Missarum eadem die, si fateatur coram eodem Ordi-
36 nario, vel Inquisitore, se celebrasse non promotum ad interrogatoria generalia, debeat haberi pro spontè comparente. Et quidem si sumus in Sacerdote notorio, non potest interrogari, an sit Sacerdos, Vel sumus in eo, qui se gerit pro Sacerdote, & est externus, vel vagabundus: Nàm cum hi possint interrogari, an sint Sacerdotes, & à quo ordinati sint, dùm delinquunt in celebratione Missarum, vt etiam statuit Concilium Tridentinum *sess. 23. de reform. cap. 16.* vtique eos non tractarem vti spontè comparentes, sed vti spontè confessos mitiùs punirem.

Vidi etiam dubitari, an Rei, qui postquam fuerunt expediti in Sancto Officio, spontè comparent, & fatentur omnia ea, quæ priùs negauerant, gaudeant priuilegio spontè comparentium.

Dubium faciebat, quod ille, qui post sententiam absolutoriam fatetur delictum,
37 potest ex illa confessione condemnari: Nàm reus fatendo delictum, fatetur etiam sententiam absolutoriam fuisse iniustam, Farinacc. *de Inquisit. quæst. 4. num. 43. cum sequen.*

Cæterum resolutum fuit in Sacra Congregatione, huiusmodi Reos expediendos esse, ac si essent spontè comparentes, non tamen tales esse declarandos, vt habetur in Decretis latis *die 8. Decembris 1605.* & *die 18. Februarij*, & *14. Iunij 1615.* & *12. Maij 1616.*

Et sic obseruatum fuit, dùm eram Assessor, cum quodam Viro Nobilissimo,
38 qui grauissimè indiciatus de Blasphemijs, & Propositionibus Hæreticalibus, cum in tortura eas protulisse negasset, ac fuisset expeditus cum pœna extraordinaria carceris, ad cor reuersus, facta in carceribus generali confessione suorum peccatorum, dùm petiisset audiri, fassus est, se perpetrasse ea omnia, quæ negauerat, & ideò expeditus fuit tanquam spontè comparens cum abiuratione de vehementi, & pœnitentijs salutaribus.

Sed quia, vt dixi, ad hoc vt spontè comparens gaudeat priuilegio spontè comparentium, debet de se, & de alijs plenam dicere veritatem.

Quæsitum fuit, An qui fassus est se celebrasse non promotum, tacuit autem audiuisse confessiones, de quo delicto, post absolutionem ei pro illo celebrationis impetritam, fuit denunciatus, debeat gau-

dere priuilegio spontè comparentis.

Quæstio hæc acriter fuit agitata coram f. mem. Innocentio Decimo in vna Neapolitana.

Pro parte negatiua adducebatur primò dispositio Concilij Biterren. *cap.2.* ex quo elicitur priuilegium spontè comparentium, ibi, *Venientes, & dicentes plenam de se, & de alijs veritatem, impunitatem consequantur*. Considerando illud verbum, *plenam*, æquipollens verbo *integram*, quod præsefert veritatem integram, tàm quoad qualitatem, quàm quoad quantitatem, *l. Decem, ff de fideicomm. libert.* Barbos.*in Dictionibus, verb. Integrè*.

Ideò qui fatetur delictum, sed tacet qualitatem aggrauantem, non gaudere beneficio statuti pœnam minuentis spontè confesso, dixit Tiraquell. *de pœnis temperan. causa* 30. *num.*17. & post eum Farin. *qu.*81. *num.*186.

Secundò dicebatur, non posse negari hunc reum esse diminutum, quia cum du-
40 plici delicto laboraret, alterum tamen fassus est, Farinacc. *de Hæres. quæst.* 197. *num.* 17.

Tertiò adducebatur Tribunal Sancti Officij esse Tribunal mixtum, nempè fori pœnitentialis, & iudicialis externi. At
41 in foro pœnitentiali indignus venia censetur ille, qui integrum numerum peccatorum mortalium non fatetur, nisi verisimili obliuione succurratur, *cap. Quem pœnitet, de pœniten. distinct.* 1. Simanch. & Roias citati à Pegna *2.par.Direct.comm.49. in fine*.

Obliuio autem in casu isto considerari non poterat, cum delictum sit atrocissimum, & sæpiùs reiteratum, ac de recenti, Sousa *in Aphorism lib.* 1. *cap.* 16. *num.*5. & *lib.*2. *cap.*48.*nu.*6, 7.& 8. Farinacc. *qu.*197. *à num.*17.

Vltimò dictum fuit, quod licet duo gradus caloris, quamuis numero distincti, si in vno subiecto vniantur, fiunt vnus numero ratione subiecti, multò tamen intensior est calor ille duplicatus, & difficiliùs tollitur, vt argumentatur Sanchez *de Matrim. lib.*8. *cap.*24.*num.*5.

42 Hinc videmus in proposito, quod licet delictum Polygamiæ vnum sit, quamuis Reus Vxores tres, vel quatuor eodem tempore duxerit, quia appellatiòne secundarum nuptiarum veniunt tertiæ, quartæ, & aliæ vlteriores post primam, Gloss. *in rubr. ff.de vulg.& pupill.* Alexan. *cons.*6.*nu.*5. *vol.* 7. cum alijs per Trasmier. *de Poligam, lib.*1. *qu.*4. *num.*1.

Nihilominus si quis fateatur accepisse secundam Vxorem viuente prima, de tertia autem taceat, tanquàm diminutus puniendus est.

Pro parte verò affirmatiua, & sic pro reo dicebatur, quod ille plenam, & inte-
43 gram veritatem dicit, qui fatetur substantiam delicti, nec tacet aliquid, quod possit parere Fisco præiudicium, Farinacc. *dict. qu.*197. *num.*17.

Secundò, quod licet diminutus censeatur ille, qui locum, & tempus delicti
44 tacet; hoc tamen debet intelligi, si locus, & tempus varient iudicium, vt post Hurtad. & Castro-palao, voluit Cardin. de Lugo *de virt. fidei Diuin. disput.* 23. *sect.* 3. *num.* 93.

Denique dicebatur, quod in terminis tractant hanc quæstionem Sanchez, & Cardin. de Lugo, ille *ad præcepta Decalogi lib.*2. *cap.*12. iste verò *dicta disp.* 23. *sect.* 3. *num.* 93.

Dùm quærunt, quod si Hæreticus aliquas Hæreses fateatur, & aliquas taceat, si ab Inquisitoribus absoluatur, an censeatur absolutus ab omnibus, etiam non confessis; & Sanchez tenet opinionem negatiuam, tùm quia est diminutus, cum integram veritatem non dixit; tùm quia Inquisitores non habuerunt intentionem illum absoluendi, nisi ab hæresibus, quas fassus fuit: Si tamen, vt addit Sanchez, taciturnitas sit alicuius momenti.

Cardinalis verò de Lugo distinguit: Aut reus bona fide alias hæreses tacuit, aut dolosè. Priori in casu in totum re-
45 manet absolutus: Secundò verò casu rursùs distinguit: aut ex dolo variatur iudicium, aut non; si varietur, tanquam diminutus non remanet absolutus; si non varietur, remanet absolutus.

Cum autem in casu, de quo agitur, iudicium non varietur, quia eadem pœna mortis infligitur pro sola celebratione, quæ pro audientia confessionis, videbatur concludendum, reum istum debere gaudere priuilegio spontè comparentium, eo maximè quia poterat in eo præsumi obliuio, vel saltem dici poterat, non esse verisimile, quod si fassus fuit delictum, quod pœnam mortis mærebatur, voluisset consultò tacere aliud, quod eadem pœna plecti debebat.

Hæc fuerunt adducta pro vtraque parte, sed miserrimus ille reus non fuit dignus reputatus priuilegio spontè comparentis, quia reddidit se valdè suspectum dolo tacuisse Confessionum Sacramentalium auditionem, putans sibi diminuendam esse pœnam à Sacro Tribunali.

Ego verò, qui adduxi auctoritates Sanchez, & Card.de Lugo à nemine Consultorum allegatas, fui pro Reo, sed transmissus fuit ad Triremes per decennium, remissa illi ex gratia pœna traditionis Brachio seculari.

Fuit etiam aliquando dubitatum, an Inquisitor, coram quo spontè comparens

faſſus eſt delictum, poſſit ex officio, antequam ei impartiatur abſolutio, perquirere, an in ſua ſpontanea comparitione ſit diminutus.

Hoc dubium fuit diſputatum coram ſanctæ mem. Vrbano Octauo in vna *Mediolanen.* Nàm coram Inquiſitore illius Ciuitatis comparuerat ſpontè quidam Regularis, qui cum ſolùm eſſet in Subdiaconatus ordine conſtitutus faſſus eſt, ſe plures celebraſſe.

Inquiſitor autem antequàm illum abſolueret, & dimitteret, ſcripſit ad Vicarium Sancti Officij illius loci, in quo Reus celebrauerat, vt inquireret, an eſſet diminutùs, & re vera compilato proceſſu, repertum fuit, non ſolùm celebraſſe, ſed etiam confeſſiones audiuiſſe: Et quamuis omnes Conſultores dediſſent votum, licitè Inquiſitorem proceſſiſſe, & Reum tanquàm diminutum plectendum. Ego tamen fui in contrario voto, nullo modo potuiſſe Inquiſitorem inueſtigare, an Reus ille eſſet diminutus, vt illum excluderet à beneficio, & priuilegio ſpontè comparentium, ſed debuiſſe illum abſoluere cum ſolitis clauſulis.

Mouebar, quia ſicut Fiſcus ſecularis non poteſt excludere Reum ab indulto, ſi
46 fateatur ſe commiſiſſe homicidium eo ſub prætextu, quod non fuiſſet homicidium ſimplex, ſed proditorium, cum qualitas proditionis excludatur ab indulto, ſi ex proceſſu non reſultet aliquod indicium huiuſmodi proditionis, vt voluit Maſtrill. *de Indulto cap. 28. nu. 21. verſ. Cogita, & qu. 29. num. 18.*

Ità in caſu noſtro, cum impoſſibile ſit reſultare indicium diminutionis ex ipſa ſpontanea comparitione, quæ ſemper admittitur, ſicuti ſimpliciter eſt prolata, non eſt conueniens, quod illa aperiat viam inquiſitioni ſuper diminutione, aliàs ex ſua ſpontanea comparitione Reus non priuilegium, ſed damnum reportaret, & Rei retraherentur ab huiuſmodi ſpontaneis comparitionibus, ad quas omnibus vijs, & medijs ſunt alliciendi.

Sufficit ergò, quod ſpontè comparens ſubiaceat periculo, vel futuræ denunciationis, vel præiudicio, quod ſibi poteſt accidere ex depoſitionibus complicum. Nàm ſi vel denunciatus fuerit, vel ex atteſtationibus dictorum complicum repertus fuerit diminutus, tunc diſtinguendum erit, quid, & quantum importet illa diminutio ſecundum regulas ſupradictas.

Cæterum, an qui ſemel ſpontè comparuit, & fuit abſolutus iuxta priuilegium ſpontè comparentium, ſi denuò inconſtans in eaſdem Hæreſes, quas abiurauit, reincidat, iterumque ſpontè compareat, ſit admittendus ad priuilegium ſpontè comparentium.

Quidquid dicant Doctores circa Relapſos denunciatos, & præuentos, de quibus latè Farinacc. *qu. 193. à num. 12.*

Certè quoad relapſos ſpontè comparentes nullis indicijs præuentos praxis, inconcuſſa eſt in Tribunali Supremæ, &
47 Vniuerſalis Inquiſitionis, vt admittantur, & abſoluantur cum priuilegio ſpontè comparentium per doctrinam Alphonſi de Caſtro *de iuſta Hæret. punit. lib. 2. cap. 2.* cuius ſententiam licet Simanch. *de Cathol. inſtit. in rubr. de relapſis num. 18.* dicat magis æquitati inniti, quam quod iure probetur. Hæc tamen æquitas ſeruatur à nobis, cum Eccleſia nunquam claudat gremium redeuntibus; vt ex Pegna, & Farinacc. dicit Carena *par. 2. tit. 18. num. 13.* Albertin. *de agnoſc. qu. 25. num. 25.* Souſa *in Aphoriſ. lib. 2. cap. 45. num. 16. & lib. 4. cap. 11. num. 1.* Alberghin. *in Man. cap. 40. num. 11. verſ. Sed tamen.*

48 Et de anno 1606. *ſub die 25. Iunij* reſcriptum fuit à Sacra Congregatione Inquiſitori Melitenſi, vt Mulieri relapſæ ſpontè comparenti impunitatem omninò concederet, de quo etiam teſtatur P. Salelles, poſt hæc ſcripta viſus, *lib. 2. cap. 8. reg. 200. num. 53.*

Benè verum eſt, quod Inquiſitores non habent auctoritatem reconciliandi huiuſ-
49 modi relapſos ſpontè comparentes, ſed debent certiorare Sac. Congregationem, & expectare ſpeciale mandatum Sac. Congregationis, vel Sanctiſſimi, vt fuit reſolutum 31. *Martij*, & 18. *Decembris* 1610. & 7. *Martij* 1613.

Et hoc eſt, quod dicunt Simanch. Pegna, Decian. Paramo, & alij relati à Farinacc. *dicta queſt. 193. num. 36.* & Carena *loco cit. nu. 14.* nempè hiſce caſibus Inquiſitores debere conſulere vel Supremam, & Vniuerſalem Inquiſitionem, vel Summum Pontificem: & ideò Summus Pontifex conceſſit facultatem Inquiſitoribus Portugalliæ recipiendi, & abſoluendi Indos nouos Chriſtianos relapſos, non tamen vltra tertium lapſum, illamque communicandi Inquiſitoribus ab eis dependentibus ad certum tempus.

Qui Auctores licet negent huiuſmodi priuilegium relapſo, qui audiens rumorem eſſe, quod quis ſe præparauerit ad illum denunciandum, & facilè perſuaderi poterat, ſe probationibus conuincendum, ſpontè prius comparuerit: quibus addo Caren. *loco cit. nu. 15.* Alberghin. *in Man. dicto cap. 40. num. 12.*

50 Nihilominus in hac Suprema, & Vniuerſali Inquiſitione hoc non obſeruatur, ſed ſemper, etiam relapſus, ſi ſpontè accedat, antequam iudicialiter ſit præuentus

indiciis, quamuis timore futurarum probationum accedat, admittitur ad priuilegium sponte comparentium, quando Reus præuenit ipsas probationes, & sciuit sibi precauere: Aliàs si iste timor eneruaret huiusmodi Priuilegium, semper posset dici,
51 quod sponte comparens accessit timore futurarum probationum, cum probè sciret vigore Edictorum Sanctæ Inquisitionis, ipsum debuisse denunciari, & propterea solus timor probationum non excusat, quando Reus scit, vel suspicatur se præuentum, vt benè Locat. *in Iudic. inter casus decisos Placentiæ casu* 7. & post eum Carena *par.* 2. *tit.* 18. *nu.* 2. *vers. Primus casus*.

Nec aliter sentit Alphonsus de Castro, quem cæteri sequuntur: Eius enim verba sunt infrascripta, *Oportet tamen, vt Inquisitor diligenter perscrutetur, an re vera sponte sua venerit, & peccatum suum fuerit confessus: Nam si ex timore probationum, quas fortè contra se nouerat, illum venisse constiterit, tunc iam meritò dicetur relapsus, quia non zelo fidei, sed timore pœnæ suum fatetur peccatum, & meritò credendum est, illum non verè pœnitere.*

En quod Alphonsus de Castro non dicit, quod relapsus sit indignus venia, qui timore futuræ denunciationis, vel ex rumore, vel ex eo, quod sciebat aliquem se præparare, ad illum accusandum, se præsentat, vt perperam explicauit Decianus, & qui eum sequuti sunt, sed qui timore probationum sponte comparuit, hoc est, qui scit, vel suspicatur se esse præuentum, vt supra dictum est.

Quod si hoc habeat locum in relapsis, multò magis debet procedere in simplici
52 Hæretico, vel suspecto de hæresi, & ideo consului in quadam causa coram Sanctiss. Domino Nostro Alexandro Papa Septimo quendam, qui protulerat blasphemias Hæreticales, cum fuisset ei dictum à quodam, quod volebat eum denunciare S. Officio, ille timore perculsus, citiùs præcurrit, & sponte se præsentando præuenit denunciationem, debuisse omnino haberi pro sponte comparente.

Et quod dictum est de relapsis, eò magis habet locum, si non in easdem, sed in alias hæreses incidant, quia tunc absque vlla difficultate admittuntur ad priuilegium sponte comparentium,
53 Isto enim casu, siue habeantur pro relapsis, vt voluere Monachus *in cap. Accusatus num.* 3. Gemin. *num.* 4. Franch. *num.* 3. *de Hæret. in* 6. Pegna *par.* 2. *comment.* 65. Mandos. *ad Repert. Inquisit. verb. Relapsus*, siue vti tales non habeantur, vt voluit Gloss. *d. cap. Accusatus* §. *Cum verò, vers. simpliciter*, & ibi Io: Andreas *n.* 8. Menoch. *cons.* 82. *lib.* 1. Eymer. *par.* 2. *qu.* 40. *nu.* 5. Repert. Inquisit. *ver. Relapsus num.* 3. Indistinctè admittuntur ad priuilegium sponte Comparentium.

Qui autem dicantur verè Relapsi, & Relapsi Iuris fictione infra discutiemus.

Amplia etiam in Heresiarchis, & Dogmatistis, quidquid enim dicant Simanch. & alij citati à Farinacc. *d. qu.* 193. *num.* 6.
54 Si sponte non citati, neque vocati accedant ad Sanctum Officium ad petendam veniam, & implorandam misericordiam, recipiuntur, & cum sola abiuratione de formali, & pœnitentijs salutaribus, & absolutione à censuris expediuntur, Pegna *comment.* 64. *par.* 3. Farinacc. *qu.* 193. *num.* 7.

Quis autem dicatur Heresiarcha, & Dogmatista videbimus infra.

De his, qui sunt in hæresi nati, & educati nulla est difficultas, si enim sponte
55 compareant benignissimè recipiuntur.

Et quamuis qui in infantia baptizatur apud Hæreticos, & apud eos in falsa doctrina nutritur, non possit dici simplicitèr Hæreticus, cum ad hæresim incurrendam, non solùm requiratur in subiecto Baptismus, sed etiam sufficiens instructio, vt voluit Alphonsus de Castro *de iusta Hæret. lib.* 1. *cap.* 8. Simanch. *de Cathol. tit.* 31. *num* 8. Sanchez *ad præcepta Decalog. lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 8. Carena *par.* 1. *tit.* 1. §. 5. *nu.* 30. & factus adultus possit aliquando non peccare contra fidem Catholicam, quandiù ei non proponitur sufficienter, vt obligetur ad eam amplectendam.

Postquàm tamen fides Catholica ei sufficienter proponitur, vt obligetur ad eam
56 amplectendam, & relinquendum errores contrarios, si adhuc in eis permanserit, erit hæreticus, & vti talis ab omnibus reputabitur, & ab ipsa Ecclesia, quę nunquam inquirit, an antea Catholicus fuerit, sed solùm an sit baptizatus, & contra fidem Catholicam peccet, vt benè ratiocinatur Cardinalis de Lugo *de virt. fidei Diuinæ disp.* 20. *sect.* 4. §. 2. *à num.* 149.

Vbi meritò reprehendit Hurtadum, qui voluit, quod vt quis dicatur Hæreticus
57 necesse sit, vt aliquando fidem habuerit, & fuerit in professione Christiana, quod etiam non reprobatur à Suarez *de fide disput.* 19. *sect.* 5. *& priùs disput.* 16. *sect.* 4. ad quod etiam non benè aduertit Carena *par.* 2. *tit.* 1. §. 5. *num.* 23.

Et propterea inoleuit praxis in Sancto Officio, quod cum isti accedant ad reconciliationem cum Ecclesia Catholica pe-
58 tendam, priùs cognoscitur, an sufficienter sint instructi, sin minùs mittuntur ad aliquem Virum doctum, vt instruantur: Demùm instructi, si minores sint quatuordecim annorum, sola professione fidei facta reconciliantur Ecclesię, vt fuit obseruatum *de anno* 1613. *sub die* 20. *Iunij*

cum Puero heretico Anglo annorum decem, & fuit scriptum Nuncio Coloniæ *die* 20. *Augusti* 1614. quod ità obseruaret.

Si verò sint maiores annorum quatuordecim, sed minores vigintiquinque admittuntur ad reconciliationem cum abiu-
59 ratione de formali, sed cum clausula *citra pœnam relapsus*, vt fuit obseruatum in vna *Cremonen.* 8. *Februarij* 1618. de qua praxi circa clausulam *citra pœnam relapsus* in Minoribus testatur Carena *par.* 3. *tit.* 9. §. 6. *num.* 26. *& priùs par.* 2. *tit.* 18. *num.* 12.

Aduertendum tamen est, clausulam apponi solummodo in abiuratione facta à
60 Minoribus sponte comparentibus, non autem in Minoribus denunciatis, & præuentis, nisi fortassè tales essent Rustici, Mulieres, vel aliàs Personæ idiotæ.

61 Licèt enim minoritas faciat minuere pœnam etiam in delictis Sancti Officij, vt contra Sessem *in decis.* 476. *num.* 20. tenet Sousam *in Aphorism. lib.* 3. *cap.*32. *num.*18. quem sequitur P.Diana *par.*4. *tract.*6.*resol.* 29. *vers. Illud verò*, Carena *par.* 2. *tit.* 7. *nu.*84. Farinacc. *qu.* 194. *nu.*32. P.del Bene *de officio Sanctissimæ Inquisitionis dub.* 192. *sect.* 27. *in aduertendis pro praxi num.* 2.

Nihilominus quoad abiurationem nulla est differentia inter maiorem, & mino-
62 rem vigintiquinque annorum, sed vtrisque æqualiter imponitur, cum non agatur de pœna corporali, sed de expurgatione delicti quoad suspicionem hæresis, cuius purgatio omnibus communis est: Et post hęc scripta vidi P.Bordon. *in Tribunal. cap.* 26. *nu.* 27. qui hanc opinionem tenet, & ità vidi semper practicari.

Et videtur hoc etiam colligi ex his, quę tradit Pegna *par.* 3. *comment.* 40. ex Conciliis Tholosan. & Bitetren. quæ tamen Concilia non potui reperire, nec etiam in voluminibus Conciliorum impressis Parisiis in Typographia Regia,& in quadam instructione Vallisoletana, in quibus nulla fit differentia inter abiurationem, quæ facienda est à maiore, & minore vigintiquinque annorum, quæ omnia referuntur à Farinaccio *qu.*194. *num* 31. Paramo *de origin. lib.* 3. *qu.* 4. *rub. de expeditione Processus in causis fidei num.* 15. Carena *par.* 3. *tit.* 12. §. 9. *à num.* 41.

Cum ergo Minores præsertim nati, & educati in hæresi sponte comparentes gaudeant in expeditione, & in pœnitentiis, maioribus prærogatiuis, quàm maiores, non possum approbare resolutionem, quam affert Carena *par.*2.*tit.*1.§.5.*num.*32. in persona illius Iuuenis annos vigintiunum nati,& educati in Ciuitate Gebenę, qui cum Cremonam se contulisset, vt hęresim abiuraret, & Catholico modo viueret, antequàm se præsentasset captus, & in carceribus S. Officij retentus, non fuit expeditus vti sponte comparens, nec in eius abiuratione fuit apposita clausula *citra pœnam relapsus*; Et quod peius est, fuit ei impositum, vt gestaret habitellum pœnitentiæ subtus vestes.

63 Hæc enim gestatio habitelli reducitur ad pœnas corporales, & ad infamiam, vt notat Suarez *de fide disp.* 23. *sect.* 2. *nu.* 17. *in fine*, Barbosa *in cap. Ad abolendam nu.* 18. *&* 19. *de Hæreticis*, ideo nec etiam Hæresiarchis sponte comparentibus imponitur.

Et licèt iuuenis ille captus fuisset antequàm se præsentaret, sufficiebat tamen, quòd Cremonam se contulisset ad hunc effectum, argumento Text. *in cap. vnic. de Cler. Percg.*

64 Pariter rigorosum fuit decretum, quod tradit Locat. *in casibus Romæ decis.cas.*6. de eo, qui natus, & educatus in hæresibus, captus à S. Officio post instructionem damnatus est ad carceres per decennium.

Nam mitiùs cum eo agendum erat ex defectu instructionis; Imò antequàm caperetur; partes erant Inquisitoris, vel Commissarij S. Officij curare, vt sponte compareret, vt actum fuit *de anno* 1598. cum Hæretico nato, & educato in hęresi, commorante in Domo Oratoris Galliarum in Vrbe, qui licèt fuisset denunciatus, & indiciis præuentus, nihilominus suasus, vt sponte compareret, cum priuilegio sponte comparentis expeditus fuit, & meo tempore sæpiùs hoc fuit practicatum.

Et quod plus est, si isti suasi, vt compareant, renuant, & protestentur, se velle
65 in hęresi perseuerare, eiiciuntur ab Vrbe, & Statu Ecclesiastico; vt fuit obseruatum *de anno* 1607. *&* 1608. cum duobus Hæreticis Gallis, qui etiam Florentiæ fuerant carcerati.

Quoad eos verò, qui non sola denunciatione, sed aliis indiciis præuenti, non
66 vocati, neque citati ad Iudicium, coram Inquisitoribus fidei comparent, & fatētur Hæreses, de quibus sunt indiciati: Solent Doctores communiter distinguere, aut comparens scit, vel suspicatur, se esse pręuentum, & tunc non habetur pro sponte comparente; Si verò constet nullo modo fuisse conscium pręuentionis, quod quidem arbitrio Iudicis relinquendum esse, testantur Doctores mox citandi, tunc gaudet priuilegio sponte comparentium, Farinacc. *qu.* 193. *à num.* 37. Carena *par.*2. *tit.* 18. *num.* 9. Sousa *in Aphorism. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 2. Alberghin. *in man. cap.* 40. *num.* 9.

Sed in Tribunali Supremę, & Vniuersalis Inquisitionis non seruatur huiusmodi

67 distinctio, quia sine sciuerit, vel suspicatus fuerit Reus, se esse præuentum, siue ignorauerit, non habetur pro sponte comparente, sed vti sponte confessus mitiùs punitur, *Cap. Non dicatis* 12. *qu.* 1. *cap. qui admitti* 16. *qu.* 8. *cap. in primis* 2. *qu.* 1. Canonistæ *in cap. At si Clerici de Iudic.* cum aliis per Farinacc. *alleg. qu.* 81. *cap.* 5. *nu.* 1. Et secundùm praxim Sancti Officij mitiùs puniri dicit Carena *par.* 3, *tit.* 18. *nu.* 41.

Et propterea non solent huiusmodi Rei damnari ad perpetuos carceres, vt voluit Hostien. *in summ. tit. de hæretic.* §. *Qualiter deprehendantur*, Simanch. *de Cathol. tit.* 47. *num.* 31. Pegna *par.* 3. *comment.* 142.

68 Nec illis imponitur pœna confiscationis bonorum, Ricciull. *de Iure personarum lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 15.

Sed quis dicatur sponte confessus; an solùm ille, qui nec vocatus, nec citatus, præuentus tantùm indiciis comparet, & fatetur hęreses; an verò etiam ille, qui vocatus, & citatus, in primo examine,
69 nulla pręcedente interrogatione, vel ad interrogationem generalem tantummodo fatetur delictum, Abbas *in cap. de hoc num.* 8. *de Simonia* dicit, quòd si vocatus ad Iudicium fateatur, non dicitur sponte fateri, sed timore probationum; secùs si non vocatus, nec citatus fateatur, quia tunc dicitur sponte confessus.

Idem voluit Marianus Soccinus *d. cap. num.* 11. Anan. *in cap. Qualiter, & quando il secondo* §. *licet autem num.* 3. *vers. posset dubitari de accusat.* dicit, quòd confessio sponte facta tunc dicitur, quando emanauit ante inchoatam accusationem, seu inquisitionem.

Millis. *in pract. fol.* 66. dicit, quòd spontanea confessio tunc dicitur, quando emanauit nulla precedente examinatione.

Baldus post Bartolum *in l. ea, quę,* 4. *quęr.* 11. *C. de condit. indebit.* dicit, sponte confessum esse eum, qui etsi tractus ad Iudicium, statim tamen confitetur, idest antequàm testes sint recepti per Textum *in l. eum, qui ff. de iure iuran.* quod voluit etiam Ioannes de Anan. & Felin. *in dicto cap. de hoc*.

Berous *in cap. Atsi Clerici nu.* 93. *de Iudic.* dicit, quod sponte confessus ille est, qui in primo examine nulla pręcedente interrogatione delictum fatetur, etiam quod vocatus, & citatus fuerit. Et Beroum sequitur Farinacc. *qu.* 81. *num.* 177.

Amplius dicit Glos. *in* §. *Item mixta instit. de action.* Quod beneficiũ datum confitenti habet locum in eo, qui primò negauit, demum confitetur, quod placet etiam Baldo in locis relatis per Tiraquell. *de pœnis tempor. causa* 30. *num.* 11.

In hac Doctorum varietate in Suprema, & Vniuersali Inquisitione ille solùm dicitur verè, & realiter sponte confessus, qui præuentus indiciis accedit ad iudicium non vocatus neque citatus, & fatetur delictum; Si verò citatus, & vocatus, ad
70 generalem interrogationem, an sciat, qua de causa fuerit vocatus, vel sciat causam suę carcerationis, vel quomodo hic reperiatur, fatetur de plano veritatem, is etiam tractatur, ac si esset sponte confessus, & cum eo mitiùs agitur, pręsertim post condemnationem, vt scilicet grauior pœna commutetur in mitiorem; de qua praxi testatur Pegna *par.* 3. *comment.* 142. *vers. verum tamen*, & eo relato Sesse *decis.* 471. *num.* 11. Carena *par.* 3. *tit.* 8. §. 7. Scaccia *de Iudic. cap.* 87. *num.* 27. & ità fuit resolutum in Sacra Congregatione *sub die* 12. *Maij* 1604.

Sed quamuis sponte comparentibus non iniungantur pœnæ aliquę corporales, sed tantummodo pœnitentię salutares,
71 isti tamen non euadunt pœnas, quę sunt ipso iure impositę à Sacris Canonibus, veluti excummunicationis, suspensionis, Irregularitatis, quę sunt annexę delicto: Et ideo post abiurationem, vel absolutionem ab excommunicatione monentur, se esse suspensos, vel Irregulares, vt sibimetipsis consulant per dispensationem, quam solet Summus Pontifex impertiri, pręsertim quando Rei sunt Sacerdotes, vel in ordine Subdiaconatus constituti, qui non possunt redire ad statum laicalem, de quo dicemus *infra*.

Pariter non minuitur pœna sponte confesso neganti qualitatem delicti aggrauantem, nam si de illa qualitate conuincatur, sua confessio non prodest, Tiraquell. *dicta caus.* 30. *num.* 17. Farinacc. *qu.* 81. *nu.* 186.

Sed quod attinet ad Hęreticos in hęresi inconstantes, qui vocati ad Iudicium non
72 statim, sed cum aliqua tergiuersatione, & fortassè cum tortura fatentur hereses; Hi quidem si sint pœnitentes ad misericordiam recipiuntur, & condonatur illis pœna mortis, sed non euadunt alias inflictas à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis *cap. Excommunicamus il secondo de Hæret.* vbi dicitur,

Si quis autem de prædictis postquàm fuerit deprehensus redire voluerit ad agendam pænitentiam in perpetuò carcere damnetur.

Isernia *in vsibus feud. de stat. & consuet. pag. mihi* 808. *num.* 17. qui dicit, quod quando Hæreticus diù litigauerat in iudicio credens sibi non probari posse, demum confessus esset, plus deliquit, ideo plus debet puniri.

Facit *lex Manichæos* §. *Prætereà ad finem C. de Hæret.* Suarez *de fide disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 13. Card. de Lugo *de virt. fidei Diuinæ disp.* 24. *sect.* 3. latè Farinacc. *quæst.* 193. *num.* 101.

Et hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ praxim, demonstrant Concilium Nicęnum cap. 8. Elibertinum cap. 22. Agatense sub Symmacho can. 60. Arelatense cap. 9. vt aduertit Farinacc. *loco citato num.* 13.

Et licèt non sit opinio constans inter Doctores, quo tempore Hæretici vocati ad Iudicium recipiantur ad pœnitentiam, de quo videndus est Menoch. *de Arbitrar. cap.* 373. *num.* 2. *cum seqq.*

Praxis tamen inconcussa Sancti Tribunalis est, vt Hæreticus in quacunque parte
73 Iudicij pœniteat, dummodo ante sententiam semper recipiatur cum misericordia, Zanchin. *de Hęret. cap.* 16. & ibi Campeg. Pegna *par.* 2. *comment.* 8. Farinacc. *qu.* 193. *num.* 55. Carena *par.* 2. *tit.* 2. *num.* 4.
74 Et ideo recipitur, etiam quod pœniteat post confessionem emanatam in tortura, Simanch. *de Cathol. tit.* 47. *num.* 45. & 46. Bursatt. *cons.* 90. *num.* 34. Farinacc. *qu.* 193. Dummodo confessio prædicta fuerit ratificata extra torturam: Nam huiusmodi ratificatio tollit metum præcedentem, & facit confessionem spontaneam, Simanch. *loco citato*, & *in Enchiridion. tit.* 58. *num.* 14. Farinacc. *loco cit. in fine.*

Post sententiam verò ego non vidi, quid fuerit actum, sed credo, quod si ante publicationem sententiæ Hæreticus pœniteret, esset omnino recipiendus; Si autem
75 post prolatam, & publicatam sententiam, & traditionem Brachio seculari pœniteret, de iure nullo modo recipiendus esset ad misericordiam, quia Ecclesia iam illum indignum venia iudicauit, vt dicit Suarez *d. sect.* 2. *num.* 16. Card. de Lugo *d. sect.* 2. *num.* 41. & ità tenent citati à Farinaccio *dicta quæst.* 393. *num.* 63. & *in quæst.* 189. *num.* 18.

Non tamen denegandum est arbitrium Inquisitoribus recipiendi ad misericordiam sic traditum Curię seculari, qui pensatis circumstantiis, & considerata quali-
76 tate personæ, & consulto (si fieri potest) Supremo Sanctæ Inquisitionis Senatu, poterit vel recipere, vel non recipere, quamuis res sit plena periculi, cum potiùs timore imminentis mortis, quàm ex corde pœnituisse dicendum sit, Carena *dicto tit.* 2. *nu.* 6. *vers. benè verum*, P. Diana *d. resolut.* 24.
77 Sunt tamen nonnulli casus, quibus Hæreticis pœnitentibus etiam pro prima vice non parcitur.

Primus est, si quis negauerit Sanctiss. Trinitatem, Diuinitatem Sanctissimi Domini Nostri Iesus Christi, eius Conceptionem de Spiritu Sancto, mortem ipsius, vt nos redimeret, ac Virginitatem Beatiss. Virginis Mariæ iuxta Decretum Pauli Quarti, confirmatum per Bullam à Clemente Octauo, de qua per Dianam *post to.* 4. *resol. moral.*

Qui ergo in hos errores, vel eorum quemlibet inciderit, indignus est venia: Nam isti habentur, ac si verè, & realiter in hæresim relapsi essent, vt habetur in eadem Clementina.

Et dum hæc scriberem accidit casus in hac Suprema, & Vniuersali Inquisitione in quodam Sacerdote, qui dùm priùs dubitauerat, demum negauerat Trinitatem, & Virginitatem Beatissimæ Virginis Mariæ, fuit damnatus in pœnam Constitutionis, & Decreti, hoc est, vt traderetur Brachio seculari, sed cum post carcerationem confessus fuerit absque tergiuersatione, fuit ei pœna mortis commutata in pœnam perpetui carceris, præuia tamen degradatione verbali, & abiuratione formali.

Secundus casus est in celebrante Missam, vel audiente confessiones Sacramen-
78 tales, absque eo, quod sit in Sacerdotali ordine constitutus, iuxta Constitutiones Gregorij Decimitertij, Clementis Octaui, & Vrbani Octaui, de quibus suo loco dicemus.
79 Tertius casus est de Dominis Ecclesiasticis, & Temporalibus, ac de Magistratibus secularibus incidentibus in Schisma, iuxta Constitutionem Pauli Quarti *Cum ex Apostolatus*, de qua Duard. *ad Bullam Cœna Domini can.* 1. *qu.* 26. *num.* 13. Scortia *in select. Epist.* 72. *per totum*, Carena *par.* 2. *tit.* 3. §. 12. *num.* 50. & *priùs tit.* 2. §. 2.
80 Quartus casus est de Lamijs, quæ per maleficia occidunt Infantes iuxta Constitutionem Gregorij Decimiquinti, quæ habetur *post tom.* 4. P. Dianæ, de quibus casibus videndi sunt Farinacc. *de Hæresi qu.* 193. *num.* 38. Scortia *ad selectas epist.* 68. Turre-crem. 174. Bordon. *in Tribun. cap.* 13. *per totum*, P. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 24. & ab eo alleg. Carena *par.* 2. *tit.* 2. §. 2. *num.* 10. nouissimè Fermosin. *in cap.* 1. *de Summa Trinitate qu.* 3. *à num.* 16.

CAPVT

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Qui dicantur Hæretici Negatiui. Quæ requirantur ad eos tales constituendos. Quando Hæresis probetur per testes singulares. Quando per socios criminis. Praxis Lusitana reprobata. An ex indicijs indubitatis Reus possit condemnari in pœnam ordinariam. An negatiuus censendus sit, qui respondet, non memini me protulisse Hæreses. An Hæreticus Negatiuus ductus ad supplicium possit absolui in foro Sacramentali.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici negatiui qui.*
Hæretici negatiui habendi pro veris, & pertinacibus.
2 *Hæresis vera, & formalis requiritur ad constituendum hæreticum negatiuum.*
Nec sufficit assertio scandalosa, temeraria, vel male sonans.
3 *Hæreticus vt dicatur negatiuus debet esse conuictus de verbis, vel factis claris, & certis, nec sufficiunt ambigua, vel æquiuoca.*
Probatio æquiuoca non sufficit ad delictum.
4 *Verba duplicem sensum habentia interpretanda ad exclusionem delicti.*
5 *Testes ad conuincendum hæreticum negatiuum an debeant esse contestes, & omni exceptione maiores.*
6 *Hæreticus negatiuus conuinci non potest ex dicto, vel facto antiquo, quia recens requiritur, & de ratione.*
7 *Hæreticus vt sit negatiuus asseuerare debet se illam veram hæresim credere, & ab alijs credendam, & de hoc deponere debent testes.*
Hæreticus negatiuus considerari debet circa qualitatem personæ, & conuersationem.
Hæreticus difficiliter condemnatur tanquam negatiuus in Suprema Inquisitione.
8 *Inquisitio Lusitana condemnans hæreticos vti negatiuos ex testibus non contestibus, & singularibus reprobatur.*
Reus in quocumque crimine conuinci non potest per testes singulares.
9 *Causa hæresis, vel fidei non est priuilegiata quoad testes singulares.*
10 *Delictum, in quo fama, honor, & conscientia periclitatur, cautius agendum.*
11 *Testes singulares concludentes plures species hæresis, puta Lutheranæ, an probent quem esse Lutheranum.*
12 *Bulla Gregorij XV. contra Sacerdotes sollicitantes expenditur.*
13 *Sacerdos sollicitans an ex testibus singularibus tradi possit Curiæ seculari, & de modo procedendi, & puniendi in similibus casibus, secundum praxim Supremæ Inquisitionis.*
14 *Testes singulares probant actum successiuum, & indiuiduum, & quando actus dicatur successiuus, & indiuiduus ad hunc effectum.*
15 *Testes singulares concordes in substantia, & non concordes in formalitate verborum, an, & quando probent.*
Testes an sint in blasphemia contestes, quorum vnus deponit audiuisse aliquem dicentem Reniego Dios, *alter verò* Reniego Iesu Christo.
16 *Socij criminis an, quando, & quomodo faciant testimonium signanter secundum praxim Supremæ.*
17 *Numerus testium quando in Suprema admittatur ad probandum delictum.*
18 *Exceptio, quod testis sit socius criminis, an attendatur in fauorem fidei.*
Socij criminis in hæresi sunt eo ipso infames.
19 *Socij criminis hæresis in causa an admittantur cum tortura ad testificandum.*
20 *Reus an sit condemnandus ex indicijs indubitatis, vel violentis præsumptionibus signanter in Sancto Officio, & de praxi Lusitana, ac num. 22.*
21 *Casus miserabilis.*
23 *Obliuio in delicto hæresis, an, & quando admittatur ad excusandum hæreticum negatiuum.*
24 *Hæreticus respondens* non memini, non recordor, *an sit torquendus pro habenda responsione præcisa, & de praxi Supremæ.*
25 *Responsio hæretici*, non memini, *sed si testes dicant*, me hæresim protulisse, sto illorum dicto, & omnem hæresim detestor, *admittenda pro illius excusatione ab hæresi negatiua, & cur.*
26 *Confessio implicita non sufficit ad pœnam ordinariam, & quæ confessio ad eam requiratur.*
27 *Confessus aliquas hæreses, & negans alias, de quibus est conuictus, in his alijs præsumitur oblitus.*
28 *Hæreticus allegans obliuionem, torquendus pro habenda vlteriori veritate, & intentione.*
Hæreticus confitens actu externo hæreticalia commisisse, sed negans intentionem, an, & quando puniri possit vti negatiuus, & quo-

modo contra eum procedatur.

29 *Hæreticus negatiuus ductus ad supplicium, an possit à Confessario absolui in foro Sacramentali, absque eo quod crimen publicè fateatur, & num. seq.*

31 *Confessarius an possit obligare reum negatiuum conuictum, & damnatum ad vltimum supplicium ad fatendum delictum.*

32 *Hæreticus negatiuus reconciliari non potest in foro exteriori, nisi fateatur delictum.*

QVOAD eos verò, qui *Negatiui* appellantur, quales sunt, qui vocati ad iudicium legitimis præceden-
1 tibus indicijs, & iuridicè conuicti, negant Hæreses, & constanter affirmant, se credere, & credidisse ea omnia, quæ credit Sancta Mater Ecclesia.

Isti tanquam Hæretici veri, & pertinaces habendi sunt, Calderin. *de Hæret. in rubr. de Hæret. impœnit. num.* 1. & *in rubr. de materia Processus Inquisitionis num.* 3. Rota *decis. vnic. alias* 875. *de Hæret. in Antiquis*, Rebuff. *Repert. Inquisit.* Locat. Simanch. Campegg. Albertin. Bursattus, Decian. Eymer. Pegna, Lel. Zecch. Ludou. à Paramo *citat.* à Farinacc. *qu.* 178. *nu.* 20. addo Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 6. Sanctarell. *de Hæres. cap.* 1. *num.* 27. Carena *par.* 2. *tit.* 1. §. 9. *nu.* 47. P. del Bene *de Officio Sanctiss. Inquisit. par.* 1. *dubit.* 13. *sect.* 1. *num.* 4.

Sed aduertendum est, quod ad hoc, vt negatiuus pro vero, & pertinaci Hæretico
2 habendus sit, plura requiruntur: Et primò, quod Hæresis, de qua Reus est conuictus, sit hæresis vera, & formalis, nec sufficit assertio scandalosa, temeraria, vel malè sonans.

Secundò, quod verba, aut facta hæreticalia, de quibus est conuictus, sint certa,
3 clara, non autem ambigua, vel æquiuoca, quæ possint in duplici sensu interpretari: tùm quia non inducerent veram delicti probationem, *l. neque Natales, C. de probat. cap. In præsentia extr. eodem tit. l. Non hoc, C. vnde legat.*

Tùm etiam quia, quando verba possunt habere duplicem sensum, debent semper
4 interpretari in eam partem, per quem delictum excludatur, Baldus *conf.* 98. *lib.* 2. Albertin. *de Agnosc. qu.* 7. Ricciull. *d. cap.* 6. *num.* 8.

Tertiò, quod testes, quibus reus con-
5 uincitur, sint contestes, & omni exceptione maiores: licet enim Rota *decis.* 875. *in antiquis*, dicat, non per testes omni exceptione maiores, sed per testes idoneos.

Attamen Doctores nostri hanc idoneitatem in teste, in casu, de quo agitur, interpretati sunt, quod testes sint omni exceptione maiores, sic Pegna, & Carena, Ricciull. *locis infra citandis.*

Quartò, quod dictum, aut factum hære-
6 ticale, de quo remanet conuictus, sit recens, nàm si esset antiquum, præsumeretur vel calumniosè obiectum, vel quod reus de eo sit verisimiliter oblitus.

Quintò, quod testes deponentes de fa-
7 ctis vel verbis importantibus veram hæresim concludant, quod asseuerebat reus, se illa credere, & ab alijs credenda, sic Albertin. *de agnosc. quæst.* 34. *num.* 51. Pegna *par.* 2. *comm.* 59. *& par.* 3. *comm.* 48. Farinacc. *qu* 178. *num.* 22. addo Carenam *par.* 2. *tit.* 1. §. 9. *à num.* 47. Ricciull. *dicto cap.* 6. vbi *nu.* 9. subiungit, considerandam esse qualitatem personæ, eiusque conuersationem diligenter indagandam, Alberghin. *in Man. cap.* 2. *num.* 7. Sess. *decis. Aragon. to.* 4. *decis.* 445.

Et quidem adeò matura consideratione procedit Sacra, Suprema, & Vniuersalis Inquisitio Romana in hoc casu, vt per spatium ferè viginti annorum, quo functus sum officio Assessoris eiusdem Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, nunquàm damnari aliquem tanquàm negatiuum viderim.

Et licet Clarus *in* §. *Hæresis num.* 10. *vers. Et nota*, dicat, quod opinio Rotæ *dicta decis.* 875. sibi videtur rigorosa: nihilominùs si concurrant requisita supra enu-
8 merata, possunt rei damnari vti negatiui, sed nunquam fuit in hac Sacra Congregatione approbatus, imò semper improbatus stylus Inquisitionis Lusitaniæ, condemnandi reos vti negatiuos ex depositionibus testium non contestium, sed singularium, & sociorum criminis, & sic non omni exceptione maiorum. Quia etsi pluribus rationibus, & argumentis Sousa *in quæstione particulari in hac materia post librum Aphorismorum*, nitatur defendere, quod testes singulares singularitate non obstatiua, sed adminiculatiua, plenè probant Hæresim.

Illius tamen opinio respectu pœnæ ordinariæ, ne dùm erronea, sed omninò iuri contraria habita fuit à Sacra Congregatione, quia repugnat iuris principijs, & notis conclusionibus, secundum quas reus in quocunque crimine non conuincitur per testes singulares, Baldus *in l. ius iurandi, C. de testibus*, & alij relati à Farinacc. *de testibus qu.* 64. *num.* 202. & in puncto Boer. *decis.* 342. *per tot.*

Neque in hoc priuilegiata est causa
9 hæresis, seu fidei, vt per eundem Farinac. *qu.* 188. *num.* 152. Canter. *quæst. crimin. cap.* 2. *de probat. per testes num.* 17. Caren. *par.* 3. *de testibus* §. 5. *num.* 29.

10 Imò vbi tractatur de delicto, ex quo fama, honor, & conscientia hominibus periclitatur cautiùs est agendum, *cap. quiescamus* 42. *distin. l. Addictos, C. de appell.* Boer. *dicta decis.* 342. *num.* 1.

11 Et propterea, quod nec etiam ex testibus singularibus concludentibus plures species hæresis, puta Lutheranæ, probari quempiam esset Lutheranum voluere post Simanch. *de Cathol.instit. tit.64.nu.70.* Pegna *par. 3. comm.121.* cum alijs per Farinacc.*dicta qu.188. num.156. & dicta q.64. num.203.* addo adductos à Carena *d.par.3. tit.6. num.30.*

12 Non obstat Bulla Gregorij Decimiquinti contra Sollicitantes, qua datur arbitrium Supremis Inquisitoribus condemnandi Sacerdotes sollicitantes in pœnam etiam traditionis Brachio seculari ex depositione testium singularium.

Quia Bulla in ea parte fuit potiùs condita ad terrorem, quamquod vt executioni mandetur. Et Ego possum testari,
13 quod licet tempore mei Assessoratus successerint casus enormes in hac materia, nunquam tamen illud arbitrium vidi practicatum, sed vel fuisse huiusmodi sollicitantes torturæ, etiam repetitæ subiectos, vt contigit in personam cuiusdam Sacerdotis, qui fuerat denunciatus à vigintiquinque Monialibus, fuit enim torturæ repetitæ subiectus, & quia substinuit, exilio mulctatus cum perpetua suspensione ab auditione confessionum; vel damnatos in pœnam extraordinariam, sicut practicatum fuit in quodam Sacerdote, qui denunciatus à nonnullis Monialibus de sollicitatione, & indiciatus grauissimè, quia in perquisitione fuerunt inuentæ penès eum plures litteræ amatoriæ, quas prædictis Monialibus scribebat, damnatus fuit ad Ergastulum, in quo dùm hæc scribo, adhuc detinetur.

14 Et solummodò testes singulares probant, quando tractatur de probando actum successiuum, & indiuiduum saltem moralem, puta, si vnus testis deponeret, vidisse Titium non Sacerdotem in sacrario vestibus Sacerdotalibus indutum. Alius vidisse eo mane ad Altare eundem Titium recitantem Epistolam, vel Euangelium Missæ, quam celebrabat. Alius vidisse eundem Titium ad idem Altare Hostiam eleuantem. Isto enim casu testes singulares benè probant celebrationem factam à Titio, Felyn. *in cap. Licet ex quadam num.2. de testibus, & ibidem* Abb. *nu.11.* Simanch.*de Cathol. tit.64. nu.65.* Farinacc. *quæst.64. num.282.*

Secùs autem esset, si vnus testis deponeret vidisse Titium celebrantem die Martis, alter verò die Iouis, quia non erit probata celebratio saltem ad effectum imponendi pœnam ordinariam, Carena *par.2. tit.11. §. 4. num.17. versic. Secùs fortasse.*

Item singularitas non obstaret, quando testes essent concordes in substantia, licet in formalitate verborum non concordarent: dummodò probatio non consisteret in formalitate verborum, prout in blasphemia, vt post Farinacc. Castro-palao, Maldonat. & Sousa tenet Carena *par. 3. tit. 6. §. 5. num.37. & 38.* vbi reprobat, & benè Canteram dicentem, testes esse contestes, si vnus deponat, Seium dixisse *Reniego Dios*, alter verò *Reniego Iesu Christo*.

16 Quod verò attinet ad socios criminis, Ego nunquam vidi obseruatum in Sancto Officio, quod etiamsi essent plus quam duo, ex eorum dictis fuerit aliquis condemnatus in pœnam ordinariam, sed extraordinariam, si aliàs non patiatur exceptiones: Nàm Sacra Congregatio sequitur in hoc opinionem Simanch. Paris. Roias, & aliorum, quos refert Farinacc. *qu.188. num.83.*

Nec dispositio Textus *in cap. in fidei fauorem, de Hæret. in 6.* in Sacro Tribunali
17 ità simpliciter admittitur, sed concurrentibus coniecturis, nempe personarum qualitate, tam deponentium, quàm eorum, contra quos deponunt, vt expressè habetur in Textu, vbi coniunguntur per copulam &, coniecturæ, circumstantiæ, & qualitates cum numero testium, itaut numerus testium non sufficiat, Farinacc. *dicta quæst.188. num.77.*

18 Præterea cum ad conuincendum Hæreticum negatiuum requirantur testes idonei, & legitimi, seu omni exceptione maiores, nullo modo dici potest, quod tales sint socij criminis quamrumuis mille: licet enim exceptio, quod sit socius criminis non attendatur in fidei fauorem, non sequitur tamen, quod testes huiusmodi possint dici legitimi, & idonei, seu omni exceptione maiores, cum eo ipso sint infames, vt benè ratiocinatur Hieronymus de Feder. *resol.62.per tot. post 2.vol. consil.* Farinacc.

19 Plus dicit idem Federicus, quod huiusmodi testes non admittuntur etiam in causa hæresis absque tortura: Et licet eius opinio quoad torturam non obseruetur in S. Officio, vt testatur Farinacc. *quæst. 188. num. 68. in fine*. Nihilominùs benè concludit, testem socium criminis non esse omni exceptione maiorem, idoneum, legitimumque.

20 Sæpè sæpiùs ergò conquesti sunt Lusitani apud Sanctam Sedem Apostolicam, & præsertim inquisiri de Iudaismo, quod tùm per testes singulares, tùm per socios criminis ab Inquisitoribus tanquàm negatiui traderentur Brachio seculari.

Quorum petitioni licet ex voto Consultorum esset annuendum, vt quæstione discussa *sub die 5. & 20.Martij, & 17.Aprilis* 1603. coram f.mem. Clemente Octauo

resolutum fuit: Nescio tamen an de hoc fuerint moniti Inquisitores à Sede Apostolica, benè noui tempore Vrbani Octa-
21 ui instantias Lusitanos renouasse non solùm in hac parte, sed etiam respectu aliorum grauaminum, quæ dicuntur inferri carceraris in Sancto Officio, & præsertim, quod ex indiciis indubitatis, seu violentis præsumptionibus damnant reos in pœnam ordinariam, quod quam periculosum sit, & à pietate Sancti Officij alienum testatur casus (qui accidit, dùm eram Auditor Nunciaturæ Hispaniarum, & Collector Portugalliæ bonæ memoriæ Laurentius Tramallus Episcopus Hieracen.) illius miseri, qui captus, & diffamatus, quod Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum de quadam Ecclesia Ciuitatis Vlissiponensis subripuisset, ex solis violentis indiciis damnatus fuit, vt abscissis manibus, ad palum alligatus, viuus concremaretur. Qui postea transactis quatuor annis innocens repertus fuit, ex confessione cuiusdam furis, qui propter alia latrocinia captus, dùm ad fureas duceretur confessus fuit, se fuisse illum, qui furatus fuerat Sanctissimum Sacramentum in dicta Ecclesia, propter argenteam pixidem, in qua asseruabatur; & qui damnatus fuerat, innocens omninò erat: Quem casum recitat Barbos. *in Collectan. ad cap. Affirte, de præsumpt. to. 6.*

Et licet tunc temporis Episcopus Hieracen. ostenderet Inquisitoribus, quàm fœdè peccarent in huiusmodi condemnatione, non potuit tamen innocentem miserrimum liberare.

Iterum verò de anno 1673. auditi sunt clamores Lusitanorum descendentium ab Hæbreis; Sacra Congregatio de mandato Sanctissimi scripsit Nuncio, vt significaret Inquisitoribus illius Regni, velle Sanctitatem Suam opportuna remedia huic ma-
22 lo afferre; & resolutum fuit à prædictis Inquisitoribus vnum ex illis Romam mittere: qui cum vsque *de mense Iunij 1674.* non comparuerit, fuit propterea rescriptum Nuncio, vt illius aduentum sollicitaret.

Scio nihilominus in Suprema, & Vniuersali hac Inquisitione in causa Hyacinthi Centini, quendam Hæremitam fuisse damnatum in pœnam ordinariam ex solis indubitatis indicijs, sed reclamantibus plerisque ex Consultoribus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Generalibus Inquisitoribus: Verùm eo in casu certò certiùs erat, Hæremitam conspirasse cum reliquis in necem sanctæ memoriæ Vrbani Octaui.

Sed vt de prædictis clamoribus per Lusitanos factis, & de resolutionibus exinde captis super eorum exhibitis grauaminibus, clarior aliqua habeatur notitia; sciendum est, quod cum Lusitani illi, qui descendunt ab Hæbreis, quinè *Christiani noui* appellantur, valdè conquererentur, Inquisitores illius Regni tam in confectione processuum, quàm in expeditione causarum, siue in reorum condemnatione, nonnullas consuetudines, seu stylos (vt appellant) introduxisse in eorum Tribunalibus, deuiantes à iure communi, & à recta iustitia, recursum habuerunt ad Sedem Apostolicam, & tempore Pontificatus gloriosæ memoriæ Clementis Decimi, exposuerunt Sanctitati Suæ quamplura grauamina, implorantes Sedis Apostolicæ auxilium. Et potissima querimonia consistebat in eo, quod Inquisitores, Iudaizantes negatiuos solummodò testibus complicibus, & singularibus conuictos Curiæ secùlari relaxabant: Et licet huiusmodi querelæ fuissent etiam coram alijs Summis Pontificibus porrectæ, & præsertim coram san. memor. Clemente Octauo, nulla tamen super illis capta fuit resolutio; at Clemens Decimus ex summa pietate motus tales querelas, & grauamina Sacræ Congregationi Eminentissimorum Dominorum Cardinalium in tota Republica Christiana Supremorum Inquisitorum, discutienda per suum Decretum remisit, vt super eisdem opportunè prouideretur.

Cum autem Decretum hoc ad notitiam Inquisitoris maioris Lusitaniæ peruenisset, duos ex suis Inquisitoribus Romam misit, vt prædictis Hæbreis, seu Christianis nouis se se opponerent; prout Vrbem aduenti totis viribus conati sunt, suas consuetudines, & stylos conseruare, & voce, & scripto, partim negantes grauamina prædicta, partim suis allegationibus comprobantes: Ipsis denique auditis in pluribus Congregationibus, fuerunt ab Eminentissimis Cardinalibus Supremis Inquisitoribus plura grauamina reiecta, pluribusque remedia opportuna adhibita, relicta tantùm quæstione, an Iudaizantes negatiui per testes singulares conuicti remanerent.

Relatis deinde resolutionibus S. Congregationis Sanctissimo Domino Nostro Papæ Innocentio Vndecimo eas approbauit, & suo Diplomate *dato sub die 22. Augusti* 1681. confirmauit.

Quò vero ad quæstionem, an testes singulares essent admittendi contra reos, præsertim negatiuos, illam Sanctissimus cum nonnullis declarationibus, & limitationibus approbauit, quas si obseruauerint Inquisitores, non dabitur amplius occasio prædictis reis negatiuis similes porrigendi querelas. Opportunum esset

hic transcribere Diploma Pontificium, sed iustis de causis abstinendum puto, & videri poterit apud prædictorum reorum Procuratores.

Sed an negatiuus censendus ille sit, qui interrogatus respondet, *Non memini, me dictas hæreses dixisse, & credidisse*. Hæc quæstio pendet à præsumptione obliuio-
23 nis, nàm si lapsum sit longum tempus, saltem decem annorum, si reus sit senex, infirmus, minor, multis negotijs implicitus, vel mulier, si factum sit inuolutum, tunc est præsumenda obliuio, itaut responsio illa possit admitti, sicut ex Menoch. Mierez, & Mascard. tenet Carena *par.2. tit.1. §.9. num.49.*

Si verò factum sit atrox, arduum, horrendum, recens, vtique illa responsio non esset admittenda, Pegna *par. 2. comm. 59.* Carena *loco citato*. Et ideò si concurrant requisita, de quibus supra, reus veluti negatiuus puniendus est.

Neque in Sancto Officio practicatur opinio Latrunculatorum in hoc casu, qui volunt, non admittendam esse respon-
24 sionem per illa verba, *non memini, non recordor*, & posse cogi reum ad præcisè respondendum, etiam per torturam, vt voluit Carthar. *in prax. interrogandorum reorum lib.3. cap.2. num. 1.* Ambrosin. *in prax. lib. 2. cap. 7.* quia vel illa responsio est admittenda in facto, in quo præsumitur obliuio, & frustra tractatur de præcisa responsione, vel non est admittenda, & punitur reus vt negatiuus.

25 Admittitur tamen illa responsio, *non memini*, sed si testes dicant, *me Hæresim protulisse, stò illorum dicto, & omnem hæresim detestor*; quia hæc est implicita confessio vt ex Gregor. Lopez tenet Card. de Lugo *de Virtute disp.24. sect.2. num. 43.*

26 Aduerte tamen hanc confessionem implicitam non esse sufficientem ad pœnam ordinariam infligendam, quia ad hunc effectum confessio debet esse clara, certa, lucida, expressa, & explicita, vt notant omnes Canonistæ relati cum alijs à Farinacc. *quæst. 81. num. 32.* quod aduertit etiam Cardin. de Lugo *ibidem*, dum dicit, talem non reputari negatiuum.

27 Multò magis attendenda est præsumptio obliuionis, quando quis confessus fuisset aliquas hæreses particulares protulisse, aliquas verò de quibus conuictus esset, negasset, vt ex Suarez, & Castropalao aduertit Card. de Lugo *loco cit. n.44.*

28 Sed in hisce casibus praxis Sancti Officij est, vt reus torqueatur pro vlteriori veritate, & semper super intentione, si eam neget, quicquid dixerit Cardin. de Lugo *dicta disp.24. sect.2. num. 48.*

Nàm quomodocumque conuincatur reus, etiam ex propria confessione, conmisisse acta externa hæreticalia, neget verò intentionem, nunquam reus vti negatiuus punitur, sed semper subijcitur torturæ, vt eruatur eius intentio. Neque obstat, quod nullus posset puniri vti negatiuus, nàm semper quis euaderet pœnam negando intentionem, quia non est impossibile, quod reus, qui conuictus est de actibus externis, conuincatur etiam de actu interno, & sic de intentione: Nàm potest esse, quod Hæreticus, vel proferendo propositiones hæreticales, vel exercendo actus hæreticales externos fateatur etiam, se illis corde adhærere, & errores illos tenere, & credere, vt benè considerat Rota *dicta decis. 875. aliàs vnica, de Haret. in Antiquis*.

29 Sed an Hæreticus negatiuus ductus ad supplicium, vt comburatur, possit à Confessario absolui in foro Sacramentali, si non fateatur veritatem, si verè Hæreticus sit, non conueniunt Doctores; nàm Sanchez *ad præcep. Decal. lib.3. cap. 7. num.11. in fin.* tenet Hæreticum negatiuum teneri fateri veritatem propter scandalum, eo quod præsumitur in hæresi decedere, & pertinax in negando, vndè si reus verè sit, tenetur publicè fateri crimen, vt cesset scandalum, aliàs non est absoluendus: eius opinionem sequitur Suarez *de fide disp. 23. sect. 2. numer. 5.* Cardin. de Lugo *disp. 23. sect.3. num.96.*

30 Contrariam opinionem tenet Portell. *in addit. ad Dubia Regular. ver. Reus, quæst.2. num.3.* quem sequitur Carena *in prax. par.2. tit.2. num.57. & 58.* Hurtado *de fide disp.86. sect.2. §.29.* P. Diana *to.1. tract.5. resolut.8. in fin. & in par. 5. tract. 3. resolut. 78.* nihil decidit, quamuis Carena dicat, residere in opinione Portellij.

Quæstio hæc dicenda venit ex alia quæstione, An reus negatiuus, sed conuictus, & damnatus ad vltimum supplicium, dùm ad illud ducitur, obligari possit á Confessario ad fatendum delictum.

31 Et quia communis opinio est, nullo modo obligari posse, quamuis Sanchez, & Cardin. de Lugo limitent communem opinionem in crimine Hæresis, nulla tamen alia ratione vtuntur, nisi illa scandali vitandi.

Cui benè respondet Portellus, etiam in alijs delictis scandalum imminere, & tamen non possunt cogi rei negatiui à Confessario ad illa fatendum: Prætereà cessare potest scandalum, quia sciunt omnes, solere reos negare, quamuis verè sint delinquentes, & solere etiam detegere delictum in foro Sacramentali.

Nec obstat ratio Suarez, quod non possit absolui, & reconciliari Ecclesiæ, cum sine Confessione non sit absolutio.

32 Quia vera est, si vellet Confessarius reconciliare negatiuum Ecclesiæ in foro exteriori, nisi enim fateatur in foro exteriori, non datur reconciliatio, secùs verò quando tractatur de foro Sacramentali, & conscientiæ, vt declarat Hurtado *loco citato*, quem refert Pater Diana *par. 5. tract. 3. resolut. 78.*

Casus hic meo tempore non successit, nec inueni, quid fuerit actum antiquis temporibus. Teneo Ego eum Portello, & Carena.

Rursùs Hæreticorum pœnitentium nonnulli sunt Inconstantes in pœnitentia.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

Qui sint Relapsi. Quæ requirantur, vt quis verè dicatur Relapsus. An qui abiurauit Hæreses coram solo Episcopo, vel solo Inquisitore, possit dici Relapsus. An censeatur Relapsus, qui in diuersam Hæresis speciem incidit.

SVMMARIVM.

1 *Relapsi qui dicantur.*
2 *Relapsus requiritur vt publicè abiurauerit.*
3 *Abiuratio quomodo fieri debeat, & an semper coram Episcopo, & Inquisitore simul.*
4 *Abiuratio est pars sententiæ definitiuæ, quæ compilato processu fertur contra reum.*
Abiuratio pœna grauissima.
5 *Hæreticus incidens in hæreses abiuratas coram solo Episcopo, an possit puniri tanquam Relapsus.*
Abiuratio facta coram solo Episcopo est actus omninò nullus, ex defectu iurisdictionis.
6 *Abiuratio spontè comparentis fieri potest à solo Episcopo, vel à solo Inquisitore.*
7 *Processus compilari non debet contra spontè comparentes.*
8 *Pœna spontè comparentibus condonanda.*
Relapsi alij verè, & alij ficti.
9 *Relapsi verè qui.*
10 *Hæretici omnes conueniunt in neganda Ecclesiæ auctoritate.*
11 *Dictio* ipsa, *repetit præcedens subiectum, & excludit aliud.*
Relapsus an, & quando dicatur, qui abiurata vna hæresi, in aliam incidit.
Abiuratio hodie practicanda non tantùm de hæresi confessa, sed generaliter omnium hæresum.
12 *Abiuratio qualis requiratur ad Relapsum.*
13 *Relapsi ficti qui.*
14 *Relapsus debet conuinci de alio, vel primo, vel secundo lapsu.*
15 *Abiuratio de vehementi an sufficiat ad Relapsum.*
16 *Relapsus non dicitur qui secunda vice incidit in suspicionem de leui, & primo abiurauit de leui.*
17 *Suspiciones duæ de leui an constituant suspicionem vehementem, itaut suspectus abiurare teneatur de vehementi.*
18 *Hæreticus formalis an, & quando dicatur Relapsus, eo quod alias abiurauerit de leui.*
19 *Relapsus in eosdem errores, quos priùs abiurauerat de vehementi, & negans intentionem, an, & quando dici possit Relapsus, & de modo contra eum procedendi.*
20 *Relapsus an dicatur qui priùs abiurauit de formali, & postea incidit in suspicionem de vehementi, & num. seq.*
22 *Relapsus iudicatur qui priùs abiurauit de vehementi si sequatur lapsus formalis in hæresim.*
23 *Ecclesia antiqua labentes in hæresim, non reconciliabat, nisi præuia abiuratione.*
Confessio publica hæresis continet abiurationem.
24 *Lapsus vnicus, & vna vehemens suspicio non sufficiunt ad Relapsum.*
Relapsus probari debet apertis probationibus, vel iuris præsumptionibus.
25 *Præsumptio primi lapsus in hæresim cum stet pro bono nomine, an illa secundi lapsus stet pro hæresi.*
Furiosus semel, an, & quando præsumatur semper furiosus.
26 *Semel hæreticus, an, & quando præsumatur semper hæreticus.*
27 *Præsumptio hæresis cessat in eo, qui fuit semel hæreticus, quando constat de eius reconciliatione cum Ecclesia.*
28 *Relapsus an sit censendus fautor, vel receptor hæreticorum, qui priùs abiurauit hæresim de formali.*
29 *Pœna extendi non potest ex identitate, vel maioritate rationis.*
30 *Casus formaliter expressus, non autem ratio Constitutionis attenditur in pœnalibus.*
31 *Præsumptio iuris, & de iure non admittit probationem in contrarium.*

32 *Præsumptio legis non extenditur ad casum, de quo lex non prouidit.*
33 *Relapsus ficte an, & quando sit qui post abiuratam formaliter hæresim, cum Hæreticis conuersatur.*
34 *Fautores hæreticorum qui dicatur, & quomodo puniendi, & an tanquam Relapsi.*
35 *Probatio indirecta admittenda contra præsumptionem iuris, & de iure.*
36 *Hæreticus abiuratus diuertens ad alios eiusdem generis fame ductus, an possit puniri tanquam Relapsus.*
37 *Abiuratus hæreses vnius Sectæ, & deinde fauens hæreticis alterius Sectæ, an, & quando possit puniri tanquam Relapsus, & num. sequen.*
39 *Lex pœnalis non extenditur per Sanctum Officium ad alium casum, in quo eadem prorsus ratio non inuenitur.*
Hæreticus non censetur approbare hæreses abiuratas ex eo quod reddat se valdè suspectum hæresis alterius Sectæ.
40 *Receptor Hæreticorum, qui aliàs abiurauit hæresim de vehementi, an sit puniendus tanquam Relapsus.*
41 *Fautor Hæreticorum, qui aliàs abiurauit de vehementi tanquam fautor, an sit puniendus vti Relapsus.*
42 *Quid si semel vel pluries in abiuratam fautoriam relabatur.*
43 *Abiuratus hæresim de formali, & in carcerem detrusus si ab eo aufugiat, an sit puniendus tanquam Relapsus.*
Fuga è carcere, in quo quis ob hæresim detinetur, vehementissimam præbet eiusdem hæresis suspicionem.

1 ET primò quoad substantiam, hoc est, quia iterum relabuntur in hæreses, quas abiurarunt, & detestati sunt, qui communiter Relapsi dicuntur, iuxta Text. *in cap. ad abolendam* §. *Qui verò, & §. illos quoque de Hæret. & in cap. Accusatus §. cum verò, & §. ille quoque, de Hæret. in 6.*

Dixi, *quas abiurarunt, & detestati sunt*, quia, vt quis verè dicatur relapsus, opor-
2 tet, vt priùs abiurauerit hæreses, in quas reincidit, coram Iudice, Notario, & testibus, vt pluries fuit resolutum in Sacra Congregatione, & præsertim *sub die 31. Martij* 1610. *& 18. Decembris eodem anno, & 7. Martij* 1613. quæ resolutio fundatur in doctrina Oldrad. *in cons.* 271. *num.* 3. Pegna *par.* 2. *comment.* 83. *vers. obseruandum,* Locat. *in verb. Abiurare*, Squillant. *de fide Cathol. cap.* 31. Repert. Inquisit. *verb. Relapsus*, Alphonsus à Castro *de iusta Hæret. cap.* 16. Simanch. *de Cathol. tit.* 52. *num.* 2. Sanctarell. *de Hæres. cap.* 42. *dub. vnic. nu.* 7. & cæteri sequuntur P. del Bene *de officio Sanctissimæ Inquisitionis par.* 1. *dubit.* 162. *num.* 6.

Cæterùm, an qui abiurauerit hæreses coram solo Episcopo, vel coram solo Inquisitore, & non coram ambobus, possit dici relapsus.
3 Quæstio hæc licèt in iure controuersa sit, vt apparet ex allegatis per Pegnam *par.* 4. *comment.* 97. *vers. An autem eodem modo,* & per Bursatt. *cons.* 24. *lib.* 1. & à Farinacc. *quæst.* 186. *nu.* 79. latè Simanch. *de Cathol. tit.* 1. *rub. de abiuration.*

Resolutum tamen fuit in Sacra Congregatione, quod si qui abiurare debent, sint sponte comparentes, sufficit, quod abiuratio fiat, vel coram Episcopo, vel coram Inquisitore diuisim.

Si verò tractatur de Reo, contra quem fuit fabricatus processus, tunc abiuratio debeat fieri coniunctim coram Episcopo, & Inquisitore, itaut vnus sine altero illam recipere non possit, iuxta formam traditam in *Clemen.* 1. *de Hæret.* vt ex Decreto *sub die* 28. *Februarij* 1597. *&* 4. *Iulij* 1603. *&* 3. *Ianuarij* 1604.

Et ratio resolutionis esse potuit, quia tunc abiuratio est pars sententiæ diffiniti-
4 uæ, quæ compilato processu fertur contra Reum, quo casu intrat dispositio Clementina: Tùm quia secundùm sententiam Sacræ Congregationis, abiuratio non est solùm absolutio, siue expurgatio à crimine, sed est pœna, & quidem grauissima, vt latè defendit Carena *par.* 1. *tit.* 4. §. 2. *num.* 14.

Quocirca cauendum est à Bursatto *dicto cons.* 24. qui voluit, quòd si abiuratio fuerit facta ab hæretico coram solo Episcopo
5 valida sit, in tantum quod Reus si in hæreses abiuratas incidat, possit puniri tanquam relapsus; cuius opinionem videntur sequi Pegna *d. comment.* 97. *ad finem,* & Farinacc. *d. qu.* 186. *num.* 79. *vers. Ideò infertur.*

Nam cum *Clementina* irritet sententias definitiuas, non latas ab Episcopo, & Inquisitore coniunctim, non potest haberi in consideratione illa abiuratio ad effectum pœnæ relapsus, quia actus omnino nullus est ex defectu iurisdictionis, vt in terminis consuluit Rimin. iunior *cons.* 686. *per totum*, quem sequitur Farinacc. *quæst.* 195. *num.* 26.

Cauendum est etiam à Castro-palao *de fide tract.* 4. *disp.* 8. *punct.* 13. qui voluit
6 etiam sponte comparentes non posse admitti ad abiurationem à solo Episcopo, vel à solo Inquisitore.

Cæterùm quæ ratio differentiæ sit inter sponte comparentes, & Reos damnatos
7 compilato processu, cum etiam contra sponte comparentes feratur sententia; Crederem illam esse, quia licèt contra sponte comparentes feratur sententia, illa tamen non subiacet dispositioni dictæ *Clementinæ*, quæ loquitur solùm de sen-

tentiis, quæ feruntur compilato processu, qui non compilatur contra sponte comparentes, sed statut eorum dicto, tam quoad crimen, quàm quoad intentionem.

8 Præterea licèt contra sponte comparentes feratur sententia, illis tamen condonantur pœnæ, & sic isto casu abiuratio magis habet vim absolutionis, quàm pœnæ.

Horum autem Inconstantium, alij sunt verè relapsi, alij fictè fictione iuris, Farinace. *qu.* 195. *num.* 3.

Et cum verè relapsi sint, vt supra dictum est, illi, qui abiurarunt vnam, vel plures
9 species hæresis, & reincidunt in easdem species abiuratas, Eymer. *par.* 3. *quæst.* 18. & alij relati à Carena *par.* 2. *tit.* 2. §. 5. *num.* 28.

Quæritur, an is censeatur verè relapsus, qui vnam tantùm hæresim contra vnum fidei articulum abiurauit, sed in aliam hæresim contra alium articulum incidit. Nam Gloss. Io. Andr. *in cap. Accusat.* Eymer. 2. *par. quæst.* 40 Repert. Inquisit. *vers. relapsus num.* 3. tenent opinionem negatiuam, quibus videtur adhærere Suarez *d. disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 8. Card. de Lugo *disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 52.

Alij autem post Io. Monach. *cap. Accusatus num.* 3. Gemin. *num.* 4. Franch. *num.* 3. Pegna *par.* 2. *comment.* 65. Mandos. *ad Repert. ver. Relapsi num.* 6. quibus videtur fauere Sanctarell. *de hæres. cap.* 42. *dub. vnic. num.* 2. *vers. Quamuis alij*, Castropalao *d. punc.* 2. Hurtad. *d. disp.* 86. §. 14. censent, hunc censeri relapsum, P. del Bene *de offic. Sanctissimæ Inquisitionis par.* 1. *dubit.* 162. *sub num.* 2.

Rationem isti assignant, quia omnes Heretici conueniunt in vna hæresi, nempe
10 in neganda Ecclesiæ auctoritate, à qua per quamlibet hæresim recedunt, in hanc autem hæresim eandem semper relabuntur, quamuis etiam circa alium articulum errent, sic Card. de Lugo *loco citato nu.* 51. *ad finem*.

Sed ratio hæc inefficax est, nam illi expressè obstant verba Text. *in d. cap. Accusatus* ibi.

11 *Si postea deliquit in ipsa*, quæ dictio *ipsa* est repetitiua præcedentis hæresis abiuratæ, & exclusiua alterius, vt ex pluribus probat Barbosa *de diction. verb. ipse*, & in specie Suarez *loco citato num.* 8.

Et quamuis Pegna, Suarez, Lugo, & alij *supra citati* dicant hodie, vanam esse hanc quæstionem, quia hodie non tantùm fit abiuratio hæresis particularis, de qua Reus est confessus, sed etiam fit generaliter omnium hæresum, quare in quamcunque incidat, labitur in hæresim abiuratam.

Ego tamen vidi pluries, vel in Curia Episcoporum, præsertim Regni Neapolis, vel eorum Vicariorum, quandoque etiam imperitia Religiosorum, qui assumuntur ad munus Inquisitoris, relictam fuisse abiurationem generalem aliarum hæresum, ideo non est ità firmiter asseurandum, hunc casum non posse succedere, sicuti meo tempore accidit.

Hæc autem opinio, vt reputetur relapsus, qui in diuersam incidit hæresim, quam non abiurauit, nisi abiuratione generali,
12 non habet locum, si abiuratio generalis facta est vna cum abiuratione de vehementi, non autem de formali, quia requiritur ad relapsum, quod præcesserit abiuratio de formali respectu alicuius hæresis particularis, & ei fuerit adiecta abiuratio generalis: Ità colligo *ex d. cap. Accusatus in princip. iuncto* §. *Cum verò*, & ex Card. de Lugo *loco citato num.* 53.

Relapsi autem fictione Iuris sunt, qui abiurarunt de vehementi, tanquam sic
13 suspecti de mala credulitate super vno articulo, puta, de Purgatorio &c. demum deprehenduntur reincidisse in eandem speciem hæresis formaliter, vt voluit Text. *in d. cap. Accusatus in princip.* Eymer. *par.* 2. *qu.* 58. & ibi Pegna *comment.* Farinacc. *d. quæst.* 193. *num.* 10. Sanctarell. *dicto cap.* 42. *num.* 6. Carena *par.* 2. *tit.* 2. §. 5. *num.* 29.

14 Nam, vt quis dicatur Relapsus, debet constare de vno lapsu, vel prima vice, vel secunda vice, Carena *loco citato num.* 34. Farinace. *d. quæst.* 193. *num.* 17. Sanctarell. *d. cap.* 42. *num.* 11.

15 Ideo si quis tam prima, quàm secunda vice abiuret de vehementi, non potest dici relapsus, Io. Andr. *d. cap. Accusatus post num.* 1. & ibi Gemin. plures relati à Farinacc. *qu.* 195. *num.* 22. Carena *d.* §. 5. *num.* 35. Sanctarell. *d. cap.* 42. *num.* 11.

16 Multò minus dicatur relapsus, qui primò abiurauit de leui, & secunda vice incidit in suspicionē de vehementi, vel de leui, Locat. *Iudic. verb. Abiuratio nu.* 1. Pegna *par.* 3. *comment.* 43. Farinacc. *d. qu.* 195. *nu.* 24. Carena *d.* §. 5. *num.* 36.

Sed, an qui vna vice abiurauit de leui, deinde incidit in aliam leuem suspicionem, cogatur abiurare de vehementi,
17 tanquam duæ leues suspiciones faciant quem vehementer suspectum, affirmatiuam opinionem tenent Locat. & Pegna *locis citatis*, Farinacc. verò *loco supra citato* dicit, hoc sibi videri durum,

Praxis habet, vt is nullo modo cogatur abiurare de vehementi, quia non datur suspicio suspicionis.

Pariter non potest dici relapsus, qui priùs de leui abiurauit, deinde incidit in
18 hæresim formaliter, Textus est expressus *in cap. Accusatus in fine principij de hæret. in* 6. &

in 6. & ibi Gloss. Monach. Franch. Calderin. Rosella cum alijs propè infinitis per Farinacc. *d. qu.*195.*num.*20. qui tamen *num.* 21. limitat hanc conclusionem, nisi post quam quis est deprehensus in relapsu, plenè constaret de illo crimine, de quo priùs fuerat leuiter suspectus, quia tunc pœna relapsus puniendus esset ex Squillacen. Decian, & Afflict.

An autem possit dici relapsus, qui priùs abiurauit de vehementi hæresim, & er-
19 rores, puta, Caluini, demum incidit in eosdem errores, quos fatetur, sed negat intentionem: Accidit casus in quodam Religioso, qui timens puniri in Sancto Officio, in quo denunciatus fuerat de sollicitatione in confessione, ad Hæreticos Tigurinos declinauit, & apud eos abiurata fide Catholica, munus Pedagogi, ac Prædicantis exercuit, Conciones habuit, detestando Romanam Ecclesiam, & contra eam libellos scripsit, & quamuis esset professus, vxorem accepit, cumque ibi moratus fuisset per sex, vel septem annos, opera Nuncij apud Helueticos Tiguri Lucernam petijt, & coram eodem Nuncio sponte comparens, fassus est suas hæreses, & errores, asserens tamen corde non adhæsisse prædictis hæresibus; Quocirca iniuncta ei fuit tantummodo abiuratio de vehementi: Sed lacrymis vxoris, & quodam metu adductus, iterum incidit in easdem hæreses, & fugam meditatus, ac reuersionem apud Hæreticos Tigurinos, deprehensus in actu fugæ, hæreses confessus est, sed intentionem negauit; Quare disputato dubio coram Sanctissimo *sub die* 11. *Martij* 1666. an iste posset dici relapsus, & fuit resolutum, non posse dici relapsum, sed torquendū super intentione.

Allegaui ego doctrinam in terminis Canteræ *de Hæreticis num.* 58. *vers. quando verò*, vbi, quod si talis Reus non est conuictus, & confessus, & negat intentionem, non credit ipse, posse dici relapsum; & certè optima ratione, quia debet constare de vno lapsu formali, non autem de lapsu præsumpto, nisi in casu *d. cap. Accusatus* §. *ille verò de Hæret. in* 6.

Cæterum, an, qui priùs abiurauit de formali, demum incidit in vehementem
20 hæresis abiuratæ suspicionem, dicatur Relapsus, cum constet de vno lapsu, affirmatiuam tenent opinionem Zanchin. *de Hæret. cap.* 16. *num.* 3. *vers. secundo*, Alphonsus de Castro *de iusta Hæret. punit. lib.*2. *cap.*2. Bursat. *cons.*7. *nu.*15. Menoch. *cons.* 82. *nu.* 148. *lib.* 1. Farinacc. *d.qu.*195. *num.* 17. Canter. *quæst. Crimin. tit. de hæret. num.* 58. *vers. aliam habemus*, Carena *d.tit.*2. §.5. *num.*31. *vers. Et in tota materia*, Castropalao *de fide tract.* 4. *disp.* 6. *punc.* 2. *num.*9. Sanctarell. qui alios *d. cap.*42. *dub. vnic.* *num.*9. latissimè Card. de Lugo *d. disp.* 24. *sect.* 2. *à num.* 57. *vsque ad* 63. P. del Bene *de officio Sanctissimæ Inquisitionis 1. dubit.* 162. *num.* 25. *vers. quamuis alij*.

21 Contrariam tamen opinionem, hunc non censeri relapsum tenuit Roias *de Hæret. par.*2. *num.* 333. Treuisan. *decis.* 37. *lib.* 2. Farinacc. *d. quæst.* 195. *num.* 18. vbi post Treuisan. dicit hanc sententiam seruari in praxi per Inquisitores Italiæ, Suarez *de fide disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 7. Sousa *in Aphorism. lib.*1. *cap.* 45. *num.* 3. vbi dicit, hanc opinionem seruari in Inquisitione Lusitan. P. Diana 4. *par. tract.* 7. *de pœnis delictorum resolut.* 26. *vers. solùm*.

Et hęc opinio omnino tenenda est, quidquid in contrarium dicant Carena,
22 Cantera, Castro-palao, Card. de Lugo, & P. del Bene, hanc enim seruat Sacra Congregatio Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, licèt enim vbi præcessit abiuratio de vehementi, si sequatur lapsus formalis in hæresim, is habeatur pro relapso, *vt in cap. Ad abolendam de Hæret.*

Secùs tamen est è contrariò, nempe si præcedat abiuratio de formali, demum sequatur suspicio, & abiuratio de vehementi, vt est Textus expressus *in cap. Literas de præsumpt.*

Neque obstat, quod ex dicto Textu non constet, quod ante suspicionem vehe-
23 mentem præcesserit abiuratio de formali, vt benè respondet Castro-palao secundùm Card. de Lugo *loco citato*, quia non benè respondet, cum enim supponatur in illo Textu, Reum hæreses publicè fassum fuisse, & successiuè reconciliatum Ecclesiæ Catholicæ, vt dicit Gloss. *in ver. Confessus*, ibi, *pœnitendo de ea, & redeundo ad Ecclesiam*. Et notat Abbas *in d. Text. in casus figuratione* necessariò dicendum est, reconciliationem factam fuisse præuia abiuratione, iuxta antiquum morem Ecclesiæ Catholicæ: Imò illa confessio publica continet abiurationem, & detestationem hæresis, vt patet *ex cap. ego Berengarius de consecr. distinct.* 2. & ex Decreto facto *in prima* Nicęna Synodo *cap.* 8. & ex Concilijs Ephesino, & Laodiceno, vt *in cap. Donatum, & in cap. Saluberrimum* 1. *quæst.* 7.

Non obstat, quod vbi præcedit abiuratio de vehementi, si postea quis in eandem hæresim reincidat formaliter, vtì relapsus iudicetur, vt constat *ex dicto cap. Accusatus*.

Ergo è contra, vbi abiuratio de formali præcedit, & postea subsequitur vehemens suspicio de relapsu in eandem hæresim,
24 debeat existimari relapsus, cum parum referat, quod suspicio vehemens præcedat, vel subsequatur, cum in vtroque casu æquè concurrat vnus lapsus, & vna ve-

hemens præsumptio, vt arguit Card. de Lugo, licèt eo argumento Cardinalis non vtatur.

Quia dispar est ratio in vno, & altero casu.

Nam priori casu, quando abiurauit priùs de vehementi præsumitur, quod tempore abiurationis esset Hæreticus, & quod fateri noluerit, sed mentiri, vt habetur *in d. cap. ad abolendam*.

In secundo verò casu, cum Reus confessus fuerit crimen, & abiurauerit de formali, præsumitur, quod verè ad cor redierit, & cum pœnituerit, quodque zelo Orthodoxæ fidei mentitus non fuerit, vt inquir Textus *in d. cap. litteras*, & propterea, cum per confessionem, & pœnitentiam crimen in eo abolitum sit, qui denuò cum esse lapsum prætendit, id apertis probationibus, vel iuris præsumptionibus probare debet, vt optimè respondet Treuisan. *d. decis. 37. num. 7.*

Et ex hac ratione considerata à Summis Pontificibus in dictis Textibus tollitur secundum argumentum Card. de Lugo,
25 quod scilicet in prima suspicione præsumptio sit pro bono nomine, in secunda verò post lapsum præsumptio sit pro hæresi, quia contrarium veriùs est: Nam ex eo, quod quis fassus est crimen, & reconciliatus est Ecclesiæ, præsumptio inde emanat, quod verè pœnituerit, & sic quod illa infirmitate fuerit sanatus, vnde non sufficit præsumptio, vt inde ad pœnam iudicetur infirmus.

Exemplum autem de furioso non benè applicatur, quia tunc illa præsumptio habet locum, si non constet fuisse medio tempore sanatum, latè Mascard. *de probat. conclus.* 825. *An qui semel fuerit furiosus num.* 17. *&* 18.

26 Meliùs dixisset Card. de Lugo, semel Hæreticum præsumi semper hæreticum, vt voluere Bald. Felin. & Simanch. relati à Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *num.*41. Sanchez *ad præcepta Decalogi lib.*2. *cap.* 14. *num.* 14.

27 Sed hæc præsumptio non habet locum, quando Hæreticus præuia pœnitentia, & abiuratione reconciliatus est Ecclesiæ ad not. per Bart. & Bald. *in l. Imperialis C. de nupt.* Afflict. *decis.* 36. *num.* 4. facit Text. *in cap. ferrum distinct.* 50. latè Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 32. *à num.* 33. *per multos*.

Non obstat Textus *in cap. Accusatus §. Ille quoque de hæret. in* 6. quem latè expendit idem Card. de Lugo *loc. cit.* cui addo quod dicit Ioannes de Imola, nempe quod licèt *per cap. litteras* appareat ex ve-
28 hementi præsumptione non deberi quem iudicari relapsum post primum lapsum, hodie tamen debet seruari dispositio *d. §. ille quoque*, vbi Summus Pontifex determinat, *quod ille, qui priùs abiurauit hæreses de formali, si demum hæreticos receptet, deducat, visitet, siue associet, siue dona, vel munera eis donet, vel mittat, vel fauorem eis impendat, qui excusari non possit, meritò debet iudicari relapsus*.

Quia dispositio illius Textus non est extendenda vltra casus expressos, cum sit pœnalis, & iuris communis correctoria,
29 in qua non potest fieri extensio non solùm ex identitate, sed nec etiam ex maioritate rationis, Alex. *in Auth. quod sine nu.*4. *in fine de Testam. & in Auth. licèt num.* 4. *& in Auth. ex causa nu.*5. *&* 6. *de liber. præterit.* Curt. Iun. *cons.* 6. *num.* 13. Soccin. Iun. *cons.* 231. *num.* 26. *&* 27. cum alijs per Farinacc. *cons.* 65. *num.* 123.

30 Nec enim hoc casu attenditur ratio Constitutionis, sed casus formaliter expressus, Tiraquell. *l. si vnquam ver. libertis, num.* 2. *&* 4. *de reuocan. donation.* Farinacc. *loco citato*.

Secundò quia in eo casu Summus Pontifex voluit inducere præsumptionem iu-
31 ris, & de iure, contra quam non possit admitti probatio in contrarium, vt benè considerat post Grillau. Menoch. *dicto cons.* 82. *num.* 151.

Et propterea præsumptio, quam lex in vno casu statuit esse præsumptionem iuris,
32 & de iure, non debet extendi ad alium casum, super quo lex non prouidit, Abbas *in cap. fin. de sponsal.* Ruinus *cons.* 112. *nu.*17. *lib.*2. Pegna *decis.* 156. *num.* 10. & per alios Doctores allegat. à Farinacc. *qu.* 36. *n.* 100.

Minùs obstat dictum Io. de Imola *in d. cap. litteras*, quod hodie debeat seruari dispositio *d. §. Ille quoque*, quia in casu in *d. §.* expresso verum est, in casu autem non expresso non subsistitur, vt benè probat Triuisan. *d. decis.* 32. *num.* 3. *&* 4.

In casu ergo *dicti §. Ille quoque*, erunt relapsi fictione iuris, qui post abiuratam formaliter hæresim, non quidem relabuntur in hæresim, sed Hæreticis fauent, illos
33 defendunt, receptant, visitant, associant, dona, vel munera mittunt illis, vt notat ibi Gloss. Io. Andr. *num.* 1. Gemin. *num.* 1. Rosella, Siluester, Tabien. Menochius, Mascardus, Bursat. Eymer. Sanctarellus *d. cap.* 42. *dub. vnic. num.* 3. alios allegat Farinaccius *d. quæst.* 195. *num.* 32.

Sed hæc locum habent, quando quis fauet hæreticis quà hæreticis, non autem quà amicis, vel consanguineis, vel alia de causa hæresim non respiciente: Tunc
34 enim non potest dici fautor Hæreticorum, vt clarè habetur in Constitutione Martini Quinti *Inter cunctas regist.* à Pegna *in fine Directory*.

Vbi quod tales sunt grauiter puniendi, sed non tanquam relapsi; quod idem voluere Nauarra, Toletus, Vgolinus, Caiet.

Sanchez, & Graff. citati à Farinacc. *q.* 181. *num.* 159.

Et licèt in eo Textu dicatur, quod dubitari non debet, *illum ex approbati à se priùs erroris consequentia id fecisse*, quæ præsumptio, vt diximus, cum facta fuerit iuris, & de iure non videtur admittere posse aliam præsumptionem in contra-
35 rium; Nihilominus illa præsumptio non tollit probationem contrariam per indirectum, hoc est probationem, quod iste carnalis amoris causa talia perpetrauerit, vt latissimè probat Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 65. *per totam.*

Ideo semper mihi visa fuit nimis rigorosa sententia Inquisitorum Hispaniæ, quam refert Canter. *quæst. Crimin. tit. de hæresi cap.* 1. *num.* 58. per quam relaxatus
36 fuit Brachio seculari tanquam relapsus quidam ex genere Maurorum, qui abiurata hæresi, diuerterat fame ductus ad alios eiusdem generis; quàm etiam sententiam reprobat P. Diana *d. resolut.* 26.

Secundò non habet locum dispositio dicti Textus in eo, qui abiurata hæresi vnius Sectæ, receptat, seu fauet hæreticis alterius Sectæ; Licèt enim Decian. *lib.* 5. *cap.* 56. *num.* 13. Petr. Greg. *Syntagm. lib.* 33. *cap.* 8. *num.* 6. Canter. *loc. cit. nu.* 58. *in fine,*
37 tenuerunt, hos posse dici relapsos, præsertim si eum abiuratione particulari facta fuerit etiam abiuratio generalis omnium aliarum hæresum, vt censuit post Decian. Farinacc. *quæst.* 195. *num.* 37. *vers. de qua tamen.*

38 Contraria tamen sententia videtur verior, quam probant Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 14. *quæst.* 4. Alphons. de Castro *de iusta hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 2. Menoch. *d. cons.* 82. *num.* 148. Simanch. *de Cathol. tit.* 57. *num.* 6. & 7. Sanctarell. *d. quæst.* 42. *num.* 13.

A qua opinione non est recedendum, quia pietas Sancti Officij non solet exten-
39 dere legem pœnalem ad eum casum, in quo eadem prorsus ratio non inuenitur, vt benè docet in terminis Simanch. egregius Inquisitor *d. tit.* 57. *num.* 7.

Non enim censetur iste pristinam heresim abiuratam approbare, tametsi de hæresibus alterius Sectæ se reddat valdè suspectum, Alphons. de Castro, & Simanch. *locis citatis.*

Tertiò non habet locum dispositio dicti Textus in eo, qui hæresim abiurauit
40 tanquam in ea suspectus de vehementi, deinde receptauit hæreticos, Simanchus *loc. cit. num.* 5. Castro *d. cap.* 2. Pegna *par.* 2. *comment.* 81. cum alijs per Sanctarell. *d. cap.* 42. *num.* 12. Farinacc. *d. quæst.* 195. *num.* 26.

Quartò non habet locum, si quis abiurauerit de vehementi tanquam fautor
41 Hæreticorum, deinde post abiurationem illis faueat, vt voluere Decian. *loco citato num.* 16. Calderin. *de hæret. in rub. de pœnis recept. num.* 3. Simanch. *d. cap.* 57. *num.* 5. Castro *loco citato*, Sanctarellus *loco citato num.* 14.

Et licèt Pegna *d. comment.* 83. *vers. hoc vnum* velit, posse dici relapsum, qui non tantùm semel, sed bis, vel pluries in abiu-
42 ratam fautoriam relabuntur, illius tamen opinio tanquam rigorosa non est seruanda, prout de facto non seruatur in Sacra Congregatione: Nam tunc solùm iste præbet vehementem præsumptionem de relapsu.

Ideo nec etiam censebitur relapsus, qui abiurata formaliter hæresi, & in carce-
43 rem perpetuum detrusus, ab eo aufugiat, quamuis ob fugam lapsus sit in vehementissimam hæresis suspicionem, Alphons. de Castro *loc. cit.* Simanch. *loc. cit. num.* 8. Farinacc. *d. qu.* 195. *num.* 13. qui testatur de praxi Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, Carena *par.* 2. *tit.* 2. *num.* 18. Fermosin. post hæc scripta visus *de confiscat. bonorum allegat.* 52. *à num.* 15.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Quomodò procedatur contra Hæreticos Contumaces. Qui sit Hæresiarcha. Quomodò procedatur contra memoriam Defunctorum.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici contumaces qui.*
2 *Processus contra hæreticos contumaces.*
3 *Annus contra hæreticos contumaces an sit vtilis, vel continuus.*
4 *Hæretici contumaces permanentes in excommunicatione per annum ipso iure reputantur hæretici, etiam absque alia sententia, vel condemnatione, & an requiratur sententia declaratoria.*
5 *Hæreticus contumax intra annum, vel eo lapso comparens recipitur ad pœnitentiam.*
6 *Statutum ne contumax audiatur post certum*

tempus examinatur.

Hæreticus contumax lapso anno an audiatur respectu bonorum confiscatorum, & respectu insordescentiæ, & quid vbi eius statua fuisset combusta.

7 *Inquisitio Suprema quando soleat procedere contra hæreticos tanquam contumaces.*

8 *Hæresiarcha quis, & vnde dicatur.*

9 *Hæresiarcha propriè quis sit.*

Qui iudicentur Hæresiarchæ in Suprema Inquisitione.

10 *Docens errorem, quem non inuenit, an dicatur Hæresiarcha.*

11 *Dogmatista iudicari quis soleat in Suprema. Gradus hæresis qualis in hæresiarchis, qualis in Dogmatistis.*

Hæresiarchæ, & Dogmatistæ an, & quando recipiendi ad pœnitentiam, & misericordiam signanter secundum praxim Supremæ.

12 *Hæretici decedentes in hæresi etiam post mortem condemnandi.*

13 *Testes contra mortuum an, & quando recipi possint.*

14 *Memoria inquisiti de hæresi pendente processu morientis an possit damnari, & num. 16.*

15 *Quid de excommunicato causa fidei, qui per annum in excommunicatione perstitit, & postea mortuus est.*

16 *Memoria carcerati propter hæresim in carceribus se interficientis damnanda, & de ratione.*

17 *Filij interficientis se in carceribus, in quibus ob hæresim detinebatur, admittuntur ad probandum, quod conscientia patrati criminis non se interfecerit, ne damnetur eius memoria.*

18 *Inquisitio Suprema an, & quando damnare soleat memoriam carcerati propter hæresim se in carceribus interficientis, & quam de interfectione præsumptionem sequi.*

19 *Et quomodo procedere soleat contra fugientes è carceribus pendente processu, & quam præsumptionem de fuga sumere.*

20 *Memoria defuncti quando damnari possit propter hæresim.*

21 *Memoria fautorum, defensorum, & receptatorum hæreticorum damnari non potest, & de ratione.*

22 *Credentes hæreticis puniendi tanquam hæretici.*

Memoria credentium hæreticis damnanda.

23 *Memoria an possit damnari post quinquennium, & qui admittantur ad illam defendendam.*

1 QVOD attinet ad Hæreticos Contumaces sunt illi, qui citati fugiunt, latitant, & comparere vel negligunt, vel recusant, Locat. *verb. Contumacia*, Scaccia *de Iudic. cap.* 98. *nu.* 1. cum alijs per Farinacc. *qu.* 185. *nu.* 93.

Contra istos proceditur ad formam *cap. Cum Contumacia, de Hæret. in* 6.

Nàm primò citantur, vt compareant ad respondendum de fide sub pœna excommunicationis, elapso tempore assi-
2 gnato in citatione, seruaris seruandis excommunicantur: & si per annum in excommunicatione perstiterint, vt Hæretici condemnantur: notat Gloss. *in dicto cap. Contumacia, in figuratione casus, & in verb. Vehementem*, Gemin. *in Summario, & nu.* 3. *&* 6. Franch. *num.* 7. facit Textus *in cap. Vt Inquisitionis officium, de Hæret. in* 6. infinitos propemodum adducit Farinacc. *qu.* 192. *num.* 14.

3 Et annus iste continuus non vtilis est, Canonistæ *in dicto cap. Cum Contumacia.* Roias *singul.* 60. *num.* 3. *&* 4. Simanch. *de Cathol. tit.* 14. *num.* 3. Farinacc. *dicta qu.* 192. *num.* 30.

Ad hunc enim effectum tempora coniunguntur, vt fuisse declaratum in Sacra Congregatione Concilij reprobato Deciano *cons.* 145. dixit Seraphinus *dec.* 1285. *num.* 4. Farinacc. *loco cit. num.* 3.

Et isti sic in excommunicatione per
4 annum permanentes, ipso iure reputantur Hæretici, absque alia sententia, & condemnatione, Hostien. *in cap. Excommunicamus il primo num.* 3. *extrau. de Hæret.* facit Textus *in Auth. Gazaros, C. eodem*, Farinacc. *dicta qu.* 192. *num.* 17.

Requiritur tamen sententia declaratoria, vt post Scacciam, & Pegnam, Farin. *loco cit.*

Cæterùm si iste comparuerit, tàm intra
5 annum, quàm elapso anno, semper recipitur, & admittitur ad pœnitentiam, Pegna *par.* 3. *comm.* 175. Simanch. *de Cathol. tit.* 13. *num.* 10.

Nec respectu huius Contumacis attenduntur Statuta, quibus cauetur, ne lapso
6 certo tempore post latam sententiam, Contumax audiatur, quæ Statuta esse iniusta, & iniqua, dicit Pegna *par.* 3. *comm.* 49. Scaccia *de Iudic. cap.* 98. *nu.* 37. Farinacc. *qu.* 185. *num.* 110.

Sed semper audiuntur, tàm respectu personæ, quàm bonorum confiscatorum, vt de stylo Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis testatur Farinacc. *qu.* 182. *num.* 109. etiam quod istius Contumacis statua fuisset combusta, Fermosin. *in cap.* 1. *de Iudic. qu.* 32.

Et etiam respectu insordescentiæ, vt testatur Farinacc. *qu.* 192. *nu.* 21. *&* 22.

Et licet non procedatur contra Contumaces secundum praxim eiusdem Supre-
7 mæ, & Vniuersalis Inquisitionis, nisi fuerint Hæresiarchæ, vel Dogmatistæ, attamen dùm hæc transcriberem, fuit resolutum in Sacra Congregatione *sub die* 12. *Octobris* 1661. procedendum esse in contumaciam contra quendam de Iudaismo indiciatum; prout etiam tempore Beati Pij Quinti contra Contumaces, etiam

non Hæresiarchas, vel Dogmatistas processum fuit.

Hæresiarcha autem dicitur, quasi Prin-
8 ceps Hæreticorum, sumpta Ethimologia ab *Heresi*, & *Archi*, vt dicit Alberghin. *in Man. cap.4.num.*1. Farinacc. *qu.*178. §. 1. *num.* 15.

Propriè autem Hæresiarcha dicitur ille, qui gignit errorem, & qui docet erro-
9 rem, quem ipse gignit, & sequitur, vel publicè defendit, Repert. Inquisit. *versic. Hæresiarcha*, Farinacc. *loco cit.* Alberghin. *loco cit.* P. del Bene *de officio Sanct. Inquisit. par.*1. *dubit.*163. *num.*1.

Sed in Suprema, & Vniuersali Inquisitione Hæresiarchæ sunt illi:

Primò, qui nouas inueniunt Hæreses.

Secundò, qui extinctas suscitant, & de his duobus loquitur Textus *in cap. Qui aliorum 24.qu.3.*

Tertiò, qui in Academijs sua praua dogmata profitentur.

Quartò, qui ex munere sibi iniuncto docere debent sanam doctrinam, quales sunt Episcopi in hæresim lapsi, qui suos Greges inficiunt, iuxta Constitutionem Pauli Quarti *Cum ex Apostolatus Officio*, allegatam à f. mem. Papa Vrbano, dùm tractabatur causa Marci Antonij de Dominis Archiepiscopi Spalatensis.

10 An autem, qui docet errorem, quem non inuenit, dicatur Hæresiarcha, affirmatiuam tenet opinionem Pegna *par.* 2. *comm.*65.Paramus *lib.*3.*q.*9.*nu.*134. Carena *par.*2. *tit.*1. §.33.*num.*1.

11 Sed in hac Suprema, & Vniuersali Inquisitione vocatur iste Dogmatista, non Hæresiarcha, *cap. Qui aliorum 24. quæst.3.* Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.*9. *num.*1. & 3. Alberghin. *loco cit. num.*2. Card. de Lugo *dicta disput.*24. *sect.*2. *num.*64. P. Baldell. *de fide, & infidelit. lib.*1. *disp.*38. *nu.*24.

Cum istis tamen eodem modo proceditur, quamuis Hæresiarcha in primo, Dogmatista verò in secundo Hæreticorum gradu reponantur, vt voluere Sousa, & Alberghin. *locis citatis.*

Et quamuis non leuis sit controuersia, an Hæresiarchæ, & Dogmatistæ recipiendi sint ad pœnitentiam,& misericordiam, vt videre est penès Farinacc. *qu.* 193. §. 1. *num.*7. 8.9. & 10. Carena §.33. Alberghin. *dicto cap.* 4. *num.* 6. P. del Bene *loco citato à num.* 3.

In Suprema, & Vniuersali Inquisitione, semper, si sponte compareant, recipiuntur ad misericordiam, iuxta ea, quæ dixi supra.

Si verò fuerint capti, & ducti ad carceres Sancti Officij, potest esse maior difficultas, sed certè nec in hoc casu, si verè pœniteant, Sacra Congregatio non denegat eis misericordiam; vt obseruatum fuit tempore mei Assessoratus in Religioso Capuccino, & in alio Canonico Regulari Sancti Augustini, qui apostatando à Religione,ad partes Hæreticorum confugerant,nouas hæreses adinuenerant, easque publicè dogmatizauerant, non solùm voce, sed scriptis, præsertim Religiosus Capuccinus, qui pessimum librum contra Ecclesiam Romanam, & eius dogmata typis excusserat. Nàm capti, quia resipuerunt, & veniam petierunt, pœnam mortis euaserunt; etiam quod Canonicus ille Regularis ferè per tres annos in sua obstinata hæresi permansisset. Demùm opera mea, suasionibus meis ad cor reuersus misericordiam consecutus est, quamuis de rigore iuris non esset ad eam recipiendus, Eymer. *in direct. par.*3. *rub.de modo* 8. *terminandi processum nu.*9. Farinacc. *dicta qu.*193. *num.*8. Sousa *in Aphorism. lib.*1. *cap.*9. *num.*1. & 3. P. Diana 4. *par. tract.*7. *resol.* 23. Alberghin. hos citans *dicto cap.*4. *num.*7. addo Bordon. *in Tribun.cap.*9.*nu.*92. Carena *in praxi par.* 2. *tit.*1. §. 33. *num.*186. *ver. Opinio tamen.*

12 Denique alij sunt Hæretici, qui semper constantes in hæresi,in ea decedunt, contra quos, etiàm post mortem, potest procedi,vt docet Farinacc.post multos *q.*197. §. 4.

Quamuis sic decedens esset Episcopus, *cap.Si quis Episcopus,de Heret.* Decian.*lib.*5. *cap.*57.*num.*3. Farinacc.*loco cit. num.*89.

Imò quamuis defunctus, dùm vixit esset bonæ famæ, nec aliàs de hæresi infamatus esset, si accusatio contra eum post mortem institueretur, Repert. Inquisit. *verb. Accusatio*, Gundisalu. *de heret. qu.*22. Farinacc. *qu.*197.*num* 98.

Nec obstat Gloss. *in cap. Ipsa pietas 23. quæst.* 4. dùm voluit, quod non recipiatur
13 testimonium contra mortuum in vnitate Ecclesiæ, quia habet locum, si accusatio instituatur ab Hæretico contra Hominem bonæ famæ, secùs verò à Catholico, vt notat Repert. Inquisit. Gundisalu. & Farinacc. *loc. cit.*

An autem si inquisitus de Hæresi, pendente processu moriatur, eius memoria damnari possit.

14 Negat Anan. *in cap.Firmissimè, de Heret. & in cap. Si quis Episcopus num.* 10. *extr. eodem.*

Sed verior opinio est contra mortuum, pendente processu, posse procedi ad eius memoriam damnandam, Decian. *lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 6. Farinacc. *dicta quæst.* 197. *num.* 100.

Nàm si nulla pendente Inquisitione in vita potest Hæreticus accusari post mortem, vt supra diximus, & contra eiusdem
15 memoriam procedi, multò magis, si iam

instituto processu moriatur: Quæ con-
clusio habet locum etiam in eum, qui per
annum in excommunicatione ex causa
fidei perstitit, demùm mortuus est, nàm,
& illius memoria damnari potest, Bellam.
decis. 167. Decian. *dicto cap.* 57. *num.* 6. Fa-
rinacc. *qu.* 197. *num.* 93. P. del Bene *loco infra
allegato sub num.* 8. *verf. Respondetur.*
16 Vidi tamen in hoc casu diuersimodè
actum in Suprema, & Vniuersali Inquisi-
tione: Nàm *anno Iubilæi* 1625. damnata
fuit memoria Marci Antonij de Dominis
Archiepiscopi Spalaten. qui pendente
processu sui relapsus, obierat in carce-
ribus.

Priùs tamen *anno* 1624. contra memo-
riam cuiusdam Nobilis Florentini, qui
pendente processu obierat, non fuit pro-
cessum.

Multò magis potest damnari memoria
Hæretici defuncti, quando pendente pro-
cessu se in carceribus Sancti Officij inter-
fecerit, quia tunc conscientia patrati cri-
minis dicitur se occidisse, Villadieg. *de
Hæret. qu.* 22. *num.* 1. Pegna *comm.* 92. Farin.
qu. 197. *num.* 90. P. del Bene *infra allegan.
num.* 5.
17 Admittuntur tamen filij ad proban-
dum, quod reus non se interfecerit con-
scientia patrati criminis, Farinacc. *loco
citato*.

In dubio semper vidi obseruatum in
Suprema, & Vniuersali Inquisitione, po-
tiùs admissam fuisse præsumptionem tędij
18 carceris, quàm conscientiæ patrati cri-
minis, quicquid dixerit Cantera, & post
eum distinxerit Carena *par.* 2. *tit.* 17.
nu. 85.

Et ideò contra nonnullos infelices, qui
ad crates ferreas carceris suspendio se
necauerunt, dùm eram Assessor, non fuit
processum ad damnandam eorum memo-
riam.

Quemadmodum etiam obseruatum in
eadem Suprema, quod fugiens à carceri-
bus Sancti Officii, pendente processu, non
punitur, sed cautiùs custoditur, quia tedio
19 carceris præsumitur fugam arripuisse,
Simanch. *de Cathol. tit.* 15. *rubr. de Custod.
Reorum num.* 23. Farinacc. *qu.* 193. *num.* 138.
Carena *par.* 2. *tit.* 17. *num.* 73.

Memoria tamen defuncti damnari non
potest, nisi de eius hæresi plenè constet,
20 nec sufficiunt præsumptiones, & suspi-
ciones, Simanch. *tit.* 18. *rubr. de defunctis
num.* 13. *& in Enchiridion. tit.* 62. *rubr de mor-
tuis num.* 6. cum alijs per Farinacc. *qu.* 197.
nu. 103. *&* 120. P. del Bene *de officio Sanctiss.
Inquisit. par.* 2. *dubit.* 204. *num.* 2.

Hinc propterea memoria defensorum,
fautorum, & receptatorum Hæreticorum,
21 damnari non potest post eorum mortem,
quia huiusmodi sunt solùm suspecti de
Hæresi, Io: Monach. *in cap. Accusatus,
§. Sacerdotes num.* 11. *de Hæret. in* 6. & ibi
Io: Andr. *num.* 5. Franc. *§. Si verò num.* 2.
cum alijs per Farinacc. *qu.* 197. *num.* 104.
P. del Bene *loco cit. num.* 9.

Secùs verò memoria eorum, qui cre-
dunt Hæreticis, quia cum tales, vt Hære-
22 tici puniantur, Farinacc. *qu.* 182. *nu.* 121.
illa meritò damnari potest, vt reprobato
Repert. Inquisit. *in verb. Credentes*, voluit
post Decianum, & Pegnam, Farin. *qu.* 197.
num. 105.

An autem supradictorum memoria
damnari possit post quinquennium à die
23 mortis: Et an admittendi sint filij ad eam
defendendam, vel quilibet alius, vide
Farinacc. plenè differentem *dicta qu.* 197.
à num. 106. cui addo P. del Bene *loco supra
allegato à num.* 10. *cum seqq.*

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

De pœnis Hæreticorum. An Cadauer Hæretici etiam non denunciati, liceat, & possit in Ecclesia Catholica sepeliri. An stante Extrauagan. *Ad euitanda*: liceat communicare cum Hæreticis in rebus Sacris. Quis dicatur Hæreticus. An validè contrahatur Matrimonium à Catholico cum Hæretica. An Sedes Apostolica dispenset in his Matrimonijs. An faciliùs dispensetur cum Catholico, vt ducat Hæreticam, an è conuerso. An Parochus Catholicus possit assistere Matrimonio inter Catholicum, & Hæreticam, & è contra. An possint recipi Ordines Sacri ab Episcopo Hæretico.

SVMMARIVM.

43 *Matrimonium, quam paritatem requirat, & an sufficiat paritas Baptismi, non obstante disparitate in fidei professione.*

Mulier nubens scienter Haeretico, non separatur, sed dote priuatur.

Catholicus contrahens Matrimonium cum Haeretica peccat mortaliter.

Quid si contrahat Sponsalia.

Sponsalia Catholici cum Haeretica an teneant.

Catholicus an, & quando possit nubere Haereticae vbi impunè grassantur Haereses.

44 *Dispensatio in Matrimonio inter Catholicum, & Haereticam, quando, & quomodò per Sedem Apostolicam concedatur.*

Clausula Abiurata priùs Hæresi, *apponenda in dispensatione Matrimonij inter Catholicum, & Haereticam examinatur, & de illius praxi.*

Promissio Haeretici de amplectenda fide Catholica post Matrimonium, an, & quando sufficiat pro obtinenda dispensatione ad illud contrahendum cum Catholica.

Dispensatio pro Matrimonio Catholici cum Haeretica, an, & quando per Sedem Apostolicam concedatur, non obstante probabili periculo peruersionis.

45 *Dispensatio an sit faciliùs concedenda, vt Catholicus ducat Haereticam, vel vt Haereticus ducat Catholicam.*

46 *Pontifex ex qua causa dispenset Matrimonium Catholici cum Haeretica, & an, & quando sufficiat causa priuata.*

47 *Parochus Catholicus an, quando, & quomodo possit assistere Matrimonio inter Catholicum, & Haereticum, & num. seq.*

Quid de Missionarijs Apostolicis.

48 *Nuncius Apostolicus, an inuitatus, possit interuenire nuptijs Principum Haereticorum.*

49 *Episcopus Haereticus an, & quando possit validè Ordines conferre.*

50 *Ordinatio facta ab Episcopo Haeretico quomodò sit irrita.*

51 *Episcopus Haereticus nominatim denunciatus amittit potestatem Ordinandi.*

54 *Clericus Ordinatus ab Episcopo Schismatico non potest in Ordine ministrare sine dispensatione Apostolica.*

55 *Dispensatio, quae concedi debeat Clerico per Episcopum Haereticum, vel Schismaticum Ordinato.*

56 *Quid si Ordinatus ignoret Episcopum esse Schismaticum, vel Haereticum, an incurrat suspensionem, & irregularitatem.*

57 *Ignorantia an, & quando allegari possit in his, quae publicè fiunt.*

Scientia praesumpta tolli potest à Legislatore.

58 *Episcopus consecratus ab Episcopo non tolerato, an, & quando remaneat suspensus, itant dispensari non possit nisi à Papa.*

INCONSTANTIA autem hæc in fide suas habet pœnas tàm spirituales, quàm temporales. Inter spirituales
1 connumeratur primò, Excommunicatio maior, *cap. Achatius 24. qu.1. cap. Cum Christus, cap. Sicut ait, cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus il primo, & secondo de Haeret. cap. Quicumque eodem tit. in 6. cap. Noverit de sentent. excommun. §.1. Bullae Coenae*, pro omnibus Farinacc. *qu.* 192. §.1. post eum Suarez, Cardin. de Lugo, Ricciullus, & alij Scriptores, & Commentatores *Bulla in Coena Domini*, P. del Bene *par.1. dubit.* 49. *petit.1. num.*1.

Et hæc pœna contrahitur ipso iure, Hostien. Zabarell. Innocentius, Goffred.
2 Boich. Anchar. Simanch. Zanchin. Eymer. Pegna, Gomez, Decianus, Canter. allegat. à Ricciull. *de Iure Person. lib.* 5. *cap.* 13. *num.*2. Farinacc. *dicta qu.* 192. *num.*2. P. del Bene *loco citato num.*1. & 2.

Nec si plures quis professus sit Hæreses
3 in vnam, sed in plures incurrit Excommunicationes, Vgolin. *de Censur. Pontif. Roman. reseruat. par.*2. §.4. *num.*11. Farinacc. *qu.* 192. §. 1. *num.* 9. Ricciull. *dicto cap.* 13. *num.* 3.

An autem hæc excommunicatio procedat à iure Diuino, vel à iure positiuo,
4 variant Interpretes: sed verissima est sententia solo iure humano latam esse, vt post Sotum, Valentiam, Henriquez, Suarez, Castro-palao, Hurtado, tenet Card. de Lugo *de virtute fidei Diuinae disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 20. Azor. Sayr. Sanchez, Duard. & alij à Ricciull. *dicto cap.* 13. *num.* 7. P. del Bene *loco cit. dubit.* 50. *num.*8.

Tàm autem Cardin. de Lugo, quàm Ricciull. & P. del Bene respondent contrarijs.

Sed, an ratione huius excommunicationis Hæretici sint vitandi, vera est sen-
5 tentia, quod licèt de iure omnes excommunicati excommunicatione maiori essent vitandi, itaut publicè excommunicatus, publicè esset vitandus; occultè verò excommunicatus, occultè pariter esset vitandus, vt habetur *in cap. Excommunicamus* 11. *qu.*3. & *in cap. Cùm non ab homine, de sentent. excommun.* Et de Hæreticis vitandis est Textus *in cap. Si quis forte* 24. *qu.*1. & *in cap. Sicut ait de Haeret.*

Tùm ob bonum Fidelium, ne conuersando cum Hæreticis se exponant periculo præuersionis.

Tùm ob bonum ipsius Hæretici, vt scilicèt prohibitus conuersari cum Fidelibus resipiscat, P. del Bene *d. dubit.* 50. *num.*12. 13. & 14.

Post Constitutionem tamen, *Ad euitanda*, editam, siue à Concilio Constantien. siue à Martino Quinto in eodem Concilio, Hæreticum, quamuis publicum, & notorium,

nototium, non tenemur vitare, donec per Iudicis sententiam fuerit Hæreticus declaratus, & vti talis denunciarus; sic Suarez *in 3. par. disp. 18. sect. 1. notab. 3. nu. 4.* Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 13. qu. 7.* idem Suarez *de fide, disp. 21. sect. 3. num.* 10. Sanchez *ad præcept. cap. 9. nu. 3. lib. 2.* Sanctarell. *de Hæres. cap. 7. dub. 1. num. 2.* Card. de Lugo *de virtute fidei Diuinæ disp. 22. sect. 1. nu. 1.* P. del Bene *loco cit. dub.* 51.

Vt autem quis dicatur Hæreticus denunciatus ad hoc vt debeat vitari, satis
6 non erit, si in sententia declaretur, talem esse Hæreticum, vt voluit Guttierez *Canon. quæstion. lib. 1. cap. 1. nu. 42.* & alij à Sanctarell. *d. cap. 7. dub. 1. nu. 3.*

Sed requiritur vlterius, quod dicatur in sententia, illum esse Hæreticum, & incurr-
7 risse in censuras: Quia Extrauag. *Ad euitanda*, vult, quod censura fuerit expressè publicata, & denunciata, vt cum Sanchez tenet Card. de Lugo *loco cit. num.* 8.

Praxis tamen Supremæ, & Vniuersalis
8 Inquisitionis est, non permittere Nuncijs, & Ministris Sedis Apostolicæ, vt communicationem habeant cum Hæreticis notorijs, etiam non denunciatis: Sic fuit scriptum *sub die 17. Nouembris anni* 1617. Nuncio Hispaniarum consulenti, quomodò se gerere deberet cum Oratore Angliæ Hæretico Matriti commoranti.

Idem fuit scriptum Nuncio apud Cæsarem commoranti, vt abstineret à communicatione cum Electoribus Hæreticis *sub die . . . Nouembris* 1625. præsertim in actibus publicis, dùm vel sedere, vel incedere pari passu cum Electoribus deberet.

Nec minus solet permittere, vt recipiantur litteræ ab Hæreticis notorijs, etiam non denunciatis, illisque rescribatur, vt scriptum fuit eidem Nuncio *die 8. Octobris* 1625.

At si vigeat necessitas cum eis agendi scripsit Sacra Congregatio Nuncio Coloniæ residenti, vt id faceret per interpositas personas, & per litteras credentiales, vt ex litteris *die 13. Octobris* 1632.

Scio tamen quandoque impertitam fuisse licentiam alicui pio Viro communicandi cum Hæreticis, ad effectum illorum conuersionis, & fuisse permissum saltem per conniuentiam, vt scriberentur litteræ à Magistratu Catholico Reginæ Angliæ pro recuperatione quarundam Nauium, vt habetur in Decreto *sub die 26. Maij* 1599.

Scio etiam displicuisse Paulo Quinto sanctæ memoriæ, Cardinalem Peronium scripsisse litteras absque licentia, seu permissione Suæ Sanctitatis cuidam Anglo Hæretico, vt patet ex Decreto *sub die 22. Martij* 1612.

Et propterea fuit rescriptum Nuncio in Belgio commoranti *sub die 18. Aprilis* 1624. vt responsum daret litteris Regis Angliæ misso priùs exemplari litterarum ad Sacram Congregationem per eam approbando.

Nolo tamen inijcere scrupulum Catholicis commorantibus in illis Regionibus, in quibus impunè grassantur Hæreses, quia illi tuta conscientia vigore dictæ Extrauagantis possunt conuersari cum Hæreticis.

Non licet tamen eis communicare in
9 Ritibus Hæreticorum, quia hoc esset contra præceptum confessionis fidei, & contineret implicitam confessionem erroris, vt benè Card. de Lugo *d. disput. 22. sect. 1. num.* 10.

10 Et propterea non licet Catholico Hæreticorum funus comitari, eosque ad sepulturam deducere, vt contra Nauarr. *cons. 15. aliàs 16. de Hæret. & cons. 10. & 12. eodem tit.* Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 11. qu. 4.* Sanchez *d. cap. 9. nu. 7.* ex Coninch. & Maldero, Card. de Lugo *d. tract. disput. 14. sect. 5. §. 5. num.* 159. declarauit Sacra Congregatio *sub die 30. Martij* 1628.

Ea ratione, quia huiusmodi comitatio nunquam fit nisi cum Catholicorum saltem pusillorum scandalo, & offensione, & cum aliqua rituum Hæreticorum communicatione: Et propterea stantibus scandalo, & communicatione in ritu, non esse licitam huiusmodi comitationem, & deductionem ad funus, voluere Azor. Sanchez *loc. cit.* & cum eis Coninch. Malder. Hurtad. *citati* à Card. de Lugo *loco superiùs allegato*.

11 An autem cadauer Hæretici sepeliri possit in loco Sacro: Quæstio fuit acerrimè disputata in Sacra Congregatione occasione cadaueris sororis vxoris Ducis Neoburgici Hæreticæ Caluinistæ, quod eius maritus voluit sepeliri in Ecclesia maiori Terræ Duseldorpij, renitentibus Canonicis dictæ Ecclesiæ.

Placet hìc inserere Votum, quod hac occasione dedi coram san. mem. Vrbano Octauo.

QVAERITVR: An in locis, in quibus impunè grassantur Hæreses, possit cadauer Hæretici sepeliri in Ecclesia Catholicorum.

INTER alias Hæreticorum pœnas est denegatio Ecclesiasticæ sepulturæ, vt ad litteram statuit Summus Pontifex *in cap. Sicut de Hæreticis*, ibi:

Aut inter Christianos accipiant sepulturam, idem statutum est *in cap. Excommunicamus, §. Credentes, verb. Sanè, eodem tit.*

Clariùs habetur *in cap. Sacris extr. de sepulturis*, ibi:

Sacris Canonibus est institutum, vt quibus

non communicamus viuis, non communicamus defunctis, & vt careant Ecclesiastica sepultura, qui priùs erant ab vnitate Ecclesiæ recisi.

Qui Textus, licèt videatur loqui de excommunicatis, eius tamen determinatio est generalis, & ità per illum Textum voluit Archid. *in cap. 2. de Hæret. in 6. num.* 7. Farinacc. *qu.* 192. *§.* 3. *num.* 38. sed expressè probatur *in cap. Quicumque de Hæret. lib.* 6.

Quod, & Nicolaus Tertius in sua Constitutione *Nouerit Vniuersitas* 5. *nonas Martij* 1280 *registrat. post Directorium*, omninò prohibuit.

Et in Rituali Romano Pauli Quinti *in rubr. de Exequijs*, dicitur:

Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Iudæis, & omnibus Infidelibus, Hæreticis, & eorum fautoribus, Apostatis à Christiana fide, Schismaticis, &c. P. del Bene *par.* 1. *dub.* 162. *petit.* 2. *num.* 3.

12 Hinc traditum est pro regula, Hæreticos non esse sepeliendos in loco Sacro, nec pro eis orandum, *dicto cap. Sicut*, *dicto cap. Excommunicamus*, §. *Credentes, vers. Sanè*, *dicto cap. Sacris*, Siluester, Carrer. Simanch. Spina, Grilland. Roias, Pegna, Alphons. de Castro, & alii à Sanctarell. *de Hæres. cap.* 28. *dub.* 2. *num.* 12. Farinacc. *de Hæres. qu.* 192. §. 3. *num.* 38. Lauor. *de prisco, & recenti funerandi more tit.* 2. *cap.* 12. *num.* 9. plures adducit Murga *in tractatu de sepulturis, post hæc scripta impressus, to.* 2. *disquisit.* 1. *conclus. principali num.* 1. Barbos. *dicto* §. *Videntes num.* 19. P. del Bene *par.* 1. *dubit.* 162. *pet.* 2.

In tantum, quod sepelientes Hæreticos in loco Sacro, siue sint Clerici, siue laici,
13 non solùm sunt ipso iure excommunicati *cap. Quicumque, de Hæret. in* 6. & ibi Gemin. & Franch. sed etiàm suspecti de Hæresi, Pegna *par.* 3. *comm.* 89. Sanctarell. *loco citato num.* 13. Farinacc. *dicto* §. 3. *num.* 45. & 49. plures ex nostris allegat Barbos. *dicto cap. Quicumque, num.* 5. & *de potestate Episc. par.* 3. *allegat.* 50. *num.* 214.

14 Et ab excommunicatione non possunt absolui, nisi proprijs manibus extumulent ossa Hæreticorum, vt est Textus *in cap.* 2. *de Hæret. in* 6. & ibi Gloss. Archid. Io: Andr. & Franch. Pegna, & Decian. à Farinacc. *dicto* §. 3. *num.* 15. Barbos. *loco citato num.* 11. P. del Bene *loco cit. num.* 3.

15 Dummodò possint ab ossibus Catholicorum discerni, Soccin. *in cap. Si quis Episcopus num.* 11. *extrau. de Hæreticis*, Zanchin. Pegna, & alii à Farinacc. *dicta qu.* 192. *n.* 42. Sanctarell. *dicto cap.* 28. *n.* 12. *vers. Notandum*, Barbos. *dicto cap. Quicumque num.* 12. P. del Bene *loco cit. num.* 4.

16 Et locus, in quo sepultum est Hæretici cadauer, perpetuò aliorum sepultura carere debet, *dicto cap. Quicumque, de Hæret. in* 6. & ibi Archid. Io: Andr. & Gemin. Calderin. Locat. Campegg. & alij à Farin. *dicta qu.* 192. *num.* 44.

17 Neque potest in hac pœna Episcopus dispensare, Sayr. *de Censur. lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 12. Barbos. *dicto cap. num.* 10. *in fine.*

Et hæc de iure communi, sed difficultas est, an hæc pœna habeat hodie locum in Hæretico nominatim non excommunicato, & denunciato.

Et videretur dicendum huiusmodi pœnam in Hæreticis nominatim non excom-
18 municatis, & denunciatis non habere locum, non solùm propter extrauagant. *Ad euitanda*, de qua infra, sed etiam per Textum *in cap. Excommunicamus*, §. *Credentes*, vbi Summus Pontifex prohibet dari sepulturam fautoribus Hæreticorum, postquam tamen fuerunt excommunicatione notati. Ergò cum Doctores nostri ex eo Textu inferant, cadauera Hæreticorum non posse tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, hoc debet intelligi cum qualitate in Textu expressa, hoc est si fuerint priùs nominatim excommunicati, & denunciati.

Secundò, quia nulla alia ratione debemus abstinere à sepeliendo in loco Sacro Hæreticorum cadauera, nisi quia prohibitum est cum illis viuis communicare: vt deducitur ex Textu *in cap. Sacris de sepultur.* Farinacc. *dicta qu.* 192. §. 3. *num.* 38. At Hæreticos nominatim non excommunicatos, & denunciatos vitare non tenemur, sed cum illis viuis communicare possumus, vt mox probabimus: ergò nec etiam eum mortuis communicare prohibemur.

Tertiò videtur cessare difficultas stante priuilegio concesso Catholicis à Concilio Constantiensi, quod non teneantur euita-
19 re excommunicatos, nisi fuerint vel notorij Clerici percussores, vel nominatim denunciati.

Quod priuilegium insertum est in extrauagant. *Ad euitanda*, quæ extrauagans licèt non reperiatur inter Constitutiones illius Concilij, est recepta ab Ecclesia Catholica, vt volunt omnes Doctores, tùm Canonistæ, tùm Theologi morales, vt dicit Marta *de Iurisdictione par.* 3. *cap.* 10. *per totum*, Sanctarell. *de Hæresi cap.* 7. *dub.* 1. *num.* 2.

Et propterea stante huiusmodi priuilegio, posse omnes Catholicos communicare eum Hæreticis nominatim non excommunicatis, nec denunciatis, voluere Suarez, Azor. Sanchez, & alij relati à Sanctarell. *loco cit.*

Et in puncto, quod cadauer Hæretici possit sepeliri in loco Sacro, voluit Nauarr. *cons.* 10. *de Hæret. & in man. cap.* 27. *nu.* 37. Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *qu.* 3. Henriq.

Aegyd. Auila, allegati à Layman. *Theolog. moral. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 4. vers. Altera est quæstio*, vbi subiungit, quod in Germania quibusdam in locis, vbi Catholicis permixtim viuunt Lutherani, diuturna consuetudine permittitur, vt hi in locis Sacris sepeliantur ab eorum Ministris, Murga *loco cit. num. 7.* ex Paz. Iordano *to. 1. lib. 5. tit. 12. num. 127. & 128.* vbi quod isto casu magis considerantur, vt excommunicati, quam vt Hæretici.

SED his non obstantibus sum in voto, nullo modo posse cadauer Hæretici tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, quia habemus Textus expressos, & claros, quibus cauetur, ne Hæretici sepeliantur in loco Sacro.

20 Non obstat Textus *in cap. Excommunicamus, §. Credentes*, quia eius dispositio procedit in fautoribus Hæreticorum, qui regulariter non reputantur Hæretici, sed habentur tantummodò pro suspectis de Hæresi, ex allegatis per Farinacc. *qu. 182. num. 55.* Et ideò requirit Summus Pontifex, quod fuerint priùs isti tales excommunicatione notati.

Non obstat dispositio extrauagantis, *Ad euitanda*, quia locum habere posset, si pœna
21 priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ daretur Hæretico ob solam excommunicationem; sed quia datur ob delictum Hæresis, non videtur attendenda, Azor. *dicto lib. 8. cap. 13. vers. Sexta Hæreticorum pœna*, qui dicit, quod priùs fuit statutum per Textum *in cap. Quicumque, de Hæret.* quod Hæreticis denegaretur Ecclesiastica sepultura, quàm fuerit decreta huiusmodi pœna à Clemente Quinto *in cap. 3. de sepulturis*, aduersus excommunicatos.

Hinc videmus, quod qui moriuntur in duello priuantur Ecclesiastica sepultura,
22 quamuis non sint nominatim denunciati, cum sufficiat, eos notoriè decedere in peccato mortali, iuxta *cap. 19. sess. 25. de reformat. Concilij Tridentini*, & ibi Barbos. *littera T.* Murga *de sepulcris to. 2. disquis. 11. num. 54.* vt in puncto voluit Sancius *in Relect. disp. 36. num. 6. vers. Consulto igitur.*

Ex quo infertur, quod si pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ diuersa est à pœna excommunicationis, nec regulatur ab ea, non habet locum priuilegium Extrauagantis *Ad euitanda*.

Sed dùm hæc transcriberem, deuenerunt ad manus meas dono Auctoris, *Rele-*
23 *ctiones in quinque libros Decretalium* b. mem. Prosperi Fagnani. Is *in Relect. cap. Quod à Prædecessore, de Schismaticis num. 53.* censet Extrauagan. *Ad euitanda*, esse abrogatam per Constitutionem editam in Concilio Lateranensi *sess. 11. Statuimus insuper ad euitanda scandala*, in qua mandat, quod euitentur excommunicati, quos ità notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, vt nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari: *Nàm à communione illius abstineri volumus iuxta Canonicas sanctiones.*

Ad quam Constitutionem dicit, Doctores nostros non aduertisse.

Sed doctissimus Vir non aduertit ad ea, quæ circa Constitutionem Concilij Lateranensis dixerunt P. Suarez, & Guttierez: Ille enim *in tract. de Censur. disp. 9. sect. 2. n. 5.* respondendo ad Constitutionem Concilij Lateranensis, dicit hæc verba:

Quod maximè dicendum est ad acta Concilij Lateranensis, quia ibi non agebatur de lege ferenda, aut obseruanda circa hoc pro Vniuersa Ecclesia, sed solùm de concordatis inter Gallum, & Pontificem, qui illa forma contenti fuerunt, non tamen ideò legem sanxerunt ab vniuersa Ecclesia obseruandam: tùm maximè quia ex vsu totius Ecclesiæ ea forma Constitutionis Ad euitanda, *iàm est approbata, & recepta, vt prædicti omnes Auctores referunt, & constat ex vsu Galliæ, Germaniæ, &c. vbi Catholici sine scrupulo communicant cum Hæreticis publicis, & Schismaticis.*

Iste autem *in cap. 1. Canonic. quæstion. lib. 1. nu. 14. §. Hinc videmus, vers. Et quod diximus*, sic ait:

Et quod diximus de Constitutione Concilij Basileensis, non esse vsu receptam, idem dicendum prorsùs erit, de renouatione eiusdem facta in Concilio Lateranensi supra cit. Nàm Auctores graues, qui parùm post prædictum Concilium Lateranense claruerunt, Constitutionem Concilij Constantiensis secuti sunt, & suis scriptis s quendam docuerunt, & prætereà in specie de Censuris prædicti Concilij Lateranensis dubitat Caietan. *in Summ. ver. Excommunicatio, fuerint-ne receptæ, quod nouæ essent suo tempore.*

In eadem dubitatione est etiam Reuer. Bartholomæus de Caranza Archiepiscopus Toletanus in Summa eiusdem Concilij Lateranensis; & idem dici potest certiùs de hac Constitutione, cum idem Caietan. *qui parùm post præfatum Concilium scripsit* Victoria, *&* Dominicus à Soto, *nulla facta mentione de hac Lateranensi Constitutione.*

Ecce quomodò duo insignes, & celeberrimi Auctores nostri non solùm aduerterunt ad Constitutionem Concilij Lateranensis, sed vel pro sola Gallia dixerunt esse latam, non autem pro Ecclesia Vniuersali, de quo etiam dubitauit idem doctissimus Fagnanus *loco cit. num. 65. §. Concluditur, vers. Cogitandum*; vel non fuisse nec etiam in Gallia vsu receptam. Prætereà in Constitutionibus Concilij prædicti Lateranensis pro Vniuersa Ecclesia, non numeratur hæc, vt videre est penès Caranzam, & Binium *in notis ad dictum Concilium.*

Seruandam verò esse Constitutionem *Ad euitanda*, non autem editam in Conciliis Basileen. vel Lateranen. dixit eruditissimus Nallier *infra citandus*, P. del Bene *par.1. dub.51. in tit. Obiectiones, per tot.*

Sed redeundo ad votum, dixi, dictam Extrauagantem *Ad euitanda*, non habere
24 locum in Hæretico notorio, quia Hæreticus quà Hæreticus vitari debet, non autem quà excommunicatus, vt in terminis voluit Alter. *de Censur. disp. 9. de suspens. cap. 3. pag. 147. littera E. versic. Hac tamen opinio.*

Non obstat consuetudo, quæ viget in aliquibus Germaniæ locis, quia si illa inni-
25 titur dictæ Constitutioni *Ad euitanda*, irrita est, tanquàm innixa falso fundamento. Si autem est inducta moribus vtentium, tanquàm irrationabilis, & nutritiua peccati non valet, *cap.vlt.de consuetud.* & ibi Gloss. *in ver.Rationabilis*, Rota *decis.*265. *nu.*21.*&* 22. *par.*5.*recent. to.*1.

Dicitur autem irrationabilis illa consuetudo, per quam aliquid fit contra ner-
26 uum Ecclesiasticæ disciplinæ, vt volunt Abb. & cæteri Canonistæ, *dicto cap. vlt*, Rota *loco cit. num* 23.

Sed quicquid sit de iure, omnem difficultatem tollit Constitutio Martini Quin-
27 ti, quæ incipit *Inter cunctas*, qua cauetur, quod etsi Hæretici non sint nominatim excommunicati,& denunciati, nullatenus tamen eorum cadauera tradantur Ecclesiasticæ sepulturæ, ibi:

Et si tales Hæretici publici, & manifesti licèt nondùm per Ecclesiam declarati, in hoc tamen graui crimine decesserint, Ecclesiastica careant sepultura.

Quæ Constitutio cum fuerit promulgata eodem Concilio Constantiense approbante post editam Constitutionem *Ad euitanda*, non est dubium, quin derogauerit in hac parte expressa dictæ Constitutioni *Ad euitanda cap.* 1. vbi omnes Canonistæ *de Consuet. in* 6. Turre-cremata, & Præposit *in cap. Domino Sancto* 50. *distinct.*

Et secundum hoc votum fuit in Sacra Congregatione resolutum coram s. mem. Vrbano Octauo.

Eo magis, quia Clerus illius Ecclesiæ, in qua traditum fuit cadauer sepulturæ Principissæ Hæreticæ, se opponebat, &
28 recusabat illud in Ecclesia sepelire: Et ideò quamuis respectu illius esset locus priuilegio Extrauagant. *Ad euitanda*, non intrabat in hoc casu, quia dictum priuilegium fuit concessum in fauorem Catholicorum, non Hæreticorum, Layman. *dicto lib.*1. *tract.*5. *cap.*4. *num.*4. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.*2.*can.*1.*quæst.* 8. *num.* 18. *vers. Non tamen*, Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 25. *num.* 61.

Fuerunt ergò datæ litteræ ad Nuncium Coloniæ, qui tunc temporis erat sanctæ memoriæ Alexander Septimus, infrascripti tenoris:

Vedrà V.S. l'aggiunte risolutioni pigliate in questa Sagra Congregatione sopra la sepoltura data alla sorella della moglie del Duca di Neoburgh, Eretica Caluinista, nella Chiesa Collegiata di Dusseldorp. Alla prudenza di lei si rimette l'essecutione delle medesime resolutioni, stimando questi miei Eminentissimi, che il Sig. Duca fatto auuertito del sentimento di questa Sagra Congregatione, si disporrà di far tutto ciò, che sarà necessario per prouedere alla sua coscienza, massimamente, che non gli manca pretesto honorato, con far portar quel cadauero nel sepolcro de' suoi maggiori nella Villa di due Ponti; che così rimouerà lo scandalo preso da buoni Cattolici.

A' Padri N. N. e particolarmente al P. N. per altro buomo dotto, dourà V. S. far la correttione in maniera, che si vergognino d'hauer dato parere in vna cosa tanto chiaramente dannata da Sagri Canoni, e particolarmente dal medesimo Concilio di Constanza nella Constitutione di Martino Quinto, registrata dopo gli atti dello stesso Concilio, in cui espressamente si ordina, che agli Eretici notorij, ancorchè nominatamente non siano stati scommunicati, e denontiati, non si dia l'Ecclesiastica seppoltura. Questa è vna limitatione della regola stabilita nella detta Estrauagante Ad euitanda, *publicata, come si crede, nel medesimo Concilio; onde se si vuole accettare questa, non si hà da rigettare l'altra. Mostri adunque V.S. in cotesto affare gli effetti della sua solita prudenza; e Nostro Signore la conserui.*

Die 6. Nouembris 1641.

In Generali Congregatione Sancti Officij, &c. coram Eminentissimis, &c. Maturè discusso articulo, & dubio sepulturæ datæ cadaueri sororis vxoris Ducis Neoburgici, Hæreticæ Caluinistæ, in Ecclesia Catholicorum Ciuitatis Dusseldorpij, necnon consideratis litteris Nuncij Apostolici Coloniæ degentis, Eminentissimi, &c. auditis votis decreuerunt:

Primò, Hæreticos notorios quantumuis non denunciatos nominatim excommunicatos, non posse sepeliri in Ecclesia Catholica.

Secundò, sepelientes incurrere excommunicationem.

An autem funus mandantes, & suadentes, incidant in eandem excommunicationem, hinc-indè adesse opiniones, secundum magis tutam, & probabilem incidere.

Tertiò, locum, in quo sepulturæ traditum fuit dictum cadauer, esse pollutum, non verò Ecclesiam.

Quartò, curandam omninò extumulationem dicti cadaueris saltem secretè, si non publicè vti decet.

Quintò, significandum Duci, & PP. N. N. vt

consulant eorum conscientiæ. Insuper dictos NN. monendos, vt in futurum caueant ab huiusmodi consultationibus scandalosis.

Sextò, tenorem horum Decretorum mittendum Nuncio Apostolico Coloniæ residenti, qui pro sui prudentia curet illorum executionem. Quod Decretum Sanctiss. D.N. Vrbanus Papa Octauus approbauit, & exequi mandauit.

Cæterùm si absque scandalo à Catholici resisti non possit, huiusmodi consuetudo est toleranda per conniuentiam, vt fuit resolutum in Suprema, & Vniuersali Inquisitione *sub die* 23. *Iulij* 1609.

29 Non possunt tamen vllo modo Catholicis cooperari Hæreticis, si vellent eorum ritu sepelire cadauer Hæretici in Ecclesia Catholica. Imò nec si vellent sepelire Catholicum, iuxta eorum ritum, vt benè Cardin. de Lugo *dicta disput.*14. *sect.*5. §.5. *num.* 160.

Sed post hæc scripta deuenit ad manus meas liber *Allegationum Fiscalium* Illustrissimi Dñi Nicolai Rodriquez Fermosini, Astoricen. Episcopi, Viri & eruditione, & doctrina conspicui, qui *allegat.* 11. *par.*2. refert consultationem factam à Dño Gundisaluo Brabo in Inquisitione Toletana Inquisitore, de mandato Inquisitoris Generalis Philippo Quarto Hispaniarum Regi, super petitione D. Alphonsi Gamarræ Oratoris apud Hollandos, vt Sacra Maiestas dignaretur concedere locum decentem ad sepeliendum cadauera Hollandorum Hæreticorum Toleti, siue Matriti degentium, in executionem Capitulorum initorum *de anno* 1646. occasione treguarum, seu induciarum initarum cum dictis Hollandis, in quorum vno cauebatur, Regem mandaturum quamprimùm, vt assignaretur locus decens ad sepelienda cadauera Hæreticorum, qui decederent in locis, & Regnis Suæ Maiestati subiectis, in qua quidem consultatione (quamuis à Consiliariis statutum fuisset, potuisse à Sua Maiestate assignari pro sepulchro dictorum Hæreticorum Hortulum *de Leche*) non solùm consulitur, nullo modo debere assignari aliquem locum ad sepelienda dictorum Hæreticorum cadauera, sed etiam dictum Capitulum esse nullum, & irritum, tanquam illicitum.

Quæ consultatio licèt plena sanctissimo zelo, & proprio in materia fidei Catholicæ Nationis Hispanicæ, nescio tamen, an sit iuridica per ea, quæ superiùs dicta sunt, eo maximè quia, non tractabatur de sepeliendis Hæreticis in loco sacro, sed in profano, &c.

Stante ergò decisione Sacræ Congregationis, cauendum est à Doctoribus, qui fundati in priuilegio dictæ Extrauagantis *Ad euitanda*, tenent, Hæreticos posse sepeliri in loco sacro.

Supposita ergò dispositione Extrauagantis *Ad euitanda*, quæ non est abrogata par Concilium Lateranense, vt supra diximus, licitum erit Catholico communicare cum Hæretico in rebus Sacris, vt puta, cum eo Missam audire, eo præsente celebrare, vel ipsi ritu Catholico celebranti adesse, vt contra Basil. Ponce de Leon *in appendice de matrimon. Hæret. cum Cathol. cap.*9. §.1. tenet post Sanchez, Azor. Hurtado, Card. de Lugo *disput.*22. *sect.*1. *nu.*10. qui testantur de Romana praxi, & ità fuit resolutum in Suprema, & Vniuersali Inquisitione *sub die* 28. *Februarij* 1602. cum Missa celebraretur Venetiis in Domo Oratoris Galliarum ad fidem conuersi præsentibus vxore, filijs, ac alijs eius familiaribus Hæreticis.

Ità etiam fuit dictum Catholicos in Anglia, & in aliis Hæreticorum partibus degentes non egere super hoc aliqua dispensatione, licèt aliqui Hæretici Missis interuenirent, *die* 15. *Iulij* 1604.

Non conueniunt tamen Doctores, an liceat Sacramenta recipere à Ministro Hæ-
30 retico; nàm Azor. & Sotus tenent opinionem negatiuam, ille *to.*1. *lib.*8. *cap.*11. *qu.*7. & *cap.*13. *qu.*1. iste *in* 4. *distin.*20. *qu.*1. *artic.* 5. licèt non conueniant in ratione; imò Azor. parum sibi constans primo loco dixit, id procedere non solùm propter excommunicationem, sed propter Hæresim. Secundo verò dicit, non ob hæresim, sed ob excommunicationem.

Sotus verò dicit, id accidere, quia putat omnes Hæreticos, & Schismaticos esse nominatim denunciatos, vt aduertit Card. de Lugo *disp.*22. *sect.*1. *num.*11.

Contrariam sententiam tenet idem Cardin. de Lugo post Nauarr. Sanchez, & Hurtad. ex priuilegio dictæ Extrauagantis *Ad euitanda*; cùm ergò Hæretici, & Schis-
31 matici nominatim denunciati non sint, nec notorii Clericorum percussores, non est, cur ratione excommunicationis prohibeamur ab illis Sacramenta suscipere; sic Card. de Lugo *loco cit.* & *in tract. de pænitentia disput.*18. *sect.*2. *num.*18. & 19. & *in tract. de Sacram. disp.*8. *sect.* 14. P. del Bene *dicto tract. dub.* 154. *petit.* 1. Verricellus *de Sacris Missionibus tit.*11. *qu.* 169. *per totam*, vbi ampliùs, quod Ordinatus ab Episcopo Hæretico, & Schismatico non denunciato, non remanet suspensus.

Quæ tamen conclusio non habet locum, si aliàs subesset scandalum, vel negatio fidei implicita, vel charitas suaderet ad impediendum peccatum Ministri Hæretici indignè ministrantis, vt voluit idem Card. de Lugo *loco cit.*

Hinc primò infertur, posse licitè suscipi Baptismum à Ministro Hæretico, dum-

32 modò baptizet in forma Ecclesiæ, vt resoluit etiam Sacra Congregatio *sub die* 8. *Februarij* 1597. Ibi etiam dixit debere suppleri orationes, exorcismos, & vnctiones à Ministro Catholico, P. del Bene *d. tract. par.*1. *dub.*63. *num.*25.

Aduertendum tamen est cum Card. de Lugo, Baptismum non posse dari à Ministro Hæretico filiis Catholicorum, nisi
33 vrgentissima necessitate, vel vtilitate concurrente, quia citra necessitatem non potest peti à laico, quales sunt Ministri Hæretici, vt voluit Suarez *in* 3.*par.disp.*23. *sect.*1.*to.*1. Card.de Lugo *d.disp.*14. *nu.*161. qui subiungit patrem, vel auum excusari, si petat filiis, vel nepotibus Catholicis Baptismum à Ministro Hæretico, si tanta sit necessitas, quanta sufficiens est petendi Baptismum à laico, dummodò tamen non fiat communicatio in Secta, & Ritu Hæretico, quia isto casu non liceret.

34 Qui autem liberè, & absque vrgenti necessitate, ab Hæretico Baptismum suscipit, irregularis efficitur, *cap. Afros dist.* 98. *cap. Verum prima qu.* 1. *cap. Qui in qualibet prima quæst.*7. P. del Bene *loco cit. dubit.*9. *sect.*1. *num.*17.

35 Minùs licèt Catholico adhibere Hæreticum in Patrinum filii sui, Nauarr.*cons.*1. *quæst.*29. *de Constit.* Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.*9. *num.*12.*ad fin.* Card. de Lugo *loco cit. disp.*14. *num.*162.

Et propterea *de anno* 1598.*die* 12.*Ianuarij* scriptum fuit à Suprema, & Vniuersali Inquisitione Patriarchæ Aquileien. Sanctissimum nullo modo velle approbare, imò nec tolerare abusum, qui vigebat in Carinthia, leuandi ab Hæreticis à sacro Fonte pueros Catholicos, qui baptizarentur à Sacerdotibus Catholicis.

Imò nec ipse Catholicus poterit esse Patrinus filij Hæretici, siue baptizetur
36 more Hæretico, & Schismatico, vt aduertit Sanchez *loco citato*, siue ritu Catholico, quia qui baptizat est merè laicus, & Patrinus offert Ministro laico puerum baptizandum, & petit ab eo Baptismum, Card. de Lugo *loco citato*, P. Verricellus post hæc scripta visus *de sacris Mission.tit.*6. *qu.*124. *num.*2. vbi dicit, Sacram Congregationem ità determinasse *sub die* 12. *Septembris* 1642. prout verum est, licèt ipse teneat cum Castro-palao, & alijs, licitè adhiberi Patrinum Catholicum in Baptismo filij Hæretici, quando Baptismus ministratur ritu Catholico.

Quærit deindè Card.de Lugo *d.disp.*14. *num.*164. an parentes Catholici, qui priùs infantem piè, & Catholicè baptizari curarunt, possint posteà permittere ab auo, aliove, à quo periculum timent, vel damnum, publicè ad Hæreticum Ministrum baptizandum deferri, celantes interim, quod iàm fuerit baptizatus. Et respon-
37 det, non licere iis positiuè filium offerre, vt rebaptizetur, vel ad hoc cooperari permissiuè tamen, & sine consensu tacito merè passiuè se habere, quando id sine grauissimo damno impediri non potest, non esse illicitum.

Addit tamen, quod si ille casus præuideretur, meliùs esset, quod non baptizaretur infans priùs à Catholico; nàm minus malum videtur baptizari à solo Ministro Hæretico, quàm rebaptizari.

Quod tamen Ego intelligerem, nisi Baptismus à Ministro Hæretico conferendus peccaret vel in materia, vel in forma. Nàm tunc non solùm non esset malum priùs infantem baptizare, sed esset expediens, ne careret puer Baptismo valido.

Et isto casu, non solùm permissiuè, sed etiam cooperando posset pater procurare, vt infans baptizatus priùs à Catholico deferretur ad Ministrum Hæreticum, ad euitandum damnum, quia non esse cooperari ad rebaptizationem, sed ad actum nullum, qui neque scandalum, neque præiudicium inferre potest Catholicis.

Secundò infertur, licitè posse ab Hæretico non denunciato suscipi à Catholico
38 Sacramentum Pœnitentiæ, Card.de Lugo *de Pœnitentia disp.*18. *sect.* 2. *num.* 18. *&* 19. *& in tract.de virt. fidei Diuinæ disp.*22.*sect.*1. *num.*11. *vers.Contraria.*

Quod tantò magis verum est, si Catholicus sit in articulo mortis constitutus, vt benè Card.de Lugo *d.disp.*18. *sect.*2.*nu.*18. *&* 19. P.del Bene *dicto tract. par.*1.*dubit.*63. *num.* 21.

Sed an isto casu licitè possit Sacerdos nominatim excommunicatus, & denunciatus absoluere: dùm hæc transcriberem, magna insurrexit controuersia in exami-
39 ne cuiusdam Episcopi coram san. mem. Alexandro Septimo. Nàm cum fuisset interrogatus à P. Diana, siue ab alio Examinatore, an Sacerdos nominatim excommunicatus posset absoluere existentem in articulo mortis; & Episcopus respondisset affirmatiuè, D. Card. Pallauicinus dixit, b. mem. Fagnanum *in suis Relectionibus* attestare, in Sacra Congregatione Concilij fuisse determinatum contrarium, & proptereà magnus rumor insurrexit, quia videbatur opinio contraria omnibus Doctoribus, qui post Concilium scripserunt, & re vera Fagnanus *in repetit. cap. Quoniam,de Constit.num.*28. refert Congregationem generalem Moron. Alciat. Senonen. Montalt. Alban. Sancti Sixti censuisse, non posse per doctrinam Magistri sententiarum Sancti Thomæ, Durand. Turre-cremat. Sancti Antonini, Bacchon.

& aliorum Theologorum ab eo citat.

Sed quia, vt dixi, magnum murmur factum fuit, & P. Diana, & forsan aliquis alius scripsit pro opinione affirmatiua: Idem R. P. Fagnanus latiùs reassumpsit articulum *in cap. Non est vobis de sponsalibus*, & conatur respondere omnibus argumentis in contrarium allegatis.

Sed licet maxima cum diligentia fuerint requisiti libri, & regestra Decretorum Congregationis S. Concilij Tridentini, dicta declaratio reperiri non potuit, dicendum est ergo, quod declaratio prędicta facta non fuerit, vel si facta, fuerit à prædictis libris expuncta tanquam contraria communi opinioni dictorum Theologorum, qui post Concilium scripserunt, & noui etiam, quod de anno 1682. tempore Pontificatus Sanctissimi D. N. Innocentij Vndecimi fuerit in Sacra Congregatione S. Officij super ista opinione disceptatum, & cum aliqui ex Cardinalibus opinionem S. Thomæ sequerentur, fuit ad trutinam reuocata, relata re ad Sanctissimum, Sanctitas Sua pro sua prudentia iussit ne super dicta opinione disceptaretur, neque indubium amplius reuocaretur; prout mihi asseruit R. P. D. Piazza Assessor Sancti Officij.

In hac controuersia videndi sunt allegati à P. Sanctarello *de haresi cap. 7. dub. 2.* & à Card. de Lugo *disp. 18. num. 18.* & nouissimè à P. del Bene *d. tract. par. 1. dub. 154. per totam* vbi *num. 8. vers. Quamuis*, dicit opinionem contrariam non esse improbabilem.

Tertiò infertur, Sacramentum Eucharistię posse recipi in articulo mortis, etiam
40 à Sacerdote hæretico nominatim denunciato, si non adsit alius, qui illud administret, Suarez *in 3. par. disput. 12. sect. 4.* Nauarra *in Summ. cap. 22. nu. 4.* Sanctarell. *loco citato, num. 7.* P. del Bene *loco citato num. 21.*

Nec obstat, quod Sanctus Ermenegildus maluit mori, quàm Eucharistiam recipere ab Episcopo Ariano, quia Sanctus ille non erat in articulo mortis constitutus, sed cogebatur recipere Eucharistiam à Ministro Hæretico in Paschate, vt esset signum, quod ipse consentiret Patri in hæresi Ariana, quod non licebat facere; Sic Sanctarellus, & Cardinalis de Lugo *locis citatis*, P. del Bene *loc. cit. num. 23. vers. respon.*

De Sacramento autem extremæ Vnctionis ità distinguendum est.

Aut infirmus in articulo mortis constitutus iam confessus fuit peccata sua, &
41 absolutus, & tunc non est licitum recipere istud Sacramentum ab Hæretico, nec ab alio excommunicato nominatim denunciato.

Aut infirmus in eo articulo constitutus non dedit signum contritionis, itaut illi non possit dari absolutio Sacramentalis: Tunc licitum est à Sacerdote hæretico recipere extremam Vnctionem, nam fieri potest, vt infirmus sit attritus; Cum ergo ex receptione illius Sacramenti pendeat vita æterna infirmi, poterit ille Sacramentum illud recipere ab hæretico Sacerdote etiam nominatim denunciato, vt post Suarez tenet idem Sanctarell. *dicto cap. 7. dub. 2. num. 9.* P. del Bene *loc. cit. num. 24. 25. 26. & 27.*

Quartò infertur, validè contrahi matrimonium à Catholico cum Hæretica,
42 & è conuerso, sed non licitè: Dixi *validè*, quia etsi Hostien. *in cap. 2. num. 1. in princip. de coniug. seruor.* & ibi Anchar. *nu. 1.* Carrer. *de haret. num. 157.* Simanch. *de Cathol. tit 40. num. 16.* Roias *singul. 128. num. vnic.* dicant, matrimonium fidelis cum hæretica, vel Apostata esse irritum, ducti *ex can. 72. sexta Synodi*, & ex Concilio Agathen. *can. 67. vt in cap. Non oportet 28. quast. 1. & in cap. Caue eadem causa, & quastione.*

Nihilominus contraria opinio verior est, nempe huiusmodi matrimonium quamuis illicitum esse tamen validum; Et ratio est, quia cum matrimonium sit eleuatum in Sacramentum, ad valorem Sacramenti requiritur solùm paritas Baptismi
43 in contrahentibus, quamuis in fidei professione disparitas sit, vt ex nostris tenet Gloss. *in cap. Non oportet ver. Hareticis 28. quast. 1.* & ibi Archid. *num. 4.* Bellamer. *num. 1.* Io. Andr. *cap. fin. de condit. apposit.* & ibi Butr. *num. 7.* Abb. *num. 5.* Zabarell. *num. 3.* Præposit. *nu. 6.* Alexand. de Neuo *num. 12.* cum alijs per Sanchez *de matrim. lib. 7. quast. 72. num. 2.* & hanc esse communem opinionem tam Theologorum, quàm Canonistarum, voluit Pontius *in appendice ad tract. de matrimon. cap. 1. numero 1.* Cardin. de Lugo *de virtute fidei Diuina disp. 22. sect. 2. num. 13. latè in Notis ad Concilium Illibritanum cap. 34.* P. del Bene *d. tract. par. 1. dub. 153. sect. 5. Coroll. 1. num. 1.*

Quod optimè probatur per Textum *in cap. Decreuit de Haret. in 6.* vbi Catholica mulier nubens Hæretico scienter, punitur solùm priuatione doris, non verò iubetur separari.

Ad Textus autem in contrarium allegatos benè respondent Sanchez, Pontius, & Card. de Lugo *locis citatis.*

Dixi *illicitè* contrahi matrimonium, quia prohibetur ab Ecclesia, & colligitur ex Concilio Calchedonen. *can. 14. Mileuitano can. 16.* Laodiceno sub Siluestro Primo *can. 10. & 31.* Carthaginen. *3. can. 12.*

Ideo Doctores omnes concludunt, sic

contrahentes peccare mortaliter, quia contraueniunt iustissimo Ecclesię præcepto interdicentis ea matrimonia propter periculum fidei imminens coniugi Catholico, & proli, sic Sotus, Nauarra, Veracrux, Palacios, Petrus de Ledesma, & alij allegati à Sanchez *disp. 72. num. 4.* P. del Bene *loc. cit. num. 6. vers. vbi tamen.*

Peccaret etiam qui cum hæretico contraheret sponsalia, eaque essent irrita, quia promissio illa est de re turpi, & proinde illicita, Nauarr. *de sponsal. cons. 38.* Sanchez *dicta disp. 72. num. 3.*

In Regionibus tamen, in quibus impunè grassantur hæreses, & Catholici viuunt permixti cum hæreticis, qui non sunt denunciati ex quadam consuetudine, licita sunt coniugia Catholicæ personæ cum hæretica, dummodo Catholico liberè permittatur, & absque peruersionis periculo permanere in Catholica Religione, Nauarra *conf. 1. de Constit.* Azor. *lib. 8. Instit. moral. cap. 11. quæst. 5.* P. del Bene *loco citato num. 6. vers. quamuis.*

Aduertendum tamen est, quòd licèt Sedes Apostolica non procedat contra
44 Catholicos huiusmodi matrimonia contrahentes In illis Regionibus, nunquam tamen dispensat in illis, nisi hæretica persona priùs abiuret hæreses, & fidem Catholicam amplectatur.

Et licèt de stylo, huius Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis committerentur Nunciis, vel Ordinarijs tales dispensationes cum clausula, *Abiurata priùs hæresi*, Innocentius Decimus sanctæ memoriæ mandauit, vt in futurum priùs haberetur testimonium abiurationis, antequam concederetur dispensatio.

Et cum aliàs de anno 1610. fuisset obtenta dispensatio ad preces Cardinalis de Strigonia à quodam Catholico, qui volebat contrahere matrimonium cum muliere hæretica sibi in tertio consanguinitatis gradu coniuncta, & in Breui non fuisset facta mentio, quod mulier esset hæretica, fuit scriptum Cardinali, ne cum Oratoribus dispensaret, nisi priùs per mulierem abiurata hæresi.

Et propterea ad euitandas fraudes, quæ solebant passim ab Expeditionerijs Datariæ fieri, qui nulla facta mentione, quòd mulier, siue vir essent hæretici, supplicationes porrigebant pro obtinenda dispensatione, iniunctum fuit Datario, ne expediret supplicationes, nisi facta mentione, quod ambo contrahentes essent Catholici, vel si alter eorum hæreticus esset, adderetur clausula, *abiurata priùs hæresi*: Nec
45 de stylo Sedis Apostolicæ sufficit, quod hæreticus promittat, se Catholicam Religionem amplexurum post contractum matrimonium; Licèt enim Ecclesia quandoque dispensationem concesserit, vt Catholici possent matrimonium contrahere cum hæreticis, hac sola promissione facta amplectendi Religionem Catholicam, vt patet ex Concilio Calchedonen. *act. 15. can. 14.* & ex Concilio Laodiceno *can. 310.* qui est repetitus eisdem formalibus verbis *in can. 67.* Concilij Agathensis.

Ab hac tamen facilitate recessit, & nisi cum Principibus viris ob aliquod publicum, & commune bonum alicuius Regni, vel Prouinciæ non dispensat.

Et licèt Clemens Octauus maxima tamen cum difficultate, & adhibitis quam maximis diligentijs, vt priùs hæreses abiuraret, dispensarit cum Catharina Henrici Quarti Regis Franciæ sorore hæresi infecta, vt nuberet Duci Baren. iusto tamen iudicio Dei euenit, vt antequam Breue dispensationis præsentaretur, Catharina diem suum clausierit extremum.

Vrbanus tamen Octauus eam omnino denegauit Duci Neoburgico, qui volebat ducere in vxorem filiam Palatini Bipontini, quamuis postea abrepta dispensatione super gradu à Vicario Apostolico Hollandiæ, eam duxerit, non obtenta à Sede Apostolica dispensatione, exitu tamen infelici.

Dux autem modernus pietate, & Catholica Religione insignis, noluit ducere in vxorem filiam Lantgrauij Darmstaten. nisi priùs hæreses abiurasset, quas priùs secretò, demum publicè detestata est.

Benè noui eundem Vrbanum dispensasse cum Carolo Magnæ Britanniæ Principe, seu potiùs cum Henrichetta sorore Regis Galliarum, vt posset inire matrimonium cum dicto Carolo.

Dispensatio verò fuit concessa pluribus conuentionibus initis in fauorem Catholicorum Regnorum Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ; quas si obseruasset, per manus Carnificis, raro exemplo, vitam, & Regnum, & quod peius est, animam non amisisset.

Vnde ex hoc exemplo constat, posse concedi à Sede Apostolica dispensationem, etiam quando probabile periculum peruersionis adsit, si magna aliqua, vel eximia causa concurrat, puta, augumenti, vel propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli eius status, vel libertatis Catholicorum in vsu Religionis Catholicæ, qui sub aliquo hæretico Principe, & Magistratibus hæreticis oppressi teneantur; vt benè Basilius Pontius *in Appendice cap. 6.* Diana *to. 3. de Sacramentis resolut. 269.* Card. de Lugo *d. disp. 22. sect. 1. num. 22.*

Scio etiam eundem Vrbanum noluisse concedere dispensationem Regi Poloniæ, vt posset ducere in vxorem filiam cuiusdam

dam Palatini hæreticam, de quo etiam testatur Card. de Lugo *d. disp. 22. sect. 2. num. 16. vers. His positis ad fin. & de Sacramentis in genere disp. 8. num. 227.* cui & ego assentior, dum contra Hurtadum tenet, quod etsi Hæreticus promittat conuersionem, adhuc necessariò petendam esse dispensationem à Pontifice, nisi necessitas excuset, vt latè, & doctè *num. 18. & 19.*

An verò faciliùs concedi possit dispensatio, vt Catholicus ducat hæreticam, an vt hæreticus ducat Catholicam.

Basilius Pontiùs *in d. Appendice cap. 4. num. 16.* dicit, considerandum esse, an
45 Principi Catholico habenti subditos etiã Catholicos detur vxor hæretica, an verò Principi hæretico habenti subditos etiam hæreticos detur vxor Catholica.

Primo casu dicit difficiliùs concedendam esse dispensationem, nam commune periculum erit, vt si vir Catholicus ab vxore hæretica peruertatur, etiam subditi Catholici peruertantur.

Secundo verò casu periculum erit soliùs vxoris, & non semel vxor Catholica ad fidem veram conuertit virum hæreticum, & consequenter subditi fidem receperunt Catholicam.

Sed Card. de Lugo *loc. cit. num. 24.* existimat cæteris paribus faciliùs posse dispensari, vt Catholicus accipiat vxorem hæreticam, quàm vt Hæreticus ducat vxorem Catholicam: Ea ratione quia regulariter maior est spes, quod vir trahat vxorem ad suam Religionem, quàm è contra propter maiorem subiectionem, quam habet viro, quæ semper remanet sub eius potestate.

Idque probat auctoritate Conciliorum Laodicen. & Agathen. *supra citat.* in quibus faciliùs dispensatur cum Catholico, vt possit ducere vxorem hæreticam.

Ego verò credo non posse in hoc casu constitui regulam generalem, quia visum est quandoque virum infidelem conuersum fuisse ad fidem à muliere fideli, & quaudoq; vxorem infidelem à viro fideli.

Pensandæ sunt ergo circumstantiæ Regnorum, locorum, & personarum; Nam Sedes Apostolica diuersimodè processit; Dispensationem enim Regi Angliæ Carolo concessit, vt duceret vxorem Catholicam, denegauit autem Regi Poloniæ, vt duceret vxorem hæreticam.

Quæ autem causa sit sufficiens, vt Pontifex dispenset ad huiusmodi matrimonia
46 contrahenda: Ego nunquam vidi concessas fuisse similes dispensationes, nisi suadente causa boni publici, vt voluit Azor. *to. 2. lib. 3. cap. 2.*

Ideo non assentior Pontio *in Appendice cap. 8. num. 4.* volenti sufficere causam priuatam.

Nisi causa priuata redundaret per indirectum in vtilitatem publicam, vt aduertit etiam Cardinalis de Lugo *d. disp. 22. sect. 2. à num. 28.*

47 An autem Parochus Catholicus possit assistere matrimonio inter Catholicum, & hæreticam, fuit in Suprema, & Vniuersali Inquisitione resolutum nullatenus posse.

Quod eò magis procedit in Missionariis Sanctæ Sedis Apostolicæ, qui in locis vbi non sunt Parochi Catholici, huiusmodi matrimoniis tanquam Parochi interesse nullo modo possunt, vt fuit resolutum in eadem Suprema, & Vniuersali Inquisitione *die 4. May 1628.*

Sed hæc declaratio debet intelligi, vt habeat locum in iis locis, in quibus non viuunt hæretici permixtim impunè cum Catholicis, quia vbi impunè viuunt, Pa-
48 rochus Catholicus potest assistere etiam matrimonio hæreticorum, cum post Concilium Constantien. Hæretici nec in Sacris, nec in Politicis negotiis vitandi sint, nisi sint denunciati; Sic Layman. *tract. 10. par. 2. cap. 4. num. 8.* Io. Præposit. *3. par. quæst. 7. de impedim. matrim. dub. 24.* Card. de Lugo *loc. cit. num. 36.*

Sed in iis locis, in quibus hæresis est impedimentum matrimonii ex lege Ecclesiastica ibi adhuc non derogata, non potest Parochus assistere matrimonio, nisi fuerit à Pontifice dispensatum; sic idem Card. de Lugo *loc. cit. num. 38.*

. Nec vbi scandalum, vel periculum immineret offensionis, vt supra dictum est.

Benedictionem verò nuptialem poterit Parochus Catholico cum hæretica contrahenti impertiri, non tamen illi Eucharistiam concedere, vt benè Card. de Lugo *d. disp. 22. num. 38.*

Apostolico Nuncio apud Cæsarem petenti, an respondere deberet litteris Bethleem Gabor, qui ipsum inuitauerat ad solemnitatem suarum nuptiarum,

Sacra Congregatio respondit, quod Nuncius mediante magno Cancellario Hungariæ, à quo litteras receperat, significet Secretario dicti Bethleem, ipsum vti Ministrum Sanctæ Sedis Apostolicæ nullo modo interuenire posse nuptiis Principum diuersæ Religionis, & propterea non miretur, si non respondeat etiam litteris ad eas inuitantibus, vt ex Decreto *sub die 18. Decembris 1625.*

Sed an coniux Catholica possit diuerti à viro hæretico, dicam in Inconstantia, quæ contingit in contractu matrimonii.

Quintò infertur: Posse recipi Ordines Sacros ab Episcopo hæretico, quia non
49 priuatur potestate Ordinis ob hæresim, sed validè confert, si seruet debitam formam, materiam, & habeat ordinandi in-

tentionem, *cap. Ostenditur de Consecr. dist. 4. cap. Præter §. verum, & §. ad hoc dist. 32. cap. 1. de Schismate*, D.Thom.Sot.Triumph. & Turre-cremat. allati à Sanctarello *de hæresi cap. 7. dub. 2. num. 11.* Barbos. *de officio, & potestate Episcopi par. 2. alleg. 3. nu. 3.* Macedo *de Clauibus Petri lib. 4. cap. 5. concl. 2.* eruditissimus vir Franciscus de Hallier, me instante, postquam multum insudauit contra hæresim Iansenianam promotus ad Episcopatum Cabalionen. in suo eleganti tractatu *de Sacris Electionibus, & Ordinationibus in tit. de qualitate Ministri art. 1. §. 1. 2. 3. & 4.* vt amplius in hac materia ab eruditis, & doctis viris desiderari nequeat, P. del Bene *d. tract. par. 1. dub. 154. num. 1.*

Nec obstant aliqui Textus, qui videntur innuere Ordinationes factas ab Episcopis Hæreticis esse irritas, nempe *in cap. Arriano 1. quæst. 1. cap. Conuentionibus, & cap. Si qui voluerint 1. qu. 7. cap. Ordinationes 9. quæst. 1.* & in aliis similibus.

50 Quia debent interpretari, vt sint irritæ quoad vsum respectu conferentium, cum sint ab eorum vsu suspensi, vt benè respondet Sanctarellus *loc. cit. num. 11. vers. Obijcies*, Hallier. *d. §. 4. num. 39.*

Et licèt Textus *in cap. Didicimus 14. qu. 1.* dicat, Hæreticos carere potestate Ordinis, eodem modo intelligendus est carere potestate Ordinis quoad vsum, & exercitium, quod voluit etiam Suarez *de Censur. disp. 31. sect. 1. num. 61.*

Quod habet locum, etiamsi Episcopus hæreticus esset vti talis nominatim de-
51 nunciatus, quia non per hoc amittit potestatem ordinandi, nisi quoad vsum, vt post D.Thomam, Sotum, Triumphum, & Turre-crematam dicit Sanctarellus *dicto cap. 7. dub. 2. num. 11.* P. del Bene *d. tract. par. 1. dub. 154. pct. 2. num. 2.*

At hoc intelligendum est cum distinctione; Nam qui recipit Ordines ab Epis-
52 copo hæretico, vel schismatico nominatim non denunciato, nullam incurrit suspensionem, vt latè probat Sanchez *conf. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 104. num. 42.* Sayr. *de Censur. lib. 4. cap. 14. num. 4.* Verricell. *de Sac. Mission. tit. 11. qu. 169. num. 2.*

Qui verò recipit ab Episcopo hæretico, vel schismatico nominatim denunciato,
53 siue ab Ecclesia non tolerato, suspensionem incurrit. *cap. Dabertus 1. quæst. 7. cap. 2. de ordinato ab Episcopo, qui renun. cap. 1. & 2. de Schismat.* Suarez *loco citato num. 61. 64. & 65.* Coninch. *disp. 15. dub. 5.* Filiucc. *tract. 17. num. 8.* Sayr. *de Censur. lib. 4. cap. 12.*

Sed quidquid sit de opinione Doctorum, Sacra Congregatio censuit indistin-
54 ctè ordinatum ab Episcopo schismatico, non posse in Ordine ministrare, nisi obtenta dispensatione Apostolica, vt ex Decreto *sub die 16. Nouembris 1607.*

Vnde non est admittenda responsio Verricelli ad simile Decretum Clementis
55 Octaui, qui in Instructione Græcorum idem determinauerat, quod scilicet ille Pontifex nihil in hac materia determinauit, sed reliquit disputationi Doctorum.

Nam possum ego testari, ità obseruari à Sacra Congregatione, nempe vt tales ordinati, qui abiurato schismate vniuntur Ecclesiæ Catholicæ, dispensantur, & super Irregularitate, & super executione suorum Ordinum; quamuis Ordines susceperint ab Episcopo schismatico non denunciato.

Variant autem Doctores, an hoc casu ignorantia excuset.

56 Nam quod ignorantia non excuset voluere ex nostris Couuarr. *in cap. Alma Mater §. 6. num. 6.* per Gloss. *in cap. Si quis à Simoniacis 1. quæst. 1. & in cap. de excommunicatione 9. quæst. 1.* ac alibi, & Doctores, quos refert Maiol. *de Irregular. lib. 4. cap. 16.*

Et ratio est, quia nemo dat quod non habet; Cum ergo Episcopus hæreticus, vel schismaticus non habeat vsum, & exercitium Ordinum, quomodo idem exercitium poterit conferre, vt benè ratiocinatur Suarez *dicto cap. 31. sect. 1. nu. 62.*

Contrarium verò tenet Sanchez *dicto dub. 104. num. 47.* dummodo ignorantia non sit crassa, & supina, cuius opinioni adhærendum censeo ex Text. *in cap. Ordinationes 9. quæst. 1.* vbi expressè habetur, *Ordinationes, quæ ab Hæresiarchis nominatim excommunicatis factæ sunt, & ab eis, qui Catholicorum adhùc viuentium Episcoporum Sedes inuaserunt, irritas esse decernimus; nisi probare valuerint, se, cum ordinarentur, eos nesciisse damnatos*: Quid clarius?

Et licèt Glossa ibidem dicat, quod in iis, quæ publicè fiunt, non potest igno-
57 rantia allegari; Hæc tamen scientia, cum præsumpta sit, potest tolli à Legislatore, & tollitur, dùm permittit ignorantiam allegari.

Neque obstat, quod huiusmodi suspensi procedat in iniuriam Ordinantis, etsi procedat Regula, nemo dat quod non habet.

Quia vt benè respondet Sanchez *loc. cit.* Episcopus non dat Ordinem, & vsum illius, sed Ecclesia, quæ illum tolerat, & Christus, qui est Auctor Ordinis.

Sed hoc limitatur in Episcopo recipiente consecrationem ab Episcopo non tolerato, quia is, siue scienter, siue ignoranter recipiat, remanet suspensus, & dispensatur à solo Papa, sic Sayr. *dicto cap. 14. num. 2.* P. Thesaur. *in Eccles. par. 2. cap. 24. vers. de Episcopo.*

In qua tamen limitatione subsistendum

censeo: Nam cum illam deducant Doctores ex *cap. Qua diligentia, de elect.* ille
58 Textus nihil probare videtur circa hoc; tùm quia electio fuit facta à Catholico, non à Schismatico; tùm quia ibi dubitatum fuit de electione ob defectum electi, non eligentis; tùm etiam quia ibi est sermo de ordinatione ante electionem ad Episcopatum; tùm denique quia ibi ignorantia probabilis non interuenit, cum ibi dicatur electum abiurasse Schisma, vt benè ex supradictis rationibus ponderat Suarez *dicta disput.31. sect.1.num.65.*

Dùm ergò Suarez fundat se in principio illo generali, *Nemo dat, quod non habet,* quod supra refellimus, subsistendum puto.

Nisi dicamus, quod Textus *in cap.Ordinationes*, non loquitur de Consecratione Episcopi, quæ indiget speciali mentione, & auctoritate.

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

De pœna Irregularitatis, & Infamiæ. An pœna Irregularitatis sit annexa Hæresi. An Hæreticus occultus sit Irregularis. An Infamia duret post Hæretici conuersionem. An incurratur Infamia ipso iure: an requiratur sententia. A quibus officijs repellantur Hæretici.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus externus occultus an sit irregularis, & num. seqq.*
2 *Irregularitatis pœna hæresi annexa an sit, & num. seq.*
3 *Hæreticus reuertens, quomodò in suo ordine, & gradu recipiendus.*
4 *Hæretici occulti dispensandi ab irregularitate.*
5 *Hæresis publica, & notoria, an requiratur ad irregularitatem.*
6 *Pœnitentia Hæretici non delet illius irregularitatem.*
Apostata incurrit irregularitatem, & quid si ob timorem à fide deficiat.
Negans fidem fictè, an, quando, & quam irregularitatem incurrat.
7 *Infamia, quam incurrit Hæreticus an sit pœna spiritualis, vel temporalis.*
8 *Hæretici omnes mares, & fœminæ incurrunt infamiam tàm de iure ciuili, quàm de iure canonico.*
9 *Hæreticus reconciliatus an remaneat infamis.*
Infamia comitatur condemnatum de crimine publico etiam post peractam pœnitentiam.
Hæresis crimen publicum.
10 *Infamia Hæretici an sit tantummodo facti, vel facti, & iuris.*
11 *Hæreticus an, & quam incurrat infamiam ipso iure, etiam absque alia sententia, & num. seq.*
12 *Sententia declaratoria hæresis an sufficiat ad incurrendam infamiam absque sententia condemnatoria.*
13 *Hæretici repelluntur ab omnibus honoribus, & dignitatibus, & de ratione.*
Porta dignitatum infamibus clausa.
14 *Hæretici obire non possunt publica officia.*
15 *Hæretici non possunt creari defensores Ciuitatum.*
Nec vocari ad Concilia.
16 *Nec esse Milites.*
17 *Nec ad gradum Doctoratus promoueri.*
18 *Nec possunt esse Iudices.*
Sententia lata coram Iudice hæretico est nulla.
19 *Processus factus coram Iudice hęretico, est nullus ipso iure.*
20 *Hęretici non possunt esse arbitri, nec arbitratores.*
21 *Nec Aduocati.*
22 *Nec Notarij.*
23 *Instrumenta facta per Notarium hęreticum quando sint nulla.*
24 *Hęretici non possunt eligi Decuriones, nec ad regimen Reipublicę.*
25 *Hęretici non possunt iudicialiter agere, sed possunt conueniri.*
26 *Hęretici an possint ferre testimonium.*
27 *Hęretici priuantur omnibus priuilegijs, quibus fruebantur dum erant Catholici.*
28 *Nobiles condemnare non possunt ad Triremes, nec ad aliam pœnam infamatoriam.*
Quid in causa fidei.
Hęretici priuati, & exclusi ab omni actu legitimo.
Hęreticus ab humaniorum litterarum lectura remouendus.
29 *Hęretici priuantur voce actiua, & passiua in electionibus Ecclesiasticis.*
30 *Quid si pœniteant.*
Quid in Hęretico occulto.
31 *Quid pendente accusatione, vel denunciatione, an, & quando habeat vocem in Capitulo.*

Hæreticus potest suspendi ab officio, & dignitate, pendente accusatione, etiam ante sententiam, & de ratione.

Abiuratus de formali, an, & quando admitti possit ad honores, & publica officia.

32 *Fœdus Religionis vbi impune grassantur hæreses, quid importet, & an procedat ex consensu, vel permissione Pontificis.*

Hæretici vbi impune grassantur hæreses, admittuntur ad omnes actus, & ad omnia officia, & de ratione.

33 *Hæreticus absolutus an, & quando restituatur ad officium Notariatus.*

SECVNDA pœna spiritualis horum in fide Inconstantium est Irregularitas, quæ licèt secundum communiorem Doctorum sententiam sit adeo
1 Hæresi annexa, vt quilibet Hæreticus externus licèt occultus sit irregularis, vt ex nostris voluere Specul. *tit. de dispens.* §. *Iuxta n.* 16. *vers.* 6. Felin. *in cap. Nam te, de rescript. nu.* 12. *littera P.* Lambertin. *de Iure Patronat. par.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 7. Mandos. *de Signat. Gratiæ tit. de absolut. ab hæresi in princip.* Maiol. *de Irregular lib.* 5. *cap.* 46. *nu.* 1. & 2. Pegna *par.* 3. *comm.* 162. *in fin.* cum aliis per Garziam *de Benefic. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 80. Farinacc. *de hæres. qu.* 192. *num.* 67. 68. 69. Ricciull. *de iure person. lib.* 5. *cap.* 17. *nu.* 4. Carena *par.* 2. *tit.* 1. §. 26. *nu.* 137. Albergbin. *in man. cap.* 6. *nu.* 20. Bordon. *in Tribunal. cap.* 12. *num.* 58. Fermos. *allegat.* 50. *num.* 4.

Non desunt tamen Doctores, & præ-
2 sertim Theologi, quos longa serie recenset P. Diana *de Irregular. par.* 4. *resol.* 46. *vers. Sed non desunt*, quos videtur sequi Emin. Card. de Lugo *de virt. fidei Diuinæ disp.* 23. *sect.* 4. *nu.* 120. qui negant Irregularitatem esse Hæresi annexam. Nec Textus adducti pro fundanda supradicta probabiliori opinione, vti eam sic vocat P. Diana *loco cit.* videntur obstare. Nàm Textus *in cap. Nos consuetudinem distin.* 12. & *in cap. Conuenientibus* 1. *quæst.* 7. & *in cap. Saluberrimum eadem causa, & quæstione*, potiùs fauent opinioni negatiuæ, quia in illis habetur, quod tàm Clerici, quàm Episcopi reuertentes ab Hæresi in suo gradu recipiebantur, non tamen vt ad altiorem ascenderent.

Textus verò *in cap. Quicumque*, §. *Hæretici, de Hæret. in* 6. vel loquitur de Hæreticis
3 non emendatis, & de filiis eorum, qui in Hæresi decesserunt, vt voluit Garzias *dicto cap.* 10. *num.* 83. vel loquitur de beneficiis, & officiis publicis, non autem de vsu Ordinum, & ex his putat Cardin. de Lugo posse defendi opinionem negatiuam.

Sed fallitur in hoc eruditissimus Vir, quia ex dictis Textibus non potest elici regula generalis, quod Hæreticus externus, licèt per accidens occultus non sit irregularis, ex quo benignè recipitur in ordine, quia ibi habetur, quod ex benignitate Ecclesiæ debet admitti ad misericordiam, & præuia dispensatione recipi in ordine, & ità hos Textus intelligunt Maiol. Pegna, Vgolin. Silnest. & Suarez relati à Garzia *dicto cap.* 10. *nu.* 81. Farinacc. *dicta qu.* 192. *num.* 67. & 70. & *qu.* 193. *nu.* 68. meliùs omnium Sanchez *ad præcept. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 3. P. del Bene *loc. infra citan. num.* 16. Suarez *de Censur. disput.* 43. *sect.* 1. *num.* 2.

Et ex his videtur manere firma opinio, quod Hæreticus externus, quamuis om-
4 ninò occultus, sit irregularis, quam opinionem ex vsu Ecclesiæ, nempè *ex Epist.* 3. Felicis Papæ, *Epist.* 18. Innocentii Primi, *ac Epist.* 3. Leonis Papæ, & ex Cypriano *Epist.* 68. atque ex Epist. Cornelij Papæ, quam refert Eusebius *lib.* 6. *cap.* 35. necnon ex Augustino *Epist.* 50. & *lib. de vnit. Baptis. cap.* 12. tuetur Suarez *de fide, disp.* 21. *sect.* 5. *num.* 2. & apertè probatur ex Bulla Clementis Septimi, quæ incipit *Cum sicut, in fine Director.* in qua Pontifex concedit facultatem dispensandi cum Hæreticis occultis in Irregularitatibus, non obstantibus responsionibus ad dictam Bullam allatis à Cardin. de Lugo: plures allegat P. del Bene *dub.* 71. *petit.* 1. *num.* 3.

Et hanc opinionem semper obseruauit Suprema, & Vniuersalis Inquisitio, itaut
5 non sit ampliùs adhærendum probabili opinioni contrariæ, & propterea cauendum est à Giballino *tract. de Irregularitate cap.* 5. *qu.* 3. *dub.* 1. qui totis viribus conatur asserere, nullam incurrere irregularitatem Hæreticum, nisi Hæresis sit publica, & notoria.

6 Nec irregularitas ista per pœnitentiam deletur, *cap. Presbyter, de Pœnitentia, distin.* 5. Diuus Antonin. Siluest. Nauarr. Decian. Tolet. Maiol. & alij à Farinacc. *d. qu.* 192. *num.* 67. P. del Bene *loco cit. num.* 13.

Multò magis incurritur ab Apostatis à fide, Angelus *in Summa, ver. Irregularitas num.* 27. cum aliis per Farinacc. *dicta q.* 192. *num.* 72. siue verè, siue fictè, sponte, vel per timorem à fide defecerint, *vt ex cap. Presbyteros distin.* 50. voluere Maiol. Suarez, & Sanchez à Farinacc. *loco cit. num.* 73. reprobatis Azor. & Nauarr. contra sentientibus; addo Filiucc. & Fagundez ab Alberghin. *dicto cap.* 6. *num.* 23. P. del Bene *loco cit. num.* 10.

An autem extendatur hæc pœna ad receptatores, defensores, & fautores Hæreticorum, & quis possit in huiusmodi pœna dispensare, dicemus, quando tractabimus de præsumptis in fide Inconstantibus.

Sed an fictè negans fidem ab ea apostatando siue timore, siue sponte incurrat irregularitatem, Sanctarell. Maiol. Sanch.

Suarez, Farinacc. à Fermosino *d. alleg.* 50. *num.* 10. allati tenent irregularitatem incurrere.

Sed veritas est in contrarium, quia certum est, quod ille, qui fictè negat tantùm exteriùs fidem sine assensu interno, sicuti liberatur ab excommunicatione, eo quod verè non sit Hæreticus, ità liberatur ab irregularitate, sic Sanchez *in summa lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 5. *&* 6. & cæteri relati à Fermosino *d. alleg.* 50. *num.* 11.

Quam opinionem ille admittit, si crimen occultum sit, nam si crimen esset notorium, incurreret irregularitatem ex infamia, non autem irregularitatem peculiarem, vt ex Diana, & alijs *ibidem num.* 12.

Et ex hac distinctione infert, fictè negantem externis signis fidem, incurrere irregularitatem peculiarem latam contra eos, qui fictè negant fidem, quia iam occultus dici nequit.

Probat assertionem *ex cap. Presbyteros, distin.* 50. in quo Textu desumpto à Concilio Ancirano, *cap.* 1. *&* 2. licèt locutio sit solùm de offerente Sacrificium Idolis, tamen extendi debet ad fictè negantes fidem quocumque signo externo, ex Fagundez, Sanchez, Suarez, Maiol. Leand. Farinacc. Sanctarell. quamuis Nauarr. & Castro-palao contrarium sentiant.

Terria pœna est Infamiæ, quæ videri potest magis temporalis, quàm spiritualis, habet tamen spirituales effectus, & est
7 valdè interna, & coniuncta cum Irregularitate. Ideò ab omnibus Doctoribus inter pœnas spirituales connumeratur, Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 5. *num.* 3. Card. de Lugo *de virtute fidei Diuinæ disput.* 33. *sect.* 4. §. 1. *num.* 133. Sanctarell. *de Hæref. cap.* 25. *dub.* 2. *nu.* 10. Murga *de sepult. to.* 2. *disp.* 1. *de hæret. dub.* 12. §. 2. *num.* 11.

Hæretici ergò siue mares, siue fœminæ
8 tàm de iure Ciuili, quàm Canonico incurrunt infamiam, vt apertè dicit Textus *in Auth. Gazaros, C. de Hæret. l. Cunctos Populos, C. de Summ. Trinit.* Federicus Imperator in Constitutione *Catharos, registrata* à Pegna *inter litteras Apostol.* P. del Bene *par.* 1. *dubit.* 71. *num.* 5.

De iure autem Canonico colligitur ex Text. *in cap.* 2. §. *Hæreticus, & cap. Statutum il secondo de Hæret. in* 6. *cap. Infames* 6. *qu.* 1. *cap. Alieni* 2. *qu.* 7. *cap. Excommunicamus il primo,* §. *Credentes, de Hæret.* Leo Decimus in sua Constitutione *Exurge Domine*; & ità probant ex nostris Pegna, Calderin. Locat. Simanch. Zanchin. Grilland. Carrer. Roias, Riminald. Petrus Gregor. Canter. Zecchius à Farinacc. *qu.* 189. §. 4. *num.* 40. Decian. *lib.* 5. *cap.* 43. *num.* 1. Caren. *par.* 2. *tit.* 1. §. 27. *num.* 144. Ex Theologis verò Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 5. *n.* 3. Sanctarell. *de Hæres. cap.* 25. *dub.* 2. *nu.* 10. Card. de Lugo *d. disp.* 23. *sect.* 4. §. 1. *num.* 135. Baldell. *de fide, & Infidel. lib.* 1. *disp.* 54. *num.* 8.

Quæ quidem infamia durat etiamsi Hæreticus se conuertat, & admittatur
9 ad gremium Ecclesiæ, & reconcilietur, vt dicit Cantera *qu. crimin. de Hæret. cap.* 1. *num.* 10. *vers. Secundo*; & adducit rationem, quia cum Hæreticus condemnatur, ex illa condemnatione remanet infamis infamia iuris, & facti, & si admittatur, & reconcilietur Ecclesiæ, est, quia Ecclesia vtitur cum eo misericordia, & liberat eum à traditione Curiæ seculari; tamen aliæ pœnæ non tolluntur, & dicit ità practicari, nihil tamen allegat.

Sed probari potest assumptum *ex cap. Infames*, §. *Porrò* 1. *qu.* 7. & per Specul. *in tit. de Testam.* §. 1. *num.* 85. *& in tit. de sent.* §. 2. *num.* 10. quos in puncto allegat Rota *decis.* 51. *num.* 3. *post* 1. *volum. cons.* Farinacc. Hoc est, quod infamia comitatur condemnatum de crimine publico, quale est Hæresis, etiam post peractam pœnitentiam.

10 Et hæc infamia quamuis de iure Ciuili antiquo esset tantummodò facti, & non iuris, nihilominùs post *Auth. Gazaros*, est etiam iuris, Alciat. *l.* 1. *num.* 12. *C. de Summ. Trinit.* Decian. *d. cap.* 43. *nu.* 1. Farinacc. *de hæresi, d. qu.* 189. *num.* 54. Ricciull. *d. cap.* 20. *nu.* 4. Canter. *loco cit. num.* 9.

An autem ipso iure incurratur, Bartol. *in l. cunctos Populos num.* 11. *&* 12. *in* 9. *oppositione*, & ibi Castren. *num.* 18. *C. de Summ. Trinit.* Pegna *par.* 1. *comm.* 4. & alij relati à
11 Farinacc. *loco cit. num.* 55. tenent, eo ipso, quod quis in Hæresim incurrit, absque alia sententia, infamem reputari; quod voluit etiam Peregrin. *de Iure Fisci lib.* 5. *tit.* 1. *nu.* 172. & alij, quos citat Sanctarell. *d. cap.* 25. *dub.* 2.

Sed contrariam opinionem, quod requiratur sententia declaratoria, tuentur Bursatt. latè *consil.* 14. *num.* 18. *& sequ. & num.* 23. *& seq. lib.* 1. Azor. *Institut. moral. to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 1.

Dicendum est in hac contrarietate, quod ipso iure incurritur ab Hæretico infamia iuris, sed, vt infamis debeat ab
12 alijs tractari, requiritur saltem sententia declaratoria, si non condemnatoria, vt benè Azor. *dicto cap.* 13. *qu.* 8. *vers. Septima Hæreticorum pœna*, Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *num.* 205. Sanchez *dicto cap.* 26. *num.* 1. Baldell. *dicta disp.* 54. *num.* 4. *ad fin.* P. del Bene *loco cit. num.* 12.

Si autem crimen esset notorium incurreret quidem Hæreticus infamiam facti, sed non iuris, nisi post criminis declarationem, Azor. & Sanchez *loc. cit.* Sanctarell. *d. cap.* 25. *dub.* 2. *num.* 10. *in fine.*

Hinc primò infertur, Hæreticos repelli ab omnibus honoribus, & dignitatibus, *l. Quæ Sammaritis, C. de Hæret.* Innocentius Tertius in sua Constitutione incipien. *His quæ*, vbi approbat Statuta Gregorij S. Mariæ in Porticu Card. Legati, Scortia *in Select. Epit. 4. Theorem. 9.* Fermosin. *in cap. Illa quotidiana qu. 1. num. 1. de elect.*

Nam infamibus portæ ad omnes dignitates sunt clausæ, *cap. Infamibus, de reg. iur. in 6. l. 2. C. de dignit. lib. 12.* P. del Bene *dicto tract. dubit. 71. in Corollar. num. 1. par. 1. loco*

13 *citato*. Et propterea sic statuerunt in Hæreticis Summi Pontifices *in cap. vt commissi, §. Priuandi, de Hæret. in 6.* Alexander Quartus in Constitutione *Quod super*, Honorius Quartus in Constitutione *Exhibita*, Martinus Quintus in Constitutione *Inter cunctas*, Innocentius Tertius in Constitutione *His quæ ad ampliandam*, quæ habentur in litteris Apostolicis recollectis per Pegnam, & ità dicunt plurimi Doctores, tùm à Farinacc. *d. q. 189. num. 43.* tùm à Ricciull. *d. cap. 20. num. 5.* allati.

Expedit autem, vt Hæretici reddantur inhabiles ad honores, & dignitates, tùm in vindictam tanti criminis, tùm denique ne fideles aliquid damni patiantur, Sanctarell. *loc. cit. num. 11.* P. del Bene *d. num. 1. in fine*.

14 Et propterea officia publica obire non possunt, vt cautum est in supradictis Constitutionibus Apostolicis, *cap. Quicumque, §. Hæretici, de Hæret. in 6. & in cap. vt commissi, dicta l. quæ de Sammaritis*, & probant Hostien. Io: Andr. & Zabarell. *in cap. Si aduersus, de Hæret.* Soccin. Roias, Simanch. & alij citati à Farinacc. *dicta qu. 189. nu. 44.* Ricciull. *dicto cap. 20. num. 6.* Sanctarell. *dicta dub. 2. num. 11.*

15 Hinc non possunt creari Defensores Ciuitatum, *l. iubemus, C. de Episcop. audientia*, nec vocari ad Concilia, *Auth. Credentes, C. de Hæret. cap. Excommunicamus il primo, §. Credentes, de Hæret. l. Manichæi la prima, C. de Hæret.*

16 Nec possunt esse Milites, *l. Quicumque, §. Nullum, C. de Hæret. d. l. Manichæi, & dicta l. Quæ de Sammaritis.*

17 Nec ad gradum Doctoratus promoueri *argum. cap. Quanto, de Magistris, l. Prouidendum, C. de postulan.* Ricciull *dicto cap. 20. num. 13.*

18 Nec creari Iudices, *Auth. Credentes, §. Quod si fortè, C. de Hæret.* vbi statuitur, quod si fortè Iudex fuerit, eius sententia nullam obtineat firmitatem. Idem probat Text. *in cap. 1. §. Credentes, de Hæret.* & ibi Canonistę Murga *de sepult. d. disp. 11. dub. 12. §. 8.*

19 Et processus coram Iudice Hæretico factus ipso iure est inualidus, *Clement. 1. §. fin. de vsur.* & ibi Cardin. Specul. *tit. de Aduocato, §. 1.* Murga, qui alios *loco citato num. 34.*

20 Nec possunt esse Arbitri, vel Arbitratores, Roias *singul. 20.*

21 Nec officio Aduocati fungi, *d. Auth. Credentes, §. Si verò, d. l. Quæ de Sammaritis, C. de Hæret. cap. Excommunicamus il primo, de Hæret.* & habetur in Constitutionibus Innocentij Quarti, Clementis Quarti, Nicolai Tertij, & Pauli Quarti, Murga *loco cit. num. 36.*

22 Nec possunt esse Notarij, & Instrumenta ab eis facta sunt inualida, *Auth. Credentes, §. si Tabellio, C. de Hæret. & cap. Excommunicamus il primo, §. Credentes extr. eod.*

23 Valent tamen Instrumenta confecta antequam Notarius labatur in hæresim, Scacc. *de Iudic. lib. 1. cap. 98. num. 19.*

24 Neque possunt eligi in Decuriones, neque ad regimen Reipublicæ, Roias *singul. 119.* Caren. *par. 2. tit. 1. num. 145.* vbi dicit ità declaratum fuisse à Consultoribus S. Inquisitionis Cremonæ.

25 Nec agere in iudicio, licèt conueniri possint, *l. Credentes, §. Nullus, C. de Hæret. dicto cap. Excommunicamus, §. Credentes, extr. eodem*.

26 Nec ferre testimonium, *d. Auth. Credentes, dicto cap. Excommunicamus, cap. Pagani 2. quæst. 7. l. Quoniam multi, C. de Hæret.* circa quod videndus est Farinacc. *de Testibus, qu. 55. nu. 221.* Ricciull. *dicto cap. 20. nu. 20. & 21.*

27 Præterea priuantur omnibus priuilegiis, quibus fruebantur quando erant Catholici, *l. 1. C. de Hæreticis.*

Non solùm causa Religionis, sed etiam causa Reipublicæ iniunctis, *dicta l. 1. l. Curiales, l. Hæretici la terza, §. 1. C. de Hæret.*

Et propterea licèt aliàs Nobiles non condemnentur ad Triremes, nec ad aliam pœnam infamatoriam, *l. Frustra*, & ibi Gloss. *1. C. de re milit. lib. 12. l. Aut damnum, §. in ministerium, ff. de pœnis*; latè Farinacc. *de pœnis temperand. qu. 98. num. 98.* In causis

28 tamen fidei tàm nobilis, quàm ignobilis damnantur ad Triremes, Riccius *dec. 277. par. 2. per totam.*

Censentur etiam priuati, & exclusi ab omni legitimo actu, Gloss. *in cap. Excommunicamus il primo, §. Credentes, de Hæret.* & probatur ex Constitutione Leonis *Exurge*.

Hæc omnia diffusa habentur per Decian. *d. lib. 3. cap. 43.* Farinacc. *d. qu. 189. à num. 40. vsque 57.* Ricciull. *d. cap. 20.* Sanctarell. *dicto cap. 25. dub. 2. per tot.* & per Murgam *d. disp. 1. dub. 12. à §. 4. vsque ad 14.* P. del Bene *dicta dubit. 71. in Corollar. per totum.*

Et propterea, cum in quadam Vniuersitate Catholica quidam doctus Hæreticus fuisset assumptus ad munus ibidem legen-

di litteras humaniores; Sacra Congregatio rescripsit Nuncio Apostolico apud Principem illius Vniuersitatis residenti, quod curaret, vt omninò remoueretur ab eo munere.

29 In electionibus etiam Ecclesiasticis, priuantur voce actiua, & passiua, vt latè Fermosinus *loco cit. num.* 1. qui assertionem probat *ex cap. vt commissi*, §. *Priuandi*, *de Haeret. in* 6. *& cap. Si Papa, dist.* 4. *& cap. Qui contra Ecclesiae pacem* 24. *q.* 1. *cap. Nulla officia distin.* 54.

Sed meliùs probatur ex Text. *in cap. quicumque*, §. *Haeretici, de Haeret. in* 6. quem expendit nouissimè Passerinus *de elect. cap.* 25 *num.* 64. Garzias *de benef. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 72.

30 Quae priuatio, & inhabilitas remanet etiam in Haeretico poenitente, Farinacc. *qu.* 189. *num.* 83. *& qu.* 193. *nu.* 68. Passerinus *loco cit. nu.* 65. siue Haereticus sit publicus, siue occultus; vt contra Castro-palaum tenet idem Passerinus *loco citato num.* 65. *in fin.*

An autem pendente denunciatione, vel accusatione habeat quis vocem in Capitulo actiuam, & passiuam.

Tondut. *qq. benef. par.* 1. *cap.* 44. *num.* 4. *vers. vnde*, tenet in Sancto Officio accusa-

31 tum, pendente tali accusatione, non esse à voce actiua, & passiua repellendum in electionibus sui ordinis; quem sequitur Fermosin. *in cap. Illa quotidiana qu.* 1. *nu.* 8. *de elect.*

Et propterea non est probanda opinio Riccij *decis.* 327. *par.* 3. dicentis, fuisse ex suo voto iudicatum per quendam Superiorem Regularem, Religioso (Inquisitione pendente) non competere vocem actiuam, nisi in casu, quo per accusationem, seu denunciationem fama Inquisiti esset apud graues Viros notata, vt eam declarant Tondutus, & Fermosinus *locis citatis*.

Posse tamen suspectum de Haeresi, pendente accusatione, ante sententiam suspendi ab officio, & dignitate, dixit Ricciullus *de Iure Personarum lib.* 5. *cap.* 19. *n.* 25. Rota *decis.* 51. *num.* 6. *post* 1. *vol. cons.* Farin. Tondut. *loco cit. num.* 11. Eo quia eius fama notata est apud graues Viros, Tondut. ex Ricciull. & Rota *vbi supra*.

In specie autem in Suprema, & Vniuersali Inquisitione fuit resolutum *sub die* 2. *Aprilis* 1578. *in vna Rhegina*, ne qui abiurarunt de formali admittantur ad publica officia, & honores.

Et die 5. *Maij eiusdem anni* scriptum fuit Episcopo Cremonen. vt Haereticos abiuratos amouere faciat ab eorum officiis, nisi ostenderent se fuisse specialiter dispensatos.

Caeterùm quia in illis partibus, vbi impunè grassantur Hereses huiusmodi poena

32 infamiae videtur recessisse ab Aula, ob foedus, quod vocant Religionis, non quidem Summis Pontificibus permittentibus, aut consentientibus, vt perperam, dicit Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 15. *num.* 6. quia semper ea foedera improbarunt, sed peccatis nostris exigentibus, ideò ad omnes actus supra citatos admittuntur, tùm etiam fortasse ex priuilegio Extrauagant. *Ad cuitanda.*

Sed cauendum tamen est à Rimin. iun. quem sequitur P. del Bene *d. dubit.* 71. *in Corollar. sub n* 6. *vers. quodsi*, qui *cons.* 185.

33 *lib* 2. voluit, quod per absolutionem factam ab Haeresi restituatur quis ad officium Notariatus, quia hoc debet intelligi, si Pontificis dispensatio intercedat, vt videbimus infra.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM.

An Haereticus priuetur potestate spirituali tàm Ordinis, quàm Iurisdictionis, Fagnani opinio *in cap. Quod à praedecessore, de Schismat.* reprobatur. An priuetur Beneficijs: an ipso iure, vel requiratur sententia. Qui sint effectus vacationis Beneficiorum Haeretici ipso iure.

SVMMARIVM.

1 *Haereticus an, & quando validè conferat Ordines, & conficiat Sacramenta, & num. sequen.*

3 *Haeretici an, & quomodo priuentur iurisdictione.*

4 *Parochi Schismatici an possint assistere matrimonio Catholicorum.*

Episcopi Schismatici an habeant ius instituendi Parochos.

5 *Schismatici Orientales tolerantur ab Ecclesia, & non carent ordine, nec iurisdictione.*

Schismatici Orientales habent administrationem Sacramentorum.

Extrauagant. Ad euitanda *extenditur ad Graecos.*

Et an sit correcta per Concilium Lateranense.

6 *Schismatici Orientales non comprehenduntur sub Constitutione noua non faciente eorum expressam mentionem.*

7 *Schismatici Orientales an sint tolerati ab Ecclesia postquam crearunt Patriarchos Latinos.*

Schismatici Orientales inuitati ad Concilium Tridentinum.

Schismaticis Orientalibus Gregorius Decimustertius misit Nuncios cum litteris de suscipiendo Kalendario, & de ratione.

Extrauag. Ad euitanda, *facta ad fauorem Catholicorum.*

Parochus Graecus an, & quando absoluere possit à peccatis.

8 *Haereticus priuatur Beneficijs Ecclesiasticis.*

9 *Sententia an requiratur vt Haereticus priuetur Beneficijs.*

10 *Clerici inferiores ob haeresim ipso Iure priuantur Beneficijs.*

11 *Quid si sponte compareant.*

12 *Dispensatio pro retinendis Beneficijs Clerico sponte comparenti suadenda.*

13 *Sententia declaratoria delicti an requiratur vt Haereticus amoueri possit à possessione Beneficij.*

14 *Beneficium Haeretici an possit impetrari ante sententiam declaratoriam.*

15 *Resignatio Beneficij per Haereticum facta ad fauorem tertij, an, & quando sit nulla.*

16 *Haereticus à qua die teneatur restituere fructus Beneficij.*

Titulus Beneficij per haeresim remanet resolutus.

17 *Sententia declaratoria an requiratur vt Haereticus teneatur ad restitutionem fructuum Beneficij.*

18 *Sententia declaratoria quomodo probari possit.*

Sanctum Officium an, quando, & quomodo pandat acta, seu sententiam declaratoriam.

19 *Haereticus an possit defendi per regulam de annali, seu triennali.*

20 *Beneficia vacantia per priuationem Haeretici an remaneant reseruata Sedi Apostolicae, & an dicantur vacare in Curia.*

Abiuratus de vehementi an priuetur Beneficijs.

21 *Haereticus priuatur pensionibus.*

Pensiones an veniant sub appellatione Beneficij.

QVARTA poena spiritualis est priuatio spiritualis Potestatis, quae consistit, tùm in Ordine, tùm in iurisdictione.

Sed haec poena respectu Ordinis non habet locum quoad sui essentiam, & sub-
1 sistentiam, sed respectu vsus, & administrationis, itaut Haereticus validè conferat Ordines, sed non ritè, vt supra dictum est, Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 5. Baldell. *de fide disp.* 42. *num.* 9. ità etiam validè conficit Sacramenta, & Sacramentalia, Gloss. *in cap. Ecclesijs de consecrat. distinc.* 4. Suarez *loco citato num.* 11.

2 Dummodo obseruet Ritus Ecclesiae, vt *in d. cap. Ecclesijs, & duobus sequentibus,* aliàs nihil faceret Suarez *d. num.* 11.

Quoverò ad Potestatem iurisdictionis quicquid sit de iure antiquo, certè post Extrauagant. *Ad euitanda* non priuantur
3 Haeretici iurisdictione saltem respectu Catholicorum, quorum fauore dicta Extrauagans emanauit; sic Suarez *loco citato num.* 15.

Et propterea non videtur vera opinio Fagnani *in cap. Quod à Praedecessore, de Schismaticis,* de qua supra, Popones, siue Paro-
4 chos Dioecesis Leopolien. Schismaticos non posse assistere matrimonijs Catholicorum, eò quod Episcopi Schismatici, licèt sint verè Episcopi, non habeant tamen Ius instituendi Parochos.

Primò, quia Extrauagans, *Ad euitanda* est reuocata per Concilium Lateranense sub Leone Decimo, quod tamen supra resellimus.

Secundò, quia ex Bulla Pauli Quarti, *Cum ex Apostolatus* edita die 15. *Martij* 1559. statuit, quod Haeretici, & Schismatici vltra sententias, & poenas à varijs Pontificibus inflictas, sint ipso iure priuati omnibus Ecclesijs etiam Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus, ac quibuscumque Dignitatibus, & Beneficijs Ecclesiasticis.

Quae Constitutio, vt ipse ait, non requirit, quod Haeretici, vel Schismatici sint publicè, & nominatim denunciati, vt ex verbis Bullae, ibi, *apparuerint*, & ex clausula, *absque alia declaratione*.

Tertiò, quia Extrauagans *Ad euitanda,* nullum Ius tribuit Excommunicatis toleratis, cum facta sit in fauorem Catholicorum.

Cum ergo hi Popones non sint verè Parochi, quia nec habent titulum à legitimo Superiore, nec illum recipere possunt ratione Schismatis, necessè dicendum est, nulliter matrimonijs Catholicorum interesse, cum in Vratislauia publicatum sit Decretum Concilij Tridentini.

Sed his non obstantibus contrarium resolutum fuit saepius in Suprema, & Vni-
5 uersali Inquisitione, ea ratione, quia Schismatici Orientales sunt ab Ecclesia tolerati, & successiuè cum non sint nominatim denunciati, neque carent Ordine, neque iurisdi-

iurisdictione, vt benè Azor. *Instit. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 12.

Et propterea omnia, quæ gerunt, ratione publici officij omnino valent, vt in puncto administrationis Sacramentorum tenet doctissimus Arcudius *in tractatu de concordia Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis lib.* 4. *cap.* 5. *vers. vt autem*, vel saltem si respectu eorum esset aliqua difficultas, respectu Catholicorum nulla esse potest, quia vtuntur iure suo, idest priuilegio concesso à Martino Quinto in dicta Extrauaganti, *Ad euitanda*, vt benè Arcudius *loco citato*, & dictam Constitutionem extendi ad Græcos, tuetur Verricell. *de Sac. Mission. tit.* 3. *quæst.* 85. *per totam*.

Neque obstat, quod Extrauagans *Ad euitanda* sit reuocata per Concilium Lateranense, quia vt supra diximus in hoc lapsus est vir doctissimus, quia Concilium Lateranense in ea parte consuluit Regno Galliæ, non autem toti Ecclesiæ, vt ex Suarez, & Guttierez probauimus.

Non obstat Constitutio Pauli Quarti, quia non loquitur de Prælatis Orientalibus, sed de Occidentalibus, & licèt innouet Canones antiquos contra Schismaticos latos, nihilominus cum per tolerantiam Sedis Apostolicæ sint quodammodò
6 abrogati, vel non sint in vsu, non est facienda vis in dicta Constitutione, quæ vtpotè noua non extenditur ad Orientales, cum de illis in specie mentio facta non sit, vt benè Azor. *to.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *qu.* 1. *vers. altera*, quem sequitur Verricell. *dicto tract. tit.* 3. *quæst.* 84.

Pontifices autem tolerasse Patriarchas Orientales schismaticos, non obstante quod creauerint Patriarchas Latinos, optimè demonstrat Arcudius *loco citato*, vbi dicit, quod Eugenius Quartus ante vnionem, Ioseplum Patriarcham Constanti-
7 nopolitanum tanquam verum excepit, & licèt post vnionem Patriarchæ Constantinopolitani relapsi sint in schisma, contra illos Romani Pontifices nihil ediderunt, quia imò eos ad Concilium Tridentinum inuitarunt: Et Gregorius Decimustertius, vt vnionem procuraret, ad eos, veluti ad veros Patriarchas, Nuncios misit cum litteris de suscipiendo Kalendario.

Nec etiam obstat, quod Extrauagans sit facta in fauorem Catholicorum, quia retorquetur; Nam si respicit fauorem Catholicorum, dùm ipsi coram Parocho schismatico contrahunt matrimonium, vtuntur iure suo, vt supra dictum est.

Et notandum est, quod dicit Arcudius *loco citato* circa Sacramentum Pœnitentiæ: [Quod vel Parochus Græcus, & Pœnitens vterque est coniunctus cum Romana Ecclesia, & tunc sine dubio rectè fit absolutio, vel neuter est coniunctus non solùm materialiter, sed etiam formaliter, quia nimirum culpabiliter, & sciens dissentit ab Ecclesia, & tunc nullum est Sacramentum, quia est obstinatus in statu peccati mortalis, & ideo incapax Sacramenti Pœnitentiæ, vel Parochus Græcus est seiunctus ab Ecclesia, & errat in fide, sed Pœnitens benè sentit, & in hoc casu sunt, qui putant ex Concilio Constantiensi Parochos Græcos verè posse absoluere sibi subditos (licèt mortaliter peccent administrando Sacramentum) eo ipso quod non sunt tales declarati, & denunciati excommunicati; Nec adempta fuit illis vnquam talis Potestas, sed tolerantur ab Ecclesia, Pœnitens autem non peccat, dùm vtitur iure suo, & Confessarium adit ab Ecclesia toleratum. *Et in vers.* Vel tandem, *ibi*: Vel tandem Parochus est Orthodoxus, Pœnitens Schismaticus, & tunc de Pœnitente rursus subdiuisio adhibenda est, vel enim est talis, quod aiunt, materialiter tantùm, hoc est, qui inuincibiliter erret, & tunc, sicut non peccat errando, ità est capax absolutionis, quam potest obtinere tam à Parocho Orthodoxo, quàm à Schismatico ab Ecclesia tolerato. *Et infra*: Vel est formaliter Schismaticus, & tunc ex defectu tam ipsius Confessarij, quamuis rectè sentientis, quàm Pœnitentis, nulla fit absolutio; Confessarij quidem, quod non habeat potestatem (nisi in articulo mortis) absoluendi peccata reseruata in Bulla Cœnæ Domini, qualia sunt peccata schismatis, & hæresis; Pœnitentis verò, quia est impossibile etiam in articulo mortis absolui illos, qui ab hæresi, & schismate non recedunt, sed in eam execrandis erroribus firmato, ac pertinaci animo perseuerant] Hæc Arcudius.

8 Quinta pœna spiritualis est priuatio Beneficiorum Ecclesiasticorum *cap. Vt commissi*, §. *Priuandi de Hæret. in* 6. *cap. Ad abolendam*, §. *Præterea extr. eodem*, & ibi omnes Canonistæ.

Summi autem Pontifices in pluribus Constitutionibus hoc statuerunt, nempe Nicolaus Tertius, *Nouerit Vniuersitas*, Honorius Quartus, *Exhibita*, Alexander Quartus, *Quod super*, Martinus Quintus *Inter cunctas*, quas refert Pegna *post Directorium Inquisit.* & ex nostris tenuerunt Carrer. Simanch. Roias, Decianus, Clar. Pegna relat. per Farinacc. *quæst.* 189. *num.* 79. Garzias *de Benefic. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 59. Ricciull. *de iure personarum lib.* 5. *cap.* 19. *n.* 8. latissimè Lotther. *de re benefic. lib.* 3. *q.* 28.

Ex Theologis autem Suarez, Sanchez, Hurtado, Baldell. Castro-palao, Cardin. de Lugo, & alij quotquot scripserunt in materia fidei.

Cæterùm, an priuatio ista ipso iure inducatur, an verò requiratur sententia,
9 quicquid varient Doctores, vt per Garziam, Ricciullum, & Lottherium *locis cit.* Sanchez *dicto cap. 26. à num. 5.* Barbosa *allegat. 57. num. 37. & in d. cap. Abolendam.*

Hodie per Constitutionem Pauli Quarti, de qua in Bullario nouo *Constit.* 19. cessat difficultas, quia in ea expressè cauetur, quod Ecclesiastici, qui incidunt in hæresim, & in ea deprehensi, confessi, vel conuicti fuerint, vltra alias pœnas, & censuras, sint eo ipso absque aliquo Iuris, vel facti ministerio suis Ordinibus, Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Patriarchalibus, etiam Primatialibus Ecclesiis Cardinalatus honore, cum suæ Legationis munere, necnon voce actiua, & passiua, omnique auctoritate, ac Ministeriis, Beneficiis, Officiis Ecclesiasticis penitùs, & in totum priuati: Quam Constitutionem refert per extensum Lotther. *d.lib.3.qu.28. num. 34.* Bollett. *disquisit. Clerical. par. 2. §. 46. à num. 1.*

Et quamuis ista Constitutio loquatur de Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Primatis, Cardinalibus etiam Legatis, non autem de Clericis inferioribus.

Nihilominus quoad istos in specie idem Paulus Quartus in Congregatione Sancti Officii *sub die 28. Septembris* 1558. decreuit
10 ipso Iure beneficia Hæreticorum etiam inferioris Ordinis vacare; Quod Decretum refertur à Iudicial. Inquisit. *pag.* 475. cuius etiam meminit Farinacc. *d. qu.* 189. *num.* 77. qui ad idem adducit Constitutionem Nicolai Tertii, *Nouerit Vniuersitas*, quam latè ponderat Lottherius *loco citato num.* 36.

Verum etsi de Iure communi in hac quæstione respondendum esset, certè non esset discedendum ab hac opinione tanquam veriori, & communiori, quam sequitur Sacra Congregatio, & Rota Romana, *vt in decis.* bonæ mem. Merlini 178. *& decis.* 252. *num.* 4. latè P. del Bene *par.1. dub.* 102. *num.* 10. vbi plures allegat, itaut non sint attendendæ distinctiones relatæ per D. Card. de Lugo *d. disp.* 23. *à nu.*145. Qui vir eruditissimus etiam fallitur, dùm asserit sponte comparentes posse retinere sua Beneficia, quia non tam illi per sententiam damnantur vt hæretici, quàm absoluuntur, & hanc credidit esse praxim: Scripsit enim suum tractatum antequam ad Purpuram esset euectus, & cooptatus inter Supremos Reipublicæ Christianæ
11 Inquisitores, licet prælo dederit post promorionem ad Cardinalatum: Nam sponte comparentes verè per sententiam damnantur tanquam hæretici ad omnes hæreticorum pœnas, vt patet ex formula sententiæ, quæ fertur contra sponte comparentes, de qua per Massin. *in suo Arsenali folio* 281. demum ex benignitate illis condonantur, & solis pœnitentiis salutaribus expediuntur, & propterea per eandem benignitatem resoluitur vacatio Beneficii, vt dicit Merlin. *d. decis.* 252. *nu.* 52. Quasi Papa tunc consentiente, ad quem spectat hæreticum spoliare beneficiis, vt contra Rebuffum, & Eymer. tenet Sanchez *d. cap.26. nu.* 13. P. del Bene *dub.*104. *num.* 7.

EGO autem consulerem huiusmodi sponte comparentes, vt dispensationem
12 à Sede Apostolica obtinerent pro retentione Beneficiorum, & tituli conualidatione ad tollendos scrupulos, & ità vidi quandoque meo tempore obseruari.

Et ideo reiiciendæ sunt limitationes adductæ tam à Farinacc. *d. quæst.* 189. *nu.* 82. quàm à Ricciullo *d. cap.* 19. *num.* 20.

Verumtamen est, quod etsi Hæretici ipso iure remaneant Beneficiis priuati,
13 requiritur tamen sententia declaratoria delicti, vt priuatio suum consequatur effectum, hoc est, vt hæreticus possit à sua possessione amoueri, *cap. Cum secundum leges in fin. de heret. in* 6. & ibi Canonistæ, & cæteri relati à Ricciullo *d.cap.*19.*nu* 12. & hanc opinionem sequitur Rota, *vt in decis.* 707. *num.4. par. 3. Diuersor. & in dicta decis.* 252. *num.* 4. Merlini, P. del Bene *loc. cit. num* 8. *vers. Cæterum.*

Effectus autem huius vacationis ipso ipso iure multiplices sunt.

14 Nam primò, Beneficium hæretici impetrari potest ante sententiam declaratoriam, Sanchez *d.cap.* 26. *num.*12. Farinacc. *d. qu.* 189. *nu.* 79. Ricciull. *d.cap.* 19.*nu.*12. Rota *d. decis.*707. Merlin. *d.decis.*252.*nu.*5. Lotther. *d. cap.* 28. *num.* 37. P. del Bene *loc. cit. dub.* 103. *num.* 1.

Secundus effectus est, quod hæreticus post hæresim contractam non potest resi-
15 gnare Beneficium ad fauorem Tertii, etsi resignet, resignatio nullius est momenti, Paris. *de Resignat. d.qu. 3. num.* 7. Sanchez *d. cap.* 26. *num.* 12. Farinacc. *d. quæst.* 189. *num.* 79. Ricciull. *d. cap.* 19. *num.* 15. P. del Bene *loc. cit. num.* 5.

Tertius effectus est, quod ab ipsa die, qua Clericus beneficiatus incidit in hære-
16 sim non facit amplius fructus Beneficii suos, quia titulus remanet resolutus, Ricciull. *d. cap.* 19. *num.* 14.

Et propterea tenetur ad eorum restitutionem, etiam ante sententiam declaratoriam, Io: Andr. *in cap. Felicis in princip. de pœnis in* 6. Anan. *in cap. Fraternitatis de Hæret.* Soccinus, Abbas, & alii, quos refert, & sequitur Felinus *in cap. Rodulphus, num. 34. de rescript.* Ricciull. *loco citato num.* 14.

Sed contrarium, quod ad hunc effe-

ctum, ſcilicet quod hæreticus teneatur re-
17 ſtituere fructus Beneficij à die commiſſi criminis, requiratur ſententia declaratoria, voluit Sanchez reprobato Azor. *dicto cap. 26. num.* 10. quem ſequitur Farinacc. *d. qu.* 189. *num.* 79. P. del Bene *loco citato num.* 11. *verſ. Negant*.

18 Sententia autem declaratoria propter notorium ſtylum Sancti Officij non pandendi acta, poterit probari per Teſtes, vt voluit Merlinus *d. deciſ.* 178. *num.* 1. *&* 3. Lotther. *d. cap.* 28. *num.* 48.

Sed praxis Supremæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis eſt, vt dentur acta petentibus, quando ea tendunt in executionem pœnarum à Sancto Officio impoſitarum, etſi quandoque denegetur copia ſententiæ, ſit tamen de ea fides authentica à Notario dictæ Supremæ Inquiſitionis.

19 An autem Hæreticus defendatur à Regula de Annali, vel triennali, videndi ſunt relati à Ricciull. *d. cap.* 19. *nu.* 16. *&* 17. Lotther. *d. cap.* 28. *num.* 49.

20 Beneficia verò, quibus priuantur Hæretici, remanent reſeruata Sedi Apoſtolicæ per Conſtitutionem B. Pij Quincti, de qua in Bullario *Conſtit.* 29. Sanchez *dicto cap.* 26. *num.* 6. Farinacc. *d. qu.* 189. *nu.* 69. *verſ. qua in re*, P. del Bene *dub.* 104. *num.* 6. Ventrigl. *in praxi fori Eccleſiaſtici to.* 2. *annotat.* 2. *§.* 1. *ſub num.* 8. Fermoſin. *de confiſcat. bonorum allegat.* 48. *nu.* 16. vbi *nu.* 25. dicit, dictam Conſtitutionem B. Pij Quinti non habere locum in eo, qui abiurauit de vehementi.

Et propterea ceſſat hodie quæſtio, quæ tanquam noua, & exemplaris diſputata fuit in Rota *de anno* 1562. *vt in d. deciſ.* 707. *par.* 3. *Diuerſorum*.

An Beneficia Hæreticorum vacent in Curia ad effectum reſeruationis: Nam qualitercunque res ſe habeat, hodie ſemper reſeruata ſunt, vt per Garziam *de Benefic. par.* 5. *cap.* 1. *num.* 81. Lotther. *dicto cap.* 28. *num.* 58.

21 In hac tamen materia, appellatione beneficiorum veniunt penſiones, vt latè firmauit Rota *deciſ.* 123. *par.* 3. *recent.* Lotther. *dicto cap.* 28. *nu.* 82. *verſ. Nihilominus*.

Quamuis inhærendo iuri communi, res non careat difficultate, vt patet ex dictis à Cardinali de Lugo *de virtute fidei Diuinæ diſp.* 24. *num.* 31.

Sed de hac re inferiùs, ſicuti etiam dicemus: An huiuſmodi priuatio extendatur ad filios receptatores, defenſores, & fautores Hæreticorum.

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM.

An iuſtè puniantur Hæretici pœna mortis. Quando imponatur à Iudicibus Eccleſiaſticis. An à Iure, an á Conſuetudine. An Iudices Laici teneantur ſtatim exequi ſententiam Iudicis Eccleſiaſtici. An detur illis copia ſententiæ latæ contra Hæreticos. An in Clericis conſtitutis in minoribus ſola degradatio verbalis ſufficiat. An Clericus contumax ſi in fortijs Curiæ deuenerit, poſſit abſque alia degradatione puniri. Præſeruantur Inquiſitores, & Epiſcopi ab Irregularitate per traditionem Hæretici Brachio ſeculari. Quid in Hæretico pœnitente.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici an capitali pœna iuſtè puniantur ab Eccleſia.*
2 *Poteſtas Eccleſiæ puniendi hæreticos pœna capitali vnde proueniat.*
3 *Delictum nullum grauius hæreſi, & de ratione. Hæreſis igne, & ferro reſecanda.*
4 *Hæreſis capitali pœna per Principes ſeculares punitur.*
5 *Iudex Eccleſiaſticus quando, & quomodo imponat hæreticis pœnam capitalem.*
6 *Iudex laicus qua pœna punire debeat hæreticos relictos Brachio ſeculari.*
7 *Pœna ignis contra hæreticos an ſit introducta ex ſola conſuetudine.*
8 *Et quomodo ſit introducta, & ab Eccleſia recepta.*
9 *Iudex laicus an poſſit differre executionem ſententiæ latæ per Iudicem Eccleſiaſticum contra hæreticos.*
10 *Et quantum illam morari poſſit.*
11 *Iudex laicus recuſans morti tradere hæreticum Brachio ſeculari relictum, quomodo ad id compelli poſſit.*
12 *Iudex laicus denegans Brachium pro executione ſententiæ contra hæreticum eſt ipſo iure excommunicatus.*
Quid ſi in excommunicatione per annum perſtiterit.

13 *Iudex laicus quando dicatur fautor hereticorum.*

14 *Iudex laicus an possit sub aliquo prætextu differre executionem sententiæ latæ per Iudicem Ecclesiasticum.*

Quid si velit videre acta, & processus.

15 *Iudex secularis an teneatur exequi sententiam Inquisitoris contra hæreticum absque eo, quod videat acta, processus, vel copiam sententiæ, & num. 17. & de ratione nu. 19.*

16 *Quid in suspectis de hæresi.*

18 *Dux Sabaudiæ laudatur.*

19 *Forma tradendi hæreticum Brachio seculari.*

20 *Iudex secularis an, & quando sub prætextu iniustitiæ retardare possit executionem sententiæ Inquisitoris contra hæreticum.*

Iudex secularis an, quando, & quomodo augere possit pœnam hæreticis impositam ab Inquisitoribus.

21 *Pœna mortis habet locum contra hæreticos, siue laicos, siue clericos.*

22 *Clericus hæreticus Brachio seculari tradendus, an debeat degradari.*

23 *Degradatio qualis requiratur in Clerico hæretico tradendo Curiæ seculari.*

24 *Degradationis verbalis effectus, & an ea sufficiat pro Clerico in minoribus Ordinibus constituto, & tradendo Curiæ seculari.*

25 *Degradatio actualis an, & quando requiratur, vt Clericus puniri possit à Iudice laico.*

26 *Traditio Clerici Curiæ seculari est effectus degradationis verbalis.*

27 *Degradatio verbalis an hodie sit in vsu quoad Clericos in minoribus Ordinibus constitutos.*

28 *Degradatio verbalis an imponatur Clericis constitutis in Sacris Ordinibus qui damnantur ad perpetuos carceres, vel ad perpetuos triremes etiam secundum praxim Supremæ, & num. 30.*

29 *Sacerdos damnatus ad triremes etiam ad tempus, quando actualiter degradandus.*

30 *Clericus contumax quando damnatur ob hæresim, & relaxatur Curiæ seculari, degradatur solùm verbaliter.*

31 *Clericus condemnatus de hæresi in contumaciam si in fortiis Curiæ deuenerit an per Iudicem secularem puniri possit absque alia degradatione.*

32 *Inquisitor, vel Episcopus nullam incurrunt Irregularitatem per traditionem hæretici Brachio seculari, & de ratione.*

33 *Intercessio pro hæretico tradendo Brachio seculari non omittenda, & de ratione.*

34 *Episcopus vnus solus sufficit ad degradandum hæreticum.*

35 *Consumatio sententiæ contra hæreticum contumacem quomodo fiat per traditionem statuæ, seu imaginis Curiæ seculari, vt comburatur.*

36 *Pœna extinguitur morte delinquentis.*

37 *Quid in crimine lesæ maiestatis Diuinæ, & humanæ.*

Hæreticus mortuus exhumandus, vt eius ossa igni adiudicentur.

Processus contra hæreticum mortuum quando, & quomodo fiat.

38 *Hæreticus pœnitens post abiuratam hæresim de formali punitur perpetuo carcere.*

39 *Carcer perpetuus hæretici pœnitentis qualis esse debeat.*

40 *Inquisitor assignans reo pœnitenti carcerem, in quo intra paucos dies pereat efficitur irregularis.*

41 *Hæreticus pœnitens an, & quando possit damnari ad durum carcerem, & num. seq.*

42 *Carcer durus quis dicatur.*

43 *Hæreticus damnatus ad perpetuum carcerem, an, & quando possit liberari.*

44 *Et quomodo practicetur in Hispania.*

45 *Mulier nupta quomodo damnanda ad perpetuum carcerem.*

46 *Inquisitor an, & quando remittere possit pœnam perpetui carceris.*

47 *Hæreticus formalis pœnitens damnatur ad gestandum habitellum.*

Habitellus habitus pœnitentiæ.

Habitellus vocari quomodo soleat apud Hispanos.

48 *Hæreticus pœnitens antiquitus sacco induebatur.*

49 *Habitellus gestandus per hæreticum pœnitentem super alias vestes, & de ratione.*

50 *Habitellus mortuo pœnitente an, & quomodo suspendi debeat in Ecclesia Parochiali, vel Cathedrali.*

51 *Habitellus an sit imponendus suspectis vehementer de hæresi.*

52 *Hæreticus pœnitens an loco perpetui carceris condemnari possit ad triremes perpetuos, vel ad tempus, & num. seq.*

54 *Hæretici antiquitùs mulctabantur exilio.*

Suspecti hæresis quomodo puniantur.

55 *Confessarius an, quando, & quomodo concedi debeat hæretico carcerato in Sancto Officio, & cum qua instructione.*

56 *Confessarius, quæ teneatur reuelare Inquisitori, vel non de auditis ab hæretico carcerato in Sancto Officio.*

Et quando, & à quibus possit eum absoluere.

Quid tempore Iubilei.

Hæretici carcerati durante causa non admittuntur ad audiendam Missam, nec ad Sacramenta.

TRANSEAMVS modò ad pœnas temporales, quibus Inconstantes in fide puniuntur.

Et prima est pœna capitalis, qua iustè
1 puniuntur ab Ecclesia Hæretici, vt docent contra Nouatores omnes Controuersistæ, & præsertim Card. Bellarminus *lib. 3. de Laicis cap. 21. & 22.* Valentia *de fide disp. 1. qu. 11. punc. 3.* Becan. *in Summa Theolog. Scholast. cap. 15. qu. 6. per tot.* Alphonsus de Castro *de iusta Haeret. punit. cap. 9. lib. 1.*

& cap. 12. *lib.* 2. Suarez *de fide disput.* 23. *sect.* 1. *numer.* 2. ex nostris Couuar. *lib.* 2. *Variar. cap.* 14. *num.* 10. Simanch. *de Cathol. tit.* 46. *num.* 44. plures citati à Farinaccio *qu.* 189. §. 1. Carena pluribus in locis *sue praxis*, & præsertim *par.* 3. *tit.* 13. *num.* 5. P. del Bene *par.* 1. *dubit.* 157. *&* 158.

2 Et hanc potestatem esse in Ecclesia, non solùm probari per Extrauagantem *Vnam Sanctam, de Maiorit. & obedient. & in cap. Ad Apostolicam, de senten. & re Iudic. in* 6. *& in cap.* 1. *de homicid. in* 6. sed pluribus Sacræ Scripturæ locis certum est, nempe Deuteronom. 13. 17. *&* 18. 3. Regum *cap.* 18. *&* 4. Regum 10. *&* 23.

Et suadet ipsa ratio, quia Respublica habet potestatem puniendi subditos pœna condigna iuxta delicti grauitatem, sed nullum grauius delictum est hæresi prop-

3 ter nocumentum, quod affert Reipublicę Christianæ, & ideo igne, & ferro resecandum, vt *in cap. Resecanda* 24. *qu.* 3. Innoc. *Epist.* 25. D. Thomas 2. 2. *qu.* 11. *artic.* 3. & ibi Bannes, & Gregorius de Valentia, Suarez *d. disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 5. Card. de Lugo *disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 36. ex nostris Farinacc. *d. qu.* 189. *num.* 4.

4 Ac propterea etiam Principes seculares eandem pœnam Hæreticis imposuerunt, vt *in l. Quicumque, & in l. Ariani, C. de hæreticis l. Vbicumque, l. sequenti. l. Manichæi, C. eodem*, Farinacc. *dicta qu.* 189. *num.* 3 Card. de Lugo *loco citato*.

Hæc autem pœna tunc imponitur à Iudicibus Ecclesiasticis, quando Hæretici

5 impœnitentes, seu relapsi relinquuntur Brachio seculari, vt ab eis puniantur, ad Text. *in cap. Ad abolendam*, §. *præterea*, in illis verbis, *Secularis relinquatur arbitrio Potestatis animaduersione debita puniendus. Et in* §. *Laicus*, ibi, *Secularis Iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionem – extra de Hæreticis*, & ibi omnes Canonistæ. Ad idem est Text. *in cap. Excommunicamus il primo* §. *damnati, & in cap. Excommunicamus il secondo Extrau. eodem cap. Nouimus de verbor. significat.*

Patet etiam ex Constitutione Innocentii Tertij, *Nouerit Vniuersitas*; & Nicolai Tertij, *Nouerit Vniuersitas registr.* à Pegna *post Director.* Farinacc. *qu.* 189. *num.* 6.

Debent ergo Iudices laici postquam Hæretici fuerint relicti Brachio seculari,

6 eos punire non solùm pœna mortis, sed ignis, quam pœnam ignis antiquam esse in Ecclesia ostendit D. Gregorius *lib.* 1. *Dialog. cap.* 4. & notant omnes Doctores *in cap. Ad abolendam de Hæreticis*, P. del Bene *par.* 1. *dub.* 162. *petit.* 5. *num.* 25.

Et licet Villadiego *in tract. de hæreticis quæst.* 15. putauerit, pœnam ignis nullo

7 iure scripto, sed sola consuetudine introductam esse, quod multis relatis tenet etiam Carena *in prax. par.* 2. *tit.* 13. *nu.* 6.

Isti tamen Doctores non aduerterunt ad Constitutionem Friderici Imperatoris *Inconsutilem*, qua cauetur expresse, vt Hæ-

8 retici impœnitentes viui comburantur, quam Constitutionem fuisse acceptatam ab Ecclesia, dicit Suarez *dicta disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 4. Et vsu, & consuetudine fuisse receptam dicunt omnes Doctores, quos longa serie enumerat Farinacc. *d. qu.* 189. *num.* 4. P. del Bene *loco cit. nu.* 27.

Statimque, & indilatè debent Iudicis

9 Ecclesiastici sententiam contra Hæreticum latam exequi, vt mandat Bonifacius Octauus *in cap. Inquisitionis*, §. *Prohibemus, de hæret. in* 6. vbi Glossa declarat, *idest sine mora*.

Sed hæc mora potest extendi ad quinque, vel sex dies, vt ex Constitutione In-

10 nocentij Quarti, & Innocentij Octaui permissum est, de quibus per Pegnam *par.* 3. *Director. comm.* 85.

Vel iuxta consuetudinem Prouinciæ, vt dicit ibidem Pegna, Farinacc. *quæst.* 186. *num.* 162.

In tantum quod, si Iudex laicus nollet, Hæreticum Brachio seculari relaxatum

11 morti tradere, posset compelli ad id exequendum per censuras Ecclesiasticas, & per priuationem officij, Campegg. ad Zanchin. *cap.* 8. *littera A.* Pegna *d. comm.* 85. Et super hoc adsunt Constitutiones Alexandri Quarti *Ad audientiam*, & Innocentij Octaui *Dilectus filius*, registr. à Pegna *post Director.* Farinacc. *qu.* 186. *num.* 163.

Imò Iudices laici requisiti ab Inquisitoribus, siue Iudicibus Ecclesiasticis, eorum Brachium præstare, si denegauerint illud,

12 sunt ipso iure excommunicati, & si in excommunicatione per annum perstiterint, vti Hæretici condemnari possunt, *cap. vt Inquisitionis*, §. *fin. de hæret. in* 6. & ibi Gloss. Locat. Campegg. Decian. de Graffijs à Farinacc. relat. *loco cit. num.* 164.

13 Reputantur enim isto casu Hæreticorum fautores, vt dicit idem de Graffiis *lib.* 4 *decis. cap.* 18. *num.* 22. Farinacc. *num.* 163. *&* 164.

14 Nec possunt differre aliquo sub prætextu exequi sententiam Iudicis Ecclesiastici contra Hæreticum latam, verbi gratia, quia volunt videre acta, vel processum. Nàm quicquid sit in alijs delictis Ecclesiasticis, vel mixti fori, super quo videndus est Molinus *de Brachio seculari cap.* 9. *&* 10. Cammarata *respons. decisiu.* 15. *num.* 56. *to.* 1. Fermosin. *in cap. Cum non ab Homine* 10. *de Iudicijs, qu.* 34. *à num.* 12.

In delicto Hæresis hodie absque controuersia Iudices seculares tenentur exe-

15 qui sententiam Inquisitorum, absque quod videant acta, vel processum, vel illis tradatur copia sententiæ, vt reprobata

Bartoli doctrina *in l. Magistratibus num.4. ff. de iurisdictione omnium Iudicum*, Alciati, & aliorum, qui Bartolum sequuntur, voluit Panormitan. *in cap.1.num.11.de officio Ordinarij*, & ibi Innocen. Simanch. *de Cathol. cap.36.num.3.* Diaz *in prax.crimin. cap.141.* vbi Salzedo, Berous *in cap. Atsi Clerici n.79. de Iudicijs*, Boss. *in prax. de haeret. num. 35.* Clar. §.*fin. qu.96.* Afflict.*in praefat.Constitut. Regni Siciliae, in verb. Gladij*, Alphonsus de Castro *de iusta Haeretic. punit. lib. 1. cap.23.* Villad. *de Haeret. qu. 19.* Roias *singul. 107. & de Haeret. 2. par. qu. 50.* Rebuff. *ad leges Regni 2.to.tit.de litteris requisit.n.20.* Gamm. *decis.* 207. Scapp. *de iure non scripto lib. 6. cap. 132.* Et falsam Bartoli sententiam dixit Aretinus *in cap.Atsi Clerici, §.de Adulter. extr. de Iudic.*

16 Fermosinus post haec scripta visus *in cap.Atsi Clerici qu.14 per tot. de Iudicijs*, vbi ampliat in causis suspectorum de Haeresi: & *in cap.Cum non ab homine 10.qu.34.à nu.5. eodem tit.* Rodoer. *in Addit.* ad Donat.Anton. de Marin. *cap.204. num.1.*

Et hanc quaestionem Pontificia Bonifacij Octaui Constitutione terminatam esse dixit Lucerna Inquisitorum *ver. Exe-*
17 *cutio*, Pegna *par.3. comm. 75.* Et difficultatem superatam esse ex rescripto Alexandri Quarti, & Innocentij Octaui, ex eodem Pegna testatur Farinacc. qui alios refert in *d. q.186..165. & prius qu.97.n.202.* & expressè hoc cauetur in Constitutione Leonis Decimi 43. §. 3. de qua Scortia *Epist.58. Theorem.160.* Grass. *de effect. Cler. effect.1. num.829.* Tapia *in probem.Constitut. post Mundi machinam num. 35.* San-felicius *decis.* 239. Thot. *in Compend. par. 3. sect. 2. vers. Poena, quaenam sit*, Molinus *de Brachio seculari cap. 8. per tot.* vbi & rationes, & argumenta Bartoli, & Alciati diluit.

Et propterea cum *de anno* 1598. Ministri Serenissimi Ducis Sabaudiae nollent exequi sententiam latam per Inquisitorem Taurini contra quendam Baptistam Oliuerium, nisi priùs viderent processum, rescriptum fuit à Suprema, & Vniuersali Inquisitione Nuncio Apostolico apud Ducem Sabaudiae commoranti.

18 *La pretensione di cotesti Ministri è mera vanità, e senza fondamento, ne vi è principio di difficoltà, essendoui le Bolle, e Costituzioni Apostoliche chiarissime, come attestano i Dottori.*

Quibus auditis Dux pro sui pietate mandauit, vt absque visione processus exequerentur sententiam. Et eius pietas laudata est à Sacra Congregatione per litteras datas *die 7. Martij 1598.*

DIXI, *nec etiam dari copiam sententiae*, quia cum, antequam reus ab Inquisito-
19 ribus tradatur Curiae seculari, legatur illius sententia cum interuentu Iudicis laici, vel saltem Fiscalis Curiae secularis, qui reum recipiunt, iuxta Text. *in cap. Nouimus in fin.* in illis verbis: *seculari Potestate praesente, de verb. signficat.* Satis dicuntur informati de meritis causae rei, vnde frustra ab eis petitur copia sententiae, & sic semper obseruatum, San-felicius *dicta decis. 239. num. 10.*

Scio tamen aliquando copiam simplicem sententiae fuisse traditam Gubernatori Vrbis.

Nec sub praetextu, quod sententia Inquisitoris sit iniusta, debet Iudex secularis
20 retardare illius executionem, vt reprobatis contrariis defendit Simanch. *d.tit.36.* Farinacc. *quaest. 97. num. 108. & quaest. 186. num. 167.*

SI autem Iudex secularis esset Consultor Sancti Officij, & dubitaret de iustitia sententiae latae ab Inquisitore, & Ordinario, crederem posse differre illius executionem, & consulere Supremam, & Vniuersalem Inquisitionem, vel Summum Pontificem: & hoc potest accidere Mediolani, vbi vnus ex Senatoribus semper est Consultor Sancti Officij.

Sed an poenae in crimine haeresis per Principes seculares, vel per secularia Statuta augeri possint, examinatur à Pegna *in Direct. par.3. quaest.86.comm.135. fol.689. vers. de Principibus*, qui affirmatiuam tenet opinionem, & commendat eos Principes, qui huiusmodi Statuta in Haereticos promulgarunt; quia non est intromittere se in iudicio, & cognitione Haeresis, vel Apostasiae à fide, sed potiùs augere iurisdictionem Ecclesiae, Castro-palao *tom. 1. tract.4. disput.8. pun.14. num.14.* Et quando augumentum est cum sua proportione factum non mutat speciem; ideòque non potest dici, quod duplici poena quis puniatur, itavt per illius adiectionem non mutetur forma, neque alteretur substantia poenae priùs impositae; nam cum tale augumentum non ad nouam poenam tangens sit factum, & per modum superioritatis; sed in adiutorium, & ad corroborationem iam ab Inquisitoribus impositae, noua non erit poena, sed eadem prima, & continuata poenae impositio, dùm omne augumentum semper sequitur naturam ipsius rei, cui adiungitur, Castill *lib. 5. contr.155.num.10. vbi plures, ac passim.* Ergo licitum est Iudicibus secularibus tales poenas in auxilium Ecclesiae augere, *argum.* Text.*in can.Si in adiutorium 7.dist.10.* Gloss. *in Clem.ne Romani, 2. vers.Tolli, de electione.* Secùs autem esset quando alteratur poena per Canones praescripta Haereticis, Sess. *de inhibit. cap. 30. num. 9.* & hanc Pegnae opinionem sequuntur quamplures Doctores, Farinacc. *de haeres. qu.186. nu.157.* Decian. *tract. crimin. lib.5. cap.25.num.2. vers.Sed &*

Canonistarum, *&* *num.* 20. Carret. *tract. de haeret. num.*64. P. del Bene *de Immunit. to.*1. *cap.*8. *dub.* 26 *sect.* 1. *num.* 5. Fermosin. *ad cap.*10. *f. m. qu.*55. *num.*5. qui tamen intelligit hoc procedere ex dispositione Pontificia, Castro-palao *to.* 1. *tract.* 4. *disput.*8. *pun.* 14. *num.* 4. Passarin. *in cap. Vt inquisitionis, num.* 25. *de haeret. in* 6. Cui opinioni nonnullos Summos Pontifices adhaesisse noui, nempe Clementem Septimum approbando Statutum Brixien. & Paulum Quintum illud Ciuitatis Lucen. in quo huiusmodi poenae auctae sunt; vt de primo testatur Pegna *in Director. fol.*689.*vers. quod initio nascentis*: & de secundo extat Breue *datum sub die* 12.*Octobris* 1606. & directum Reipubl. Lucensi. Sed Constitutio Clementis Septimi non tractat de augmentó poenarum impositarum ab Episcopo, vel Inquisitore haereticis; sed tantummodò laudat Magistratum Ciuitatis Brixiae de diligentijs per Statutum factis pro inueniendis, & capiendis Haereticis Lutheranis, ad effectum illos consignandi Episcopo, vel Inquisitori, ab eisque Canonicis poenis puniendi.

VERUM in hac quaestione pace doctissimi Viri Pegnae, videtur mihi distinguendas esse species Haereticorum, & poenarum quibus ipsi mulctari solent, vt particulariter dignoscatur quaenam poena à Iudicibus secularibus augeri possit.

Alij igitur sunt Haeretici impoenitentes, & relapsi, qui relaxantur foro seculari, vt imponatur illis poena vltimi supplicij, & ignis, iuxta Constitutiones Theodosij, & Valentis, Text. *in l. Arian, & l. Quicumque, §. eos, C. de haeret.* & Federici Imperatoris; quae Constitutiones robur accipiunt ex approbatione Summorum Pontificum Innocentij Quarti, Alexandri Quarti, & Clementis Septimi, qui per eorum extrauagantes impressas post Directorium mandarunt dictam Constitutionem Federici, & alias quasdam leges seruari, Farin. *consil.*118. *num.*13. *to.*2. imò illam registrandam esse iniunxerunt in Statutis Principum secularium sub poena excommunicationis, vt videre est in mea responsione ad mendacem Historiam de Inquisitione Veneta per Fr. Paulum Seruitam typis editam, *Risposta contro l'Istoria di F. Paulo fol.* 17. *vers. fra queste Costitutioni*, cumque igitur haec poena vltimi supplicij, & ignis non possit augeri, non est de illa disputandum.

His accedunt Haeretici negatiui, si fuerint condemnati, & conuicti iuxta probationes requisitas à Rot. *decis.*875. *de haeret. in antiqu.* qui per Constitutiones Apostolicas pro prima vice debent tradi Curiae seculari.

Prout sunt illi, qui eum non sint Sacerdotes temerariè, & sacrilegè ausi sunt celebrare Missam, iuxta Constitutionem Clementis Octaui, & qui modo furantur sacras Hostias, vt illis vtantur ad sortilegia componenda, iuxta Constitutionem Innocentij Vndecimi, hodie regnantis.

Alij sunt Haeretici poenitentes, qui facta abiuratione de formali damnantur ad carceres perpetuos, quibus alia poena imponi non potest per Principes seculares; quia semper remanent sub iudicio Ecclesiae, & ferè nunquam liberantur à carceribus Sancti Officij, & si liberarentur, & ex pietate Sancti Tribunalis non esset imposita poena confiscationis bonorum non exinde à Principe seculari poterit illa tunc imponi; nam in praeiudicium Summi Pontificis, & Tribunalis Sanctiss. Inquisitionis Principes seculares super confiscatione bonorum Haeretici etiam laici, & super eorum applicatione nullatenùs possunt statuta condere, & statuentes possunt puniri tanquam impedientes iurisdictionem Sancti Officij, Text. *in cap. Statutum, il primo, de haeret. in* 6. ibique Glos. & Doctores, Paris. *consil.*2. *num.* 204. *&* 139. *lib.* 4. Farinacc. *cons.*117. *num.*8. *to.* 2. & latè Carolus Sincerus Fiscalis Sancti Officij inter *consil.* Farin. *d. to.* 2. *cons.*118. *per tot.* vbi eleganter cum quidam Iudaeus factus Christianus iterum iudaizasset in Terra Scandiani, & fuisset conuictus de iudaismo, & damnatus ab Inquisitore Regien. in contumaciam in poenam vltimi supplicij, & confiscationis bonorum, Marchio Scandiani praetendebat sibi applicari bona confiscata; prout curauit ostendere ex rationibus deductis in quadam allegatione anonima ad Sacram Congregationem transmissa; cui tamen per multa, & valida argumenta respondet idem Carolus Sincerus, & probat nullum ius competere Principi laico in confiscatione bonorum Haeretici, sed omnia bona applicari Sancto Officio, nisi per Sedem Apostolicam sit indultum eidem Principi, vel Fisco seculari, vt aliquam portionem capiat de bonis confiscatis; vt de indulto concesso Duci Sabaudiae testatur idem Sincerus, & nisi consuetudo sit à Sede Apostolica approbata; & ideò quamuis iura ciuilia disponant circa confiscationem bonorum Haeretici, si tamen non sint approbata à Summis Pontificibus, iura praedicta obseruari non debent; prout praedicti Doctores concludunt, & latè *in cap sequen. à num.*163.

Alij sunt tantummodò suspecti de haeresi, qui post abiurationem de leui, vel etiam de vehementi incorporantur Ecclesiae, & damnantur ad tempus in aliquam poenam extraordinariam; vt sunt Polygami, Blasphemi, Sollicitantes in

Confessione, Sortilegi, & similes alij plurimi, & istis si sint laici credeterm posse, augeri pœnam; videlicet reo damnato ad carceres per quinquennium, possit augeri pœna ad decennium, & damnato ad decennium dari possit augumentum ad maius tempus; prout idem est dicendum de damnato ad exilium, & ad Triremes ad tempus, quod possit in longius protrahi, & augeri; quæ tamen veniunt intelligenda, dummodo in sententia Inquisitoris non sit adiecta clausula, *& vltra arbitrio*; nam tunc Index secularis non posset ad augumentum pœnæ deuenire, nisi priùs requisito, & nolente Inquisitore vti dicto arbitrio.

Ex his omnibus iam dictis potest formari regula, & conclusio generalis, quod illæ pœnæ, quæ sunt certæ, & inuariabiles determinatæ per sacros Canones nequeant per leges seculares augeri: illæ verò, quæ sunt arbitrariæ possint ad tale augumentum admitti in adiutorium Ecclesiæ; sed cum moderamine congruæ proportionis, vt in principio dictum est: Cæteroquin si pœnæ substantia alteretur, tunc non poterit dici augumentum, sed mutatio, siue noua pœna. Et ideò non potui approbare edictum Ducis Sabaudiæ, qui pro simplici Sortilegio, quod vocant *Inciarmo*, damnauit reum in pœnam mortis: hoc enim non est augere pœnam, sed nouam imponere; & durum quidem est, vt suspectus de hæresi, & incorporatus Ecclesiæ, plectatur pœna vltimi supplicij. Quapropter in hoc iudicio hæresis debent Iudices seculares cautè procedere, ne incidant in censuras; ideòque Paulus Quintus in prædicto suo Diplomate dato Magistratui Lucensi damnauit quædam edicta ab ipso Magistratu contra Hæreticos promulgata.

An autem sustineatur Edictum à Principe D. Petro hodiè Rege Lusitaniæ promulgato, vt qui sunt condemnati ab Inquisitoribus, & publicè abiurant, & exeunt, vt dicunt ipsi, *nell'atto di fede*, debeant exulari à Regno, nec reuerti sub pœna vltimi supplicij, & confiscationis bonorum: pendet hodiè hæc quæstio in Sacra Congregatione Sancti Officij, & super ea expectatur oraculum Sanctiss. Domini Nostri Innocentij Vndecimi.

21 Et hæc pœna mortis habet locum, siue Hæretici sint laici, siue Clerici, vt est Text. *in cap. Ad Abolendam, §. Præterea, de Hæret.* & ibi Gloss. & cæteri Canonistæ ad idem Text. *in cap. Excommunicamus, il primo, §. Damnati extra eod. & in cap. Nouimus*, & ibi Gloss. & communiter Doctores *de verb. significat.* Extantque consuetudines Summorum Pontificum Innocentij, & Nicolai Tertij, de quibus per Farinac. qui alios citat *d. qu. 189. num. 6.*

22 Debet tamen Clericus priùs degradari, vt per allegatos Textus, & Constitutiones dicit Farinacc. *dicta qu. 189. num. 12.* addo Sanctarell. *de Hæret. cap. 26. dub. 1. num. 1.* Bellett. *disquisit. Clerical. par. 1. §. 10. sub num. 6.* P. del Bene *d. dub. 162. petit. 3.*

Et quidem reali, & actuali degradatione, si Clericus Hæreticus fuerit in sacris
23 Ordinibus constitutus: si autem in minoribus, sola verbali degradatione, Locat. *verb. Degradatio, nu. 5.* Repertor. *eodem verb. vers. Degradatio autem*, Farinacc. *d. qu. 189. num. 17.* Sanctarell. *loc. cit. nu. 2.* P. del Bene *loco cit. num. 5.*

Sed post hæc scripta, cum casus accidisset in Suprema, & Vniuersali Inquisitione. P. de Prætis Commissarius eiusdem Sacræ Congregationis proposuit difficultatem, An sola degradatio verbalis sufficeret in Clerico in Minoribus consti-
24 tuto, qui non promotus ad Sacerdotium celebrauerat, & propterea tradendus erat Curiæ seculari. Fundabat difficultatem, quia degradatio verbalis non priuat Clericum neque priuilegio Canonis, neque fori, nec dat aliquam Iudici seculari in illum iurisdictionem, *cap. Dictum distin. 81. cap. Cum non ab homine, de Iudic. cap. Ad audientiam, de crimine falsi*, Menoch. *de Arbitrarijs lib. 2. cas. 415.* Siluester. *verb. Degradatio, il primo, num. 9.* Pegna *comm. 49. vers. Postremò*, cum alijs per Grass. *de effect. Cler. effect. 1. nu. 824.* addo Ambrosin *de Immunit. Ecclesiast. cap. 17. num. 35. vers. Degradatus*, Carthar. *de execut. capto Bannito num. 286.* Scaccia *de Iudicijs par. 1. cap. 11. num. 76.* cum alijs per Sanctarell. *de Hæres. cap. 26. dub. 1. num. 6.* Bellett. *disquisit. Clerical. par. 1. §. 10. nu. 1.* Ciarlin. *Controuers. forens. cap. 207. num. 33.*

Sed fuit responsum, quod hæc conclusio procedit, quando in degradatione verbali terminatur pœna, sed quando vlte-
25 riùs progreditur sententia, & dicitur in ea, quod Clericus in Minoribus constitutus degradetur verbaliter, & tradatur Curiæ seculari, perindè est, ac si actualiter degradetur, & propterea sic degradatus efficitur de foro seculari, & potest puniri à Iudice laico absque vlla actuali degradatione: sic Pegna *d. comm. 49. vers. Prætereà dicendum*; Carthar ius *loco cit.* qui licèt dicat, melius esse, vt priùs talis Clericus actualiter degradetur, hoc non obseruatur in practica, vt notat Farinacc. *de Hæresi qu. 189. num. 17.* & ità vidi pluries obseruatum in his Celebrantibus tantummodò ad Ordines Minores promotis.

26 Et traditio Curiæ seculari est executio degradationis verbalis, vt post Borgas *de Irregularit.* tenet de Grassis *loco cit. nu. 824. in fin.*

Imò si esset vera opinio Couuarr. *in cap. Quia nos,*

Quia nos, num.4. de Testam. hodie degrada-
27 tionem verbalem non esse in vsu quoad Clericos in minoribus constitutos, quem sequitur Alter. *de Censur. to. 2. de suspens. disp. 2. cap. 8. versic. Quod pluribus, in fine*, essemus extra difficultatem.

Sed valdè dubito, quia in Rituali Romano adest formula dictæ degradationis
28 verbalis, quæ imponitur etiam illis Clericis in sacris Ordinibus constitutis, qui damnantur vel ad perpetuos carceres, vel ad Triremes perpetuos, Locat. *ver. Clericus num.4. & in verb. Degradatio nu.3.* Pegna *par. 3. comm. 46. num. 202.* Farinacc. *dicta qu.189. num.16.* vbi quod ex consuetudine Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis non actualiter, sed verbaliter tantùm degradantur: plures refert Ciarlin. *dicto cap. 207. num. 54.* & vltra ab eodem adductos latè Fermosin. *allegat. 51. à num. 6. cum seqq.*

Scio tamen nonnullos Sacerdotes ad Triremes damnatos etiam ad tempus
29 actualiter degradatos ad terrorem aliorum; sed hoc obseruatum fuit, quando in Italia vigebant Hæreses, nempe *de anno* 1552. & 1553. tempora enim illa hunc terrorem exigebant.

At successiuis temporibus hæc degradatio actualis in condemnatis ad carceres,
30 vel ad Triremes in perpetuum recessit ab Aula, ideò sanctæ mem. Paulus Quintus *die 26. Iulij* 1613. dixit, non esse in vsu, quod reus actualiter degradetur, etiamsi agatur de damnato ad triremes in perpetuum, sed tantùm quando relaxatur Brachio seculari, & tunc etiam quando reus est præsens. Nam si Clericus damnetur in contumaciam, & relaxetur Curiæ seculari, degradatur solum verbaliter, Pegna *par.3.comm.49.* Deccian.*in prax.lib.5.cap.38. num.22.* Farinacc. *d.qu.189. num.20.* videre est P. del Bene *loco cit.* qui plura in hac materia.

An autem si Clericus contumax post sententiam in fortiis Curiæ deuenerit,
31 possit absque alia degradatione à Iudice seculari puniri, affirmatiuam tenet Pegna *par.3. comm.49. §.Præterea dico,* Carthar. *de executione senten. capto Bannito cap.1.nu.288.* Sanctarell. *d.cap.26. dub.1.nu.6.* qui subiungit, satius esse, si priùs actualiter degradetur, & Iudex secularis petat à Prælato Ecclesiastico, vt eum degradet, Angel. de Castro *inter cons. crimin. diuers. cons.37. to.2.* Farinacc. *qu.8. num.109.*

Nec ob talem traditionem Curiæ secularis Episcopi, vel Inquisitores aliquam in-
32 currunt irregularitatem, tùm quia misericorditer orant pro relaxato, ne morti tradatur, iuxta dispositionem Textus *in cap. reos 24. qu.5. & in cap. Nouimus, §.1. de verb. signific.* & ibi Cardin. Farinacc. post alios *d.qu.189. num.9.* Sanctarell. *d.cap.26. dub.1. num.7.* P. del Bene *d.dub.162. punt.4. num.1.*

Tùm quia vigore litterarum Apostolicarum Inquisitores præseruantur à tali irregularitate, quamuis non orarent pro relaxato, ne morti traderetur, vt ex Bullis Pauli Quarti, & Pij Quinti, de quibus per Pegnam *inter litteras Apostolicas*, Farinacc. & Sanctarell. *loc. cit.* Fermosin. *cap.Nuper, de Bigamis à num.85.*

Non tamen est omittenda talis intercessio, quamuis nihil operetur, quia sic
33 semper seruatum fuit ab Ecclesia, Farin. *d.qu.189.num.10.* Bellett.*disquis.Clerical.loco superius cit. num.2.*

In degradatione seruandum est, quod statuitur *in cap.1.de hæret.in 6.* nempe quod
34 vnus solus Episcopus est sufficiens ad degradandum, Pegna *par. 3. comment. 45.* Simanch. *de Cathol.tit.46. num.69.*

Sciendum est tandem, quod quando relaxatur Brachio seculari Hæreticus contumax, sententia consummatur in imagine,
35 seu statua illius, cum inscriptione nominis, cognominis, & patriæ: quæ statua, seu imago traditur Curiç seculari, vt comburatur, Pegna *d. comm.49. num.216. vers. Contra verò*, Scaccia *de Iudic. cap. 98. nu.4.* Simanch. *de Cathol.tit.2.nu.8. & in Enchirid. tit.45. num.4.* cum alijs per Sanctarell. *loco cit. num.12.* sicuti dum hæc transcriberem practicatum fuit in Vrbe contra Franciscum Iosephum Burrum Mediolanensem, tanquam Hæresiarcham in contumaciam damnatum, qui tamen postea deuenit in fortiis Curiæ, & vti pœnitens publicè in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Mineruam abiurauit de formali, & damnatus est ad perpetuos carceres, in quibus adhùc reperitur.

36 Et licèt pœna delinquentis morte extinguatur, *l. Defuncto, ff. de publ.Iudic.* Medices *in tract. Mors omnia soluit, 2.par.concl.2. in princip. & conclus.27. num.76. & cons.32. num.86.* Peregrin. *de Iure Fisci lib.4. tit.5.in princip.* cum alijs per Sanctarell. *loco citato num.12. vers. Obijcies.*

37 Hæc tamen conclusio non habet locum in crimine læsæ Maiestatis Diuinæ, & humanæ, Pegna *par.3. comm.92. vers.In crimine tamen*, Peregrin. *loco cit.* Gigas *de crimine læsę Maiestatis lib. 1. tit. Qualiter in crimine lęsę Maiestatis qu.20. nu.3.* Simanch. & alii per Sanctarell. *loco cit.*

Et propterea in crimine hæresis proceditur contra Hæreticos mortuos, eorumque ossa exhumantur, & igni adiudicantur; vt me vidente, *anno Iubilęi* 1625. exhumata fuerunt ossa impij Hæresiarchæ Archiepiscopi Spalaten. qui licèt benignè ab Ecclesia receptus post eius apostasiam à fide, adhùc tamen in hæresibus persi-

ſtebat, & pendente proceſſu mortuus, damnatus fuit poſt mortem, & vt dixi, oſſa eius exhumata, & igni tradita vna cum eius imagine.

Quomodo autem procedatur contra Hæreticum mortuum, & quo tempore hæc actio procedendi duret, ſiue vt eius memoria damnetur, ſiue vt bona eius Fiſco adijciantur, videndus eſt Pegna *dicto comment.* 92. *par.* 3. *Direct.* qui latiſſimè, & doctiſſimè materiam hanc pertractat, & poſt eum Farinacc. *de hæreſi qu.* 197. §. 4. *per tot.*

Quando autem Hæretici relaxati Brachio ſeculari, vel tanquam impœnitentes, vel vti relapſi pœnam mortis, ſi eos pœniteat, euitare poſſint, dixi *ſupra*.

Quæ dicta ſunt hucuſque de pœna mortis locum habent in Hæreticis impœnitentibus, negatiuis, relapſis, & in iis, quibus pro primo lapſu, etiamſi eos pœniteat, non parcitur.

Pœnitentes verò Hæretici, licèt iis parcatur ab Eccleſia, non tamen euadunt omnino impuniti, ſed varijs pœnis mulctantur.

38 Quarum prima eſt poſt abiurationem de formali, pœna perpetui carceris, vt eſt Textus ad litteram *in cap. Excommunicamus il ſecundo*, §. *fin. de hæret.* & ibi omnes Canoniſtæ, Gloſs. *in cap. Ad abolendam*, *in verbo Audientia*, *eodem tit.* & ibi Hoſtien. *num.* 5. Innocent *in cap. Excommunicamus, il primo, num.* 1. *eod. tit.* & extat Conſtitutio Friderici Imperatoris *Commiſſi*, & Innocentij Quarti, relat. per Pegnam *in fin. Direct.* Doctores innumeri relati à Farinacc. *qu.* 193. *nu.* 101. Suarez *de fide diſp.* 23. *ſect.* 2. *num.* 17. P. del Bene *par.* 1. *dub.* 155.

Sed carcer non debet eſſe adeò durus, & arctus, vt abbreuiet dies carcerati, ſed
39 ſatis eſt, quod in eo carceratus viuat pane triſtitiæ, & aqua doloris, ſecundum Gloſs. *in cap.* 1. *de Hæret. in* 6. Boich. *in cap. Nouimus, de verb. ſignific.* & ibi Butrius, Roias, Campegg. & Decian. à Farinacc. *d. qu.* 193. *num.* 106. P. del Bene *loco cit. num.* 6.

Imò ſi Inquiſitor aſſignaret reo carcerem, propter quem inter paucos dies
40 hic periret, non euaderet irregularitatem, Gloſs. & Doctores *vt ſupra*, Fermoſin. *dicto cap. Nuper num.* 100. vbi quod hoc caſu Conſtitutiones Apoſtolicæ præſeruantes ab irregularitate Inquiſitores, non habent locum.

Et propterea in hac Suprema, & Vniuerſali Inquiſitione carceres, ad quos rei damnantur, mitiſſimi ſunt, in quibus nunquàm ferè moriuntur, vel malè ſe habent.

Vidi tamen meo tempore damnatum fuiſſe ad durum carcerem quendam ſceleſtiſſimum Virum, qui duas proprias filias
41 ſtuprauerat, & prolem ex illis ſuſceptam necauerat, ad ſtuprum illas inducendo ſub prætextu, quod non committerent peccatum, ex eo quod pater erat dominus membrorum filiorum.

42 Nam poteſt aliquando Hæreticus damnari ad durum carcerem, vt probat Text. *in Clement.* 1. §. *Propter, de Hæret.* & ibi Canoniſtæ, & præſertim Vitalin. qui declarat, qualis ſit durus carcer, nempe quando eſt in loco ſubterraneo, in quo non videtur claritas Solis, neque Lunæ, aut aliter, Martin. del Rio, *Diſquiſ. lib.* 5. *ſect.* 7. vbi quod illi præſertim, qui ſunt damnati ad mortem, poſſunt detineri in obſcuro, & tetro carcere, in quo intra paucos dies moriantur, Farinacc. *dicta quæſt.* 193. *num.* 107.

Verum eſt, quod hujuſmodi Hæretici damnati ad perpetuum carcerem, ſi dent
43 ſigna veræ pœnitentiæ, & laudabiliter viuant, peracto decennio, & multoties ante decennium, à carceribus liberantur, attenta qualitate perſonæ, Farinacc. *dicta qu.* 193. *num.* 107. *verſ. Et pro reſolutione.*

44 In Hiſpania verò, vel poſt lapſum triennij, vel ſaltem poſt octo annos huiuſmodi pœna remitti ſolet, Roias *ſingul.* 154. *nu.* 2. Simanch. *de Cathol. tit.* 16. *de cuſtod. reorum. Et in Enchirid. tit.* 57. *rubr. de Carcere perpetuò*, cum aliis, quos allegat Farinacc. *dicta qu.* 193. *num.* 104.

45 Cum mulieribus mitiùs agitur, nam ſi nupta ſit, ei aſſignatur pro carcere domus mariti, Pegna *par.* 3. *comment.* 142. Zecchius *in ſumma par.* 1. *tit. de fide*, *rubr. de Hæret. cap.* 11. *num.* 18. Farinacc. *loco citato num.* 101.

46 Caue tamen à P. del Bene *dub.* 155. dùm dicit, quod Inquiſitores poſſunt remittere reis pœnam perpetui carceris, quia in Italia hæc facultas eis non conceditur, ſed remanet arbitrium penès Supremam, & Vniuerſalem Inquiſitionem.

Cum hac pœna perpetui carceris imponitur etiam Hæreticis formalibus onus
47 geſtandi habitum pœnitentiæ, quem nos Itali *Habitellum* vocamus. Hiſpaniæ verò non Habitum *Sancti Benedicti*, vt perperam dixit Simanch. *d. tit.* 47. *num.* 9. quem ſequuntur Farinacc. *d. qu.* 193. *num.* 92. & alij Moderniores, ſed *Sanbenitti*, hoc eſt *ſacci benedicti*, & melius voluit Roias *par.* 2. *de Hæret. num.* 309. Pegna *par.* 3. *comm.* 42. *verſ. Hoc palliamentum*, Card. de Lugo *d. diſput.* 24. *ſect.* 3. *nu.* 74. P. del Bene *d. par.* 1. *dubit.* 165. *num.* 1.

48 Pœnitentes enim antiquitùs ſacco induebantur, *vt in cap. Achab.* 37. *de pœnit. diſt.* 3 *& cap. Quadrageſ.* 5. *diſt. de conſecr.* Euthim. *in Pſalmo* 29. Simanch. *d. tit.* 47. *nu.* 10. Pegna *par.* 3. *com.* 42. *n.* 176. *verſ. Prouideat Inquiſitor.*

49 Et hunc habitum debent Hæretici pœnitentes gestare super alias vestes, vt ab omnibus videatur, Simanch. *loco cit. nu.* 11. Card. de Lugo *loco cit. num.* 74.

Et memini fuisse acriter reprehensum quendam reum in Visitatione generali Carceratorum Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, qui pallio celauerat Habitellum, & monitum Commissarium, qui fortasse hoc ei permiserat, vel saltem non curauerat.

An autem si Hæreticus pœnitens Habitum pœnitentiæ occultauerit, vel abiecerit in pœnitentia inconstans, sit iudicandus relapsus, videbimus *infra*:

50 Iste verò habitus non solùm gestari debet ab Hæretico pœnitente, sed etiam eo mortuo suspendendus est in Ecclesia vel Cathedrali, vel Parochiali ipsiusmet Hæretici, vt ex insigni loco monumentum sit ad eorum memoriam sempiternam; Inscribenda enim sunt eorum nomina in illis, & renoanda, & describendum est etiam quam ob causam damnati fuerunt; Simanch. *d. tit.* 47. *num.* 13.

Et memini, Me vidisse in quadam Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Prouinciæ Romandiolæ plures appensos Habitellos, qui ex gratia f.m. Vrbani Octaui *de anno* 1627. fuerunt amoti, & secretò combusti. Meo tamen tempore nunquam vidi suspensos fuisse Habitellos in aliqua Ecclesia, quamuis fuerint nonnulli damnati, vt eos gestarent.

Dixi, *onus portandi Habitellum imponi Hæreticis formalibus*, quia Suprema, &
51 Vniuersalis Inquisitio non seruat consuetudinem nonnullarum Inquisitionum, quę imponunt illum etiam suspectis vehementer de Hæresi; & sic fuit resolutum *de anno* 1597. 5. *Septembris, & de anno* 1598. 26. *Nouembris*.

52 Mulctantur etiam Hæretici loco pœnæ perpetui carceris, pœna Triremium in perpetuum, vel ad tempus, vt dicit Campegg. *in addit.* ad Zanchin. *tract. de Hęret. cap.* 20. *littera G.* vbi testatur, quotidiè Romæ, & alibi seruari, & idem dicit, relato Campeggio, Farinaccius *dicta quest.* 193. *num.* 88.

Sed Ego nnnquam meo tempore vidi Hæreticos formales pœnitentes damnatos
53 ad Triremes, neque ad tempus, sed semper ad perpetuum carcerem. Memini tamen quendam Græcum Apostatam in Nauigio, in quo eum alijs vel Apostatis, vel Turcis, pugnabat contra Christianos, à Triremibus Meliten. captum, postquam detentus fuerat in carceribus Sancti Officij per multos annos, ad quos iu perpetuum fuerat damnatus, eo quod fassus fuerat se adhæsisse corde Sectæ Mahometanę, Me tamen reclamante, ad Triremes Meliten. missum fuisse; sed credo hoc factum fuisse, quia Religio repetebat eum tanquam proprium mancipium.

Sed post hæc scripta *de anno* 1674. fuit ad Triremes missus quidam Religiosus Hæreticus formalis, qui Nouitios suæ Religionis, dùm esset eorum Magister, docuerat, actus libidinosos, etiam sodomiticos, posse committi absque peccato: & ità ipse, & Nouitij credebant.

54 Aliæ verò pœnæ, nempe exilij, quo antiquitus Hæretici mulctabantur, vt benè Cardin. de Lugo *dicta disput.* 24. *sect.* 2. *num.* 37.

Fustigationis, mansionis ante fores Ecclesiæ cum candela accensa, & aliæ similes, imponuntur suspectis de Hæresi, non autem Hæreticis formalibus, Farinace. *dicta qu.* 193. *num.* 84.

Sed hac occasione quæro, an carceratis in Sancto Officio, petentibus Con-
55 fessarium, debeat eis concedi, vt saltem in foro conscientiæ absoluantur, Zanard. *in Direct. Theologorum, & Confessariorum par.* 3. 2. *par. cap.* 8. *num.* 4. habet hæc verba:

Si carcerati in Sancto Officio Confessarium petant, liberè eis dabitur, cum hoc multum eorum saluti expediat, scilicet vt Deo reconcilientur, quæ reconciliatio erit medium ad reconciliationem cum Ecclesia.

Dicit enim Confessarium debere aduertere ad multa, quæ mutuauit à Pegna, ab eo non citato, qui latè examinat hanc quæstionem *in par.* 2. *Direct. comment.* 25. & resoluit, quod si carceratus pro Hæresi incidat in morbum, & Confessarium petat, tunc ei concedendus est, qui sit doctus, & pius, & datur ei iuramentum de seruando secreto, & quod nihil reuelabit etiam de consensu pœnitentis, quod si necesse sit aliquid manifestare, persuadebit pœnitenti, vt ad Inquisitorem recurrat: Si Confessarius inuenerit pœnitentem Hæreticum, & adhùc in discrimine vitæ positum, non absoluat, nisi priùs iudicialiter fateatur. Si tamen sit morti proximus, vt non possit iudicialiter confiteri, illum absoluat, data cautione saltem iuratoria de parendo mandatis Ecclesiæ.

Quod si reus non petat Confessarium, & Medicus referat, morbum esse periculosum, tunc ei persuadendum est, vt petat Confessarium, & vbi iudicialiter priùs satisfecerit Inquisitori, prius quam moriatur, reconciliabitur Ecclesiæ, cumque fuerit iudicialiter absolutus, inde Confessarius absoluat eum Sacramentaliter. Quod intelligendum est respectu aliorum peccatorum, quia quoad Hæresim, & excommunicationem propter illam incursam, sufficit illa iudicialis.

Si autem reus sit sanus, & Confessarium

petat, poterit ei concedi, & talis sit, qui eum admoneat, vt tam de se, quàm de alijs veritatem Inquisitoribus patefaciat, absolutionem verò ei non impendat, si nouerit eum esse Hæreticum, vel excommunicatum, nisi priùs reconcilietur, & absoluatur.

56 De auditis in Confessione caueat Confessarius, ne aliquid Inquisitoribus reuelet, quæ autem extra Confessionem nouerit, statim reuelare debet, Pegnam sequitur Sousa, referens eius verba *in Aphorism. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 24. *&* 25. Salelles *de mater. Tribunal. fidei cap.* 8. *reg.* 197. *nu.* 112. *&* 117. Bordon. *in Tribunal. cap.* 34. *& de Confess. reor. qu.* 7. *nu.* 9. Masinius *in Arsenali in monitis* 10. *par. monit.* 128. Italico sermone habet hæc verba:

A' rei processati in causa di fede, eziandio mentre son sani, e pende la causa, può l'Inquisitore benignamente concedere il Confessore, qualunque volta essi lo chiederanno.

Et post pauca subiungit:

Ma sopra tutto auuerta di non assoluere Sacramentalmente il reo, se prima non sarà stato assoluto dalla scommunica, e reconciliato à Santa Chiesa.

Cæterum Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 16. *num.* 30. dicit, tunc dandam esse copiam Confessarij carceratis in Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis, si iàm suas hæreses Inquisitoribus confessi sint, vel si in extremum vitæ deuenerint, tunc enim absoluendi sunt à Confessario, & ab Inquisitoribus reconciliandi Ecclesiæ, & in loco sacro sepeliendi, donec sententia publicè proferatur. Subiungitque, *Et ità in Hispania vtimur; in Italia verò faciliùs datur victis copia Confessorij.* Simancam sequitur Piasec. *in praxi par.* 2. *cap.* 4. *art.* 6. *vers. Causa pendente.*

Post hos Pater Diana *part.* 4. *resolut. moral. tract.* 8. *de officio, & potestate Inquisit. resolut.* 6. quærit, an si carcerati petant Confessarium, debeant Inquisitores illis concedere. Et post relatam opinionem Zanardi, adducit Instructionem Toletanam *anni* 1561. *editam Matriti anno* 1574. quæ *num.* 71. sic habet:

Sy el preso tuuiere salud y pidiere Confessor, mas seguro es no se lo dar saluo sy huuiere confessado iudicialmente, y huuiere satisfecho à la testificacion, en tal caso parece cosa conueniente darle Confessor para que lo consuele.

Postquam autem dixit, non obstante dicta Instructione Toletana, docere Pegnam, benigniùs videri, vt reis Hæreticis etiam sanis Confessarius concedatur, etiamsi confessi non fuerint in iudicio, subiungit: *Sed vt plurimum praxis demonstrat securiùs esse, vt notat dicta Instructio Toletana, non dari reis Confessarium, nisi post confessionem iudicialem.*

Paramus *de Origine Inquisitionis lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 104. reprobata opinione Simanchæ, sequitur opinionem Pegnæ, & adducit Instructionem Matritanam.

Sed cum hæc quæstio examinata fuisset in Sacra Congregatione vsque de anno 1556. factum fuit infrascriptum Decretum.

Die 12. Martij 1556.

Carcerati Romæ quando sunt in confessis possunt confiteri, & absolui in foro conscientiæ, & sumere Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; vel quando sunt in extremo vitæ constituti.

De anno 1600.

Occasione Iubilæi Clemens Octauus concessit, vt carcerati in Sancto Officio possint absolui in foro conscientiæ; quæ absolutio non suffragetur in foro exteriori, Farinacc. *qu.* 185. *num.* 201.

Nec huiusmodi carcerati durantibus eorum causis admittuntur ad audiendam Missam, ex Decreto *sub die* 3. *Nouembris* 1609.

Nec admittuntur ad Sacramenta, ex Decreto 23. *Septembris* 1619.

Die tamen 9. *Septembris* 1665.

Proposita petitione N. qui carceratus pro causa Hæresis sanus petebat sibi dari Confessarium: Eminentissimi decreuerunt, posse concedi, adhibitis cauthelis adductis à Penia *loco super. citato.*

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM.

De pœna confiſcationis bonorum. Quando Hæretico pœnitenti condonentur bona. An Epiſcopi, & Inquiſitores incidant in excommunicationem capiendo bona Eccleſiæ ſub prætextu confiſcationis bonorum. An bona feudalia, & emphyteutica cadant in confiſcatione. An Domus Hæretici deſtrui poſſit. An confiſcatio fiat ipſo iure cum multis illationibus. De alimentis Hæretico præſtandis. An teneatur Hæreticus ante ſententiam declaratoriam tradere bona Fiſco. Quando iura, & actiones transfeant in Fiſcum. Quando comprehendantur in confiſcatione ſolùm bona præſentia. Quid de iuribus conditionalibus. Quid de vſufructu. An confiſcatis bonis patris reſeruentur filijs alimenta, & dotes. Quid de peculio. Quid de bonis alienari prohibitis. Quid de maioratu, & primogenitura. An Fiſcus poſſit relicta confiſcatione ad mulctam transfire. Cui Fiſco ſint applicanda bona Hæreticorum. Ad quem Iudicem ſpectet liquidatio bonorum confiſcatorum. An Princeps ſecularis, cuius Fiſco applicantur bona Hæreticorum, poſſit ante ſententiam ea remittere delinquentibus.

SVMMARIVM.

1 *Confiſcatio bonorum propter hæreſim de iure ciuili, & Canonico impoſita.*
2 *Hæretici tam impœnitentes, & relapſi, quàm pœnitentes bonis confiſcantur.*
3 *Condemnatio Hæretici in pœnas à iure inflictas comprehendit confiſcationem bonorum.*
4 *Hæretico pœnitenti etiam poſt ſententiam, an, & quando bona condonentur ex pietate Sancti Officij.*
5 *Bona relapſo pœnitenti non condonanda.*
6 *Bona an ſint condonanda reducto ad pœnitentiam poſt traditionem Curiæ ſeculari.*
7 *Bona in tertium poſt confiſcationem titulo oneroſo tranſlata an, & quando reſtituantur hæretico pœnitenti.*
8 *Reſtitutio condemnati quando eſt pleniſſima importat condonationem bonorum confiſcatorum, etiam quæ in tertium titulo oneroſo fuerunt tranſlata.*
9 *Hæreticus an iuſpatronatus amittat, & quando illud recuperet.*
Clerico ob hæreſim vltra priuationem beneficiorum confiſcantur bona patrimonialia.
10 *Acquiſita ex fructibus beneficiorum Clerico ob hæreſim confiſcantur.*
Clericus habet verum dominium de acquiſitis ex fructibus beneficiorum, & poteſt illa ad libitum diſtribuere, & alienare.
11 *Religioſus an, & quando ob hæreſim patiatur confiſcationem.*
12 *Bona Religioſi extra clauſtra viuentis, ſeu Apoſtatæ, & fugitiui ſpectant ad Cameram Apoſtolicam.*
13 *Commiſſarij Epiſcoporum, Inquiſitorum, & Capitulorum Sede vacante capientes bona Eccleſiarum propter hæreſim Clericorum, excommunicationem non euadunt.*
14 *Epiſcopus, vel Capitulum ob hæreſim Clerici capientes bona Eccleſiæ, an incidant in excommunicationem.*
15 *Quid de Inquiſitoribus.*
Inquiſitor cuius debeat eſſe ætatis.
16 *Epiſcopi difficiliùs cenſuris ſubijciuntur, & de ratione.*
17 *Capitulum non ſolet excommunicari, ſed interdici.*
Pœna opponentium alicui indebitè crimen hæreſis.
18 *Feudatarius hæreticus an, & quando priuetur Feudo itaut illud veniat in confiſcatione.*
19 *Sententia confiſcationis debet facere expreſſam mentionem de Feudo, vt illud comprehendat.*
Natura bonorum feudalium eſt ſeparata ab alijs bonis.
Feudum non venit ſub generali ſermone bonorum ſine expreſſa mentione.
20 *Confiſcatio bonorum feudalium fieri debet cum clauſula* ſaluo iure directi dominij, *& de effectibus iſtius clauſulæ.*
21 *Commoditas Feudi durante vita hæretici quando tranſeat in Fiſcum.*
22 *Vaſſallus non tenetur eſſe fidelis domino hæretico, non obſtante iuramento fidelitatis.*

59 *Alienatio ex causa alimentorum facta per Hæreticum post sententiam, an, quando, & quomodo per Fiscum reuocetur.*

60 *Alimenta subministrantur Hæretico per S. Officium durante carceratione, & causa, ac etiam post relaxationem Brachio seculari.*

61 *Iudex secularis differens executionem sententiæ contra Hæreticum sibi relaxatum, tenetur illum alere de proprio.*

62 *Praxis Supremæ circa alimenta carceratorum.*

63 *Religiosi Minoris Obseruantiæ carcerati in Sancto Officio vnde sint alendi.*

64 *Procuratores Generales in Vrbe coguntur soluere alimenta pro carceratis suę Religionis ab Inquisitione detentis.*

65 *Relaxatis Brachio seculari vnde in Vrbe subministrentur alimenta.*

66 *Expensæ pro vehendis ad Vrbem carceratis S. Officij vnde soluendæ.*

67 *Hæreticus quando alienare possit pro defensione suæ causę, itaut alienatio tanquam facta in causam necessariam non reuocetur à Fisco.*

68 *Fiscus an, & quos fructus reuocare possit ex bonis per Hęreticum alienatis prouenientes.*

Fructus sequuntur dominium.

69 *Fructus consumptos prouenientes ex bonis per Hęreticum alienatis, an, & quando Fiscus possit reuocare.*

Titulus iuris errore quæsitus sufficit ad acquisitionem fructuum.

Occasio quęlibet possidendi sufficit ad acquisitionem fructuum.

Fructus intelliguntur deductis expensis.

70 *Hęreticus an teneatur tradere bona Fisco ante sententiam declaratoriam.*

71 *Hęreticus an, & quando teneatur offerre bona Fisco.*

72 *Hęreticus notorius an teneatur tradere bona Fisco.*

73 *Fiscus occupans bona Hęretici notorij ante sententiam an teneatur ea restituere, vel possit ea ponere sub sequestro.*

74 *Hęres delinquentis ante sententiam condemnatoriam defuncti non potest à Fisco neque quoad bona conueniri.*

Quid in delicto hæresis.

75 *Pœna requirit sententiam declaratoriam, & condemnatoriam.*

An id procedat in confiscatione ob delictum hæresis.

76 *Confiscatio ob delictum hęresis comprehendit omnia bona mobilia, immobilia, semouentia, iura, & actiones.*

Sub dictione bona *absolutè prolata veniunt iura, & actiones.*

77 *Hęreticus non potest agere contra debitores, qui respectu ipsius remanent liberati, sed tenentur Fisco.*

78 *Fiscus quando experiri possit iura, & actiones Hęretici.*

79 *Fiscus an possit cogere habentem facultatem disponendi delinquentem, vt disponat ad sui fauorem.*

80 *Facultas disponendi consumpta, an dicatur ad fauorem Fisci eo ipso quod facultatarius committit delictum etiam in pręiudicium substituti, & nu. seqq.*

81 *Facultas disponendi est personalis, nec transit ad hęredes, vel in Fiscum.*

82 *Facultas disponendi an censentur tacitè consumpta ad fauorem venientium ab intestato, & quid si est datus substitutus non facta dispositione.*

83 *Inuitus obligari non potest ad id, quod in eius voluntate consistit.*

Dispositio consistens in voluntate cogi non potest.

Conciliatio text. in l. cum quidam, *cum* l. in fraudem, ff. de iur. Fisc.

Reus potest non quęrere in pręiudicium Fisci, tam ante quam post condemnationem.

Debitor potest non quęrere in pręiudicium creditoris.

Creditor priuatus est potioris conditionis, quam Fiscus pœnam exigens, & de ratione.

Fiscus pro pœna an habeat hypothecam.

Facultas disponendi non cadit sub hypotheca.

Facultas disponendi cum substitutione in casu non dispositionis, si facultatarius non disponat tribuit ab initio ius quęsitum substituto.

Facultas disponendi dominium non tribuit.

Dominium rei legatæ quomodo ipso iure transeat in legatarium.

Emphyteuta alienando emphyteusim irrequisito domino punitur, siue alienatio valeat, siue non.

Dispositio dubia intelligenda potius ad fauorem Rei, quam Fisci.

Lex dubia allegari non potest pro decisione causarum.

Ius quęsitum non dicitur ex iure euentuali, quo quis potest non vti.

84 *Facultas disponendi regulariter non tribuit ius quæsitum.*

Fiscus virtute confiscationis cogere non potest donantem delinquentem ad reuocandam donationem, quamuis reuocandi facultatem sibi reseruasset.

Filius delinquens non potest à Fisco cogi ad reijciendum onus quod pater relinquendo legitimam apposuerat.

Facultas reijciendi onus à patre appositam relinquendo legitimam dependet à voluntate filij.

Facultas disponendi intelligenda est de dispositione propria, non autem de facto, & impropria.

Facultas disponendi tempore mortis an possit exerceri in vita irreuocabiliter.

85 *Confiscatio bonorum Hæretici non comprehendit bona futura, sed præsentia tantùm.*

Quid de bonis per Hæreticum acquisitis post patratum crimen vsque ad diem latæ sententię.

86 *Quid de bonis acquisitis ex causa de præterito.*

87 *Confiscatio iurium non comprehendit iura conditionalia dependentia ex vltima voluntate, quorum conditio post condemnationem purificatur.*

Implementum conditionis in vltimis voluntatibus non retrotrahitur.

Dispositio conditionalis in vltimis voluntatibus non transmittitur ad hæredes extraneos, sed perit cum instituto ante illius euentum defuncto.

88 *An id procedat in quacumque conditione.*

89 *Fiscus tenetur implere onus annexum legato, quod in illum transit per confiscationem.*

90 *Conditio substitutionis si purificetur fauore delinquentis post confiscationem Fiscus non acquirit bona inde prouenientia.*

Quid si conditio contineat ius passiuum.

91 *Iura conditionalia prouenientia ex contractu adimpleta conditione post condemnationem transeunt in Fiscum.*

92 *Implementum conditionis in contractibus retrotrahitur.*

Prouenientia ex contractu transeunt in extraneos hæredes.

93 *An id procedat in iuribus conditionalibus tam actiuis, quàm passiuis.*

94 *Fiscus non est propriè hæres delinquentis.*

Fiscus est vniuersalis successor condemnati, & tenetur ad eius debita.

95 *Iura conditionalia contractus an transeant in Fiscum quęcumque sit conditio, & quid de conditione potestatiua.*

96 *Vsusfructus Hæretico spectans an per confiscationem illius bonorum consolidetur cum proprietate.*

97 *Vel transeat in Fiscum illius commoditas.*

Vsusfructus per mediam capitis diminutionem vsufructuarij, vt per condemnationem ad perpetuos carceres, vel Triremes, vel ad perpetuam relegationem consolidatur cum proprietate.

98 *Vsusfructus competens patri in bonis aduentitijs filij per illius hęresim non confiscatur, sed spectat ad filium proprietarium, & de ratione.*

Pater hæreticus statim amittit ius patriæ potestatis.

99 *Peculium profectitium filij est proprium patris tam quoad dominium, quàm quoad vsumfructum, & num.108.*

Filius habet administrationem peculij profectitij.

Et an debeat eo priuari ob hęresim patris.

100 *Filijs Hęretici, cuius bona fuerunt confiscata, an reseruentur alimenta, vel iura legitimę.*

Pater potest hypothecæ omnia bona cum creditoribus subijcere non deductis alimentis filij.

Et an id possit facere per delictum.

Dos filiæ non reseruatur in confiscatione bonorum patris Hęretici.

101 *Fiscus reuocare an possit dotem à patre Hęretico post delictum filię assignatam pro matrimonio carnali, vel spirituali, & num. seq.*

Quid de dote assignata Cappellę, vel Ecclesiæ.

102 *Dos filię hęretici, cuius bona fuerunt confiscata an debeat per Sanctum Officium constitui.*

Fiscus in Tribunalibus maioribus constituit dotem filiabus Rei criminis lęsę maiestatis humanę ex bonis confiscatis.

103 *Filius impubes Hęretici quomodo alendus, & educandus.*

Dos quanta constitui debeat filiabus Hęretici.

104 *Alimenta omnibus Hęretici filijs debentur à Fisco saltem ex ęquitate.*

105 *Peculium castrense vel quasi ob delictum, vel hęresim filijfamilias non venit in confiscatione, sed patri relinquitur.*

Quid si filiusfamilias haberet filios.

106 *Bona aduentitia filijfamilias delinquentis tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum in confiscatione patri relinquuntur etiam in crimine hęresis.*

107 *Quid si filius bona aduentitia administret de consensu patris.*

Quid de bonis, in quibus pater habet solam spem vsusfructus, vel caret vsufructu.

108 *Bona profectitia filijfamilias non veniunt in confiscatione.*

Quid si filius habeat illorum administrationem cum potestate donandi, & dissipandi.

109 *Legitima filio debita in bonis patris an veniat in confiscatione ob illius hæresim.*

110 *Quid si fuisset à patre in vita filio assignata.*

111 *Legitima mortuo patre post delictum filij hæretici non publicatur, & de ratione.*

112 *Alimenta filio à parentibus debita, & singulis annis dari solita, non veniunt in confiscatione ob illius hæresim, & de ratione.*

113 *Dos vxoris non venit in confiscatione ob hæresim viri.*

114 *Quid si de dote non constaret, nisi per confessionem de recepto.*

115 *Quid si confessio esset adminiculata.*

Confessio dotis receptæ quando probet itaut ea non veniat in confiscatione ob hæresim viri.

116 *Fiscus tenetur restituere vxori Hæretici dotem,*

dotem, prout tenebatur vir.

117 *Et interim tenetur præstare alimenta, vel fructus, & interusuria dotis.*
Bona propria vxoris non veniunt in confiscatione ob hæresim viri.

118 *Bona paraphrenalia, quarta reseruata coniugi inopi, lucrum dotale, donatio propter nuptias, non veniunt in confiscatione ob delictum viri, & de ratione.*

119 *Quid de bonis vxori donatis à consanguineis viri.*

120 *Quid de iocalibus, & vestibus pretiosis, & num. seq.*
Maritus retinet dominium iocalium, & vestium pretiosarum vxori traditarum, & de ratione.

121 *Vxor an debeat priuari iocalibus, & vestibus etiam pretiosis ob delictum, vel hæresim viri.*

122 *Dos mulieris scienter Hæretico nubentis confiscatur.*

123 *Scientia vxoris de hæresi viri quo tempore requiratur ad confiscandam dotem, & an præsumatur, vel probari debeat à Fisco.*

124 *Dos tertio restituenda, an veniat in confiscatione ex quo mulier scienter nupserit Hæretico, & an Fiscus possit frui illius fructibus donec veniat casus restitutionis.*

125 *Et an veniant in confiscatione mulieris bona extradotalia.*

126 *Vxor non denuncians maritum Hæreticum an amittat dotem.*

127 *Quid si comitetur maritum de hæresi damnatum.*

128 *Vir Catholicus scienter ducens Hæreticam an amittat bona.*

129 *Contra mulierem, quæ scienter nubit Hæretico an procedi possit tanquam suspectam de hæresi, vel Hæreticorum fautricem.*

130 *Mulier Catholica reperta Hæretica postquam scienter nupsit cum Hæretico amittit dotem, & omnia bona, & lucra.*
Et an, & quando amittat commoditatem, & fructus in præiudicium viri, & num. sequ.
Mulier alienando per delictum an possit viro præiudicare.

131 *Dos constituitur propter onera matrimonij.*

132 *Maritus conscius hæresis vxoris, nec curans illam retrahere, vel denunciare, an, & quando consequatur lucrum dotis.*
Lucrum dotis delatum ex Statuto, vel pacto an censeatur publicatum publicata dote.

133 *Vxor cui fuit confiscata dos à quo sit alenda.*

134 *Bona alienari prohibita an, & quando cadant sub confiscatione, & numero sequen.*

135 *Commoditas bonorum alienari prohibitorum an, & quando pertineat ad Fiscum durante vita delinquentis.*

136 *Prohibitio testatoris ne bona transeant in Fiscum, nullo dato substituto an teneat.*

137 *Bona fideicommissaria tacitè alienari prohibita an transeant in Fiscum quoad commoditatem quamdiu hæreticus vixerit.*

138 *Bona alienari prohibita extra familiam, vel aliquod personarum genus an veniant in confiscatione.*

139 *Legitima deducenda ex bonis fideicommissarijs venit in confiscatione bonorum Hæretici cui competit.*

140 *Trebellianica an, & quando veniat in confiscatione bonorum Hæretici.*
Et an prohiberi possit filijs primi gradus.

141 *Bona limitate alienari prohibita puta inter viuos, an veniant in confiscatione.*

142 *Bona fideicommissaria an veniant in confiscatione quando fideicommissum extinguitur in personam Hæretici.*

143 *Prohibitio alienationis ad exclusionem Fisci quomodo sit concipienda.*

144 *Et an hæc cauthela habeat locum in delicto hæresis.*

145 *Fiscus postquam mulctauit contumacem delinquentem, & posteà conuictum in pœnam confiscationis damnauit, an possit inconstans relicta confiscatione ad mulctam redire, & num. seq.*
Mulcta pecuniaria Hæreticis, vel suspectis de hæresi hodie non imponitur.
Citari quomodo hodie debeat Hæreticus, vel hæresis suspectus.

146 *Creditum mulcta remanet confusum acceptata per Fiscum confiscatione.*

147 *Confiscatio quando dicatur acceptata per Fiscum.*
Bona delinquentis quando sunt posita ad cridas tunc dicitur acceptata confiscatio.

148 *Arma Principis vel Fisci quando affixa sunt domui delinquentis tunc acceptata dicitur confiscatio.*

149 *Fiscus an possit repudiare confiscationem postquam incorporauit bona, & cœpit soluere creditoribus.*

150 *Fiscus non tenetur vltra vires hæreditarias.*

151 *Bona sublecta maioratui, vel primogenituræ an veniant in confiscatione, & num. 158.*
Instituens maioratum, seu primogenituram si incidat in hæresim, illius bona an veniant in confiscatione, & numeris sequentibus.

152 *Obligatio non oritur ex vltima voluntate.*

153 *Confiscatio an, & quando comprehendat donationem inter viuos cum maioratu, vel primogenitura factam à delinquente.*

154 *Institutio maioratus, seu primogenituræ si fiat per contractum inter viuos reuocabilem, an veniat in confiscatione, & num. seq.*

Ius reuocandi contractum remanens penès contrahentem non transit in Fiscum.

Iura personalia non transeunt in Fiscum.

Donatio continens maioratum, vel primogenituram, quamuis reuocabilis assimilatur magis contractui inter viuos, quam vltimæ voluntati.

Donatio vxori facta per virum quamuis reuocabilis non pertinet ad Fiscum.

156 *Bona primogenituræ reuocata per instituentem quando veniant in confiscatione.*

157 *Sententia confiscationis non claudit nisi bona, quæ tunc erant delinquentis nulli alteri obligata.*

158 *Fructus maioratus, quando non confiscatur illius proprietas an spectent ad Fiscum durante vita delinquentis, & quid si delinquens sit ipse institutor.*

Clausula interdicens alienationem, & applicans bona sequenti vocato statim, ac possessor attentauerit delinquere, an suffragetur quando delinquit ipsemet institutus.

159 *Delictum successoris, & pœna confiscationis illi imposita non potest nocere primo instituenti.*

160 *Fiscus quando consequatur fructus, vel cōmoditatem bonorum subiectorum maioratui, vel primogenituræ durante vita delinquentis.*

161 *Confiscatio ob hæresim cui Fisco applicetur.*

162 *Crimen hæresis est merè Ecclesiasticum.*

Papa potest applicare cui velit bona, quæ veniunt in confiscatione ob delictum hæresis.

163 *Princeps secularis nullam habet potestatem statuendi super confiscatione bonorum Hæretici, & si statuat potest puniri tanquam impediens iurisdictionem S. Officij.*

164 *Princeps temporalis sine indulto Summi Pontificis nullum habet ius super applicatione bonorum Hæretici, vel eorum partis suo Fisco.*

Bona ob hæresim confiscata spectant ad Fiscum Ecclesiæ, & Sancti Officij, & num. 176.

Indultum Papæ quod Princeps secularis possit applicare bona Hæretici eius Fisco, quibus conditionibus concedatur.

165 *De indulto in hac materia concesso Senatui Veneto.*

166 *Aliud Regum Catholici, & Lusitaniæ.*

167 *Indultum Principibus secularibus vt partem bonorum Hæretici applicare possint suo Fisco quomodo concipiatur.*

De indulto Ducis Sabaudiæ.

168 *De alio Ducis Mantuæ.*

169 *De consuetudine Placentiæ circa hanc ipsam applicationem.*

170 *De alia Mediolani, & numeris 177. & 183.*

171 *De alia Status Magni Ducis Florentini.*

172 *Bona confiscata ob hæresim in Ciuitate Senarum cui applicentur.*

Principes seculares applicantes suo Fisco bona Hæreticorum sine priuilegio, vel consuetudine per Sedem Apostolicam tolerata, quas pœnas incurrant, & an inflictas contra occupantes bona Ecclesiæ.

173 *Principes seculares hodie non subministrant Sancto Officio expensas necessarias, prout tenentur.*

174 *Papa quomodo prouiderit Inquisitores Italiæ pro necessarijs expensis Inquisitionum.*

Confiscatio cur non fiat in Regno Neapolitano etiam ob delictum hæresis.

175 *Episcopi vbi non sunt Inquisitores an, & in quam causam applicare debeant bona Hæreticorum suo Fisco.*

178 *Liquidatio bonorum Hæretici diuidendorum inter Fiscum Ecclesiæ, & Fiscum secularem an spectet ad Iudicem secularem, & ad quem spectet diuisio.*

179 *Confiscatio bonorum Hæretici fit in consequentiam sententiæ latæ ab Inquisitore.*

Iudicium idem fieri debet de accessorio, quod de principali.

Liquidatio bonorum confiscandorum est pars sententiæ confiscationis, & quid in feudalibus.

180 *Iudex Ecclesiasticus dignior Iudice laico.*

181 *Princeps secularis non potest præiudicare Episcopo, & Inquisitori in eorum portione super bonis Hæretici, vbi illa sunt cum ipso Principe diuidenda.*

182 *Inquisitori competit diuidere, liquidare, & vendere bona Hæretici vbi illa sunt cum Principe seculari diuidenda.*

183 *Consuetudo non probatur ex attestatione Doctoris in præiudicium tertij.*

Princeps secularis an possit ante sententiam declaratoriam remittere confiscationem bonorum Hæretici ad eius Fiscum in totum, vel pro parte applicandorum, & numeris seqq.

Edictum Regis Lusitaniæ super remissione confiscationum faciendarum contra gentem nationis, seu Christianos iudaizantes cum censura Inquisitorum Regni, & examinatur per plures numeros seqq. vsque ad num. 209.

185 *Princeps secularis an possit statuere super*

bonis laicorum, quæ habeant dependentiam ab Ecclesia, & num. 190.

186 *Statutum laicale an, & quando possit ligare laicos super his quæ sunt de temporali iurisdictione Ecclesiæ, quamuis quoad Ecclesiam non valeat, & num. 194.*

187 *Princeps laicus statuere potest super dote, licet dependeat ab actu spirituali matrimonij, & de ratione num. 199.*

188 *Dispositio de re sub conditione debita an, & quando teneat, & num. 202.*

189 *Confiscatio bonorum Hæretici dependet à sacris Canonibus.*

Princeps laicus statuere non potest contra dispositionem sacrorum Canonum.

191 *Bona Ecclesiastica, quæ personam sequuntur, non possunt subijci statuto laicali.*

192 *Princeps secularis nullam habet iurisdictionem in personam Hæretici, nec super bonis confiscandis ob delictum hæresis.*

193 *Statutum laicale super bonis laicalibus dependentibus ab Ecclesia non valet vbi concurrit praiudicium Ecclesiæ, quamuis modicum.*

194 *Ciuitas de temporali iurisdictione Ecclesiæ an, & quando possit facere statuta contra sacros Canones.*

195 *Statutum contra Canones an sit rationabile, indicare spectat ad Summum Pontificem.*

Exemptio delinquentium in hæresi, & apostasia à pænis, & confiscatione non est rationabilis, & de ratione.

196 *Exemptio concessa Hæretico per Principem secularem à pœnis, & confiscatione, impedit potestatem Tribunalis Sancti Officij.*

197 *Substantia actus est attendenda potius quam verba.*

Verba non saluant conscientiam.

Princeps secularis non potest statuere ne bona Hæreticorum adnotentur etiam vbi eius fisco sunt applicanda, & num. 200.

198 *Bona Hæreticorum apprehendi, & confiscari non possunt per Principes, sine Dominos temporales, nisi secuta sententia, vel declaratione.*

Confiscatio consistit in applicatione bonorum delinquentis.

199 *Dos est quid accidentale respectu matrimonij.*

Matrimonium potest esse sine dote.

200 *Hæresis plerumque procedit à cupiditate diuitiarum.*

Hæretici peiores alijs sceleratis.

Possessio diuitiarum plurimum nocet Hæreticis.

202 *Concessio pro vno tempore importat denegationem pro alio.*

Inclusio vnius temporis est exclusio alterius.

Tempus permissum seruari debet in prohibitis, & pro certo tempore permissis.

203 *Facultas disponendi in vltima voluntate non potest trahi ad dispensationem inter viuos, & è contra.*

204 *Pœna etiam confiscationis non potest Hæreticis non remitti nisi per solum Papam.*

Princeps secularis non potest petere interesse vbi bona Hæreticorum sunt eius Fisco applicanda eo quod Inquisitor sola abiuratione Hæreticum pænitentem dimiserit.

206 *Princeps secularis an, & quando donare possit Hæreticis bona eius Fisco applicanda.*

Hæreticus an, & quando sit recipiendus.

SECVNDA pœna temporalis contra Hæreticos est confiscatio omnium bonorum, quæ vtroque iure, tam

1 Ciuili, quàm Canonico propter delictum hæresis imposita est. Iure quidem Ciuili per Textum *in l. Manichæos cum duabus sequentibus, & in Auth. Gazarof. C. de hæret. l. Quisquis col. vlt. C. ad legem Iuliam Maiestatis.*

Iure autem Canonico per Text. *in cap. Vergentis §. 1. de hæret. cap. Excommunicamus il primo, §. Damnati eodem tit. cap. super quibusdam de verb. significat. cap. Cum secundùm leges de hæret. in 6.* infinitos allegat Farinacc. *qu.* 190. *num.* 1. addo Sanchez *ad præcept. lib. 2. cap. 14.* Suarez *de fide disp. 22. sect. 1. num. 2.* Sanctarell. *de hæresi cap. 20.* Card. de Lugo *d. disp. 24. sect. 1. num. 1.* P. del Bene *par. 1. dub. 106. num. 1.*

2 Hæc autem pœna imponitur tam Hæreticis impœnitentibus, & relapsis, quàm pœnitentibus, Geminian. *d. cap. secundùm leges nu. 4.* & ibi Franch. *num. 2.* Simanch. *de Cathol. tit. 42. num. 17. & tit. 47. num. 15.* Roias *de hæret. par. 1. num. 118.* Sanchez *d. cap. 14. num. 2.* Sanctarellus, qui alios adducit *in cap. 20. dub. vnic. num 6.* Ricciull. *de Iure personarum lib. 5. cap. 42. num. 1.*

Ideo quando hæretici etiam pœnitentes condemnantur in pœnas contra hære-

3 ticos à iure inflictas, nemini dubium est, quin sub hac condemnatione includatur etiam confiscatio bonorum, vt benè Farinacc. *qu.* 190. *num.* 131.

Verumtamen est, quod hæreticis pœnitentibus semper condonantur bona, siue

4 eos pœniteat ante sententiam, siue post: in hoc enim exuberat pietas Sancti Officij, latè Paris. *conf.* 2. *num.* 184. *lib.* 4. Roland. *conf.* 63. *num.* 27. *lib.* 3. Pegna *par. 3. comment.* 158. Farinacc. *d. qu.* 190. *num.* 135. & 136. & videtur hoc statutum fuisse *in d. cap. Vergentis* ibi *posse tamen bona confiscata illis condonari* & ibi notat Gloss. *in ver. Misereri,* Anchar. *n. 3.* Abbas *nu.* 2. Felin. *nu. 2.* Sanctarell. *loc. cit. n. 6.* Ricciull. *loc. cit. nu. 2.* plures refert Fermosinus *alleg.* 44. *à nu.* 10.

eum seqq. & allegat. 48. de confiscatione bonorum.

5 Dummodo hæreticus pœnitens non sit relapsus, quia ei non condonantur bona, Gloss. *in cap. Ad abolendam ver. Credentium de hæret.* & ibi Hostiens. *num.* 9. Anton. de Butr. *nu.* 24. Boich. *in d. cap. Vergentis nu.* 7. Farinacc. *d. qu.* 190. *nu.* 143. Ricciull. *d. tract lib.* 5. *cap.* 42. *n.* 16. Fermosin. *d. alleg.* 48. *nu.* 8.

Ideo *de anno* 1593. *die* 20. *Augusti* scriptum fuit à Sacra Congregatione Inquisitori Ianuen., quod tueretur Iura S. Officij in bonis confiscatis Augustino Mortaro relapso, licèt posteà *sub die* 20. *Maij* 1594. Suprema, & Vniuersalis Inquisitio condonauerit prædicta bona Senatui Ianuen. ad effectum illa distribuendi locis Piis dictæ Ciuitatis.

Idem crederem seruandum, quando hæreticus, postquam traditus est Brachio 6 seculari, reducitur ad pœnitentiam, quia licèt ad eam ex misericordia admittatur, non tamen restitui debent ei bona confiscata, Pegna *par.* 3. *comment.* 158. *vers. secunda conclusio*, Farinacc. *d. qu.* 190. *nu.* 142.

7 Pariter non condonantur hæreticis bona post confiscationem in alios titulo oneroso, non autem lucratiuo translata, vt post Ghirland. distinguit Decianus *lib.* 5. *cap.* 44. *nu.* 10. Farinacc. *d. qu.* 194. *nu.* 148. Fermosin. *d. alleg.* 44. *num.* 18. *cum seqq.*

Sed hoc pendet à verbis condonationis, & gratiæ Principis; Nam si condonatio, 8 & restitutio sit plenissima, Restitutus recuperat etiam bona in alium translata ne dum titulo lucratiuo, sed etiam titulo oneroso, Roland. *cons.* 45. *num.* 33. *lib.* 4. Fachineus *cons.* 15. *num.* 37. Oddus *de restit. qu.* 99. *num.* 71. & 108. cum aliis per Rotam Romanam coram Merlino *decis.* 125. *num.* 2. & 31. latissimè Pasqualig. *in suis qu. moral. Iuridic. qu.* 61. *per tot. & præsertim num.* 2.

Et hoc casu crederem hæreticum pœnitentem recuperare etiam Iuspatronatus, de qua quæstione videndus est Fermosin. *d. allegat.* 48. *à num.* 8. *cum seqq.*

9 Quicquid dixerit Felin. Carrer. & alij relati à Farinaccio *d. qu.* 190. *num.* 152. vbi *num.* 153. allegat Doctores tenentes hæreticum ad fidem reuersum non amittere Iuspatronatus, nam Clerici hæretici priuantur, vt supra dictum est Beneficiis, & eorum bona patrimonialia confiscantur, Gloss. *in Clement.* 2. *verf. Ecclesiarum de hæret.* Couuar. *lib.* 2. *var. cap.* 9. *num.* 12. Pegna *par.* 3. *comment.* 61. Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *num.* 92. Sanchez *cap.* 20. *num.* 22. Farinacc. *d. q.* 190. *num.* 154.

Et non solùm patrimonialia, sed quæ ex fructibus Beneficiorum acquisiuerunt, 10 quia Clerici in illis habent verum dominium, & ad sui libitum distribuere, & alienare possunt, Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *num.* 90. Pegna *d. comment.* 161. Farinacc. *d. qu.* 190. *num.* 160. Cui autem applicentur, an Fisco, an Ecclesiæ infra videbimus.

11 Religiosis autem non auferuntur bona, quia non sibi, sed Monasterio acquirunt, Gloss. *in d. Clement.* 2. *vers. Ecclesiarum de hæret.* & ibi Zabarell. §. *Inquisitor. num.* 2. Imola *num.* 7. Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 14.

Quod intellige, nisi Religiosi vixerint extra Claustra, vel essent fugitiui, & Apo-12 statæ, & extra Claustra capti, & condemnati, quia istorum bona spectant ad Cameram Apostolicam vigore Motus proprij Gregorij Decimitertij, de quo Sanchez *ad præcept. lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 29. & 31. Massin. *de confiscat. qu.* 16. *num.* 64. & 75.

Caueant tamen Commissarij Episcoporum, Inquisitorum, & Capitulorum Sede vacante, ne sub prætextu confiscandi, & 13 capiendi bona Clericorum propter hæresim, capiant bona Ecclesiarum, quia pœnam excommunicationis non euadent. Textus est litteralis *in d. Clement.* 2. *de hæret.* & ibi Gloss. & Canonistæ, Pegna *dicto comment.* 161. Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 13. Farinacc. *d. qu.* 190. *num.* 162. P. del Bene *d. dub.* 106. *num.* 6.

An autem Inquisitores, & Episcopi, & Capitulum incidant in hanc excommunicationem.

14 Quoad Episcopos, & Capitulum communis Doctorum opinio est, non incidere, ità Gloss. *in d. Clement.* 2. *in ver. Commissarijs*, & ibi Imola *num.* 5. Cardinal. *ver. Inquisitoribus num.* 1. Bonifacius Vitalinus *à num.* 41. *vsque ad* 46. D. Antonin., Angel. Siluester, Suarez relati à Sanchez *dicto cap.* 20. *num.* 6.

Quoverò ad Inquisitores dubium potest insurgere à contextu litteræ: Nam ibi dicitur:

15 *Nolentes splendorem solitum negotij fidei per actus indirectos, & improbos quorumuis Inquisitorum hæreticæ prauitatis, quasi tenebrosi fumi caligine obfuscari, hoc Sacro Concilio approbante statuimus: Nullis ex nunc, nisi qui quadragesimum ætatis annum attingerent officium Inquisitionis prædictæ committi Inquisitoribus, & tam ipsorum, quàm Episcoporum, seu Capitulorum, Sede vacante super hoc deputatis Commissarijs quibuscunque.*

Nam si clausula incipiat *Inquisitoribus, & tam ipsorum &c.* certum est includi Inquisitores, si verò incipiat, *& tam ipsorum*, non videntur includi Inquisitores, vt benè dicit Zabarell. *d. Clement.* 2. *ver. Inquisitoribus.*

Sed non est recedendum à communi opinione, quæ habet, quod Inquisitores in hac censura includantur, vt volunt Glossa, Vitalinus, D. Antoninus, Siluester, Tabien. Nauarrus, Gaietanus, Ro-

ſella, Armilla, & alij relati à Sanchez *loco citato num.* 5.

Neque contextus litteræ poteſt applicari alteri opinioni, quia barbara eſſet latinitas iudicio meo, ſi Textus diceret, *Nullis &c. Officium Inquiſitionis committatur Inquiſitoribus*, & propterea non aſſentior Sanchez, quod ille Textus meliùs poſſit legi, ſi iungatur verbum *Inquiſitoribus* clauſulæ præcedenti.

Nec videtur inconueniens differenria
inter Inquiſitorem, Epiſcopum, & Capi-
16 tulum Sedis vacantis, quia Epiſcopi non
ſubijciuntur ità facilè cenſuris propter
eorum dignitatem *cap. 2. de officio Delegati in 6.*

17 Nec Capitulum ſolet excommunicari tanquam Vniuerſitas, ſed interdici.

Et videmus *in Clementina antecedenti* Pontificem ſubijcere vinculo excommunicationis Inquiſitorem, & non Epiſcopum, ſi opponant alicui indebitè crimen Hæreſis.

Huic autem pœnæ confiſcationis non ſolùm ſubiacent Laici, & Clerici ſimplices, ſed laici feuda poſſidentes, imò & Principes non recognoſcentes Superiorem, vt benè Suarez *diſp. 22. ſect. 6. nu. 1.*

Quod enim attinet ad feudatarios, cer-
tum eſt, illos ob hæreſim priuari feudo,
18 illudque venire in bonorum confiſcatio-
ne, Boich. *in cap. Vergentis num.* 10. & ibi
Anchar. *num.* 1. Ioannes de Anan. *num. 4. & 7. de hæret.* facit Textus *in cap. Excommunicamus il primo §. Moneantur Extrauag. eodem*, & ibi omnes Canoniſtæ, Anchar. *in Clement. 2. num.* 4. & ibi Zabarell. *§. Inquiſitoribus num. 4. de Hæret.* Simanch. Gulielm. de Benedict. Corrad. Brun. Carrer. Burſatt. Decian. Canter. Pegna, & alij relati à Farinaccio *quæſt.* 190. *num.* 59. vbi refert Conſtitutionem Leonis Decimi editam *anno* 1520. *Exurge Domine*, de qua per Pegnam *in litteris Apoſtolicis*, P. del Bene *par. 1. dub.* 119. vbi diſtinguit circa naturam feudorum, Fermoſin. latiſſimè *infra citatus allegat. 20. à num. 15. cum ſeqq.*

19 Sed hoc verum eſt dummodo in ſententia confiſcationis de feudo fiat expreſſa mentio, Cephal. *conſ. 16. num. 13. vol. 1.* Roland. *conſ. 29. num. 10. vol. 1.* Ea ratione, quia natura bonorum feudalium eſt ſeparata, & diuerſa ab alijs bonis, ideo ſub generali ſermone verborum minimè veniunt, niſi de illis fiat ſpecialis mentio, Pariſ. *conſ. 7. nu. 3. vol. 1. & conſ. 12. nu. 62. eodem vol.* cum alijs per Farinacc. *qu. 25. num. 63.* quibus addo Fermoſin. *de confiſcatione bonorum alleg. 33. num. 20.*

Hinc paret quàm minus rectè Collaterale Conſilium Neapolitanum poſuerit ſub ſequeſtro bona feudalia cuiuſdam, qui licèt confeſſus de Apoſtaſia à fide, non ſolùm non damnatus fuit in confiſcationem bonorum feudalium, ſed liberatus à totali bonorum confiſcatione, & ſolummodò mulctatus in pœnam ſcutorum bis mille applicandorum locis pijs arbitrio Sanctiſſimi.

Aduertendum tamen eſt, quod confiſ-
catio bonorum feudalium fit *ſaluo iure directi Domini*, & propterea, ſi feudum fue-
20 rit profanum redit ad Dominum dire-
ctum, ſi verò Eccleſiaſticum redit ad Ec-
cleſiam, vt expreſsè patet *in cap. Excommunicamus il primo, §. Moneantur in fine* illis verbis:

Saluo iure Domini principalis, dummodò ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat, & ibi Gloſsa *in ver. Saluo iure*, & cæteri Canoniſtæ, quos refert, & ſequitur Farinacc. *d. qu.* 190. §. 4. *num.* 59. plenè Fermoſin. *d. alleg. 33. à num.* 14.

Quando autem commoditas feudi, ſeu
fructus durante vita Hæretici tranſeant in
21 fiſcum, videndus eſt plenè Farinaccius
qu. 25. à num. 68. ibi plura de hac materia, & infinitos adducit Maſſin. *de confiſcat. quæſt. 33. num.* 1. Fermoſin. *d. allegat. 33. à num. 10. cum ſeqq.* P. del Bene *d. dub.* 119. *num.* 12. 13. 14.

22 Illud ſanè certum eſt, quod Interim Vaſſallus non tenetur eſſe fidelis Domino hæretico, Capic. *in Inueſt. feudal. cap. Feuda amittuntur caſ.* 52. 63. Moff. *de feud. tit. fin. num.* 112. Intrigl. *in centur. feud. qu. 95. num.* 122. Thomas de Marin. *de gener. feud. tit. 16. num. 6. & 12.* Iſern. *cap. 1. §. fin. num.* 18. Schrader. *de feud. par. 6. cap. 5. num. 16. & ſeq.* Menoch. *de recuperan. remed.* 10. *num.* 92. Deciau. *lib. 5. cap. 44. num.* 5.

Et hęc eſt vna cauſa Inconſtantiæ, quoad iuramentum fidelitatis in Vaſſallis, Roſenrhall. *de feudis cap. 10. concluſ. 35. num. 96.*

23 Quæ tamen Inconſtantia ceſſat, ſi Dominus ſit liberatus ab hæreſi *cap. 1. in princip. hic finit lex de iur. iurand.* Schrader. *d. cap. 5. num. 16. in fine.*

Quod verò attinet ad Supremos Prin-
cipes Superiorem non recognoſcentes:
24 Quæſtio iſta tranſactis modernis tempo-
ribus Turbas commouit in Gallia contra opus, P. Suarez *aduerſus Regem Angliæ*, vbi *lib. 3. cap. 23.* examinat latè, an Summus Pontifex poſſit punire Regem hæreticum, eumque Regno priuare.

Secundò contra librum Card. Bellarm. *contra Barclaium*.

Tertiò contra opus P. Sanctarell. *de hæreſi*, qui *cap. 30. dub. vnico* eandem quæſtionem examinauit.

Sed immeritò, quia tam Sacri Canones, quàm Sancti Patres, necnon Concilia Oecumenica hanc veritatem aſtruunt, & Gallia ipſa ſæpiùs agnouit, & faſſa eſt, au-

ctoritatem huiusmodi in Summo Pontifice residere, & præsertim tempore Henrici Tertij. Nam Ciues Parisienses pro reliquo Catholicorum,& fidelium in Gallia cœtu supplicem libellum porrexerunt Summo Pontifici Sixto Quinto rogantes eum, vt sua potestate vteretur contra eundem Henricum.

Et tempore Vrbani Octaui fel. rec. facultas Theologica Parisiensis Sorbonæ censuram contra librum Sanctarelli non agnouit pro sua.

Sed qui plura de hac quæstione videre cupit, vltra Suarez *dicto tractatu aduersus Regem Angliæ loco citato, & de fide disp.* 22. *sect.* 6. & eundem Sanctarellum *loco citato*, adeat P. Dianam *in suo tractatu de potestate exauctorizandi Reges in calce partis Decimæ suarum resolutionum*, latissimè P. del Bene *par.* 1. *dubit.* 154. *petit.* 12. *Coroll.* 4.

Et quamuis P. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 54. dicat, Regnum ob hæresim, vel
25 alia possessoris crimina non confiscari, sed deuolui ad sequentem successorem innocentem, fatetur tamen, quod si aliter communi Reipublicæ bono consuli non possit, nec damna ex hæresi Regis in totum Regnum pullulantia caueri valerent, esset integrum Pontifici illud Regnum auferre descendentibus Catholicis, illudque concedere Regi Catholico debellanti.

SED hac occasione versutiam quorumdam Scriptorum non possum non damnare, qui, cum videant Principibus necessariam esse summam Pontificis auctoritatem, illam vsque ad sydera extollere conantur, vt patet ex traditis à Solorzano *de Iure Indiarum toto Tomo primo*.

Si verò tractatur de cohibendo Principes peccantes, tunc nulla ferè apud eum est potestas, in tantum quod quidam ausi sunt proferre, non posse Papam vti Papam exercere iurisdictionem spiritualem in Regno Catholico, nisi de licentia Regis; Quæ tamen assertio tanquam Hæretica, & Schismatica à Summo Pontifice Innocentio Decimo damnata fuit.

Audiant ergo Reges, & Principes Augustinum Doctorem Ecclesiæ Sanctissimum *in Psalm.* 149. Si in Ecclesia Christi homines Christiani, & oues Ecclesiæ, vel in Republica Christiana Principes esse volunt, ibi enim ex instinctu Spiritus Sancti cecinit Propheta.

Alligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manicis ferreis.

Et Augustinus.

Nouimus Reges factos Christianos, nouimus Nobiles Gentium factos Christianos, venit Deus Christus prodesse omnibus, sed elegit prodesse Imperatori de Piscatore Petro, non Piscatori de Imperatore.

Conuersi ergo Nobiles multi cessauerunt esse Nobiles Gentium, elegerunt paupertatem in hoc seculo, nobilitatem in Christo vendendo omnia, quæ habuerunt, & dando pauperibus; Multi autem tenent nobilitatem in Christo, tenent Regias potestates, & sic sunt Christiani: Ipsi sunt tanquam in compedibus, & tanquam in manicis ferreis; Vnde hoc ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt, compedes sapientiæ, compedes Verbi Dei; Quare ergo vincula ferrea, non aurea, ferrea sunt quandiù timent, ament, & aurea erunt.

Prudenter quidem, & christianissimè docet Reges Christianos omnes, eo ipso, quod Christianam fidem admiserunt, compedibus,& vinculis se ipsos implicuisse, tradidisse se ligandos Episcopis,& ei potissimùm, cui Christus Claues Cælorum dedit, cui ligandi, & soluendi plenissimam potestatem commisit.

Quod dictum est de bonis feudalibus, idem dicendum est de bonis emphyteuti-
26 cis cum hac distinctione, quod si bona emphyteutica sint transitoria ad hæredes extraneos, transeant etiam in fiscum, si verò non sint transitoria, restituantur Domino directo, Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *rubr. de bonis Hæreticorum num.* 97. Farinac. *d. quæst.* 190. *num.*65. P. del Bene *d. par.*1. *dub.* 118. *sect.*2. *num.* 3. Fermosin. latissimè *d. alleg.* 33. *à num.* 24.

Sed aduerte, quod licèt bona emphyteutica transitoria ad Hæredes extraneos transeant in fiscum, ille tamen tenetur ea
27 vendere infra annum alicui priuato, ne remaneant apud manum mortuam, vt ex Alexand. Molin. & aliis tenet Sanchez *cap.* 19. *num.* 26. Farinaccius *loco citato num.* 63.

Cæterum quando emphyteusis non est transitoria ad hæredes extraneos, an saltem illius commoditas viuente hæretico, emphyteuta transeat in fiscum.

Dic, quod si emphyteusis non sit recepta ab Ecclesia, sed à Laico, concors Doctorum opinio est, illius commoditatem
28 spectare ad fiscum, dum emphyteuta viuit, deducta tamen pensione soluenda per fiscum Domino directo, Nellus *de Bannitis par.* 1. 2. *temp. num.* 24. Gigas *de crim. læsæ Maiestatis lib.* 2. *tit. de pœnis* Farinacc. *qu.* 25. *nu.* 58. Molin. *de Iustit. & iur. to.* 2. *disp.* 481. *col.* 4. *& to.* 3. *disp.* 656. *num.* 3. Peregr. *de iure fisci lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 120. Sanchez *d. cap.* 19. *num.* 21. Guazzin. *de confiscat. limit.* 3. *conclus.* 34. *num.* 14. P. del Bene *loco citato*.

Si verò recepta est ab Ecclesia, tunc commoditas non spectat ad fiscum, sed
29 ad Ecclesiam Dominam directam per Textum *in cap. Felicis*, ibi *liberè ad Ecclesiam reuertantur, de pœnis in* 6. Gabriel *conf.*73. *à num.* 3. *vsque ad decimum vol.* 2. Farinacc.

parum sibi constans *d. qu.* 25. *vers. Verum, num.* 58. Sanchez *loco citato num.* 22.

Et propterea quidam Inquisitor, qui applicauerat bona emphyteutica Ecclesiæ
30 fisco, fuit reprehensus à Sacra Congregatione, quæ mandauit, vt ea bona restitueret Ecclesiæ Dominæ directæ, & in futurum caueret à similibus, vt ex Decreto *sub die* 15. *Aprilis anni* 1602.

Quod intellige in vtroque casu, quando vltra prohibitionem legis non adesset alia
31 prohibitio specialis alienandæ emphyteusis, quia commoditas non pertineret ad fiscum durante vita emphyteutæ, siue emphyteusis sit Ecclesiastica, siue secularis, Boss. *in prax. tit. de bonorum publicat. num.* 60. Gabriel *d. consf.* 73. *num.* 11. *vol.* 2. Sanchez *loco citato num.* 23.

Quoad melioramenta verò certum est, quod si non sit cautum in contractu em-
32 phyteutico, quod illa spectent ad Dominum directum, præsertim si Dominus directus sit Ecclesia, spectare ad fiscum; Vnde si Ecclesia Domina directa vult illa reuocare à fisco, tenetur illi soluere æstimationem, vt post Card. Zabarell. & alios voluit Sanchez *loco citato num.* 33. 34. & 35.

Non solùm autem bona Hæreticorum confiscantur, sed Domus eorum destruun-
33 tur, vt liquet ex Constitutione Friderici *Catharos*, & ita statutum fuit in Concilio Tholosano *anno Domini* 1229. *celebrato cap.* 1. & sancitum ab Innocentio Quarto in Constitutione *Ad extirpandum*, Pegna *par.* 5. *comment.* 92. *in forma sententiæ, qua Domus*, Zanchin. *de hæret. cap.* 39. Campegg. *ibidem & cap.* 40. Repertor. Inquisit. *ver. Domus*, Simanch. *de Cathol. tit.* 46. *nu.* 88. *& seqq.* Farinacc. *d. qu.* 190. *nu.* 30. Formosin. *de confiscat. bonorum alleg.* 5. *nu.* 11. P. del Bene *par.* 1. *dub.* 162. *petit.* 6.

Et licèt nonnulli ex Doctoribus distinguant, quod si Domus est Hæretici pro-
34 pria, tunc non destruatur, sed in fiscum transeat, si verò sit aliena destruatur; Hæc tamen distinctio non est attendenda, quia siue domus sit propria Hæretici, siue aliena, semper destruitur, Repertor. Inquisit. *ver. Domus*, Simanch. *de Cathol. tit.* 46. *& in Enchiridion. tit.* 67. Farinacc. *dicta quæst.* 190. *num.* 37.

35 Et hoc ad terrorem aliorum, & vtilitatem publicam, Simanch. & Farinaccius *locis citatis*.

Sed quoad domum alienam aduerte, tunc esse destruendam, si Dominus sciat, vel scire debuerit, vel consenserit in ea
36 commorari hæreticum, secus verò si id ignorauerit *l. Ariani* §. *Cunctis*, & ibi Butrig. *in princip. l. Quicunque*, §. *Vniuersi*, *vers. si verò ignorante Domino*, & ibi Salic. *num.* 1. *C. de hæret.* cum alijs per Farinacc. *d. qu.* 190. *num.* 40.

Videndæ sunt Constitutiones Alexandri Quarti, & Clementis Quarti, quibus statuitur, quod hæc ignorantia debet legitimè probari, hoc est manifestè per Testes omni exceptione maiores, Calderin. *de hæret. rubr. de pœnis recept. num.* 6. Farinac. *loc. cit. num.* 41.

NISI tamen vt dixi ad terrorem aliorum, seu ob publicam vtilitatem Inquisitores existimarent domum esse destruendam, quia tunc potest destrui, sed Domino solui pretium domus, Simanch. *loc. cit. num.* 37.

37 Quemadmodum si domus sit communis cum altero, tunc potest destrui tota domus, sic Farinacc. *loc. cit. num.* 8.

Hoc enim est priuilegium fisci, vt possit alienare rem, quam habet communem cum priuatos eo inuito, etiamsi in ea quantumcunque minimam habeat portionem *l.* 1. *C. de vendit. rerum fiscalium*, & ibi latè Amaya *à nu.* 4. à quo ausit Fermosin. ea, quæ dixit *loc. cit. num.* 5. satisfacta tamen sua parte consocio, vt dicunt Amaya, & Fermosinus.

Sed super hoc ab Inquisitoribus Italiæ consulenda est Suprema, & Vniuersalis Inquisitio.

Memini autem dum essem Matriti fuisse relaxatos Brachio seculari quosdam Lusitanos Iudaizantes, qui Imaginem Sanctissimi Crucifixi, vel cremauerant, vel detruncauerant, & eorum domus fuisse pœnitus destructas, incipiente destructionem cum Pugione magno Castellæ Admirato.

Debet quoque destrui domus, in qua eius Dominus prohibuit ingredi Curiam
38 ad ibi perquirendum, & capiendum Hæreticum, etiamsi Hæreticus ibi non esset, vt ex Constitutionibus Pontificum voluit Farinacc. *loc. cit. num.* 32. Fermosin. *loc. cit. num.* 11. *vers. Vbi ampliat*.

Imò, & aliæ domus contiguæ, & appendices eiusdem Domi, vt ex eisdem Constitutionibus Farinacc. *loco citato num.* 33.

Imò, & bona, quæ ibi inueniuntur, fiunt
39 capientium, nisi capientes sint publici Officiales, vel nisi constiterit per Testes omni exceptione maiores, & fide dignos bona prædicta non esse Domini domus, vt ex prædictis Constitutionibus tenet Farinacc. *loco citato num.* 34.

Quando autem domus Hæreticorum fuerit destructa, nullo vnquam tempore potest reædificari, vt ex Repertor. Inquisit.
40 & ex dictis Constitutionibus asserit Farinacc. *loc. cit. nu.* 36. Fermosin. *d. alleg.* 5. *num.* 10. vbi tamen *num.* 11. dicit, *Iesuitas in solo Domus Petri Cassallia Hæresiarchæ construxisse nonnullas officinas*.

Imò quandoque area dictæ domus solet sale conspergi cum dirorum prolatio-

ne, ac increpatione verborum, Pegna
par. 3. comment. 92. in formula sententiæ, qua
Domus, Fermosin. loco citato num. 10.& 11.
Er in ea ad perpetuam infamiam lapis,
vel marmorea Columna quatuor, vel
quinque pedum altitudinis erigitur, inci-
41 sis in ea maiusculis characteribus conti-
nentibus nomen Domini, destructionis-
que causam significantibus, & sub quo
Romano Pontifice,& Imperatore repacta
sit, Pegna loc. cit. vers. postquam autem.
Hæc autem confiscatio secundùm ve-
riorem opinionem fit ipso iure, sicuti in
42 crimine læsæ Maiestatis humanæ, l. Quis-
quis C. ad legem Iuliam Maiest. Textus est
in cap. Vergentis de hæret. & in cap. Cum
secundum leges, & ibi communiter Cano-
nistæ de Hæreticis in 6. Peregr. de iure fisci
lib. 5. tit. 1. num. 66. Bursatt. cons. 7. nu. 30.
& cons. 14. num. 3. Roland. cons. 8. num. 3.
cum alijs per Ricciull. de iure personarum
lib. 5. cap. 31. & hanc opinionem secuta
est Rota Romana coram Penia decis. 364.
nu. 6. Card. de Lugo de fide disp. 24. sect. 1.
Suarez disp. 22. num. 4. Fermosin. ad cap.
Vergentis de Hæret. alleg. 1. num. 9.
Ex hac communi opinione plura info-
runtur.
Primò, Hæreticum priuari etiam ante
senrentiam declaratoriam dominio bo-
43 norum suorum iuxta Textum in cap. Se-
cundùm leges de hæret. in 6. & ibi Anchar.
num. 1. Abbas in cap. Dilecti num. 12. de
arbitr. Archidiaconus in cap. Felicis nu. 11.
de pœnis in 6. & ibi Io. Andr. nu. 4. Gemin.
num. 8. Franc. in §. Nullus nu. 3. Alphons.
de Castro de iusta hæret. punit. cap. 6. in initio,
Repertor. Inquisit. ver. bona hæretici in
init. & ver. Dominium in init. Peregr. de iure
fisci lib. 5. tit. 1. num. 166. Canter. quæst.
crimin. tit. de punit. delict. cap. 1. num. 16.
Param. de origine Inquisitionis lib. 3. quæst. 9.
num. 198. cum alijs per Sanchez lib. 2. de
Decalog. cap. 22. num. 2. Farinacc. dicta
quæst. 190. num. 69. Barbos. qui plures dicto
cap. Secundùm leges num. 4. Fermosin. in cap.
Ex litteris num. 24. de Constitut.
Et quamuis Sanchez locis citatis num. 3.
sequatur opinionem contrariam, quam
44 substinent ex nostris Anchar. d. cap. secun-
dùm leges num. 6. Simanch. de Cathol. tit. 9.
num. 173. & 187. & à num. 229. vsque ad
num. 234. cum alijs per eum allegat., &
probabiliorem, & veriorem dicat Barbos.
loc. citat. num. 4. Fermosin. cum alijs loco
cit. num. 25.
Non est tamen iudicio meo receden-
dum à priori opinione, quia verba Textus
in cap. Secundùm leges, sunt adeò clara, vt
non possint trahi ad dominium secundùm
quid, & imperfectum; Nam ibi Summus
Pontifex præmittit iure Ecclesiastico pu-
blicari bona ob incestas nuptias, & ob de-
lationes armorum ad Saracænos, & hos
omnes perdere eo ipso dominium, & non
solùm inde arguit multò fortiùs hoc in
hæresi contingere, sed statuit, vt bona
Hæretici sint ipso iure confiscata, quod
debet ità intelligi, vt dominio priuetur
ipso iure, aliàs inepta esset narratiua præ-
cedens, quia potuisset Summus Pontifex
vti exemplo aliarum legum tam Ciuilium,
quàm Canonicarum, quæ in crimine læsæ
Maiestatis humanæ confiscationem im-
ponunt, de quibus dictum est supra; sed
cum addiderit eorum delictorũ exempla,
ob quæ delinquens amittit dominium,
& proprietatem bonorum ipso iure, ne-
cessariò dicendum est voluisse statuere,
quod etiam in delicto hæresis, quod ap-
pellat grauiùs, dominium bonorum ipso
iure amittat, aliàs sequeretur absurdum,
quod scilicet maior pœna minori delicto
infligeretur, quod iura abhorrent, nam
pœna commensuranda est delicto.
Non solùm autem Hæreticus ante sen-
tentiam declaratoriam priuatur dominio,
45 sed etiam rerum administratione, Fari-
naccius d. quæst. 190. num. 69. cum multis
per Ricciull. loc. cit. num. 5. Fermosin. de
confiscat. alleg. 18. sub num. 8.
46 Non tamen priuatur possessione bono-
rum l. auferte §. In reatu ff. de iure fisci dicto
cap. Secundùm leges, vbi Anchar. Simanch.
de Cathol. Instit. tit. 9. num. 173. cum alijs
per Ricciull. loc. cit. num. 10. Barbos. dicto
cap. Secundùm leges num. 7. itaut si ab aliquo
occupetur, poterit agere ad restitutionem,
Bursatt. cons. 43. num. 22. Sanch. d. cap. 22.
num. 18. Ricciull. d. cap. 31. nu. 11. Barbos.
loc. cit. num. 7. vers. itaut Fermosin. dicto
cap. & loc. cit. num. 31. 32. & 33. vbi de
praxi Hispaniæ Fermosin. loc. cit. num. 35.
Secundò subinfertur, quod Hæreticus
nullo modo potest alienare bona sua, etsi
47 alienauerit, vel donauerit, talis alienatio,
vel donatio non valet, l. Manichæos §. Præ-
terea C. de Hæret. l. Ariani, §. Cunctis, l. Ma-
nichæi la seconda C. eodem, Boich. dicto cap.
Secundùm leges num. 2. & ibi Gemin. num.
vlt. Pegna d. cap. Secundùm leges num. 11.
Grilland. de Hæret. quæst. 5. num. 8. Roias
singul. 18. per tot. Locat. ver. Fiscus, Repert.
ver. Alienatio, Farinacc. d. quæst. 190. n. 70.
Ricciull. d. lib. 5. cap. 35. num. 1. P. del
Bene par. 1. dub. 134. sect. 1. num. 1. Fer-
mosin. d. alleg. 18. à num. 16.
Siue Hæreticus sit manifestus, siue oc-
cultus, seu per accidens, & emptor sit in
bona fide, Textus est clarus in l. qua de
Sammaritis, vers. Si verò de Hæreticis, ibi,
Si verò etiam lateat, non potest quidquam sua-
rum rerum donare, aut aliter alienare, Bursatt.
cons. 289. à num. 10. vsque ad 15. Menoch.
cons. 284. num. 8. & cons. 218. num. 7. Peregr.
loc. cit. num. 170. Surdus decis. 247. num. 9.
& 10.

& 10. Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *num.* 21. Sanchez *d. cap.* 22. *num.* 34. Ricciull. *dicto cap.* 35. *num.* 5. & 6.

Hæc tamen non procedunt in Hæretico damnato in contumaciam, vel quia defe-
48 cit in purgatione, quia iste non amittit facultatem alienandi, cum non præsumatur Hæreticus, nisi à die latæ sententiæ, non autem à die patrati criminis, Simanch. *de Cathol. tit.* 19. *num.* 26. Sanchez *dicto cap.* 22. *num.* 35. Ricciull. *d. cap.* 35. *num.* 7.

Imò nec Hæreticus vt supra poterit quemcunque alium contractum facere, *l. Manichæos*, §. *Præterea*, & ibi Odoffred. *num.* 3. *l. Iudiciorum verf. Adeo ff. de accusat.* Glofs. *in cap. Excommunicamus il primo*, §. *Credentes*, & ibi Butr. *num.* 35. *de Hæret.* Simanch. *de Cathol. tit.* 46. *num.* 55. & *in Enchiridion. tit.* 3. *num.* 3. Pacian. *conf.* 19. *num.* 2. Sanchez *d. cap.* 22. *nu.* 48. Farinacc. *d. quæst.* 190. *num.* 75. Ricciull. *d. cap.* 35. *num.* 10.

Quamuis fauore piæ causæ, vt probat Text. *in l. fin. C. ad legem Iuliam Maiest. l. Quæsitum, ff. qui, & à quibus*, Ricciull. *loco citato num.* 10. *verf. Extenditur*, & *num.* 11.

49 Tertiò subinfertur, quod huiusmodi bona sic alienata, vel donata, vel alio quocumque titulo in alium translata possunt à Fisco vindicari, *l. Apostatarum in fin. C. de Apostat.* Glofs. *in dicto cap. Secundum leges, verb. Ipso iure*, & ibi Gemin. *nu.* 5. Franch. *num.* 2. Locat. *ver. Alienatio num.* 1. & *in ver. Donatio num.* 6. Sanchez *dicto cap.* 22. *num.* 3. alios refert, & sequitur Farinacc. *qu.* 190. *num.* 71. P. del Bene *d. dub.* 134. *sect.* 2. *nu.* 3. Barbof. *in repert. Iuris Canonici, & Ciuilis, ver. Fiscus conclus.* 2.

Quod habet locum etiamsi per mille manus transierint, Archid. *d. cap. Secundum leges num.* 2. Io: Andr. *num.* 6. Franch. *num.* 2. Gemin. *n.* 7. Sanchez *loc. cit. nu.* 36. Ricciull. *loc. cit. num.* 12.

50 Imò nec restituetur pretium emptori, seu eorum possessori, Adden. ad Glofs. *d. cap. Secundum leges, in verb. Ipso Iure*, & ibi Archid. *num.* 2. Io: Andr. *col. fin.* Gemin. *num.* 5. & 7. Franch. *num.* 2. Roias *singul.* 18. Locat. *verb. Alienatio*, Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *nu.* 27. Repert. *verb. Alienatio*, Sanchez *d. cap.* 22. *num.* 68. cum aliis per Farinacc. *d. qu.* 190. *num.* 16. vbi *num.* 17. contrarium asserentes adducit, nisi aliud pretium reperiretur in bonis confiscatis Hæretico, sine aliud loco illius pretij, quia tunc Fiscus tenebitur illud restituere, Io: Andr. *d. cap. Secundum leges*, & ibi Franch. *num.* 2. Roias *d. singul.* 18. *num.* 40. Simanch. *de Cathol. tit.* 9. rubr. *de bonis Hæret. num.* 29. Quemada *quæst.* 7. Locat. *verb. Alienatio num.* 1. Repertor. *ver. Alienatio*, Zecchius *in Summ. par.* 1. *tit. de fide, rubr. de Hæret. cap.* 11. *num.* 16. & 17. Sanchez *d. cap.* 22. *num.* 70. Farinacc. *d. q.* 190. *nn.* 78. Ricciull. *d. cap.* 38. *num.* 1. & 5.

Vel nisi illud pretium fuisset expensum in alimentis Hæretici, seu eius familiæ, *l.* 1. §. *in rem, l. vlt. ff. de in rem verso, l. mortuo, ff. de statu libero*, Simanch. *d. tit.* 9. *num.* 36. Beccius *conf.* 67. *num.* 6. Quemada *d. qu.* 7. Ricciull. *d. cap.* 38. *num.* 8. & 9. addit hoc procedere, etiamsi alimenta ex pretio emptionis casu perierint: Nàm sufficit pecunias ex causa necessaria ad Hæretici manus peruenisse, Farinacc. *d. qu.* 190. *nu.* 87. *vers. Et quacumque*, Barbof. *loc. cit. concl.* 2. Fermosin. *d. alleg.* 18. *à num.* 19.

51 Vel nisi de illo creditoribus sit satisfactum, *l. Idem seruandum, ff. de legat. secun. l. Emptor, ff. de rei vindicat.* Ricciull. *loc. cit. num.* 10.

Et propterea si Hæreticus Mercator, mercaturæ intuitu, contraxisset debita, &
52 credita Fiscus publicatis bonis, sicùt potest cogere debitores ad soluendum, ità tenetur soluere creditoribus, quia negotium est vnicum, & indiuiduum, Alfaro *de offic. Fiscal. glos.* 20. *num.* 160. Ricciull. *ibidem num.* 6.

Vel nisi in emptore bonorum concurreret bona fides, & aliquis titulus, vtputa
53 auctoritas publica, vel quia venditio facta esset ab eo, qui inquisitus de hæresi, postea fuit absolutus, nam si post absolutionem vendat, ac deinde fuerit inquisitus, & conuictus de hæresi de tempore prioris Inquisitionis, alienatio taliter facta substinetur, Bofs. *in prax. tit. de bonorum public. num.* 76. Scaccia *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 98. *num.* 11. Sanchez *d. cap.* 22. *nn.* 30. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 13.

54 Nec procedit, si emptor possessionem bonorum præscripsisset, *cap. fin. de præscript. in* 6. *l.* 2. *C. de Apostat. l. in omnibus ff. de iure fisci*, P. de Bene *par.* 1. *dub.* 134. *sect.* 3. *num.* 1. vbi *num.* 3. tenet præscriptionem hanc non induci nisi spatio 40. annorum contra Abbatem Felinum, Couuar. & alios, qui tenuerunt, quod si bona sint applicanda fisco seculari, sufficere quinque annorum tempus, secùs si applicanda sint fisco Ecclesiastico, quia tunc requiritur tempus 40. annorum, & hanc distinctionem refellunt Sanchez, Pegna, Farinacc. & Simanch. ab eodem adducti *loc. cit. num.* 5.

55 An autem fiscus teneatur restituere melioramenta facta in re vendita, vide latissimè differentem, & benè Ricciull. *d. lib.* 5. *cap.* 39. *per totum*, P. del Bene *par.* 1. *dub.* 118. *sect.* 6.

Quamuis autem Hæretico interdicatur omnis alienatio, non tamen prohibetur
56 alienare bona sua in causam necessariam, Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *num.* 33. Sanchez *d. cap.* 22. *nu.* 53. Scacc. *d. cap.* 98.

num. 16. Surdus. de alimenn. tit. 9. quæst. 32. num. 20. Gratian. disceptat. to. 1. cap. 54. num. 15. Ricciull. d. lib. 5. cap. 36. num. 1. Barbos. in Repert. pract. conclus. Iuris Canonici,& Ciuilis littera F. ver. fiscus d.conclus.2. propè finem, Fermosin. dicta allegat. 18. num. 23.

Ideo alienatio facta ab Hæretico pro alimentis tam proprijs,quàm familiæ,non
57 potest à fisco reuocari,Bursatt.conf.14.n.9. Simanch. d.tit.9. nu. 35. Sanchez d. cap.22. num. 56. Scace. d. cap.98. num. 16. Gratian. d. cap. 55. num. 16. cum alijs per Ricciull. d. cap.36. nu.3. & 4. vbi num. 5. addit,quod cum appellatione alimentorum veniant Medicinæ ex Surdo de aliment. tit. 5. nu. 1. & 18. ideo alienatio facta pro parandis medicinis, & alijs ad sanitatem tuendam substinetur, Simanch. & Sanchez locis citatis.

Et hoc procedit, quantumuis alienatio sit facta per viam donationis, dummodò
58 sit correspectiua; Nam talis donatio potiùs est contractus permutationis, vel innominatus do, vt des, Surdus de aliment. tit. 8. priuileg. 72. num. 4. Rota decis. 458. num. 5. par. 2. recent. Coccinus decis. 433. num. 7. Ricciull. d. cap. 36. num. 8.

Si verò alienatio facta sit post sententiam, à qua sit interposita appellatio, ni-
59 hilominus fiscus potest eam reuocare, secùs si transisset in iudicatum, quia tunc si fiscus vult reuocare, tenetur emptori refundere summam expensam in alimentis, Surd. d. tit. 9. num. 62. Gratian. dicto cap. 55. num. 89. Ricciull. loc. cit. num. 7. vers. Extenditur 4. & num. 8.

60 Alimenta autem durante Hæretici carceratione, & tota causa, subministrantur à Sancto Officio, Bursatt. conf. 289. num. 9. & 22. Ricciull. d. cap. 36. num. 9.

Etiam post relaxatum Hæreticum Brachio seculari, Bursattus, & Ricciull. locis citatis.

Quod si Iudex secularis differret exequi sententiam, tenetur de proprio submini-
61 strare alimenta Hæretico iam relaxato, Ricciull. & Bursatt. loc. cit.

Praxis tamen Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, & Italiæ Inquisitionum est,
62 quod si carceratus est pauper, ei à Sancto Officio præstantur alimenta, & omnia alia necessaria; Si autem est diues, vel habet bona sufficientia, repetuntur ab eo alimenta ei præstita.

Religiosis Mendicantibus, qui possident in communi, subministrantur alimenta à Religione, vt pluriès fuit resolutum, & præsertim sub die 14. Maij 1602.

Religiosi verò Ordinis Minor. Obseru. non coguntur soluere alimenta, & expen-
63 sas pro victu Religiosorum eiusdem Ordinis in Sancto Officio carceratorum,cum non possideant in communi, & viuant ex eleemosynis, sed coguntur dietim præstare victum, vt fuit decretum sub die 14. Martij 1626 quod tamen non vidi obseruatum.

Et licèt aliàs de anno 1593. die 20. Februarij scriptum fuerit Inquisitori Brixien. vt repeteret alimenta à Prouincijs, nihilominus hodie coguntur Procuratores
64 Generales in Vrbe residentes, tam non Mendicantium, quàm Mendicantium in communi possidentium soluere alimenta prædicta, quamuis dicant Religiosum carceratum non esse filium Conuentus, seu Monasterij illius Ciuitatis, in quo Religiosus detinetur carceratus.

Relaxatis verò Brachio seculari, quia Romæ altera die post sententiam morti traduntur, non vidi subministrata alimen-
65 ta à Sancto Officio, neque vllas expensas; Si verò relaxantur Rei, vt ad triremes transmittantur, post consignationem factam in carceribus secularibus Sanctum Officium amplius non se cum tali Reo intromittit, sed cura alendi, & transmittendi pertinet ad Curiam secularem.

Expensæ autem, quæ fiunt pro vehendis carceratis ex causa Sancti Officij ad
66 Vrbem, soluuntur à Camera Apostolica, & hoc fuit semper obseruatum à tempore Iulij Tertij Summi Pontificis, & ità scriptum fuit Nuncio Neapolis sub die 13. Iunij 1591. & aliàs sæpe.

Quamuis P. Commissarius, & fiscalis Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, ad quos spectat administiatio bonorum Sancti Officij soleant in hoc parum esse cauti, & sinant expensis pauperum Inquisitorum carceratos duci ad Vrbem.

In hoc ergo debent inuigilare.

Sed quemadmodum non reuocatur alienatio facta pro alimentis, ità nec à fisco reuocari potest illa, quæ fuit facta pro de-
67 fensione causæ Hæretici, quia dicitur facta in causam necessariam, l. fin. ff. de in rem verso, Peregr. dicto tit. 1. à num. 180. Surd. de aliment. d. tit. 9. quæst. 32. num. 22. Bursatt. conf. 43. num. 9. & conf. 189. nu. 9. & 21. cum alijs per Ricciull. loc. cit. nu. 9. vers. Deducitur secundo, vbi explicat in alienatione facta pro scripturis, & salario Aduocatorum, Procuratorum, Notarij, & reliquorum in causa laborantium.

Quartò subinfertur, quod fiscus non solùm reuocat alienata vt supra ab Hære-
68 tico, sed reuocare potest fructus dictorum bonorum tam pendentes tempore alienationis, quàm collectos pendente iudicio, & post sententiam, quàm etiam consumptos à die commissi criminis, cum fructus dominium sequantur, Bursattus conf. 43. num.8. & 11. Sanchez ad Decalog. lib. 2. cap. 21. num. 41. Ricciull. d. lib. 5.

cap. 37. Farinacc. *d. quæst.* 190. *num.* 80.

Dummodò fructus prædicti non sint bona fide consumpti ab emptore, vel ab
69 alio, qui delictum tempore alienationis ignoraret, licèt enim bona fides non prosit emptori quoad acquisitionem dominij, Archid. *d. cap. Cum secundùm leges*, cum aliis per Ricciull. *d. lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 12.

Tamen respectu acquisitionis fructuum sufficit titulus Iuris errore quæsitus, *l. Sed lege*, §. *iure*, vbi Doctores *ff. de petit. hæred. l. Quod vxor*, vbi Gloss. *ff. de Acquirend. possess.* Beccius *conf.* 95. *num.* 15. & ità tenent Bursatt. *d. conf.* 43. *num.* 9. Surdus *decis.* 247. *num.* 11. Ricciull. *loc. cit.*

Quinimo sufficit qualibet occasio possidendi, Surd. *d. decis.* 247. *num.* 11.

Fructus autem intelliguntur deductis expensis *l.* 3. *ff. de impens. in rebus dotal. fact.* Peregr. *de iure fisci lib.* 6. *tit.* 1. *num.* 27. Ricciull. *loc. cit. num.* 8.

Sed de hac materia videndus est Sanchez, qui eam latissimè tractat *lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 1. *cum alijs*.

Quintò subinfertur, quod cum bona Hæretici sint confiscata ipso iure, is tene-
70 tur etiam ante sententiam declaratoriam ea bona tradere fisco, Abbas *in cap. Dilecti num.* 12. *de arbitr. & in cap.* 1. *num.* 11. *de Constit.* & ibi Alexand. de Nævo *num.* 52. Felin. *num.* 44. *&* 45. *& in cap. Rodulphus num.* 18. *limit.* 3. *de Rescript.* Lud. Gomez *cap.* 1. *num.* 9. *de Rescript. in* 6. Soccin. sen. *cap. Iudæi il secondo*, *num.* 14. *de Iudæis*, Gulielm. de Bened. *cap. Rainutius vers. & vxorem decis.* 5. *num.* 276. *de Testam.* Gomez. *Variar. resolut. lib.* 3. *cap.* 2. *in fine*, Alphons. de Castro *de lege pœnali lib.* 2. *cap.* 10. *&* 11. *& de iusta hæret. punit. cap.* 5. *&* 6. Sanchez *d. cap.* 22. *num.* 6.

Contrariam opinionem, quod Hæreticus non teneatur ante sententiam declaratoriam bona, quæ cadunt sub confiscatione, tradere fisco, voluere Dec. *cap.* 1. 1. *lectur. de Constit. num.* 73. Alex. *l. Si quis maior. num.* 13. & ibi Padilla *num.* 58. *C. de Transf.* Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *à num.* 161. *vsque ad* 252. Pegna 3. *par. comment.* 158. Gomez *d. lib.* 3. *cap. vlt. num.* 3. Cantera *quæst. crim. tit. de quæstion. tangen. punt. delict. cap.* 1. *num.* 16. *&* 17. & alij multi, quos adducit Sanchez *d. cap.* 22. *nu.* 7. Sanctarell. *de Hæret. cap.* 21. *dub.* 1. *num.* 4. cum aliis per Barbos. *d. cap. Secundùm leges*, *num.* 9. Pater del Bene *par.* 1. *dub.* 131. *Collor.* 2. *num.* 1.

Imò etiam secuta sententia declaratoria, vel condemnatoria, non teneri Hære-
71 ticum bona offerre fisco, sed tantùm non resistere, si ab eo exigantur, docent Adrianus, Nauarrus, Padilla, Couuar. Menchach., Simanchus, & alij relati à Sanchez *loc. citat. num.* 8. qui tamen *num.* 9. dicit, hoc non procedere, si Hæreticus sit condemnatus ad aliquam pecuniam soluendam, quia tunc tenetur illam offerre fisco, P. del Bene *par.* 1. *dub.* 132. *num.* 1.

Quæ opinio contraria ampliatur etiamsi delictum Hæretici esset notorium, licèt
72 enim euidentia criminis commissi non indigeat clamore Accusatoris, vt dicit Summus Pontifex *in cap. Euidentia de Accusat.*

Nihilominus sententia Iudicis est semper necessaria, vt aduertit Gloss. *fin. in d. cap. Euidentia* communiter recepta, & hanc opinionem aduersus Abbatem Felinum, & alios tuetur Simanch. *d. tit.* 9. *num.* 165. *&* 166. Scacc. *d. cap.* 98. *num.* 10. Sanchez, qui alios *d. cap.* 22. *num.* 15. P. del Bene *loc. cit. num.* 4.

Quinimo si fiscus ante sententiam declaratoriam occuparet bona Hæretici,
73 cuius crimen adeò notorium esset, vt nulla tergiuersatione celari posset, teneretur ea restituere, vt reprobato Alphonso de Castro tenent Simanch. *tit.* 9. *à num.* 175. & alij à Sanchez *d. cap.* 22. *nu.* 18. Ricciull. *d. cap.* 31. *num.* 11. Barbos. *loc. cit. num.* 7. P. del Bene *loc. cit.*

Posset tamen ea bona ponere sub sequestro, Suarez *de fide disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 6. P. del Bene *loc. cit. num.* 5.

Sextò deducitur, quod licèt fiscus non habeat bona delinquentis obligata ante
74 sententiam condemnatoriam, itaut si pendente iudicio Reus moriatur, hæredes ad pœnam illius delicti conueniri nequeant, vt est Textus *in l. ex Iudiciorum ff. de Accusat. l. Vnica, C. ex delict. defunct.*

In delicto tamen hæresis, quia ipso iure bona confiscata sunt, hæredes delinquentis possunt conueniri ad bona fisco tradenda, quamuis ille, lite non contestata obierit, *l. commissa ff de public. & vectig.* Anchar. *d. cap. Cum secundùm leges num.* 1. Gomez *lib.* 3. *Variar. cap. vlt. num.* 2. Simanch. *dicto tit.* 9. *num.* 186. Sanchez *d. cap.* 22. *num.* 28.

Septimò subinfertur, quod licèt pœna per Iudicem imponenda, requirat senten-
75 tiam condemnatoriam, & illius declaratoriam; Secùs tamen est in delicto hæresis, quia pœna confiscationis ipso iure imposita est, ideò sat est, si feratur sententia criminis declaratoria, vt *ex d. cap. Cum secundum leges*, voluere Alex. Felin. Tiraquellus, qui plures refert, & sequitur Couuar. & alij relati à Sanchez *d. cap.* 22. *num.* 27.

In confiscatione autem, de qua agitur, veniunt vltra supradicta de bonis feudali-
76 bus, & emphyteuticis omnia bona immobilia, mobilia, semouentia, iura, & actiones, quia Textus *in d. cap. Secundùm leges*, loquitur de bonis absolutè, quorum

appellatione veniunt iura, & actiones *l. si ademptis C. de sententiam passis*, Peregr. *de iure fisci lib. 5. tit. 1. num. 50.* & ità in proposito tenent Simanch. *de Cathol. tit. 9. num. 7.* & alij citati à Ricciullo *d. lib. 5. cap. 32. num. 16. vers. Ex qua.*

Et propterea quamuis eo ipso, quod quis est Hæreticus omnes eius debitores, & ei
77 in quocunque debito obligati, sint ab illo liberati, nec contra eos Hæreticus agere possit per Text. *in cap. fin. Extrau. de Hæret.* qui licèt loquatur in obligatione fidelitatis, communiter tamen per Canonistas extenditur ad omnia debita, & ad quascunque obligationes, vt notat ibidem Gloss. *in figuratiuae casus, ver. Notant quod ipso iure*, Abbas Antiquus *num. 1.* Anton. de Butr. *num. 3.* Abbas Panormitanus *num. 1.* Soccin. *num. 1.* Anan. *in principio*, Zabarell. *num. 1.* cum aliis relatis à Farinaccio *quæst. 189. num. 57.* Ricciull. *loc. cit. num. 18.*

Ipsi tamen non acquirunt sibi hoc debitum, sed ad fiscum pertinet, cum iura, & actiones transeant in fiscum, vt voluit Marianus Soccinus *d. cap. fin. num. 14.* Vterque Abbas, Felinus, Ananias, & Farinaccius *loc. cit.*

78 Si tamen iura, & actiones transitoriæ sint ad hæredes extraneos secundùm Bartolum *in l. eum, qui statim in principio*, dicens ità omnes tenere *ff. de interdicto*, Peregrinus, qui multos *d. lib. 5. cap. 1. nu. 68.* Sanchez *d. lib. 2. Decalog. cap. 14. num. 5.* Ricciull. *d. cap. 32. num. 31.*

Secus si iura, & actiones sint personales, hæ enim non transeunt ad fiscum, Cephal. *cons. 321. num. 35. & 36.* Peregr. *loc. cit. num. 91.* Ricciull. *loc. cit. num. 50.*

MEMINI autem me aliàs respondisse in gratiam bo. mem. Card. Pallotti pro D. Ioanne Maria Castellano aduersus fiscum, pro quo, pro sui munere Aduocati fiscalis scripserat D. de Rubeis Cameræ Apostolicæ, & Consistorialis Aulæ Aduocatus, vir omni genere litteraturæ conspicuus; Nam cum D. Andreas Castellanus donasset multa bona sua Sanctæ Domui Lauretanæ de Vrbe, sed dedisset facultatem D. Ioanni Mariæ Castellano nepoti disponendi tempore mortis suæ de scutis tri-
79 ginta millibus, aliàs si non disponeret, illamet triginta millia scuta censerentur donata eidem Sanctæ Domui: Accidit, quod D. Ioannes Maria inquisitus fuit de quodam delicto, pro quo condemnatus fuit in pœnam viginti millium, & cum non suppeterent eius bona, censebat D. de Rubeis cogendum esse, vt disponeret de dictis bonis ad fauorem fisci, motus præsertim *ex l. in fraudem ff. de iure fisci*, cuius verba infra recitabimus.

Dixit enim, quod sicut D. Ioannes Maria vtendo illa facultate potuisset Sanctæ
80 Domui Lauretanæ præiudicare, ità delinquendo, Rosenthal. *de feudis lib. 2. cap. 11. conclus. 12. nu. 2. & littera B*, Mastrill. *decis. 277. num. 3.* Ricciull. *de iure personarum lib. 5. cap. 32. num. 40.* itaut stante prædicta condemnatione possit dici euenisse casum dispositionis reseruatæ in donatione, Mastrill. *decis. 277. num. 7.*

Nihilominus verissima est conclusio, quod cum ista facultas sit personalis,
81 hæredes D. Ioannis Mariæ transire non possit, *l. Pluribus ff. de suis, & legitimis, §. plenè Instit. de Iure naturali, cap. Si gratiosè de Rescript.* Ricciull. *loc. cit. num. 50.* Cagnol. *l. fin. nu. 239. C. de Pactis*, Thesaur. *decis. 97.* Mastrill. *d. decis. 277. num. 10.*

Sic etiam nullo modo potest transire in fiscum, *l. Ex facto, §. Si quis rogatus ff. ad Trebell. l. cum Prætor, §. Hæred. ff. de legat. 2.* Caball *cons. 207. num. 15.* Peregr. *de Iure fisci lib. 5. tit. 1. num. 91.* Loffred. *cons. 5. num. 16. dub. 2.* Cephal. *cons. 321. num. 55.* Sanchez *ad præcept. Decalog. lib. 2. cap. 14. num. 5. & 6.* Carpan. *ad Statut. Mediol. in cap. Omnium, num. 436.* Ricciull. *loc. cit. num. 50. & 51.* Sanctarell. *de hæresi cap. 20. dub. vnic. num. 4.*

Quod absque difficultate in casu isto procedit, quia non facta dispositione per
82 D. Io. Mariam dictorum scutorum triginta millium, hæc deuoluuntur ad Sanctam Domum Lauretanam, quo casu cessat eorum opinio, qui crediderunt, non facta expressa dispositione per habentem facultatem disponendi, tacitè censeri factam in venientes ab intestato, Gabriel *cons. 139. n. 1. lib. 1.* Fontanell. *de pact. nuptial. claus. 4. Gloss. 23. num. 14.* Thesaur. *dicta decis. 97. ad fin.* de Franchis *decis. 600. nu. 3.*

Cum ergo istud Ius facultatiuum sit personale, itaut non egrediatur personam ipsius D. Io. Mariæ nullum ius competit
83 fisco cogendi illum, vt dispositionem faciat, & fisco satisfiat, quia cum huiusmodi facultas in eius voluntate consistat, non potest obligari inuitus, nec subiici, *l. cum proponas ff. de hæred. instit.* Gloss. *in §. Alienus quoque sensus, Instit. eodem* in terminis, Felles Fernandez *ad l. n. 4. Tauri nu. 59.* Iacè Castillus *controu. Iuris lib. 5. cap. 112. num. 25. vers. Et hactenus de relatione.*

Nulla enim iuris ratio patitur, vt quis cogatur dispositionem facere, quæ in eius voluntate consistit, Vvesembec. *cons. 17. num. 42. & 46.* Osualdus ad Donellum *cap. vlt. lib. 13. vers. Obijcitur*, Castillo *loc. cit. num. 34.*

Cæterum in hac materia difficultatem faciunt duo Textus, qui inuicem aduersari videntur. Alter est *in l. cum quidam ff. de iure fisci*, vbi habentur hæc verba:

Cum quidam Capitis Reus emancipasset

filium, vt hæreditatem adiret, responsum est, non videri in fraudem Fisci factum, quod acquisitum est

Alter verò *in l. In fraudem, ff. eodem tit.* vbi dicitur:

In fraudem Fisci non solùm per donationem, sed quocumque modo rei alienatæ reuocantur; idemque iuris est si non quæratur, æquè enim in omnibus fraus punitur.

In conciliandis prædictis legibus insudant Doctores: Glossa enim *in dicta l. Cum quidam, in verb. Hæreditatem,* dicit, quod in casu dictæ legis admittitur repudiatio, quia non dùm erat secuta condemnatio. In casu verò *l. In fraudem*, secuta erat, & ideò non poterat condemnatus non quærere, & hunc Glossæ intellectum sequuntur Bartol. Rainer. Alber. & Zasius, quos refert Telles Fernandez *dicta l. 4. num. 63.* Boss. *de public. bonor. num.* 29. & secundum hunc intellectum loquitur Peregrin. *ex aduerso citat. lib. 5. tit. 1. num.* 190. *& per duos sequentes.*

Sed iste intellectus communiter reprobatur, quia siue ante condemnationem, siue post, licitum est reo non quærere in præiudicium Fisci, nàm si licitum est non quærere in præiudicium creditorum, ergo à fortiori in præiudicium Fisci, qui tractat de lucro captando, & creditor priuatus potioris est conditionis, quàm Fiscus pœnam exigens, *l. 1. C. de pœnis Fisci creditor. præferen. lib.* 10. & sic nullo hac in re priuilegio gaudet Fiscus, qui in casu, de quo agitur, nullam habet hypothecam: non ante sententiam, quia non est creditor, *l. Quod placuit, ff. de iure Fisci*: non post sententiam, quia hæc facultas non cadit sub hypotheca, Ruin. *cons. 23. num. 27. lib. 5.* Surdus *decis.* 140. Gratian. *discept. 271. n. 29.* & meliùs *discept. 132. num. 2. & 5.* Castill. *dicto cap. 112. num. 32.*

Et quatenùs caderet sub hypotheca, non potest Fiscus excludere Sanctam Domum Lauretanam, quia illa anterior est Fisco: Nàm D. Castellanus iàm transtulit scuta triginta millia in eandem Sanctam Domum, si D. Io: Maria non disponat. Nàm si huiusmodi conditio adimpleatur, censetur ab initio ius quæsitum dictæ Sanctæ Domui argumento Textus *in l. Si tibi homo, §. Cum Seruus, ff. de legat.* 1. ibi, *Si non repulerit ex die aditæ hæreditatis eius fuisse intelligitur, l. Quidam, ff. de rebus dub. l. 1. §. Vtrum, ff. si quid in fraudem*, iu punct. post Mutam *decis.* 49. Amaya *l. 1. num. 64. C. de Iure Fisci lib.* 10.

Et propterea, quod tam ante condemnationem, quàm post, possit reus condemnatus in præiudicium Fisci non quærere voluere, Alber. *de stat. lib. 3. quæst.* 24. Dec. *cons. 445. à num.* 65. Nellus *de Bannitis par. 1. 2. Temp. quæst.* 3. Ruin. *cons. 23. lib. 5.* Vincent. de Franch. *decis.* 101. *num. 5. & 6.* Zanchin. *in repert. l. Hæredes mei, §. Cum ita in quarta parte num.* 88. *ff. ad Trebell.* Telles Fernandez *d. l. 4. Tauri à num.* 62. cum aliis per Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 4. num. 8. vers. Secundo alij limitant, & vers. Tertio alij temperant,* Annibal. *in l. Post contractum num.* 284. *ff. de donat.* Plott. *inter cons. crim.* Zilett. *to. 1. cons. 130. nu.* 57. Mieres *de Maior. par. 4. qu. 23. num. 45. & 53. in priori edit.* Menoch. *cons.* 101. *num. 4. vol.* 2. Sanchez *dicto lib. 2. cap. 14. nu.* 53. meliùs omnium Castill. *dicto cap. 112. à num.* 41.

Secundus intellectus est Glossæ *in dicta l. In fraudem, in verb. Non quæratur,* quæ duos dat intellectus, alter est, quod ideo reuocat Fiscus ibi alienata, quia lucrum iàm delatum erat condemnato mortuo testatore; alter condemnatum non posse non quærere, quia patiebatur bonorum iam delatorum fructus ab alio percipi.

Sed neuter intellectus potest substineri, non primus, quia aduersatur de directo dispositioni Textus *in d. l. Cum quidam*; nàm illa lex loquitur de patre, qui emancipauit filium, vt hæreditatem sibi delatam adiret: supponit ergo iam hæreditatem delatam, aliàs filius non egeret emancipatione, cum tunc non esset adeunda, & ideò hunc intellectum refellit, Vasqu. *par. 2. q. 96. art. 2. disp. 172. cap. 3. n. 21.*

Non secundus, quia eo in casu non tantùm est quærere, quàm donare, & ex hac ratione eundem intellectum non admittit, Vasqu. *loc. cit.*

Tertius intellectus est, vt *lex in fraudem,* procedat, quando bona condemnati iàm sunt Fisco delata, & incorporata: Secùs verò quando Fiscus solummodo est creditor alicuius summæ pecuniarum, in quam fortè reus fuit condemnatus, quia tunc habet locum lex *Cum quidam*, & hunc intellectum dat Picus *in l. Post contractum, num. 48. ad fin. ff. de donat.*

Sed in hoc intellectu Ego non insisto per ea, quæ tradit Telles Fernandez *dicta l. 4. Tauri, à num.* 60. Si tamen verus esset faueret D. Io: Mariæ, cum Fiscus prætendat esse illius creditor in summa scutorum viginti millium, non autem quod illius bona sint Fisco acquisita, & incorporata.

Quartus intellectus est Alciati *in dicta l. Post contractum*, quem sequuntur Telles Fernandez *dicta l. 4. num.* 64. Osuald. ad Donell. *lib. 23. cap. vlt.* post Vallam, & Petrum Fabium, Castillo *d. cap. 112. num. 43. ad fin.* Larrea *decis. 55. num. 27.* quod scilicèt *lex in fraudem*, procedat, quando damnatus dominium eius rei, quæ illi ex contractu, vel quasi debetur quærere neglexit, vt si obligationem remisit, vel rem tradi recusauit.

Qui intellectus si verus est, nihil conducit ad rem nostram, quia facultas illa disponendi non dat dominium, nec qui illam habet, ea non vtendo aliquid remittit; vt benè Amaya *d. l. 1. num. 64. C. de Iure Fisci lib. 10.* Mastrill. *decis. 277. num. 33.* vbi à fortiori, quod etsi dominium rei legatæ transeat ipso iure in legatarium, intelligitur tamen si legatarius legatum agnoscat, & propterea illud ius agnoscendi non transit in Fiscum.

Vltimus intellectus *dictæ l. in fraudem*, cui libenter adhæreo, cum à doctissimis Viris receptus sit, nempe ab Alciato *lib. 3. Parergon. cap. 19.* à Vasquez *d. l. 2. quæst. 96. disp. 172. cap. 3. nu. 22.* à Sanchez *ad præcept. Decal. lib. 2. cap. 14. num. 53.* est:

Non esse in eo Textu sermonem de repudiatione hæreditatis delatæ reo, cuius bona publicantur, nec id significari in verbis illis: *idemque iuris erit si non quæratur*; sed loqui de punienda fraude facta Fisco ab eo, qui alienauit bona iam publicata; & ibi Iurisconsultus eandem fraudem esse putat eodem modo puniendam, siue alienatio fiat, vt transferatur dominium in alterum, siue non transferatur, & ità prædicta verba, super quibus se fundat Peregrin. & alij *ex aduers. citati*, videlicet, *etsi non quæratur*, intelligenda esse, non, si non quæratur condemnato, sed si non quæratur ei, cui in Fisci fraudem res donantur, voluere Vasquez, & Sanchez *loc. cit.*

Sicuti eodem modo emphyteuta punitur alienando emphiteusim irrequisito domino, siue alienatio valeat, siue non, quia facto ipso alienare præsumpsit, Vasquez, & Sanchez *loc. cit.*

Cum ergò *dicta lex in fraudem*, tot habeat intellectus, dicendum est, attendendum esse illum, qui fauet reo, & non Fisco, Mathesil. *singul. 71.* Mastrill. *dicta decis. 277. num. 16.* vel saltem non posse allegari ad decisionem causarum, Gratian. *in pun. decis. 17. num. 19.* de Franch. *dec. 101. num. 21.*

Non obstat, quod supradicta procedant in priuatis, non autem in Fisco propter eius priuilegium, quia vt supra dictum est, Fiscus in quærendis nullum habet priuilegium, sed valet repudiatio in ipsius præiudicium facta, sicut valet in damnum creditorum priuatorum; Larrea *decis. 55. num. 27.* qui quamuis videatur inclinare in alteram partem, Salgado tamen *in labyr. creditorum par. 2. cap. 14. num. 21. in fin.* dicit, nostram opinionem esse receptiorem, maiorique numero Doctorum fulcitam, quam tenet, & tuetur latissimè Castillo *dicto cap. 112. num. 50.*

Minùs obstat, quod simus in iure iàm quæsito, & non in quærendis, quia dato quod huiusmodi facultas inter iura quæsita possit connumerari, hoc tamen est ius quæsitum imperfectum, & euentuale, hoc est quatenus D. Ioannes Maria velit vti, nàm si non vtatur, nullum ius potest dici illi quæsitum, Gloss. *in l. Qui autem, in verb. Legatum*, & ibi Bartol. *ff. quæ in fraudem creditor.* Iason. *in §. Item si quid num. 121. institut. de action.* Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 4. nu. 8. ad fin.* Amaya *loc. cit. nu. 64. ad fin.* Mastrill. *d. decis. 277. num. 54.*

Et quod D. Io: Mariæ facultatario nullum sit ius quæsitum per dictam facultatem
84 sibi concessam resoluit Rota *in Romana scutorum triginta millium, 9. April. 1660. coram R. P. D. Albergato, confirmata sub die 21. Iunij 1661. coram eodem*, quæ sunt impressæ *in par. 13. recent. decis. 189. & 355.* in quibus decisionibus recessum fuit ab alia emanata *sub die 23. Februarij 1658. coram eodem R. P. D. Albergato*, quæ est *decis. 303. par. 12. recent.*

Præterea aliud est, quod huiusmodi facultas iàm sit acquisita per D. Ioannem Mariam, aliud est, quod possit inuitus cogi ad vtendum ea facultate, hoc enim ius cogendi non transit in Fiscum, sicuti dicimus de facultate reuocandi donationem ab homine, vel à lege reseruata, quæ non cadit sub Fisci coactione, itaut donans possit ab eo cogi, vt illa facultate vtatur, *l. Sed, etsi mortis, §. 1. ff. de donat. inter virum, & vxorem, l. Res vxoris, C. eodem*, Iason. *l. Si stipulatus fuero, §. Cum stipulamur, vers. Sed istud, ff. de verb. obligat.* qui dicit, hoc singulariter notandum, Thesaur. *decis. 124. in fin.* vbi dicit, ità iudicasse contra Fiscum, Loffred. *cons. 5. n. 16.* Peregr. *de Iure Fisci lib. 2. tit. 1. n. 92. &* Mastrill. *d. dec. 277. n. 61.* Carpan. *ad Statut. d. cap. Omnium n. 437.* Castill. *dicto cap. 112. num. 33. & 34.*

Sicuti etiam dicimus de legitima relicta filio cum onere, qui si delinquat non possit cogi à Fisco, vt reiecto onere integram capiat legitimam, quia facultas reiiciendi onus dependet ab eius voluntate, Surd. *dicto cons. 412. à num. 48.* Mastrill. *dicta decis. 181. & 277. num. 62.* Merlin. *de legitima lib. 3. tit. 2. qu. 11. num. 16.*

Non obstat, quod sicuti D. Io: Maria potuit sibi præiudicare contrahendo, ità & delinquendo, quia facultas est intelligenda de propria dispositione, non de ficta, & impropria, Bald. *in cap. Feudum, si de Feudo fuerit controuersia*, Celsus Vgo *cons. 17. n. 11.* Mastrill. *d. decis. 277. n. 43. & 44.*

Addo, quod facultas disponendi de scutis triginta millibus est concessa D. Io: Mariæ solùm tempore mortis, ideò non potest cogi à Fisco, vt inuitus in vita illa vtatur saltem irreuocabiliter, Molin. *de Iust. & Iur. to. 3. tract. 2. disp. 593.* Valasc. *consult. 102. à nu. 23.* Rota *decis. 263. & 323. par. 1. recent.*

85 Sed redeundo ad rem nostram. In confiscatione non comprehenduntur nisi bona præsentia Hæretici, non autem futura, Gloss. *in l. Non ad ea, vers. Præsens, ff. de condit. & demonstrat.* & probat Textus *in cap. Fœlicis, de pœnis in 6. l. Si mandauero, §. Is cuius, ff. mand. l. Eius qui, §. 1. ff. de Testament. l. 1. ff. de pœnis,* Simanch. *de Cathol. d. tit. 9. num. 61. & in Enchiridion. tit. 56. nu. 5.* Locat. *verb. Publicatio,* Bursatt. *consf. 43. nu. 42. & 43.* Clar. *§. Hæresis num. 19.* vbi de communi; Rota *decis. 515. num. 4. par. 1. diuers.* Ricciull. *loco cit. num. 20.* P. del Bene *par. 1. dub. 110. num. 1.*

In proposito autem bona præsentia dicuntur, quæ habet Hæreticus tempore criminis patrati, non autem ea, quæ acquisiuit vsque ad diem latæ sententiæ, vt contra multos relatos à Riceiull. *loco cit. num. 21.* tenet Bursatt. *d. consf. 43. num. 4. lib. 1.* & prius *consf. 14. num. 28. eodem lib.* Baiard. ad Clar. *§. Hæresis qu. 78. num. 212.* Sanchez *d. cap. 14. num. 10.* Ricciull. *loco cit. num. 22.* qui alios citat, & testatur de communiori, & veriori.

86 Et hæc conclusio procedit, quamuis bona acquirantur per Hæreticum ex causa de præterito, Bartol. per Text. *in l. Si certa fama, C. de Iure Fisci lib. 10. & in l. 1. ff. de bonis damnat.* Ruin. *consil. 123. num. 7. lib. 4.* Natt. *consf. 472. num. 6.* Peregrin. *dicto tit. 1. num. 132.* Menoch. *consf. 101. nu. 24.* Gratian. *discept. 399. num. 11.* Ricciull. *loco citato num. 24.*

Iura autem conditionalia, quæ descendunt ex vltima voluntate, vt hæreditas, legatum, vel fideicommissum conditio-
87 nale non publicantur, quando conditio purificatur post condemnationem, quia in vltimis voluntatibus implementum conditionis non retrotrahitur, sed inspicitur tempus, quo illa impletur, *l. 1. §. Serui, ff. ad Syllan. l. si cum Hæres, ff. quando dies legat. cedat, l. Quæ legata, ff. de Reg. Iur.*

Tùm quia in vltimis voluntatibus nulla dispositio conditionalis transmittitur ad hæredes extraneos, sed perit obitu instituti ante conditionis euentum, *l. Legata sub conditione 41. ff. de condit. & demonstrat. l. Vnica, §. Sin autem sub conditione, C. de caduc. tollen.* Simanch. *d. tit. 9. num. 62.* Felin. *cap. Ad liberandam, de Iudæis,* Menoch. *dicto consf. 101. nu. 25.* Peregrin. *dicto tit. 1. nu. 132.* cum aliis innumeris, quos congerit, & sequitur Sanchez *dicto cap. 14. n. 15.* quibus addo Arias de Mesa *var. resol. lib. 3. cap. 42. à num. 1.* & Fermosin. qui latè de materia *ad cap. Vergentis, de Hæret. allegat. 31. à num. 6.*

Et hoc habet locum siue conditio sit casualis, siue potestatiua, siue mixta, quia relicta sub quacumque ex his conditioni-
88 bus non transeunt ad hæredes extraneos, *dicta l. Vnica, §. Sin autem, C. de cadne. tollen.* Couuar. *pract. quæstion. cap. 39. in fin.* Gomez *variar. lib. 2. cap. 11. num. 36.* Fermosin. *loco cit. num. 8.*

89 Ideo cauendum est à Roman. *singul. 170. num. 1.* & à Cassanæo *in consuet. Burgund. rubr. 2. §. 2. in princ. num. 24.* & ab Horoscio *in l. 3. §. Si quæ postea num. 3. ff. quod quisque iur.* qui ducti à Textu *in l. in fact. 59. §. Fiscus, ff. de condit. & demonstrat.* putarunt conclusionem procedere in conditione potestatiua, non autem in casuali, vel mixta, quia Textus ille non probat illa legata conditionalia pertinere ad Fiscum, sed tantùm ibi deciditur, quod si legatum habens aliquod onus annexum pertineat ad Fiscum, teneatur Fiscus onus illud implere, vt benè probat Sanchez *d. cap. 14. num. 17.* Fermosin. *loco cit. num. 11.*

Et propterea si Hæreticus, cuius bona publicantur, sit substitutus alteri, & post confiscationem purificetur substitutionis
90 conditio, non veniunt in confiscatione bona, quæ delinquens vigore illius substitutionis acquirit, vt probat apertè Textus *in l. Substituti 42. ff. de acquiren. rer. dominio,* Bald. Alber. Gigas, Peregrin. Farin. Baiard. & alii allegat. à Sanchez *d. cap. 14. num. 18.* qui *nu. 19.* subiungit, hanc conclusionem limitari, si ius conditionale ex vltima voluntate descendens sit passiuum, quia tunc transit in Fiscum, & tenetur soluere Fiscus id, ad quod delinquens tenebatur, etiamsi conditio post condemnationem extiterit per Text. *in l Statius Florus 48. §. fin. ff. de Iure Fisci, & in l. Ex facto, §. ex facto, ff. ad Trebell.* perperam intellecti à Iason. *in l. Si quis arbitr. §. penult. ff. de verborum obligat.* vt notat Barbos. *in l. Si constante, §. fin. num. 5. ff. solut. matrimon.*

Si autem iura conditionalia descendant ex contractu, adimpleta conditione
91 post condemnationem transeunt in Fiscum, *l. Inter socerum 26. ff. de pact. dotal.* Arias de Mesa *loco cit. num. 4.* Fermos. *loco cit. num. 15.*

Tùm quia in contractibus implementum conditionis retrotrahitur, & perindè est, acsi tempore, quo apponitur, esset impleta, *l. Potiores, ff. qui potiores in pignore habeantur, l. Si filius famil. ff. si certum petatur.*

92 Tùm etiam quia, quæ proueniunt ex contractibus transeunt ad hæredes extraneos, *§. Ex conditionibus instit. de verb. obligat.* & hanc conclusionem tenent Bald. Salyc. Roman. Alexan. Menoch. Farinacc. & alij à Sanchez *d. cap. 14. num. 21.* Arias de Mesa *vbi supra dicto num. 4.* Fermosin. *vbi supra num. 15.*

93 Et hæc conclusio habet locum, siue iura conditionalia sint actiua, siue passiua, vt benè Bald. *l. fin. num. 15. C. de contrahen.*

empt. alij à Sanchez *loco cit. num.23.* Arias de Mesa *d. cap.42. num.6.*

Et quamuis Bartolus, Aretinus, Iason, Loffred. Boet. Horoscius, Clarus, Peregr. & Azeued. citati ab eodem Sanchez *n* 22.

94 contrarium sentiant ea ratione, quia Fiscus non est propriè hæres delinquentis, quibus videtur adhærere Fermos. *nu.16.*

Hæc tamen ratio non subsistit, quia etsi Fiscus non sit propriè hæres condemnati, est tamen eius vniuersalis successor, Aretin. *l. Si quis mihi bona, §. Si seruus municipium, ff. de acquiren. hæredit.* Bois. *de bonorum public. num.14.* Barbos. *d.§.fin.num.7.ff.solut.matrim.* quo fit, vt ad debita condemnati teneatur Sanchez *d. cap.14. num.30.* Card. de Lugo *de virtut. fidei disp.24. sect.1. §. vnico nu. 23.* Fermosin. *loc.cit. num.13.*

Secundo procedit conclusio, siue conditio sit casualis, siue potestatiua, vel mixta, dummodo conditio possit per Fiscum adimpleri, Cassanæus *in consuet. Burgund. rubr.2.§.2. in princ. num.24.* Baiard. ad Clar. *qu.78.num.105.* Barbos. *d.l.Si constante. §.fin. nu.6. ff.solut.matrimon.* Suarez *de fide disp.22. num.10.* Simanch. *d.tit.9. nu.11.* Fermosin. *loco cit.num.21. & 22.*

95 Contrarium in conditione potestatiua tenuerunt Bald. *l. fin. nu.15. vers.Ego autem C.de contrahend.empt.* Alex. *l.si marito num. 2. ff. solut.matrimon.* Gomez *d.cap.vlt.num.2.ad fin.* Farinacc. *qu.28.num.147.* Ricciull. *dicto cap.32. num.38.* qui dixit, hanc opinionem esse frequentiorem, & veriorem. Sed vide in hac materia Card. de Lugo, benè, iudicio meo, distinguentem, *d.disput.24.nu.24.* & de supradictis videre est P. del Bene *par.1. dub.109. 110. & 112.*

96 Per condemnationem Hæretici in confiscationem bonorum vsusfructus ad eum spectans non consolidatur cum proprietate, vt voluit Bald. *l.1.nu.4. de bonis libert.* & ibi Salycet. *num.9.* Alexan. *conf.23.nu.14. vol.1.* Diaz *in prax. cap.131.num.4.* Corrad. *in prax. de publ.bonorum num.3. limit.7.*

97 Sed illius commoditas transit in Fiscum, dùm vsufructuarius ille debebat eo gaudere, *l.Si postulauerit, §.Iubet, ff.ad legem Iuliam de adulter.* & ità tenent Cynus *l. Corruptionem 16. in fin. C. de vsufruct.* & ibi Alberic. *nu.vnic.* Idem Albericus *dicta l.Si postulauerit, §. Iubet, num. 1.* & ibi Angel. *num. 1.* idem Angel. *l. Eorum num. 3. ff. de damn infec.* Simanch. *d.tit.9.nu.19.* Peregr. *d. tit.1. num.73. & 116.* Farinacc. *quæst.25. num. 150.* cum alijs à Sanchez *dicto lib. 2. cap.16. num.4.*

Sed hæc conclusio non habet locum in Hæretico impœnitente, vel relapso, quia cum tradatur Brachio seculari, per mortem illius consolidatur cum proprietate.

Et si pœnitens damnatus vel ad perpetuos carceres, vel ad triremes, vel in perpetuum relegatur in aliquo Castro (quia tunc patitur maximam, vel mediam capitis diminutionem) consolidabitur cum proprietate, & erit habentis proprietatem, vt habetur *in dicta l.Corruptionem 16. C. de vsufruct.* & docent Bald. ibi *num. 7.* Alexan. Plot. Peregrin. & alij à Sanchez *dicto cap.16.nu.7.* P. del Bene *dub.123.par.1. sect. 3.*

Bonorum autem aduentitiorum vsusfructus, qui debetur patri, non confisca-

98 bitur ob illius hæresim, sed ad filium proprietarium spectabit, quia statim atque pater Hæreticus fit, ius patriæ potestatis amittit, *cap.2.§.fin.de Hæret.in 6.* Simanch. *d.tit.9. num.81.* Canter. *quæst.crimin.d.cap.1. num.35.* Sanchez qui alios *d. cap.16. nu.18.* P. del Bene *loc.cit. sect.4.*

Eodem iure metienda est confiscatio quoad peculium profectitium filij familias, licèt enim hoc peculium sit proprium patris quoad dominium, & quoad vsumfructum, *l. certum, C. familiæ Herciscundæ, l. 1. §. Quamdiù seruus alias §. Sed si alio, ff. Quando de peculio.*

99 Nihilominus quia filius de hoc peculio habet administrationem, non debet illa priuari. ob patris delictum. Nàm illa priuatio est pœna, *l. Testamento Centurio, ff. de manum. Testamento*, & ideò hanc opinionem per Text. *in l.3.§. Sed vtrum ad fin. de min.* tenent plurimi relati à Sanchez *d. cap.16. num.21.* vbi *num.23.* reprobat Canteram, & Quemadam contrarium sentientes cum quibus concordat P. del Bene *loco cit. num.4.*

100 Cæterùm an publicatis bonis paternis ob delictum hæresis, reseruentur fillis alimenta, vel ius legitimæ, negatiuè respondendum est, quia licèt parentes adstringantur iure naturali ad alendos filios, non ob id impeditur, quin illis integrū fit omnia bona sua hypothecæ alicui subijcere per contractum, quæ sæpè à creditoribus vsurpantur non deductis eorum alimentis, ergò à fortiori id poterant per delictum. Prior enim obligatio ex propria oritur voluntate, posterior autem ex legis præscripto ob bonum commune, vt tàm atrocis supplicij timore arceantur parentes ab hoc delicto patrando, & ideò Textus *in cap. Vergentis, de Hæret.* aufert omnino filiorum successionem in Hæretici parentis bona, iubetque illis penitus exhæredatis omnia bona publicari, & ità docent Imola *in Clement. Pastoralis num.25. de sentent. & re iudic.* Simanch. *de Cathol. tit.29. num.12.* Canter. *dicto cap.1. num.10.* Pegna *par.2. comment.9.* Bursatt. *conf. 289. num.22.* cum alijs per Sanchez *dicto cap.16. num.26.* addo plenè disputantem Ricciull. *de Iure person. lib.5.cap.40. per tot.* Fermos. *d. cap.ex*

d.cap.ex litteris 11.*num.*37. *& in cap.Vergentis, de Haret.allegat.*20. *num.*12. P.del Bene *par.*1. *dub.*123. *sect.*5. *num.*9.

Idem dicendum est de dotibns filiarum; quæ nec etiam illis reseruantur, *l. Quisquis, §. Filiis, C. ad legem Iuliam Maiest.* & per *d. cap. Vergentis*, Ricciull. *d. cap.*40. *num.*8. Fermosin. *loco cit. num.*37. P.del Bene *loco cit. sect.*6. *num.*4.

101 Imò si fuissent assignatæ à Patre post delictum possunt à Fisco reuocari, *l. Quis per emancipationem, C. ad legem Iuliam Maiestat.* Simanch.*dicto tit.*9.*num.*73. Ricciull. *d. cap.*40. *num.* 14. siue sint constitutæ pro matrimonio carnali, siue pro spirituali; Simanch. *dicto tit.*9. *num.*24. Ricciull. *dicto cap.*40. *num.* 15.

Imò pro dotanda Ecclesia, vel Cappella, Ricciull. *loco cit.*

102 Sed quicquid sit de iure, certè propter pietatem Tribunalis Sanctissimæ Inquisitionis, si essent constitutæ, non auocarentur, nisi aliqua fraus in constitutione appareret, si autem non essent constitutæ, crederem ex eadem benignitate esse constituendas, quia sic practicatùr in Tribunalibus secularibus in crimine læsæ Maiestatis humanæ, teste Angelo *in conf.* 357. & Afflict. *in cap.*1. *Glos.*3. *num.*30. *qua fuit prima causa benefic. amit.* Beccius *consil.* 8. Surd. *de alimen. tit.* 9. *quæst.*32. in terminis Ricciull.*dicto cap.*40.*num.*9.*&* 17. Castill.*ad l.*77. *Tauri*, Fermosin. *loco cit. num.*38. *cum sequentibus.*

103 Filiis verò impuberibus alimenta à Fisco ministrari solent, qui cura Inquisitorum aluntur apud pios, & probos viros, à quibus in Catholica fide instruuntur, Simanch. *de Cathol. tit.* 29. *num.* 12. Pegna *par.*2.*comment.*8.*verf.Inquisitores*, Fermosin. *loco cit.num.*41. cum alijs per Ricciull.*dicto cap.* 40. *num.* 19. vbi tamen *num.* 20. dicit respectu dotis, quod eius quantitas non potest prætendi pro dignitate natalium, sed simpliciter ad mediocrem alimoniam iuxta dictum Textum *in l. Quisquis, §.filias, C. ad legem Iuliam Maiest.*

104 Et quod filijs absolutè, siue sint impuberes, siue puberes debeantur à Fisco alimenta, saltem ex æquitate, & humanitate tenet Castill. *loco cit.* ex Lupo *in tract. de Haret. quæst.* 19. P. del Bene *loco citato sect.* 7.

105 Sed an è contra ob filiifamilias crimen hæresis confiscetur eius peculium castrense, vel quasi; Negatiua opinio tenenda est per Text. *in l. Si filius, C. de bonis proscript.* vbi quod in paternæ potestatis solatium tale peculium defertur patri, & non Fisco. Ideò si leges ciuiles hac pietate vtuntur, multò magis ea vti debet Tribunal pijssimum Sancti Officij. Et hanc opinionem relatis contrarijs, & reprobatis tuetur Sanchez *dicto lib.*2.*cap.*15.*num.*4. qui *num.* 5. ampliat etiam quod filiusfamilias haberet filios per Salycet. *in l.* 3. *C. de bonis proscript.* & alios per eum ibi allegatos, P.del Bene *par.*1. *dub.*122. *sect.*6. *nu.*1. *&* 15.

106 Idem dicendum est de proprietate, & vsufructu bonorum aduentitiorum filij, quia ex eadem pietate etiam in crimine hæresis patri relinquuntur, Cacheranus *decis.* 94. *num.* 9. Azeued. Azor. & alij à Sanchez *loco cit. num.* 11. P. del Bene *loco cit. sect.*5. *num.*6.

107 Quod verum est, quamuis filius de consensu patris administret aduentitia, Abbas *conf.* 66. *num.*5. *vol.* 2. Boer. *decis.* 7. *num.*16. Baiard. ad Clar. *§.fin. qu.*78. *nu.*55. quamuis contrarium teneant Bartol. *in l. Si finita* 75. *§.Si de vectigal. num.*13. *in fin. de damno infecto*, & ibi Alexan.*n.*31. Menoch. *de recuperand. remed.* 9. *nu.*90. sed priorem opinionem approbat Sanchez *dicto cap.*15. *num.*12. Farinacc. quamuis dubius *quæst.*24. *num.*8. P.del Bene *loco cit. num.*14.

Pariter verum est, quamuis pater solam vsusfructus spem habeat, vel si Pater careat vsufructu eorum aduentitiorum, Farinacc. *dicta qu.*24. *num.*6. *&* 7.

Quamuis in hoc secundo casu, quando pater caret vsufructu contrarium teneant Paris. Crot. Gigas, Peregrin. Caldas, quos refert, & sequitur Sanchez *dicto cap.* 15. *num.*14. *verf. At potius placet.*

108 Multò magis cessabit confiscatio in peculio profectitio, quod est patris, tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum, & sola administratio est filij, *l. Certum, C. familiæ Herciscundæ*, Simanch. *d. tit.*9. *num.*30. Clarus *qu.*78. *num.*10. & ibi Baiard. *num* 49. Peregrin. *d. tit.*1. *num.*125. Canter. *d.cap.*1. *num.*39. Farinacc. *d.qu.*24. *num.*3. cum alijs per Sanchez *loco cit.n.*17. P.del Bene *d. par.*1. *dub.*122. *sect.*3.

Quod verum est, quamuis filius haberet dicti peculij administrationem, & potestatem donandi, & dissipandi dictum peculium, vt post Angelum Imol. & alios, tenet Sanchez *loco cit. num.*18. P.del Bene *d. sect.*3. *num.*3. *&* 4.

109 Nec legitima filij sibi debita in bonis parentum venit in confiscatione ob illius hæresim, Simanch. *d.tit.*9.*nu.*79. Farinacc. *d. quæst.*24. *num.* 16. alios multos refert, & sequitur Sanchez *d. cap.*15. *num.* 19. qui *in fine* dicit, neminem contradicentem inuenisse.

110 Nisi fuisset assignata in vita à patre filio, quia tunc cum sit illius dominus cadit sub confiscatione, vt reprobato Baiardo, tenet Sanchez *loco citato numero* 20.

111 Imò nec mortuo patre post filij delictum publicabitur ea legitima, quia confiscatio ad illam, tanquàm ad bona futura

non extenditur, Farinacc. *dicta quaest.* 24. *nu.* 19. cum aliis relatis à Sanchez *loco cit. num.* 21.

112 Multo minus publicari possunt alimenta debita filio à parentibus, ac singulis annis dari solita, quia ea non sunt in filij bonis, Speculat. Curtius, Sen. Nellus, Gigas, Peregrin. Baiard. Azeued. relati à Sanchez *loco cit. num.* 19. & 22.

113 Quo vero ad dotem vxoris, certum est illam non confiscari propter heresim viri, *cap. Decreuit, de Haeret. in* 6. & ibi Gloss. *in verb. Confiscare*, Monach. *num.* 1. Franch. *in Summar.* Simanch. *dicto tit.* 9. *num.* 66. Pegna *comment.* 160. *par.* 3. *vers. Sed in viam*, Canter. *d. cap.* 1. *num.* 22. Sanchez *dicto lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 30. cum aliis per Farinacc. *quaest.* 90. *num.* 43. P. del Bene *par.* 1. *dub.* 124. *sect.* 1. *num.* 30.

114 Hoc tamen procedit, si verè dos fuerit constituta per numerationem, & consignationem, secùs si constaret de ea per solam mariti confessionem, vt apertè habetur in Textu *l. Si quis post hac, ff. de bonis proscript. l.* 1. *C. de dote caut. non numerata*, Sanchez *loco cit. num.* 5. Farinacc. *loco cit. num.* 48. Pater del Bene *loco cit. sect.* 2. *num.* 6.

115 Nisi dicta confessio adminicularetur iis praesumptionibus, quibus confessio reputatur pro vera numeratione, veluti si constet de antecedenti promissione, si fuerit per maritum renunciatum exceptioni non numeratae pecuniae, vel aliàs fuerint lapsa tempora ad illam opponendam, Simanch. *de Cathol. tit.* 6. *num.* 67. 68. & 69. Locat. *q.* 13. Pegna *par.* 3. *comm.* 160. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 5. Farinacc. latè *quaest.* 25. *num.* 320. & *qu.* 190. *nu.* 48. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 24. *num.* 31. & 32.

116 Ideò si fuerint bona viri Haeretici occupata à Fisco, tenetur ipse Fiscus dotem restituere vxori, sicuti tenebatur vir, *l. Si marito in princip. ff. soluto matrim. l.* 2. *C. eod. tit. d. l. Si quis post hac*, Boss. *de Confiscat. num.* 73. cum aliis per Ricciull. *loco citato num.* 30.

117 Et interim donec Fiscus dotem restituat, tenetur vxori praestare alimenta, vel fructus, & interusuria dotis, Boss. *tit. de Aliment. num.* 2. Peregrin. *dicto tit.* 1. *num.* 82. Sanchez *d. cap.* 17. *num.* 8. Ricciull. *loco cit. num.* 33. P. del Bene *loco cit. num.* 9.

Et sicuti dos non venit in confiscatione bonorum viri Haeretici, ità nec alia bona propria vxoris erunt ei obnoxia, *dicta l. Si post hac*, Sanchez *loco cit num.* 3. P. del Bene *par.* 1. *dub.* 124. *sect.* 1. *num.* 1.

118 Hinc propterea bona paraphrenalia, quarta reseruata coniugi inopi, lucrum dotale, & donationes propter nuptias, quae transeunt in dominium vxoris, non confiscantur ob delictum viri, *d. l. Si quis post hac, Auth. Bona damnatorum, §. Vxore, C. de bonis proscript.* Alberic. *de Statut. par.* 3. *qu.* 5. Rolan. *de lucro dot. quaest.* 59. *num.* 4. Ricciull. *loco cit. nu.* 36. cum aliis ex nostris Inquisit. relat. à Farinacc. *qu.* 190. *§.* 3. *num.* 44. & 45. P. del Bene *loco cit. num.* 5.

119 Sic pariter donata vxori à consanguineis viri non vt marito acquirantur, sed vxori, in confiscationem non veniunt, Simanch. *d. tit.* 9. *num.* 76. Pegna *par.* 3. *comment* 160. Sanchez *dicto cap.* 17. *num.* 13. Farinacc. *loco cit. num.* 46. P. del Bene *loco cit. num.* 6.

120 Quouerò ad iocalia, & vestes pretiosas traditas vxori, Baiard. ad Clar. *qu.* 78. *nu.* 6. quem sequitur Sanchez *dicto cap.* 17. *nu.* 14. dicit venire in confiscationem, quia remanent in dominio viri, & data sunt vxori ad ornatum, P. del Bene *loco citato num.* 13.

121 Caeterùm quoad vestes etiam pretiosas rigorosa nimis est ista opinio, nec credo, Sacram Congregationem ex sua pietate vsuram hoc rigore aduersus miseram mulierem, quae absque sui culpa vsu dictarum vestium, imò iocalium priuari non debet: Et ideò in causa Catanei *Pisanien.* licèt fuerint bona viri confiscata, non tamen fuerunt ablata vxori nec iocalia, nec vestes pretiosae.

122 Quae dicta sunt hucusque habent locum, quando mulier scienter non nupsit viro Haeretico, nàm si sciret, aliquem esse Haereticum, & ei nubat, dos eius confiscatur, Textus est *in cap. Decreuit, de Haeret. in* 6. & ibi Gloss. *in figuratione casus*, Monach. Probus, & Geminian. Simanch. *dicto tit.* 9. *num.* 66. Repertor. *verb. Dotes*, Locat. *verb. Poenas*, Pegna *d. comment.* 160. Decian. Canter. & alij à Farinacc. *d. qu.* 190. *nu.* 49. Sanchez *d. cap.* 17. *num.* 17. P. del Bene *loco cit. sect.* 5. *num.* 1.

123 Hęc tamen scientia debet esse de tempore contractus matrimonij, vt docent Doctores *in dicto cap. Decreuit*, & debet à Fisco probari, quia non praesumitur, vt dicunt Geminian. Franch. & Pegna citati à Sanchez *loco cit.* P. del Bene *loco cit. nu.* 1. *in fin.*

124 Non caderet tamen sub confiscatione dos vxoris Catholicae nubentis Haeretico, si illa debet restitui tertio, Canter. *d. cap.* 1. *num.* 24. Sanchez *d. cap.* 17. *nu.* 19. Farinacc. *loco cit. num.* 49. sed Fiscus hoc casu poterit frui fructibus dictae dotis, vsquequo veniat casus dictae restitutionis, Sanchez *loco cit. num.* 19. P. del Bene *loco cit. num.* 4.

125 Quemadmodum nec cadunt sub confiscatione reliqua bona vxoris, cum Summus Pontifex, *in d. cap. Decreuit*, disponat solùm de dote, ideò illius dispositio non est ad alia bona extendenda, Sanchez *loco cit. num.* 22. P. del Bene *loco cit. nu.* 8.

126 An autem vxor, si non denunciauerit virum Hæreticum, amittat dotem; Negat Pegna *d. commeut.* 160. & benè, quia nullibi hæc pœna statuta est, quem sequitur Sanchez *loco cit. nu.*17. P.del Bene *loco cit. num.*13.

127 Sicuti nec amittit dotem, eo quod vitum damnatum de hæresi comitetur, Sanchez *loco cit. num.* 24. P. del Bene *loco citato*.

128 An autem è contrario vir Catholicus ducens scienter mulierem Hæreticam, incurrat in pœnam amissionis bonorum, negat Sanchez, quia nullibi hoc cautum reperitur, & adest diuersa ratio, cum faciliùs possit peruerti mulier, quàm vir, sic ille *loco cit. num.* 23. P. del Bene *loco citato sect.* 6. *num.* 1.

129 Contra verò huiusmodi mulierem Catholicam sic Hæretico nubentem potest procedi tanquam contra suspectam de hæresi, imò fautricem Hæreticorum, vt post Gloss. & Doctores *in d. cap. Decreuit*, Canter. *rubr.de Haeret. in cap.*1. *num.*20. Farinacc. *d. qu.*190. *num.*50.

130 Et propterea si hoc casu, vel alio, mulier reperiatur Hæretica, non solùm amitteret dotem, sed & omnia alia bona, & lucra, Repertor. Inquisit. *verb. Dotes*, Villad. *de Haeret. quaest.* 15. *num.*9. Roias *de Haeret. par.* 2. *assert.* 40. *num.* 323. *&* 325. Simanch. *de Cathol. tit.* 6. *de bonis Haeret. num.* 12. cum aliis per Farinacc. *d. qu.* 190. *num.* 54. P. del Bene *dicta par.* 1. *dub.* 125. *sect.* 1.

Quod habet locum, non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad commoditatem, & fructus, quia cum hæc sit alienatio, quæ prouenit ex delicto, potest viro præiudicare, Lupus *l.*78. *Tauri num.*2. & ibi Castill. *num.* 2. Gomez *num.* 26. cum alijs à Sanchez *loco cit. num.*31. P. del Bene *loco cit. sect.*2.

Contrarium tamen tenuit Io: Lupus *in rubr. de donat. inter virum, & vxor.* §. 66. *num.*23. *& ibi adden.*

131 Et hanc opinionem crederem esse seruandam in Sancto Officio propter benignitatem, & æquitatem Sanctissimi Tribunalis, ne miserrimus vir, qui fortasse numero filiorum est grauatus, cogatur de suo substinere onera matrimonij, propter quæ dos constituitur.

Quod intellige, nisi vir conscius fuisset hæresis vxoris, nec curasset illam ab hæresi retrahere, vel denunciare, quia tunc cessat illa æquitas à Me considerata, cum reddidisset se suspectum de heresi, vt supra dictum est.

132 Neque hoc casu vir lucrum dotis poterit consequi, vt in puncto voluit Roland. *quaest.* 59. *num.* 5. Baiard. ad Clarum *q.*78.*nu.*63. Carpan. *in cap.Omnium nu.*305. Sanchez *loco cit.num.*33. Guazzin.*de confisc. bonor. limit.*37. *conclus.* 17. *num.* 6. qui licèt dicant hoc procedere, si pactum de lucro fiat post lapsum vxoris in hæresim, idem tamen est, si fiant ante, quia in delicto læsæ maiestatis Diuinæ, quod est vnum de contentis *in l. Quinque legibus, ff. de bonis damn.* pactum siue ante, siue post non substinetur, Barbos. *l. Si constante*, §. *fin.* quem sequitur Sanchez *loco cit. num.* 33. P. del Bene *loco cit. sect.*3. nisi pietas Sancti Officij vellet sequi opinionem Peregrini *dicto tit.*1. *nu.*83. *&* 118. dicentis absolutè, dote publicata non censeri publicatum lucrum, quod defertur à Statuto, vel à pacto, quam opinionem tenet etiam Rolandus *dicta quaest.*59. Plot. *cons.*30. *num.*54. Farinacc. *qu.*25. *num.* 115. Gomez *ad l.*87. *Tauri num.*6. Guazzin. *loco cit.nu.*5.

133 Sed an vir confiscata dote vxoris teneatur alere vxorem, dicendum est, quod si vxor habeat parentes diuites, onus eam alendi ad eos spectar: Si verò illam præ paupertate alere non possint, tenetur vir ex coniugalis vinculi, & amoris debito, vt ex Textu *in l. Quod si nulla* 28. *ff.de Religios. & sump. fun.* tenet Sanchez *de matrimon. lib.*9. *tit.de debito coniug. disp.*5. *num.*10. licèt *in lib.*2.*ad Decal. dicto cap.*17.*nu.*34. dixerit, absolutè teneri virum alere vxorem, & citat Castill. ità dicentem *in l.* 78. *Tauri ad fin.*

134 Bona vero, quæ sunt prohibita alienari in fauorem aliorum, non cadunt in confiscatione, sed statim pertinent ad vocatos, Ruin. *consil.* 129. *num.* 4. Natt. *consil.* 528. Menoch.*consil.*104. Gabriel. *consil.*28.*nu.*4. *vol.*1. Bocr. *decis.*178. *num.*6. Rota *decis.*10. *n.*9. *par.*1.*recent.* Sanchez *dicto lib.*2.*cap.*18. Sanctarell. *de Haeresi cap.* 17. *dub.* 1. P. del Bene *d. par.*1. *dub.*116. *num.*1.

135 Et isto casu, nec etiam commoditas, seu fructus horum bonorum durante vita delinquentis publicatur, sic Gabriel. Natt. Decian. Ruin. & alij à Sanctarell. *loco cit. num.* 1. Carena reprobata contraria opinione *in praxi Sancti Officij par.*2. *tit.*1. §.29. *num.*155. P.del Bene *loco cit.*

Dixi, *in fauorem aliorum*, quia si bona sint prohibita alienari in fauorem illius, cui alienatio interdicitur, tunc transeunt ad Fiscum, Bartol. *l. Si finita* 15. §. *Si de vectigal. num.*3. *ff. de damn. infect. l. Si quis in tantam, vers. septimo num.* 12. *C. vnde vi*, Canter.*d.tit.*1.*nu.*43. cum alijs per Sanchez *loco cit. num.* 15. Sanctarell. *loco cit. num.* 7. P.del Bene *loco cit. num.*20.

136 Quod procedit, etiamsi Testator in ea prohibitione in fauorem solum delinquentis facta, nullo ei dato substituto, prohibuerit expressè, bona transire in Fiscum, quia huiusmodi prohibitio, vtpotè delicto fauens non valet, Natt. *consil.*528.

*nu.*12. *in fin.* Farinacc. *qu.*25. *nu.*5. Sanchez *loco cit. num.*7.

137 Idem dicendum eſt de tacita prohibitione alienandi, quæ inſurgit ex fideicommiſſo, quia tunc ſaltem quoad commoditatem bona illa pertinebant ad fiſcum, quandiu Hæreticus vixerit, *l. Statius Florus, §. Cornelio Felici, de iure fiſci*, Molin. *de primog. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 10. Caldaſ. *quæſt. Forlibi. quæſt.* 23. *num.* 43. Marta *de ſucceſſione legali par.* 4. *quæſt.* 21. *art.* 18. *num.* 47. Carena *par.* 2. *tit.* 1. *§.* 29. *num.* 153. P. del Bene *d. dub.* 116. *num.* 6. *ver. Reſpondes*, Fermoſin. *infra allegat. num.* 41.

138 Sed licèt prohibitio non ſit expreſſa in fauorem aliorum, ſed ſolùm extra familiam, vel extra aliquod genus perſonarum, ceſſabit confiſcatio, quia militant eædem rationes, quæ militant in expreſſâ, Bartol. *in l. Si quis in tantam, C. Vnde vi*, Alex. *conſ.* 23. *n.* 6. *vol.* 1. Gabriel *lib.* 7. *de crimin. concl.* 14. Farinacc. *qu.* 25. *nu.* 32. Sanchez *loco citato num.* 18. Sanctarell. *loc. cit. num.* 2. P. del Bene *loco citato, num.* 8. Fermoſin *ad cap. Vergentis alleg.* 33. *nu.*38.

139 Quæ tamen concluſio non habet locum, quando Hæreticus haberet Ius deducendi legitimam ex illis bonis ſic expreſſè, vel extra familiam prohibitis alienari, quia cum legitima nullum recipiat grauamen, caderet ſub confiſcatione, Clar. *quæſt.* 78. *num.*10. Farinacc. *quæſt.*25. *num.* 40. Sanchez *loc. cit. num.* 21. Muta *deciſ.* 46. Carena *loc. cit. num.* 151. *verſ. Quoad legitimam*.

410 Idem eſſet dicendum de Trebellianica, ſi non ſit prohibita, etiam filiis primi gradus, quibus prohiberi poteſt ſecundùm opinionem, quam ſeruat Rota Romana, vt *deciſ.* 67. *&* 318. *par.* 1. *recent.*

Et hanc opinionem tenent relati à Carena *loc. cit.* qui tamen dicit, quod in locis, in quibus non poteſt prohiberi filiis primi gradus, vt Cremonæ iuxta *Conſilium* Bottæ 63. poteſt deduci à fiſco.

141 Secundo non habet locum, quando prohibitio eſt limitata ad contractus, hoc eſt, ſi diſponens interdixiſſet ſolùm alienationem inter viuos, Peregr. *de Iure fiſci d. tit.* 1. *num.* 98. Baiard. ad Clar. *d. qu.* 78. *num.* 43. Rimin. Iun. *conſ.* 384. *num.* 289. *&* 290. Sanchez *loc. cit. num.* 22.

142 Tertiò non habet locum, ſi fideicommiſſum in Hæretici perſonam extingueretur, vt quia deficiunt perſonæ, quarum cauſa interdicitur alienatio, Marſil. *ſingul.* 314. Farinacc. *d. quæſt.* 25. *nu.* 49. Sanchez *loc. cit. num.* 22.

14? Quomodo autem concipienda ſit prohibitio alienationis ad excluſionem fiſci videndus eſt Sanchez *d. cap.* 18. *num.* 24. Sanctarell. *loc. cit. num.* 4. Guazzin. *de confiſcat. concluſ.* 27. *per totam*.

144 Quæ cautela habet locum etiam in delicto hæreſis, quicquid dicat Simanch. *d. tit.* 9. *num.* 138. cum contraria contra eum opinio ſit crebriori calculo recepta, vt per Telles Fernandez *l.* 27. *Tauri nu.* 19. Sanchez *loc. cit. num.*24. *&* 46. Adden. ad Molin. *de Primog. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 56. Odd. *de fideicom. qu.*6. *art.* 3. Torre-blanc. *de delict. lib.* 3. *cap.* 13. vbi reprobat Simanch. Carena *loc. cit. verſ. contra verò*.

Sed an fiſcus, qui prius delinquentem contumacem mulctauit, demum conuictum damnat in pœnam confiſcationis, poſſit Inconſtans, omiſſa confiſcatione, ad mulctam tranſire.

145 Hæc quæſtio in delicto hæreſis ſuperuacanea eſt, quia quicquid eſſet antiquitùs, hodie contra contumaces, ſiue Hæreticos, ſiue ſuſpectos de hæreſi non proceditur per viam mulctæ pecuniariæ, ſed citantur ad reſpondendum de fide ſub pœna excommunicationis, vt apparet ex forma citationis per Eymeric. *par.* 3. *num.* 130.

Ideo cauendum eſt à Carena *loco citato num.* 159.

146 In aliis verò delictis conſentio diſtinctioni ab eodem Carena adductæ, vt ſi confiſcatio acceptata ſit per fiſcum; Non detur Inconſtantia, & ſic poſſit redire ad mulctam: Nam acceptata confiſcatione creditum mulctæ remanet confuſum, Crauett. *conſ.* 797. *per totum*, Heringius *de fideiuſſoribus cap.* 20. *§.* 54. *num.* 10.

147 Tunc autem dicitur acceptata confiſcatio, cum bona poſita ſunt ad Cridas. Barbat. *conſ.* 39. *num.* 17. *inter conſ. Crimin. diuerſ.* Heringius *loc. cit.* Carena *loc. cit.*

248 Vel ſi arma fiſci, vel Principis ſint affixa domui delinquentis, Heringius, & Carena *locis citatis*.

249 Quid autem ſi fiſcus incorporaſſet bona, & cepiſſet ſoluere creditoribus Hæretici ſua credita; An poſſit Inconſtans repudiare confiſcationem. Affirmatiuam opinionem tenet Fuluius Conſtan. *l.* 1. *C. de pœnis fiſcal. lib.* 10. *num.* 159.

Carena verò *loco ſupra citato* putat quæſtionem inutilem; Nam ſiue fiſcus ſit in hoc Inconſtans, ſiue non, nunquam tenetur vltra vires hæreditarias.

250 Sed fallitur, quia aliud eſt, quod teneatur vltra vires hæreditarias, aliud eſt, quod poſt agnita bona poſſit ſe liberare à nexu obligationis, & propterea datur ei hoc priuilegium, vt ſe totaliter eximat à nexu obligationis, abſque eo, quod in liquidatione inſiſtat, an ſufficiant necne bona Hæretici pro ſatisfactione creditorum.

An autem Maioratus, ſiue Primogenituræ veniant in confiſcatione ob crimen hæreſis, tractatur hæc quæſtio latiſſimè à

Sanchez *d. lib. 2. cap.* 18.

151 Dicendum est breuiter cum eo, quod si ille, qui instituit maioratum, seu primogenituram, incidat in hæresim, bona, quæ subiacent maioratui, vel primogenituræ cadunt sub confiscatione, Simanch. *dicto tit.* 9. *num.* 256. Molin. *de primog. lib.* 4. *cap. vlt. num.* 20. alter Molin. *de Iustitia, & iure to.* 3. *disp.* 659. *num.* 2. Sanchez *dicto cap.* 18. *num.* 33.

152 Sed hæc conclusio intelligenda est, si maioratus, vel primogenitura fiat in vltima voluntate, vt Testamento, Codicillis, Donatione causa mortis; Nam cum hoc casu bona nulli sint obligata, quia sortiuntur effectum solùm post mortem instituentis, fiscus aufert.

153 Secùs si instituti sint in contractu irreuocabili inter viuos, quia sicuti institutor alio contractu ea alienare nequit, ità neque delicto, vterque Molin. *loc. cit. num.* 64. qui *in fine dicti numeri* ex mente Vasquez hoc intelligit, si ista donatio, vel contractus esset acceptatus, quia ante acceptationem non est perfectus, nec vim donationis, vel contractus habet.

154 Quid autem si primogenitura, vel maioratus essent instituti per contractum inter viuos, sed reuocabilem, Simanch. *d. tit.* 9. *num.* 256. putat posse confiscari, quia contractus iste est ad instar vltimæ voluntatis; Sed non est audiendus Simanchus, quia cum contractus ille inter viuos validus fuerit, atque perfectus, est quæsitum ius vocato ad maioratum, remanente solo iure reuocandi penès institutorem, quod ius cum sit personale, non transit in fiscum, vt benè vterque Molin. *locis citat.* Sanchez *d. cap.* 18. *num.* 56.

Præterea contractus iste assimilatur potiùs donationibus reuocabilibus inter viuos, quàm vltimis voluntatibus, vt dicunt Molin. & Sanchez *locis citatis*.

Ideo sicuti donatio facta à viro vxori, quamuis reuocabilis ad fiscum non pertinet, Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 17. *num.* 5.

155 Ità nec bona primogenituræ, vel maioratui subiecta in contractu reuocabili, vterque Molina *locis citatis*, Gomez *ad l.* 40. *Tauri num.* 91. Sanchez *loc. citat. num.* 66.

156 Ideo non est admittenda simpliciter doctrina P. Molinæ *d. disp.* 649. *num.* 3. dicentis, quod si Institutor reuocauerit primogenituram ante mortem, bona illius pertinebunt ad fiscum; quia vel Institutor reuocauit ante sententiam declaratoriam criminis, & isto casu pertinebunt bona ad fiscum tanquam nulli obligata.

157 Aut reuocauit post sententiam, & tunc ad fiscum non pertinebunt, quia in sententia ea sola bona clauduntur, quæ tunc erant delinquentis nulli alio obligata, vt benè ratiocinatur Sanchez *loc. cit. num.* 67.

158 Quoverò ad fructus maioratus, si non publicetur proprietas in perpetuum ob instituentis delictum confiscabuntur, tamen fructus durante eius vita, vt dicit Sanchez *loc. cit. num.* 68. qui limitat nisi adsit, clausula expressè interdicens alienationem, vel applicans bona sequenti vocato, statim atque possessor attentauerit delinquere; Sed hæc limitatio vltima videtur contrariari his, quæ tradit ex Bartolo *in l. post contractum* 15. *num.* 9. *ff. de donat.* idem Sanchez *loc. cit. num.* 17. quòd scilicet ea clausula non operetur vbi institutor delinquit, sed solùm quando vocatus ipse ab institutore delinqueret.

Si verò maioratus, vel primogenitura non est instituta à delinquente, tunc statuenda est conclusio generalis, nullo modo bona prædicto maioratui, vel primogenituræ subiecta venire in confiscationem, Alphonsus de Castro *de iusta Hæret. punit. cap.* 2. Molin. *de primogen. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 31. Vasquez 1. 2. *disp.* 169. *num.* 4. Farinacc. *quæst.* 190. *num.* 60. Suarez *de fide disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 12. Sanchez *d. cap.* 18. *num.* 36. Sousa *in Aphorism. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 60. Sanctarell. *de hæresi cap.* 17. *dub.* 2. *num.* 1.

159 Ratio est, tum quia huiusmodi bona non sunt transitoria ad hæredes extraneos, tum quia vocatus non succedit ex voluntate delinquentis, sed primi instituentis, cui non potest nocere delictum successoris, nec pœna confiscationis illi imposita est, vt dicunt Suarez, & Sanctarell. *locis citatis*.

160 Fructus tamen, & commoditas horum bonorum transibunt in fiscum durante vita delinquentis, nisi in ipsa institutione addita fuerit clausula priuans possessorem dominio, & vsu talium bonorum ipso facto, quod tale delictum commiserit, vel eo ipso quod decreuerit, vel tractauerit de illo committendo, vt solet apponi Suarez *loco citato, num.* 12. *in fine*, P. Molina *disp.* 656. *num.* 7.

Sed qui plura cupit de hac materia adeat Sanchez *d. cap.* 18. Vasquez *d. disp.* 179. vtrumque Molinam *in tract. de primogen. lib.* 4. *cap.* 11. *& d. disp.* 656. 657. 658. 659. *&* 660. Et post hos latissimè P. del Bene *d. par.* 1. *tot. dubit.* 117. Fermosin. *ad cap. Vergentis de confisc. bonorum alleg.* 15.

161 Sed dubia est quæstio, cuinam fisco applicentur bona Hæreticorum laicorum ipso iure confiscata, nunquid fisco seculari, an fisco Romanæ Ecclesiæ, an verò fisco Sancti Officij.

Super hac quæstione scripsit Pegna *par.* 3. *Direct. comm.* 158. Farinacc. *consf.* 117.

volum. 2. & *in tract. de hæresi quæst.* 190. à *num.* 164. *vsque ad* 192.

Carolus Sincerus vir acerrimi ingenij, quem ego de anno 1635. dum fui promotus ad Officium Assessoratus Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, Promotorem fidei inueni, *cons.* 118. *eodem vol.* Farinacc. luculenter materiam hanc pertractauit, vt ferè nihil eius scriptis addi possit.

162 Hoc vnum solùm addam, quod cum crimen hæresis sit merè Ecclesiasticum, *c.vt Inquisitionis,§.Prohibemus,de Hæret.in* 6. Iulius Tertius in sua Constitutione, *Licèt ex diuersis,* Pontificem Summum tanquam Ecclesiæ Catholicæ Caput, & Iudicem, posse in his, quæ ad hæresis delictum, & punitionem spectant, leges ferre, & statuere ad sui libitum, & consequenter applicare cui vult bona, quæ cadunt sub confiscatione, Pegna *par.* 3. *comment.* 158. Farinacc. *d. conf.* 117. *num.*7. Sanchez *dicto cap.* 18. *num.* 40.

163 Principes verò seculares nullam habere potestatem statuendi super confiscatione bonorum hæretici etiam laici, & super eorum applicatione in præiudicium Potestatis Summi Pontificis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac Tribunalis Sanctissimæ Inquisitionis, & si super illa statuerent, eorum Statuta, & Constitutiones nullius essent momenti; sed possent puniri tanquam impeditores iurisdictionis S. Officij *C.Statutum il primo de hæret.in* 6. & ibi Glos. & communiter Doctores, Paris. *cons.* 2. *nu.* 104. & 139. *lib.* 4. Pegna *d. comm.*158. Farinacc. *d. conf.* 117. *num.* 8.

164 Hinc est, quod Principes temporales, quibus non est indultum à Summo Pontifice, vt suo fisco applicent bona, vel aliquam eorum partem Hæretici laici, nullum habent ius ad dicta bona, sed in totum spectant ad fiscum Ecclesiæ, hoc est Sancti Officij, vt per plures rationes considerat Carolus Sincerus *d. conf.* 118. *à n.*2. & *per totum,* Bursatt. *conf.*43. *num.* 45. *vers. Et quo hodie lib.* 1.

Quando autem Summi Pontifices indulgent Principibus secularibus, vt omnia Hæreticorum bona possint applicare suo fisco, in Indulto annectitur conditio, vt subministrent expensas tam Inquisitoribus, quàm alijs Sanctæ Inquisitionis Ministris.

165 Sic Nicolaus Tertius indulsit Senatui Veneto, vt bona damnatorum de hæresi posset applicare Communi Venetiarum, hac tamen conditione, vt expensas omnes necessarias subministraret Sancti Officij Ministris: Quamuis, vt dixi in responsione ad Historiam Inquisitionis Venetæ exaratam & editam à Fratre Paulo Seruita conditionem obseruauit, dum confiscationes fuerunt frequentes: Sed expurgata Ciuitate Venetiarum, & toto illius Statu ab hæresi, subtraxit se Senatus ab onere prædictas subministrandi expensas, & habita fuit *Pars*, ne ampliùs bona Hæreticorum confiscarentur, sed filiis Catholicis, vel hæredibus reseruarentur, verùm qua auctoritate id fecerit Senatus ipse viderit.

166 Pariter Sedes Apostolica indulsit Regi Catholico, ac Regi Lusitaniæ, vt bona omnia Hæreticorum applicare possent Fisco Regio, eadem apposita conditione subministrandi expensas Inquisitoribus, & alijs earum Inquisitionum Ministris, quod in illis Regionibus religiosissimè obseruatum est: Imò si bona confiscata non sufficiunt, de Patrimonio Regio eas subministrant expensas, vt benè Farinacc. *dicta quæst.* 190. *num.* 188.

167 Quando autem Summi Pontifices indulgent Principibus secularibus, vt partem aliquam bonorum Hæreticorum suo Fisco applicent, non apponunt conditionem, vt soluant expensas Inquisitoribus, & Ministris Sancti Officij, sed vt soluant Sancto Officio aliquam pecuniæ summam: Sic Gregorius Decimustertius suo Breui *dat. die* 28. *Septembris anni* 1584. indulsit Duci Sabaudiæ, vt si valor bonorum Hæreticis confiscatorum ad scuta mille ascendat, pro medietate possit applicare Fisco Ducali, alia medietas spectet ad Sanctum Officium: si verò dicta bona excesserint valorem mille scutorum, omnia applicare possit Cameræ Ducali; sed Ministri Ducis debeant pro qualibet confiscatione soluere Sancto Officio realiter, & cum effectu, & sine mora scuta quingenta.

168 Duci Mantuæ indulserunt Summi Pontifices, vt medietas bonorum confiscatorum applicetur Fisco Ducali, alia medietas sit libera pro Sancto Officio Inquisitionis, de quo testatur Bursatt. *dicto consil.*43. *num.*45. *lib.*1. Farinacc. *d.qu.* 190. *num.*190. & adest Breue expeditum *die* 11. *Iulij anno* 1569.

169 Placentiæ adest consuetudo à Sede Apostolica tolerata, quod bona Hæreticis confiscata diuidantur pro medietate, nempe pars applicetur Fisco Ducali, altera pars applicetur Sancto Officio, de qua per Locat. *in ver.Fiscus*, & per Farinacc. *dicta qu.*190. *num.*189.

170 Mediolani pariter adest consuetudo, quod huiusmodi bona diuidantur in tres partes, vna applicetur Fisco Ducali, altera Archiepiscopo, tertia verò Inquisitori, de qua post Clar. & Tusc. testatur Farin. *dicta qu.* 190.*num.*191. & ità fuit rescriptum Inquisitori Mediolani à Sacra Congregatione *sub die* 7. *Februarij anni* 1609.

171 In Statu Magni Ducis Florentiæ consuetudo est, vt dimidia applicetur Came-

ræ, altera medietatis pars applicetur Cameræ Magni Ducis, altera verò Sancto Officio, vt constat ex Decretis factis in Suprema, & Vniuersali Inquisitione *de anno 1603. 20. Februarij, & 19. Martij.* Verùm est, quod Beatus Pius Quintus donauit eidem Magno Duci semel totam confiscationem.

172 In Ciuitate Senarum licèt Ministri Ducales prætenderent bona confiscata cuiusdam Hæretici ad Cameram Ducalem spectare, fuit tamen scriptum Inquisitori, vt illa Sancto Officio applicaret *sub die 6. Iulij 1591.*

Caueant ergo Principes seculares non suffulti priuilegio Apostolico, aut saltem consuetudine à Summis Pontificibus tolerata, ne bona Hæreticorum laicorum suo Fisco applicent, sed ea relinquant Fisco Sancti Officij, aliàs non euitabunt pœnas contra occupantes bona Ecclesiastica inflictas, Farinacc. *dicta quæst.* 190. *in fin.*

173 Præsertim quia hodie Principes, exceptis Regibus Hispaniarum, non subministrant necessarias expensas Sancto Officio, vt experientia docet, & dicunt Adden. ad Zanchin. *de Hæret. cap. 19. vers. Quibus ità existentibus,* Pegna 4. *par. qu.* 109. Farinac. *d. qu.* 190. *num.* 185. *in fin. & conf.* 117. *num.* 16. Sincer. *d. consl.* 118. *num.* 17.

174 Ideò Gregorius Decimustertius coactus fuit vnire Inquisitoribus Italiæ aliqua Beneficia simplicia, & reseruare nonnullas pensiones, vt possent Inquisitores se alere, & subministrare alimenta pauperrimis carceratis: quod fecit etiam fan. memor. Alexander Septimus, licèt parcè.

Nihilominus non valent onera necessaria adimplere, cum earum redditus sint valdè tenues, itaut cogatur sæpè sæpiùs Suprema, & Vniuersalis Inquisitio mittere Inquisitoribus pecunias.

Hoc autem obseruat præsertim cum Ministro eiusdem Supremæ Inquisitionis illius nomine Neapoli commorante, cum in Regno non fiant confiscationes ex indulto Iulij Tertij, dat. Romæ.

175 In locis autem, vbi non sunt Inquisitores, sed iurisdictio puniendi Hæreticos residet penès Episcopos, bona eorum applicantur Fisco Episcopali, distribuenda tamen in vsus pios, vel ad voluntatem Summi Pontificis, & Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, vt dicit Pegna *par. 3. comment.* 158. *ad fin.* latè de huiusmodi materia differit P. del Bene *d. par.* 1. *tot. dub.* 139 præsertim *sect.* 2.

Sed insurrexit diebus præteritis occasione confiscatione bonorum Francisci Iosephi Borri Mediolanensis Hæresiarchæ dubium, ad quem spectet liquidatio, & distributio bonorum confiscatorum; super quo dubio dedi infrascriptum votum:

176 QVAMVIS controuersa sit opinio ad quem Fiscum spectent bona, quæ confiscantur Hæreticis, & verior sit, quod spectent ad Fiscum Sancti Officij, vt probauit latè Farinacc. *de Hæresi quæst.* 190. *num.* 185. *vers. Quinta fuit opinio,* idem Farinacc. *consl.* 117. *nu.* 16. Carolus Sincerus *consil.* 118. *inter consilia eiusdem* Farinacc. *vol.* 2.

177 Nihilominus quia Sedes Apostolica permittit, quod in hac materia attendantur locorum consuetudines, & Mediolani extet consuetudo, quod bona Hæreticorum, secundum antiquas Constitutiones Pontificias diuidantur in tres partes, vt vna applicetur Fisco Ducali, altera Archiepiscopo, & tertia Sanctæ Inquisitioni, Teste Claro §. *Hæresis num.* 11. Tusco *in verb. Hæreticus, conclus.* 102. *nu.* 26. Farinacc. *qu.* 190. *num.* 191. *& dicto consl.* 117. *num.* 23. & sic resoluit Sacra Congregatio *die 7. Februarij* 1609. Difficultas est, à quo nàm debeat fieri ista diuisio, numquid ab Inquisitore, an verò à Iudice seculari, & successiuè liquidatio quantitatis bonorum confiscatorum.

178 Et quod debeat fieri à Iudice seculari, videtur expressè cautum in Constitutione Innocentij Quarti *Ad extirpanda*, in qua habetur ad litteram, quod Iudex secularis debet diuidere bona confiscata per suos Officiales occupata. Diuisio autem ista fieri non potest, nisi præcedente liquidatione, & ideò ad Iudicem secularem videtur etiam spectare huiusmodi liquidatio, vt in puncto tenet Clarus *d. §. Hæresis n.* 13. qui habet hæc verba;

Veruntamen scias in hoc proposito, quod in hoc Ducatu, licèt, vt dixi, pars bonorum applicetur Episcopo, & pars Officio Inquisitionis, nihilominus liquidatio bonorum fit per Procuratorem Fisci Regij, & sic per hunc Magistratum, & ponuntur bona ad proclama, & omnia fiunt, perinde acsi in totum essent applicata Fisco Regio, & deindè facta liquidatione, datur vnicuique sua portio. Et ità fieri debere declarauit Senatus, consentiente etiam R. P. Inquisitore, 30. Iunij 1559.

Clarum sequuntur Carpan. *ad Statut. Mediol. in §. Omnium num.* 489. Costa *de Retrotract. cap. 8. num.* 3. Tuscus *in ver. Hæreticus conclus.* 102. *num.* 6. Guazzin. *de Confisc. bonor. conclus.* 21. *num.* 23.

179 Sed hæc praxis videtur esse contra dispositionem iuris, & Sacrorum Canonum, quia cum confiscatio bonorum fiat in consequentiam sententiæ latæ ab Inquisitore, vt notant Doctores *in cap. Cum secundum leges, de Hæret. in 6.* Sincer. *dicto consl.* 118. *num.* 4.

Idem iudicium debet fieri de liquida-

tione, quæ est accessoria, quod fit de principali, quia liquidatio bonorum est pars sententiæ, vt in puncto tenet Marta *de Iurisdictione par. 2. cap. 35. nu. 8.* qui *nu. 51.* extendit etiam ad liquidationem bonorum feudalium, licèt Bursatt. *consf. 43. in 2. art. lib. 1.* dicat, quod cognito per Inquisitorem bona esse feudalia, debet idemmet Inquisitor relinquere cognitionem ad quem spectet Iudici laico.

180 Secundò, quia cum tractetur de interesse Archiepiscopi, & Inquisitoris, quibus debetur eorum portio, Iudex Ecclesiasticus tanquam dignior debet cognoscere de huiusmodi articulo, Sperell. *decis. 123. num. 51.*

181 Tertiò quia cum non possit Princeps secularis præiudicium aliquod afferre Episcopo, & Inquisitori in eorum portione, vt post Paris & Brun. tenet Decian. *in praxi lib. 5. cap. 44. num. 2. vers. Et cum in tris*, Guazzin. *dicta conclus. 21. nu. 3.* possent eius Iudices colludere cum parte, & frustrate intentionem Iudicum Ecclesiasticorum.

182 Non obstat Constitutio Innocentij Quarti, confirmata à Clemente Quarto, quia per alias Constitutiones Summorum Pontificum successorum, & præsertim Eugenij Quarti, relata ad verbum à Farin. *dicta quæst. 190. num. 178.* fuit data facultas Inquisitoribus faciendi liquidationem, & diuisionem. Imò ab Alexandro Quarto fuit data facultas eisdem Inquisitoribus vendendi bona eadem confiscata; quæ venditio non potest fieri, nisi præmissa liquidatione per eundem Inquisitorem.

183 Nec obstat attestatio Clari, quia vltra quod Doctori attestanti de consuetudine non creditur, præsertim in præiudicium tertij. Non dicit Clarus, quod fuerit facta liquidatio non interueniente Inquisitore, vel eius Fiscali pro suo interesse: Et Ego feci exquisitas diligentias, vt inuenirem, quid dictum fuerit in hac Suprema, & Vniuersali Inquisitione super opinione Clari, & nihil potui inuenire. Benè inueni, quod Sacra Congregatio *sub die 21. Maij anni* 1609. rescripsit Inquisitori Cremonæ, quod in causa liquidationis bonorum confiscatorum cuidam fugitiuo ad partes Hæreticorum procederet simul cum potestate Soresinæ.

Et ità censeo, &c.

INSURGIT autem notabilis quæstio, an Princeps secularis, cuius Fisco applicantur bona Hæretici, vel aliqua eorum pars, possit ante sententiam declaratoriam delicti illa remittere delinquentibus, vel eorum filiis, & consanguineis donare.

Nàm in Regno Portugalliæ *sub die 8. Februarij* 1649. promulgatum fuit Edictum sub nomine *Albarani*, in quo inita conuentione cum Mercatoribus, & Gente Nationis (sic vocantur in illo Regno Christiani Iudaizantes) vt pro defensione Regni, ac Regionum acquisitarum deberent classem trigintasex Nauium, quas Galeones vocant, parare, & conseruare proprijs expensis, iisdem etiam damnatis à Sancto Officio ob delictum Hæresis, Apostasiæ à fide, ac Iudaismi, condonata sunt bona confiscanda, & statutum, quod non confiscarentur, nec adnotarentur; & hoc per viam contractus onerosi, & non per modum gratiæ.

Contra istud Edictum reclamarunt Inquisitores Lusitaniæ, & consultationem, quam super huiusmodi negotio Principi tradiderant, ad Sanctissimum Dominum gloriosæ memor. Innocentium Decimum transmiserunt, à Sanctitate Sua petentes, quomodo in hac re graui se gerere deberent.

Placuit, & tenorem Edicti, seu Albarani, litterarum, & consultationum transmissarum ad Summum Pontificem, & demùm Breuis super ista re à Sanctitate Sua transmissi ad dictos Inquisitores hic inserere.

Tenor Edicti ab idiomate Lusitano à Me in Italicum translati.

184 *IO il Rè: Faccio sapere a quelli, che vederanno questo Albarano, che considereranno le vrgentissime ragioni, che hò, di douer accudire con tutt' i mezi possibili alla difesa de' miei Regni, e Signorie di Portogallo, e di assicurar le loro conquiste, e principalmente la purità, e conseruazione della fede Cattolica negli abitanti di quelli, correndo rischio, che gli Eretici del Settentrione non li peruertano con le loro false dottrine; e ritrouando, che vno de i più potenti mezi per conseguire l'intento, è l'auer in questo Regno commercio libero, senza che i beni, e l'azienda di tal commercio restino suggetti à sequestro, confiscazione, ò perdita alcuna, e sostentandosi per la maggior parte gli vomini di negozio, e la gente della Nazione, tanto quella, che risiede, ed abita nel medesimo Regno, e sue conquiste, come negli altri Regni, e Prouincie, con le quali negoziano, e tengono corrispondenza di questi beni, & azienda, i quali per star suggetti alla confiscazione, conuiene assicurar per lo commercio da poter sostenere, proseguire, & augumentare: E rappresentandomisi per i medesimi vomini di negozio, e Gente della Nazione, che fariano vna Compagnia, nella quale essi, e gli altri Vassalli della Corona entrassero, con quei Capitoli, & azienda, che fosse loro possibile, e co' quali senz' altra spesa della mia Real Azienda si mettessero nel Mare trentasei Galeoni da guerra, che andassero, e tornassero da quelle, e facendole sicure da' nemici, con euidente vtilità del Regno, e de' suoi*

e de' suoi Vassalli, e de' Deritti delle mie Gabelle: Ed essendo ciò seruizio di grandissima considerazione pel ben commune, che merita, non solamente di essere accettato, ma aiutato, e fauorito, si come Io gli voglio fare ogni grazia, e mercede, che conuiene sotto la mia Real Protezzione: e perche ninno lo disturbi, voglio darle ogni protezzione, aiuto, e fauore. Ed intendendo, che il principal mezo, col quale si potria augumentare, ed accrescere la detta Compagnia, saria, che non fossero suggetti a sequestro, confiscazione, e condannazione l'azienda, e i beni de i sudetti uomini di negozio, quando fossero presi, e condannati nel Santo Offizio dell'Inquisizione, per i delitti di Eresia, Apostasia, e Giudaismo; e ritrouando medesimamente, che ciò Io potrei far di ragione, non solamente per via di grazia, e donazione, per appartenere i detti beni dal giorno del delitto commesso al mio Real Fisco, ma ancora per via di contratto oneroso, celebrato con essi, restandogli in questa forma affittato il commodo, ed utile di cotai beni, che a Me apparteneua per le spese, ed obligo di detta Compagnia, come anno risoluto i maggiori Letterati, Teologi, e Giuristi, co' quali ho fatto consultare; e come ho ritrouato, che già fecero per altre giuste ragioni, che allora si riferiuano, i Signori Re D. Emanuelle, D. Giouanni Terzo, e D. Sebastiano miei Predecessori, commandando, che i beni della Gente della Nazione non si confiscassero per i sudetti delitti, ne in tutto, ne in parte. Per tanto auendo preceduta sopra tutto questo affare molto matura considerazione, e col parere di quelli del mio Conseglio; non è mia intenzione di rimettere la pena della confiscazione imposta dal Ius Canonico a i sudetti delitti, ne impedire in alcun modo l'essercizio del Sant'Offizio in quelli; ma restando la detta pena sempre salua, ed il detto essercizio nel suo vigore, di rimettere, e rilasciare, non per grazia, ma per contratto oneroso il commodo, ed utilità de i sudetti beni, che apparteneua al mio Real Fisco, dopo commessi i detti delitti, e date sentenze, e che rimane sotto la mia Regia Podestà: E così ho per bene, e mi piace, che i beni, ed azienda di qualsisia qualità, che sieno, della Gente della Nazione de tutt' i miei Regni, e Signorie, così naturali, come forastieri, che fossero presi, o condannati pel Sant'Offizio per i detti delitti di Eresia, Apostasia, o Giudaismo, non sieno sequestrati, e inuentariati al tempo della prigionia, ne sieno incorporati al mio Regio Fisco, al tempo delle sentenze condannatorie: Non lasciando però per questo di porre, e dichiarare nelle dette sentenze la pena della confiscazione, nella quale di ragione incorrano i delinquenti, e ciò, o sieno i detti condannati presi presenti, o assenti: E per quello ch'è necessario, Io adesso per allora gli rimetto i detti beni per via di detto contratto oneroso, e potranno i condannati disporre di essi liberamente, con che la disposizione sia in fauore de' Cattolici, e di questo Albarano goderanno tutti quelli, che da quì auanti saranno presi, accusati, e condannati dalla Data di esso, eccettuando solamente quegli, che moriranno impenitenti con pertinacia ne i suoi errori Giudaici, od Eresia, non confessando la nostra Santa Fede Cattolica, a i quali essendo condannati come tali, saranno intieramente confiscati i lor beni in qualsiuoglia parte staranno. Ed essendo necessario per maggior sicurezza del contenuto, impetrare l'autorità, e confermazione della Sede Apostolica, ordinarò, che s'impetri da i miei Ambasciadori, essendo da quella ammessi, e fin tanto che non sono ammessi, se le persone della Nazione, od alcuna di esse la vorranno impetrare, la possino impetrare, e fra tanto che si ottenga, sempre restarà nel suo vigore: E così notifico al Vescouo Inquisitor Generale D. Francesco di Castro del mio Conseglio di Stato, gli raccommando, ed incarico, che lo ponga in essecuzione, l'osserui, e faccia osseruare a tutti gl'Inquisitori, ed Offiziali delle Inquisizioni di questi Regni, e facciano registrare ne i libri del Segreto di esse questo Albarano.

Il medesimo commando a i Giudici, ed Offiziali del Fisco, perche a tutti sia notorio, e sia esseguito: E così raccommando, ed incarico a tutt' i Prelati, e Dignità, e Giudici Ecclesiastici de i miei Regni, e Signorie, che l'esseguiscano: E commando al Presidente del Disimbargo del Palazzo, a i Regidori della Casa delle Suppliche, ed al Gouernadore della Relazione del Porto, ed a tutt'i Disimbargadori, Giudici, Corregidori, e Giustizieri de i miei Regni, e Signorie, che l'esseguiscano, e lo facciano esseguire senza fraporui dubbio, e non ostante, che sopra l'essecuzione, od intelligenza di esso si facciano dubbij, e liti, delle quali conoscera priuatiuamente la persona particolare, che io nominarò, con inibitione a tutti gli altri Giustizieri, e Tribunali: E perche ho per bene, che il tutto si esseguisca, di mia certa scienza, proprio moto, podestà Regia, ed assoluta, prometto, ed obligo di esseguirlo, e di farlo esseguire, mantenere, e non riuocare ne in tutto, ne in parte per via, o modo alcuno; ed ho per supplite in questo Albarano espresse in esso tutte le solennità di fatto, e di ragione, che sieno necessarie, derogo, ed ho per derogate in risguardo ad esso tutti, e qualsiuoglia Leggi, Decreti, Ordinazioni, Capitoli di Corte, che possano essere contrari, ancorche tali fossero, de i quali si douesse fare espressa, e speziale menzione de verbo ad verbum, non ostante l'ordinazione del lib. 2. tit. 44. la quale dispone, che non s'intenda derogata per Me ordinazione alcuna, se della sostanza di quella non si fa espressa menzione: E voglio, ed ho per bene, che alla copia di questo Albarano, fatta in publica forma per mandato, od auto-

rità di qualsisia Giustizia, sia data tanta fede, come al proprio originale, e che vaglia come lettera, senza passare per la Cancellaria, non ostante l'ordine del libro 2. tit. 39. e 40.

Il Rè.

Il Conte de Odemira, &c.

Commandò il Rè per suo Decreto, che si stampasse questo Albarano a i 14. *di Aprile* 1649.

Tenor litterarum datarum Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Papæ Decimo ab Inquisitore Generali Regni Lusitani *sub die* 17. *Octobris* 1649.

Beatissime Pater.

Cum Iurisdictio Sanctæ Inquisitionis contra hæreticam prauitatem à Sancta Sede Apostolica, tanquam à Capite Vniuersalis Ecclesiæ dimanet, instum, & necessarium iudicamus, vt in dubijs circa illius executionem occurrentibus, ad eandem Sanctam Sedem pro solutione recurramus.

Accidit modò, quod Ser. Rex Noster Ioannes pressus necessitatibus Regni ex continuo bello prouenientibus, maritimisq; Coronæ expeditionibus, prout debet succurrere intendens, alijsque vrgentissimis causis permotus die 6. Febr. currentis anni *publicari fecerit Diploma, vulgariter dictum* Albaran, *cuius transumptum præsentes nostras litteras comitatur: Cum autem exemptio à confiscatione bonorum conuictis de hæresi, ibi concessa, cum Sacrorum Canonum dispositione minimè cohæreat, postquam pro muneris nostri debito eidem Serenissimo Regi, quid hac in parte sentiremus palam fecerimus, ad Sanctit. Vestr. Pedes recurrimus, vt quod gerere debeamus, Nobis dignetur exponere: Sanctitatem Vestram Ecclesiæ suæ Deus seruet incolumem, &c.*

Tenor Consultationis factæ Regi ab Inquisitoribus ex Idiomate Lusitano in Italicum à Me versæ.

SIGNORE.

IL Vescouo Inquisitor Generale communicò in questo Conseglio, come Vostra Maestà gli ordinò per Decreto de i 16. del mese di Febraro, *che riceuè a i* 25. *l'Albarano, che Vostra Maestà fù seruita di ordinare, che si passasse sopra la libertà del commercio, e Compagnia, che si tratta di fare per sua sicurezza, nel quale si riferisce, che per ritornarsi, che il principal mezo per accudire alla purità, e conseruazione della fede Cattolica negli abitanti delle conquiste di questo Regno, era l'auere in quelle vn commercio libero, senza che i beni, ed azienda, quali entrassero in tal commercio, fossero suggetti a sequestro, e confiscazione, e che poteua Vostra Maestà di ragione concedere questa a i compresi nel delitto di Eresia, e Giudaismo, come aueano risoluto i maggiori Letterati, Teologi, e Giuristi, co' quali aueua commandato che si consultasse, come già aueano fatto i Signori Rè D. Emanuel, Giouanni Terzo, e D. Sebastiano Predecessori di Vostra Maestà. Aueua V. M. per bene, che i beni, ed azienda nella Nazione, così naturale del Regno, come forastiera, che fossero presi, e condannati pel Sant'Offizio per i detti delitti di Eresia, Apostasia, e Giudaismo, non fossero sequestrati, ed inuentariati al tempo della loro prigionia, ne incorporati nel Regio Fisco di V. M. al tempo delle sentenze condennatorie, eccetto di quelli, che morissero impenitenti, non confessando la nostra santa Fede.*

Essendosi veduto questo Albarano coll' attenzione che richiede la materia, la quale è di quella maggiore importanza, che si può considerare, così per il procedimento del Sant'Offizio, come per la real coscienza di V. M. pare, che se bene il Conseglio auesse già alcune volte rappresentato a V. M. in iscritto, e personalmente a i suoi Piedi Reali, portandole la copia di vna resoluzione, che il Signor Infante Cardinale pigliò in caso somigliante con i maggiori Vomini di quel tempo, lo scrupulo che V. M. doueua tenere in questa concessione, non sodisfaria alle obligazioni de i Ministri della Sede Apostolica, e Conseglieri di V. M. se ora non tornasse a proporre a V. M. con vna sommissione, che dee al suo Rè, e Signore, così quello, che intende della Podestà Regia in materia di questa qualità, come gl'inconuenienti, che si offeriscono nell'effecuzione di questo Albarano.

E quanto al primo, scarica il Conseglio la sua coscienza, con tornare a dire a V. M. come dice per questa scrittura, che non ostante ciò che anno risoluto i Teologi, e Giuristi, che V. M. fu seruita di consultare, non soggiace alla podestà de i Principi secolari l'esentare gli Eretici dalla pena della confiscazione de i beni imposta per il Ius Canonico, nella quale può dispensare solamente la stessa Chiesa, che l'ha imposta, e dee V. M. dar piu credito a quello, che se le rappresenta per questo Conseglio, per essere Tribunale di V. M. competente nella materia di Religione, composto di Ministri, che giurano nella Cancellaria del Regno di consegliar bene, e verdadieramente V. M. che a i pareri di persone particolari consultate in secreto, le quali venendo con Noi in conferenza pubblica, per auuentura direbbono il contrario, come si ha informazione, che l'anno fatto alcune di quelle, che diedero il parere a V. M. in questa occasione, o sieno molestate dalla coscienza, ò veramente per vedere, quanto malamente sia stato abbrac-

ciato da Vassalli Cattolici di V. M. questo arbitrio.

Gli essempi, che nell'Albarano si danno de i Signori Rè D. Emanuele, D. Giouanni Terzo, e D. Sebastiano conuincono il contrario: di quello di D. Emanuele non si ha notitia nel Conseglio, e nel suo tempo non era nel Regno il Tribunale dell'Inquisizione, che nel tempo di D. Giouanni Terzo fu conceduto da Paulo Terzo nella medesima occasione, nella quale concedè la Bolla per il Sant'Offizio di procedere contro gli Eretici, volendo (secondo crediamo) con quella blandura temperare nel suo principio il rigore del nuouo procedimento, e la concessione del Rè Sebastiano fu conceduta per dieci anni, cosa che non è in questo Albarano: anzi si douerebbe seguitare l'esempio del medesimo Signor Rè, il quale dopo pentito, fece rappresentare per Antonio Pinto suo Segretario alla Santità di Papa Pio Quinto (finito il decennio) come l'esperienza aueua dimostrato, che quella pietà, che si era vsata con quella Gente, non solo aueua seruito per farli lasciare i suoi errori, come si credeua, quando le fu concessa, anzi gli aueua data occasione di perseuerare in quelli con piu libertà, ed insegnarli a i suoi figli, perlochè si era risoluto a non proseguirla, chiedendo a Sua Santità, che non li sentisse, se auessero ad essa ricorso: Risoluzione lodata molto dal Sommo Pontefice, che riferì il graue scandalo, che succedè dalla prima grazia ne i Regni vicini, che fece muouere il Rè di Castiglia D. Filippo Secondo di fare auuertire il medesimo Signor Rè pel suo Ambasciadore D. Giouanni di Silua, che fu poi Conte di Porto Allegre col medesimo zelo, e mosso dalle medesime ragioni il Signor Rè D. Enrico, subito che fu assunto al Regno fece pubblicare vn'Editto, per lo quale riuocò cotal priuilegio, dicendo in esso, che ciò faceua obligato dal desiderio di estirpare da i suoi Regni l'Eresia, e che in essi si conseruasse la fede Cattolica, e la sua purità, lo che non si poteua conseguire pratticandosi la concessione del Rè D. Sebastiano suo nipote, come aueano risoluto persone di molta virtù, religione, lettere, e prudenza, ed esperienza de i negozij; e dando del tutto parte a Papa Gregorio Decimoterzo, il Pontefice approuò la risoluzione, facendo spedir Breue di reuocazione di quel Priuilegio, e molto si dee notare, che nelle concessioni di quei Signori Rè, la causa finale era la riduzione de i Giudaizanti, l'estirpazione dell'Eresia, e maggior'essaltazione della nostra santa Fede. E con tutto ciò nell'Albarano, che la M. V. fu seruita di far passare, si piglia apertamente per motiuo vna semplice vtilità temporale de i Galeoni, che da quelli della Nazione si anno d'armare, senza spesa dell'Azienda Reale; il qual rispetto dee far gran scrupulo a V. M. Ed oltre agl'inconuenienti, che si possono, e debbono considerare nell'esseeuzione di questo Albarano.

Il primo che si offerisce è, che sendo intenzione di Vostra Maestà (come veramente crediamo) che si conserui nelle conquiste di questa Corona la purità della nostra santa Fede, questo è il piu ordinato mezo di farla in tutto perdere a i suoi abitatori, perche essendo per la maggior parte Cristiani nuoui, e viuendo di presente in tanta libertà, come ha vltimamente auuisato a V. M. il Gouernadore del Brasile, che sarà da qui auanti, veggendosi libero dal timore di perdere l'azienda, che è il freno maggiore, che essi abbiano?

Secondo, che sendo questa concessione generale per tutti quelli della nazione Ebrea, e per ogni sorte di azienda, per disposizione dell'Albarano non sono tenuti di entrar con quella nella Compagnia, e così potranno godere della grazia, che V. M. gli concede, senza fare alla M. V. seruizio alcuno: E quando si dica, che quelli, co' quali commanda V. M. contrattare, obligaranno gli altri a mettere nella Compagnia i loro capitali, non potria questo auer luogo con gli assenti, e dispersi per tutta l'Europa, essendo la maggior parte di essi publici Giudei; e molti condannati dal Sant'Offizio restaranno con libertà di auer commercio nel Regno, e sue conquiste, senza che il Sant'Offizio possa procedere alla confiscazione de i suoi beni, e senza che V. M. possa riceuere da essi vtile alcuno.

Terzo, che si concede questa grazia non solo agli Eretici penitenti, e reconciliati alla Chiesa, ma anco a quelli che scaccia da se, e rilascia alla Corte secolare, se confessaranno nell'esteriore la fede Cattolica; di maniera che l'Eretico dichiarato dall'Inquisizione in catafalco pubblico, e condannato a fare in poluere, ed in cenere, e che le sue ceneri sieno gittate in mare in detestazione del delitto stando scommunicato, seruo di pena, ed intestabile per tutte le leggi, potrà far testamento solenne, come se morisse co i Sagramenti della Chiesa: e giungendo specialità a specialità concede V. M. a tal'Eretico facoltà di lasciar la sua azienda a i suoi figli, e nipoti, come fossero Cattolici, essendo infami, ed incapaci di essa, restando con effetto i figli, e nipoti di quelli, che offenderanno V. M. in tal miseria, e pouertà, che l'aiutarli serua di castigo, ne abbiano di auer altra consolazione che nella morte: Ed i figli, e nipoti di quelli, che offenderanno la Sagro-santa, e Diuina Maestà con premij, e ricchezze: Oh Signore, perdoni Iddio a chi ha ciò conseghato a Vostra Maestà!

Quarto, che eccettuando l'Albarano i rilasciati pel Sant'Offizio, che morirannó, non confessando la fede Cattolica, questa è vna eccezzione solamente verbale, perche come si potrà esseguire ne i loro beni la pena della confiscazione, non essendosi fatto inuentario, ne sequestro, come si doueua a tempo che furono carcerati, certo è, che potendo i suoi figli, e parenti auer alienato in tutto l'azienda, restaranno i tali rilasciati godendo la medema grazia

degli altri, che confessaranno colla bocca di morir Cattolici, lo che certo è una gran deformità.

Quinto, ch'essendo imposta dalle leggi la pena della confiscazione a i compresi in molti delitti, per questo Albarano resta no esenti da essa gli Eretici, Apostati, e Giudaizanti, cosa che cagionarà graue scandalo in tutta la Cristianità, veggendosi, che in questo Regno si fauorisca per questo mezo l'Eresia, la quale si dee più di ogni altro delitto reprimere, e castigare, come quella, che è di maggior offesa della Maestà Diuina, ed humana.

Sesto, che se bene in questo Albarano si dice, che non è intenzione di Vostra Maestà di rimettere quella pena, ne d'impedire in alcun modo l'esercizio del S. Offizio, l'effetto è totalmente contrario, perche in sostanza i condannati restano coi loro beni, e si leua al S.Offizio il mezo più efficace di reprimere, e castigare l'Eresia.

Settimo, si dice nell'Albarano, che sendo necessario, si darà conto a Sua Santità, quando Vostra Maestà sia ammessa per suoi Ambasciadori, e commanda Vostra Maestà, che frà tanto si guardi la disposizione di esso, ed essendo necessario, come veramente è l'auere l'approuazione della Sede Apostolica, per esser materia spirituale, come si hà da vsare l'Epicheia, quando non vi è impossibilità di communicarglielo per parte di V. M. senza pregiudizio del decoro dell'autorità Regia, come si fa in altri negozij per parte del Sant'Offizio della medesima Gente della Nazione. Serua di essempio Signore; se V.M. trattasse matrimonio del Principe Nostro Signore con vna Principessa congiunta con V. M. in quarto grado, si potrebbe per auuentura effettuare il matrimonio con questa clausula, che si richiederebbe dispensa a Sua Santità, essendo V. M. per suoi Ambasciadori ammessa? Non per certo: Ora è tanto spirituale la materia della quale si tratta, come quella del matrimonio, ed è più proibito a i Principi secolari far legge, statuto, e disposizione, la quale in alcun modo fauorisca agli Eretici.

A quest' inconuenienti, che riguardano l'obligo della coscienza, si può aggiognere vn' altro degno di ponderazione in ragione di stato, che V. M. dee restar seruita di far considerare a i Ministri del suo Consiglio, ed è, che non dandosi conto di questa esenzione, e contratto al Papa, s'apre la porta all'intelligenze, e negoziazioni di Castiglia, che potranno cagionare inquietudine, perche senza dubbio persuadendosi i Castigliani, che questa Compagnia potrà aiutare la nostra conseruazione, ricorreranno al Pontefice, persuadendoli, che in questo Regno se gli vsurpa. ed vsa della sua autorità, e giurisdizione, che è quello, che più sente, e perche più s' impegnaranno i Sommi Pontefici, mancando ne i Principi secolari la facoltà di concedere queste esenzioni, non essendo adequati gli esempi de i Signori Rè passati all' Albarano presente, trouandosi in questo tant'inconuenienti, e deformità, ed essendo la materia soggetta toccante la fede, e la Religione Cristiana, ed i Ministri Apostolici, che ragione vi può essere, perche V. M. et possa obligare ad essere essecutori di cotesta sua risoluzione? Perloche prostrati di nuouo a i suoi Reali piedi, domandiamo a V.M. con tutto l'affetto che dobbiamo, sia V. M. seruita ordinare, che sia di nuouo considerata questa materia, od a darci licenza di dar conto di essa (con participazione di V. M.) al Sommo Pontefice, che instituì il Tribunale del Sant'Offizio in questo Regno, senza l'autorità del quale non potiamo ora alterare l'antica disposizione de i Sagri Canoni, e de i Breui Apostolici, ne sarà giusto, che V. M. prima di permetterci questo ricorso, commandi, che si proceda all'essecuzione di questo nuouo Priuilegio, molto meno negarci il ricorso, quando espressamente si concede nell'Albarano alle medesime persone della nazione Ebrea, per impetrare la confermazione di esso. Lisbona 5. Marzo 1649.

F. Gioanni de Vasconcellos.
Pietro di Silua de Faria.
Francesco Cardoso de Torneo.
Sebastiano Cesar de Meneses.
Pantaleon Rodriguez Pacecho.
Diego de Sousa.

Recepta ergo per Summum Pontificem Innocentium Decimum huiusmodi Consultatione, & remissa ad Sacram Congregationem Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, Ego dedi Votum infrascriptum.

Beatissime Pater.

185 QVAMVIS Cardinalis Parisius *cons.2. num. 112. & per multos vol. 4.* voluerit, potuisse Regem Lusitaniæ statuere super ea parte confiscationis bonorum, quæ eius Fisco ob delictum hæresis applicabatur, ea ratione, quia Princeps secularis potest statuere super bonis istis laicorum, licet habeant dependentiam ab Ecclesia, iuxta *consil.* Anchar. 125. *&* 433. & per alios ab eodem Paris. *allegatos*.

186 Secundò, quia Principes laici possunt facere statuta, quæ ligent laicos tantùm etiam super his, quæ sunt de temporali iurisdictione Ecclesiæ, licet quoad Ecclesiam non valeant, Abb. *in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ*, quem sequuntur Gemin. & Felin. *num.9. de Constit.*

187 Tertiò, quia sicut Princeps laicus potest statuere super dote, licet dependentiam habeat à matrimonio continente, actum spiritualem, vt dicunt Abb. Imol. & Felin. *in cap. 1. de sponsal. & in cap. Quæ in Ecclesiarum num. 23.* & ibi Abb. & Dec. *num. 42.* ita etiam in hoc casu, quia solùm

statuit super bonis profanis.

188 Quartò, quia tractatur solùm de præiudicio Regis, qui potest suum in mare proiicere, vnde sicut bonis incorporatis eius Fisco potest illa donare cui voluerit, ità etiam poterit statuere, vt in casu quo bona confiscantur, non censeantur confiscata, sed sint delinquentis, cum non reperiatur prohibitum, quod quis possit disponere de re, quæ sibi debetur sub conditione.

189 His tamen rationibus, & argumentis non obstantibus censeo Edictum hoc nullum esse ex defectu potestatis, quia cum confiscatio bonorum damnatorum de hæresi, dependeat à dispositione Sacrorum Canonum, *vt in cap. Vergentis, de Haret., & in cap. Cum secundum leges, §. fin. eodem tit. in* 6. nihil potest Princeps laicus statuere contra dispositionem Sacrorum Canonum, Doctores omnes *in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, de Constit.* & in terminis Decian. *in prax. lib.* 5. *cap.* 44. *nu.* 1. Farinacc. *de Hæres. quæst.* 190. §. 1. *num.* 1. Eymer. *in Director. quæst.* 109. 3. *par.* & ibi Pegna *comm.* 158. hos omnes, Sousa *in Aphorism. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 9.

190 Neque obstant rationes Parisij, quia non est vera eorum opinio, qui dixerunt, Principem secularem posse statuere super bonis habentibus dependentiam ab Ecclesia, vt reprobato Alciato, Valasc. & Surdo, & declarato Anchar. à Parisio citatis, resoluit magistraliter Rota *in Romana Domus de Scapuccijs ad Sanctum Augustinum* 19. *Ianuarij* 1611. *coram* Coccino, *registr. post* 2. *volum. consil.* Farinacc. *decis.* 305. quam decisionem eadem Rota approbauit, *vt in decis.* Merlini 903. *to.* 2.

191 Quod tanto magis locum habet in casu nostro, in quo bona personam sequuntur, *vt in l. Vnica, C. de imponend. lucr. descript. lib.* 10. Calcan. *consil.* 68. *num.* 11. cum alijs per Carolum Sincerum *dicto consil.* 118. *num.* 2.

192 Ideo sicuti nullam habet iurisdictionem Princeps secularis in personam Hæretici ob delictum hæresis, *cap. Vt Inquisitionis, §. Prohibemus, de Hæret. in* 6. ità nec in bonis ipsius Hæretici confiscandis, Sincer. *dicto consil.* 118. *num.* 2. *in fin.* Pegna in terminis *par.* 3. *comment.* 158. *versic. Rursus.*

193 Multo magis, quia etsi esset vera eorum opinio, qui dicunt, quod Princeps secularis potest statuere super bonis laicorum dependentibus ab Ecclesia ipsis etiam consentientibus, illa non habet locum, quando potest præiudicare Ecclesiæ, etiam in modico, vt declarat Ruin. *consil.* 109. *num.* 35. *vol.* 3. *& consil.* 25. *num.* 13. *volum.* 5. Purpurat. *consil.* 332. *num.* 9. Surd. *consil.* 338. *num.* 27. Rota *in citat. decis. num.* 2. Cyriac. *controuers.* 12. *num.* 64.

Quæ autem præiudicia non quidem modica, sed grauissima resultent ex illo Edicto, explicata sunt in Consultatione Inquisitorum Portugalliæ.

Non obstat, quod laici possint statuere super his, quæ sunt de temporali iurisdictione Ecclesiæ, ex Doctrina Abb. Gemin. & Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ.*

194 Quia eorum dicta non faciunt ad propositum: nàm ibi disputant Doctores, an Ciuitas de temporali Iurisdictione Ecclesiæ possit facere statuta contra Canones, & dicunt, quod potest illa facere, dummodo sint rationabilia, & non sint reprobata à Sacris Canonibus, vt *in cap.* 1. *de Constit. in* 6. quod idem dicit Calderin. *consil.* 18. *de Constit.*

At in casu, de quo agitur, & ratio, & Canon resistit.

195 Ratio, quia vltra quod est in arbitrio Summi Pontificis iudicare, an similia statuta sint rationabilia, Calderin. *consil.* 18. *num.* 3. non est rationabile, quod Princeps secularis eximat Hæreticos, & Apostatas à fide, à pœnis non solùm statutis per Sacros Canones, sed etiam per leges ciuiles, qualis est confiscatio bonorum, vt supra dictum est, Sousa *in Aphorism. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 9. hoc enim esset fauere Hæreticis Apostatis, & Iudaizantibus, vt consideratum fuit ab Inquisitoribus Portugalliæ in eorum Consultatione.

196 Imò esset impedire per indirectum Tribunal Sancti Officij, ne vtatur plenissima sua potestate tributa Iudicibus fidei, & per Sacros Canones, & per speciale rescriptum modernorum Pontificum à Paulo Tertio vsque in præsentiarum, vt dicit Pegna *commentar.* 158. *versic. Postremo.*

197 Et licet in Edicto dicatur, quod non est intentionis Regis, remittere pœnam confiscationis, nec impedire exercitium Sancti Officij, tamen cum auferatur Inquisitoribus facultas inuentariandi, & sequestrandi bona, quæ relinquuntur ijsdem delinquentibus, effectus non respondet intentioni, ideò substantia actus, non verba, quæ vt dicit Bald. *in l.* 2. §. *Mutui datio, ff. si certum petat.* non saluant conscientiam, est attendenda, Parlad. *rer. quotid. lib.* 2. *cap.* 2. *nu.* 10. Leothard. *de Vsur. qu.* 21. *num.* 23. certum est enim, quod Princeps non potest statuere, ne bona Hæreticorum adnotentur, vt sentit idem Sousa *lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 9.

198 Canon autem expressè resistit, nàm Summus Pontifex *in cap. Secundum leges, de Hæret. in* 6. expressè statuit, & vetuit, ne Princeps, siue Domini temporales apprehendant bona Hæreticorum confiscanda, nisi secuta sententia, vel decla-

ratione criminis, ibi:

Confiscationis tamen huiusmodi executio vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super hoc fuerit promulgata: latè Farinacc. *conf.* 117. *num.*4.

At per huiusmodi delictum, antequam lata sit sententia, fit executio confiscationis, cum per illud applicentur bona ipsismet delinquentibus, & in hoc stat confiscatio, Sousa *in Aphorism. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 3.

199 Non obstat, quod Principes seculares statuere possint super dote, quamuis dependeat à matrimonio, siquidem hoc euenit, cum dos sit quid accidentale, quæ non pertinet ad substantiam matrimonij, cum matrimonium possit esse sine dote, vt dicit Bald. *in rubr. de Constit. in fin.* secùs esset si tangeret substantiam matrimonij, vt benè Anchar. *in cap. Statutum in fin. de Haret. in* 6.

At in casu, de quo agitur, tangitur substantia punitionis delicti hæresis, vel saltem accessorium ad delictum, quod non cadit sub potestate Principis secularis, vt benè Io: Andr. *in cap. Secundum leges num.* 5.

200 Sed audiamus in hac materia Auctorem doctum, & Lusitanum, nempe Sousam *in d.* 3. *lib. Aphorism. cap.*20. *nu.*9.

Bona, ait ille, *quorumcumque Hæreticorum, quæ Fisco seculari applicantur, non pertinent ad illum, & ad dispositionem Principum secularium, nisi post latam sententiam, & ante quam sententia proferatur, non valet secularis potestas de illis disponere, nec circa illa quicquam ordinare.* Rursus *num.*9.

Non possunt seculares Principes statuere, ne Hæreticorum bona adnotentur, & multo minùs ne publicentur, quamuis eis à Summis Pontificibus concessa sint post latam sententiam, quia adnotatio, & confiscatio sunt de iure canonico, quod auferre, minuere, aut mutare non potest secularis potestas. Et demùm *num.* 10.

Ante latam contra Hæreticos sententiam, maximè ante eorum apprehensionem non licet Principibus secularibus remittere alicui statui, & qualitati personarum bona confiscanda propter hæresim, etiam pro eo tempore, quo adiudicanda sunt Fisco, quia confiscatio ordinata est ab Ecclesia, & in pœnam delicti, & in medicinam, & præuentionem, Pegna *ad* 3. *par. Direct. qu.* 95. *comm.* 144. *vers. Huiusmodi autem.*

Nàm Hæresis plerumque à diuitiarum cupiditate procedit, Apostolus 1. *ad Thimoth.* 6. Alphonsus de Castro *de Iusta Hæret. punit. cap.* 5.

201 *Et quia Hæretici maximè sunt diuitijs affecti, vt supra diximus, per earum ablationem magis deterrentur: Sunt enim cæteris sceleratis peiores, & sic per diuitiarum possessionem plurimum nocent*, Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *num.* 1. *&* 2. *Ergo si sint per liberalem Principis concessionem, aut vi alicuius contractus, vel pacti liberati à confiscatione bonorum, audaciores efficientur, facilius hæresim amplectentur, & in ea, in qua degunt persistent pertinaciter, quod procul dubio est Hæreticis fauere.*

202 Hæc Sousa, ex quibus tolluntur obiecta, & rationes à Parisio allatæ, & præsertim quod Princeps possit disponere de bonis confiscandis, adueniente tamen casu confiscationis, quia conclusio procederet, vbi potestas disponendi non esset coarctata ad certum tempus, sed libera, & cum sit coarctata post tempus latæ sententiæ, non potest extendi ad aliud tempus ex regula, quod vno tempore concessum in alio censetur denegatum, *l. Statu liberi*, §. 1. *ff. de legatis* 2. & inclusio vnius temporis est exclusio alterius, *l. cum prater, ff. de iudic.*

Et quia in prohibitis, certo tempore permissis seruari debet tempus permissum *l. Matrem, C. de probat.* Bartol. *in l. Non solùm*, §. *Sed vt probari*, *ff. de oper. noui. Nunciat.*

203 Sicut dicimus de facultate concessa disponendi in vltima voluntate, quæ non potest trahi ad dispositionem faciendam per contractum inter viuos, & è contra Fusar. *de Substit. qu.*549. *num.*10.

204 Sed audiamus alium doctissimum virum, & quidem pariter Lusitanum, nempe Mouram *de Ensalmis, & Incantationibus sect.*3. *cap.*1. *num.*35. qui postquam dixit, quod ad solum Papam spectat remittere pœnam Hæreticis, etiam confiscationis bonorum, subiungit, quod Ius, quod habent Principes seculares in confiscatione bonorum, est Ius remotum, & per accidens, quod eis non competit nisi sententia prolata, nec Ius habent aliquod commutatiuum, vt à sententia feratur.

Ideo si Inquisitor, vel Episcopus etiam data opera Hæreticum pœnitentem ad Ecclesiæ gremium recipiat, nullam sententiam directè ferendo, sed imposita illi abiuratione à carceribus liberet, non potest Princeps secularis petere quantum sibi intersit, si lata esset sententia.

His ergo auditis Sanctissimus claræ memoriæ Innocentius Decimus Edictum præfatum hoc suo Breui proscripsit.

Venerabili Fratri Episcopo Egitariensi Inquisitori Generali Portugalliæ.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. In ratione curæ officij Pastoralis, & amore paternalis erga ipsum Regnum non sine animi nostri molestia, ex tuæ fraternitatis litteris illud audiuimus, quod nobis nuper

scripsisti in detrimentum Sanctissimæ Inquisitionis, scilicet, quod bona condemnatorum propter Hæresim, Apostasiam, & Iudaismum non confiscabuntur contra antiquum vsum ipsius Regni, quod non solùm non conducebat ad conuersionem, & pœnitentiam iniquorum hominum, imò illis præbebat occasionem liberius delinquendi, & pertinacius in suis erroribus perseuerandi, itaut ipsimet, qui maioris prouentus spe benignum auditum huic concessioni præbuerant, breuiter experientia edocti mutantes sententiam, non solùm antiquam opinionem dereliquerunt, sed instanter à Sede Apostolica postularunt, ne in hoc particulari concedere, vel relaxare aliquid vellet: Proinde Nos Prædecessorum nostrorum Pij Quinti, & Gregorij Decimitertij vestigijs inhærentes, Auctoritate Apostolica condemnamus, & reprobamus supradictum Indultum, declaramusque nulla, & inualida quæcumque Decreta, Indulta, & Aluarà, *quæ facta sint à quacumque persona, quauis auctoritate, sub quocumque prætextu Sacris Canonibus contraria, & Catholicæ Religionis bono opposita, nulla obstante causa in contrarium: Commendamusq; valdè in Domino Vener. Frater, vestram, & cæterorum Inquisitorum libertatem in reparanda re tanti præiudicij: Vosque valdè exhortamur, & admonemus, vt validè, omnibusque viribus vestris, eandem substantiam, & iurisdictionem Sancti Officij conseruetis, cuius medio Religionis Catholicæ antiquitas, & puritas conseruatur. Benignè Fraternitati Tuæ Apostolicam benedictionem impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die* 12. *Maij* 1650. *Pontificatus Nostri Anno sexto.*

205 Aduersus istud Breue insurrexit quidam sub ementito nomine Iacobi à Castro-bono I. V. D. Pedemontani, qui futilibus rationibus conatur ostendere validitatem dicti Diplomatis, subreptionem, & obreptionem Breuis, & nullam habuisse Summum Pontificem auctoritatem illud annullandi, sed quià omnibus prædictis neruosè respondit P. Diana *in volum.* 12. *suarum resolutionum moral. resolut.* 2. *inter Miscellaneas*, ideò ad eum Lectorem remitto.

Pro coronide addo, Me non assentire opinioni Sousæ *loco cit. num.* 8. qui dicit, quod post latam sententiam taliter bona Hæreticorum confiscata sunt propria Principum secularium ex Pontificum donatione, vt de illis possint liberè disponere, & ea donare etiam ipsis Hæreticis reconciliatis, à quibus ablata fuerunt: Nàm si Sousa loquatur in aliquo casu particulari, credimus eius opinionem posse substineri.

206 Si verò loquatur in vniuersum, scilicet, quod omnibus Hæreticis damnatis possit bona confiscata donare, nullo modo, vt dixi, eius opinioni assentior, quia hoc esset contra dispositionem *dicti cap. Vergentis, de Hæretic.* in quo statuitur, quod bona Hæreticorum ad eos non reuertantur, & in hac materia seruandæ sunt leges Ecclesiasticæ, nec Principes seculares possunt contra eas disponere, Pater del Bene *par.* 1. *dubit.* 106. *num.* 7. & 8.

Et quamuis ibi indulgeat Summus Pontifex, vt possint concedi bona Hæreticis ad fidem ex corde reuertentibus, hæc tamen reuersio ad fidem ex corde in omnibus Hæreticis non præsumitur, sed cautè cum illis procedendum est, quia vt plurimùm ficto corde ad pœnitentiam redeunt, vel ad euitandam pœnam, vel ad propria bona conseruanda: Ideo Inquisitores admonentur, vt sint cauti ad recipiendos Hæreticos ad pœnitentiam, ex Textu *in cap. Vt Officium, de Hæret. in* 6. ibi, *Prouiso solerter, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & vos (imò seipsos) fallentes sub Agni specie Lupum gerant.* Ibique notant Doctores in verbo *Simulata.* In verbo *Fallentes.* Et in verbo *Lupum.* Et extat Constitutio Innocentij Quarti, edita *anno* 1252. incipien. *Tunc potissimè.* Et alia Vrbani Quarti, edita *anno* 1261. incipien. *Licet ex omnibus*, relatæ per Pegnam *post Director. Inquisitorum inter litteras Apostolicas*, quas refert, & sequitur Farinacc. *quæst.* 193. *num.* 30. *de Hæresi.*

Prætcrea, si ex vniuersali consuetudine Principes omnibus Hæreticis bona restituerent, in Republica Christiana illa præiudicia irreperent, quæ superiùs fuerunt considerata.

Nam ratio, quare videlicet Hæretici bonis priuentur, prouenit ex eo, quia hæresis plerumque à diuitiarum cupiditate procedit, iuxta illud Pauli 1. *ad Timoth. cap.* 6. *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide*; illustrat Castro *lib.* 2. *de iusta Hæretic. punit. cap.* 5. Tum etiam quia quò Hæretici sunt cæteris hominibus peiores, eo magis diuitiæ sunt eisdem auferendæ, ne cum illis noceant, Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *nu.* 1. Tandem vt pro immanitate sceleris iustè puniantur, vt ita vita sit illis supplicium, & mors solatium; & si filios habeant, magis inde terreantur, dum vident eos ad egestatem perduci. Rectè ergò inter alias pœnas, quibus ex vtroque iure afficiuntur Hæretici, statuta est priuatio bonorum, vt ipsi prout sunt degeneres, & carnales, diuitijs affluentes, magis terreantur per illarum priuationem, quam alijs pœnis. Quod si permitteretur post confiscationem dicta bonorum restitutio, vtique cessaret in Hæreticis omnis timor, & magis audaces in hæresi persisterent.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTVM.

De pœna priuationis facultatis testandi. De eo, qui in Testamento Hæreticum instituit. Et præsertim de Episcopo, cuius nomen inter Sacerdotes Dei recitari non debet: hac occasione quid sint Dypticæ. De pœna priuationis Patriæ potestatis. An filius teneatur alere patrem hæreticum. An Serui liberentur à Dominio, & potestate Domini hæretici.

SVMMARIVM.

1 *Heretici non possunt condere Testamentum, & de ratione num.* 10.
2 *Quid si illud condant ante sententiam declaratoriam, & num. seq.*
Verbum fit *importat canonem latæ sententiæ.*
3 *Fiscus irritare potest testamentum heretici sicut alias alienationes.*
5 *Testamentum heretici ad pias causas non valet.*
6 *Quid si instituat heredem filium Catholicum?*
7 *Hæreticus nullatenus disponere potest per vltimam voluntatem, puta Codicillum, &c.*
8 *Testamentum Heretici non conualidatur per eius subsequentem pœnitentiam.*
9 *Hæreticus an possit testari de bonis acquisitis post sententiam.*
11 *Hæreticus non est capax hæreditatis tam ex Testamento, quàm ab inteslato.*
Quid de fautoribus Hæreticorum.
12 *Hæreticus non potest institui hæres, nec à filio, nec à milite.*
13 *Legatum relictum Heretico, vel Collegio Hæreticorum reprobatorum non tenet.*
14 *Hæreticus est capax legati alimentorum, & num.* 31. *vbi de ratione.*
15 *Legatum alimentorum relictum heretico non venit in confiscatione eius bonorum.*
16 *Quid si legetur vsusfructus, qui in alimenta resoluatur.*
Legatum vsusfructus, qui in alimenta non resoluatur, an sit totum confiscandum, vel reseruatis heretico alimentis.
17 *Hæreticus non est capax hæreditatis delatæ per contractum inter viuos.*
18 *Hæreticus an possit acquirere hæreditatem ante sententiam declaratoriam.*
19 *Argumentum à crimine lesæ Maiestatis humanæ ad heresim an valeat.*
20 *Reus lesæ Maiestatis humanæ est incapax hæreditatis, etiam ante sententiam declaratoriam.*
21 *Hæreditas delata heretico an transeat in fiscum, vel in venientes ab intestato, & an possit ab heretico repudiari in præiudicium fisci.*
22 *Hæreticus an priuetur successione ex Testamento tanquam incapax, vel tanquam indignus.*
23 *Hæreticus reconciliatus Ecclesiæ an sit capax hæreditatis, aliorumque actuum ciuilium, & quid si adsit solum spes reconciliationis.*
24 *Instituens Hæreticum in Testamento excommunicatione plectitur etiam Episcopus, & n.*26.
Nomen instituentis hæreticũ in testamento inter Sacerdotes Dei recitari non debet.
25 *Dypticæ quid & an in illis describerentur omnium fidelium nomina.*
Nomina conscriptorum in Sacris Dypticis recitabantur inter Sacra Mysteria, & quorum nomina in ijs conscriberentur.
Dypticæ aliæ viuorum, & aliæ mortuorum, & quorum nomina, & quo motiuo inter Sacra Mysteria recitarentur.
Dypticæ Episcoporum peculiares.
Dypticæ Synodorum mentionem facientes, ac Imperatoris Orthodoxi.
Nomina deficientium à fide è Sacris Dypticis eximebantur.
26 *Clericus instituens sibi in Testamento hæredem hæreticum plectitur excommunicatione.*
27 *Quid de laicis, & alijs Catholicis.*
28 *Sepultura Ecclesiastica instituenti hæredem hæreticum deneganda.*
29 *Instituens Hæreticum potest excommunicari, & damnari in vita, & post mortem tanquam hæreticus.*
30 *Donatio facta Heretico an, & quomodo substineatur.*
Hæreticus recipere solùm potest data causa pietatis.
32 *Instituens hæreticum si pœniteat, nullam pœnam incurrit.*
33 *Quid si ignoranter instituerit.*
34 *Ignorantia qualis requiratur, ne instituens hæreticum pœnas incurrat, & an præsumatur, ità, vt probari debeat scientia.*
35 *Hæreticus priuatur patria potestate.*
36 *Ab ipso puncto commissi criminis, & ante sententiam declaratoriam.*
37 *Emancipatio filiorum facta à patre heretico nihil valet.*
38 *Substitutio pupillaris facta per patrem hæreticum ob defectum patriæ potestatis non tenet.*
39 *Filius an teneatur alere patrem hæreticum, & num. seq.*

Ius

Ius humanum auferre non potest obligationem descendentem à iure naturali.

Pater an teneatur alere filium hæreticum.

Pater an teneatur alere filium maiori vinculo, quàm filius patrem, & num. 41.

Pater potest exhæredare filium hæreticum.

42 *Pater tenetur alere ex æquitate Canonica filium spurium, quem non potest hæredem instituere.*

43 *Serui hæretici, qui sunt Christiani efficiuntur liberi, & infideles transeunt in fiscum.*

44 *Serui hæretici Infideles eum denunciantes, etiam Cathecumeni libertate donantur.*

45 *Libertas semel per seruum inquisita non debet amplius reuocari.*

Hæreticus sponte comparens, vel intra tempus gratiæ, & propterea bonis restitutus seruorum liberatorum dominium adhuc non recuperat.

46 *Serui hæreticorum libertatem eum effectu acquirunt post sententiam declaratoriam, quæ retrotrahitur ad diem commissi criminis.*

47 *Serui acquisiti per hæreticum post hæresim, libertatem non consequuntur, quamuis Christiani.*

1 Pœnæ confiscationis iungi potest alia, quod Hæretici Testamentum condere non possunt, *Cap. Excommunicamus il primo*, §. *Credentes de Hæreticis*, Cardinalis de Lugo *de virt. fidei Diuinæ disp.24. sect. 1. num. 34. vers. Ad hanc*, quod etiam statutum fuit à Iure Ciuili, vt *in l. Manichæos*, §. *Præterea*, *C. de Hæret. & in l. Manichæi la seconda, & in l. Sancta, C. eodem* Gloss. *in cap. Si quis Episcopus in figuratione casus, de Hæret.* Canonistæ *in d.§. Credentes*, Calderin. *de Hæret. rubr. de Pœnis Hæreticorum filiorum, ac nepotum num. 4.* Locat. *ver. Pœna num. 9.* Repert. *ver. Pœna, vers. Item an Hæreticus* cum alijs per Farinacc. *qu. 190. num. 89.* Sanctarell. *de Hæret. cap. 15. dub. 1. num. 1.* P. del Bene *d. par. 1. dubit. 146. num. 1. vers. Respondet* Murga *de sepult. to. 2. disp. 1. de Hæret. dub. 12. §. 5.*

Et hanc pœnam incurrunt etiam non secuta declaratoria sententia criminis,
2 quia Textus *in §. Credentes*, dixit, *sit intestabilis*, quod verbum *sit*, importat Canonem latæ sententiæ, vt testatur Tiraquell. *in l. Si vnquam ver. reuertatur nu. 180. C. reuocand. donat.* & voluere Peregr. *de iure fisci tit. 1. num. 172.* Mieres *de Maiorat. par. 1. quæst. 7. nu. 91.* Pegna *par. 3. comm. 165. vers. Rursus*, & alij relati à Sanchez *dicto lib. 2. cap. 24. num. 1.*

Contrariam sententiam, quod hæc pœna non habeat locum, nisi post senten-
3 tiam declaratoriam tenuere, Decian. *in prax. lib. 7. cap. 40. num. 20.* Tello Fernandez *in l. 4. Tauri num. 34.* & si dubius, Salzedo ad Diaz *cap. 86. vers. Punitur*, Molin. *de Iust. & Iur. disp. 95. col. 12. vers. Sciendum est*, Vasquez *par. 2. q. 96. art. 5. disp. 171. cap. 1.* Sanchez, qui hos omnes *d. cap. 24. num. 3.* quem sequitur Farinacc. *loc. citat.* Sanctarell. *loc. cit. vers. At veriùs*, P. del Bene *loc. cit. num. 5. vers. Tamen.*

Benè verum est, quod potest fiscus irritare huiusmodi Testamentum, sicut potest
4 irritare alias alienationes factas, Sanchez *loc. cit. num. 2.* Farinacc. & Sanctarell. *locis citatis in fine.*

5 Et hæc conclusio habet locum, quamuis hæreticus vellet testari ad pias causas, Locat. *ver. Pœna num. 9.* Carrer. *de Hæret. num. 15.* Farinacc. *loco citato numer. 92.* Sanctarell. *loco citato num. 1.* P. del Bene *loco citato num. 8.*

6 Imò etsi vellet instituere hæredem filium Catholicum, Gloss. *in cap. Cum secundum leges in ver. ipso iure de Hæret. in 6.* Fortunius Garzias *in l. Gallus*, §. *quod si tantùm, ff. de lib. & posthum.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 9. num. 4.* cum alijs per eundem P. del Bene *loco citato num. 8. vers. neque etiam potest.*

Et quæ dicta sunt de Testamentis habent locum in Codicillis, Donationibus
7 causa mortis, & alijs dispositionibus, quibus significatur vltima voluntas, Roias *singul. 185. num. 6.* Spina *de Testam. cap. 12. num. 43.* Palatius Rubeus *in l. Tauri 5.* Sanctarell. *loc. cit. vers. Si dicas.*

Nec Testamentum ab Hæretico conditum conualidatur per subsequentem pœ-
8 nitentiam, Repert- Inquisit. *ver. Pœna vers. Item nota*, Roias *loc. cit. num. 3.* Farinacc. *loc. cit. num. 93.* Sanctarell. *loc. citato, vers. Ratio verò in fine.*

9 Fallit conclusio in bonis acquisitis post sententiam, vt voluere Castill. *l. 4. Tauri vers. fueren confiscados*, & ibi Auendan. Gloss. *7. num. 11.* Matienzo quamuis dubius allegatus à Sanchez *d. cap. 24. num. 4.* quem sequitur Card. de Lugo *loco citato num. 34 in fine, vers. Ad hanc pœnam.*

Contrariam opinionem tenent Repert. *ver. Pœna vers An Hæreticus*, Calderin. *de Hæret. rubr. superiùs citat. nu. 13.* Farinacc. *d. quæst. 190. num. 93. in fine.*

Et hanc opinionem credo veram, quia pœna hæc non infligitur ratione bonorum
10 confiscandorum, vt perperam putat Sanchez *loco citato*, sed datur personæ, quam Canon inhabilitat ad testandum, veluti personam infamem, & cui interdicta est administratio bonorum, ergo manet intestabilis etiam post sententiam, quoad bona nouiter quæsita, licèt illa ad fiscum non transeant, vt benè ratiocinatur, licèt non tam clarè Repertor. *d. ver. Pœna*, Sanctarell. *loc. cit. vers. Ratio verò.* Et ideò non benè se opponit idem P. del Bene *loc. cit. num. 7.*

Nec solùm Hæreticus priuatur facultate testandi actiua, sed etiam passiua, &

11 ideò non est capax hæreditatis alicuius, iam ex Testamento, quàm ab intestato, *l. Manichæos*, §. 1. *in fine*, *l. Ariani*, §. *Cunctis*, *l. qua de Sammaritis*, *C. de Haret. cap. Excommunicamus il primo*, §. *Credentes de Haret.* qui Textus licèt loquatur indefinitè de fautoribus Hæreticorum, omnes tamen Canonistæ illum extendunt ad Hæreticum, Abb. Antiq. Ancharan. Butrius, Socinus, Anan. Zabarell. & alij relati à Farinaccio *d. quæst.* 190. P. del Bene *dub.* 147. *num.* 1.

Quæ conclusio habet locum, siue Hæreticus instituatur hæres à filio, siue à
12 milite, vt de filio tenet Decian. *lib.* 5. *cap.* 44. *num.* 17. Farinacc. *loc. cit. num.* 94. P. del Bene *loc. cit. num.* 2.

Et de milite est Textus *in l. vltima C. de Haret.* & ibi Alber. & Salicet. Carrer. *de Haret. num.* 151. Petrus Gregor. *Syntagm. lib.* 33. *cap.* 8. *num.* 11. Decia. *d. cap.* 44. *num.* 17. Farinacc. *d. quæst.* 190. *num.* 95.

13 Idem dicendum est de legato facto Hæretico, siue Collegio Hæreticorum reprobato Vitalin. *in cap. Ad nostram num.* 8. *de Haret.* Roias *singul. num.* 37. Decian. *dicto cap.* 44. *num.* 17. Farinacc. *loc. cit. nu.* 100.

14 Nisi fuerit legatum alimentorum, cuius Hæreticus est capax, *l.* 1. *ff. de his, qua pro non script. habentur*, vbi Gloss. Surd. *de alimentis, tit.* 9. *quæst.* 33. *num.* 8. Molin. *de Iustit. tom.* 1. *disp.* 154. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 41. Sanctarell. *cap.* 15. *dub.* 2. *num.* 7.

Et in tantùm Hæreticus est capax legati alimentorum, vt nec etiam veniat in con-
15 fiscatione bonorum, Bursatt. *cons.* 14. *num.* 28. *vol.* 1. Surd. *d. quæst.* 33. *num.* 2. Sanchez *loc. cit. num.* 42.

Et hoc habet locum, siue legatum alimentorum sit explicitum, siue implicitum
16 sub nomine vsusfructus, quando resoluitur in alimenta, Surd. *de aliment.* alios referens *tit.* 8. *priuil.* 59. *num.* 14 Sanchez *loco citato*, *num.* 44. vbi subiungit, quod si expressè nec legentur alimenta, nec vsusfructus, qui in alimenta resoluatur, totus vsusfructus confiscatur, non reseruatis Hæretico alimentis, vt contra Cynum, & Albericum tenent Baldus, Surdus, & Peregrinus ab eo *citat.*

Pariter Hæreticus incapax est non solùm hæreditatis sibi delatæ ex Testamen-
17 to, vel ab intestato, sed etiam si conferatur ei ex contractu inter viuos, *l. Ariani*, §. *Cunctis de Haret. cap. In eas Extrau. cod.* & ibi Gloss. *in ver. conferatur*, Farinacc. qui multos *loc. cit. num.* 96. P. del Bene *loc. cit. num.* 3.

An verò huiusmodi incapacitas oriatur ante sententiam declaratoriam, vel post
18 eam latè disputat Sanchez *dicto cap.* 14. *num.* 1. qui *num.* 34. tenet, Hæreticum esse capacem hæreditatis, eamque verè acquirere ante sententiam declaratoriam, idem tenet Lessius *de Iustitia lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 52. Sanctarell. *dicto cap.* 15. *dub.* 2.

Ex nostris tamen multi tenent contrariam opinionem, velut Simanch *de Cathol. tit.* 9. *num.* 124. Menoch. *conf.* 185. *nu.* 14. & 186. *num.* 14. Decian. *lib.* 7. *cap.* 40. *num.* 26. Roias *singul.* 79. cum alijs à Sanchez *loc. cit.* & à Sanctarell. *loc. cit.*

Cui opinioni libenter adhæreo; Nam licèt non inueniatur Textus, qui declaret,
19 an Hæreticus sit incapax successionis ante, vel post sententiam, sufficit tamen, quod procedat in crimine læsæ Maiestatis humanę, à quo quicquid dicant Sanctarell. & Sanchez *vt supra*, licet argumentari à maioritate rationis, cum maior sit ratio in hoc, quàm in illo delicto *cap. cum secundum leges de Haret. in* 6. & quod valeat hoc argumentum à crimine lęsę Maiestatis humanę ad crimen hæresis tenet Menoch. *conf.* 808. *num.* 1. Pacian. *conf.* 19. *num.* 70. Roland. à Valle *conf.* 73. *num.* 16. *vol.* 3. Barbos. *loc.* 30. *num.* 1. vbi reprobat Sanchez *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 5.

Quod autem Reus læsæ Maiestatis humanæ sit incapax hæreditatis etiam ante
20 sententiam declaratoriam, Textus est *in l. Quisquis* §. *filij verò C. Ad legem Iuliam Maiestatis*, Gigas *d. tractat. de crimine læsæ Maiestatis lib.* 2. *de Pœnis committentium id crimen quæst.* 31. & *quæst.* 14. *num.* 1. Decian. *lib.* 7. *cap.* 40. *num.* 26.

Si autem hæreditas ex Testamento, siue ab intestato deferatur Hæretico, an illa
21 transeat in fiscum, vel in venientes ab intestato, & an eam possit Hæreticus in fisci præiudicium repudiare, vide Farinaccium optimè distinguentem *d. quæst.* 190. *num.* 112. & Sanchez *d. cap.* 14. *num.* 50. Sanctarell. *d. cap.* 15. *dubio vnico*, P. del Bene *d. disp.* 147. *Coroll.* 2.

22 An autem Hæreticus priuetur successione ex Testamento tanquam incapax, vel tanquam indignus, vide Patrem del Bene latè differentem *dicta disput.* 147. *à num.* 4.

Fallit in Hæretico reconciliato Ecclesiæ, quia is est capax hæreditatis, P. del Bene *loc. cit. num.* 22. qui tamen *num.* 23.
23 non benè intellexit dicta à Vasquez ab eo citat. quia Vasquez dicit, quod si Hæreticus sit detestatus hæresim, sed nondùm absolutus, sit incapax hæreditatis, etiam quod sit spes reconciliationis, si tamen non sit recõciliatus Ecclesię, est adhuc incapax: & reconciliatum Ecclesiæ non esse priuatum facultate testandi, nec esse incapacem hæreditatis sibi delatæ, resolutum fuit in Sacra Congregatione *sub die* 31. *Iuly* 1670. prout nec esse arcendum à iu-

dicio, nec esse insuccessibilem, nec inhabilem in cæteris actibus ciuilibus tuetur Franciscus Maria Pratus *discept. forens. cap.* 41.

Qui autem instituit in suo Testamento Hæreticum pœna plectitur excommuni-
24 cationis, prout de Episcopo instituente Hæreticum hæredem, Textus est *in cap. Si quis Episcopus,de Haret.* & ibi Gloss. & Doctores, Locat. *ver. Pœna num.* 9. Decian. *lib.* 5. *cap.* 43. *num.* 8. Farinacc. *quæst.* 190. *num.* 105. Sanctarell. *d. cap.* 15. *num.* 8.

Cuius nomen inter Sacerdotes Dei nullo modo recitari debet *d. cap. Si Episcopus* & ibi Hostiens. Butr. Zabarell. & Soccin. & Farinacc. *loc. cit. num.* 106. Menoch. *cons.* 99. *numer.* 15. P. del Bene *dub.* 147. *Coroll.* 3. *num.* 3.

Hac occasione sciendum est olim in Ecclesijs præsertim Orientalibus morem viguisse retinendi quasdam Tabulas, quas
25 *Dypticas* appellabant, in quibus omnia scribebantur Orthodoxorum, & viuentium, & defunctorum, non tamen omnium fidelium nomina, vt malè nonnulli opinati sunt confundentes Dypticas cum tabellis, siue Codicibus, in quibus vel ante Baptismum, vel statim à Baptismo nomina fidelium conscribebantur.

Quia cum nomina eorum, quæ in Sacris Dypticis conscribebantur inter Sacra Mysteria recitari solerent, vt patet ex Dionysio *de Ecclesiastica Hierarchia cap.* 3. *de Sacris Mysterijs*, dies, imò seculum non suffecisset, si nomina omnium fidelium recitari debuissent; Solummodo ergo Sacrarum Personarum, Episcoporum, & Sacerdotum nomina recitabantur, vt patet ex Epistola D. Augustini *ad Clerum Hipponensem*.

Præterea aliæ erant Dypticæ viuorum, aliæ mortuorum: In his non omnium laicorum nomina ad Altare recitabantur, sed eorum præcipuè, quorum oblatio ad Altare deferebatur; Et quamuis *in Liturgia* Sancti Ioannis Chrysostomi dicatur, *Diaconus incensat Sanctam Mensam, & Dyptica, & Defunctorum, & viuentium vt vult, mentionem facit*, sciendum est tamen, alia fuisse Dyptica ad memoriam orationis, & intercessionis tantùm, alia ad memoriam honoris, præconij, ac Religiosæ laudationis, & in his insigniores solùm sanctæ personæ, honoris præsertim causa, nuncupabantur, vt Martyres, lætissimæ Virgines, eximij Confessores, Sanctissimi Antistites, siue vt cum Sancto Dionysio *de Ecclesiastica Hierarchia cap.* 3. recitabantur nomina eorum, qui sanctè vixerunt,& ad studiosæ vitæ perfectionem constanter venerunt.

Sed adhuc fuisse peculiaria Episcoporum Dyptica tam viuentium, quàm mortuorum apparet ex Epistola Episc. Aegypti *ad Anatolium* 3. *par.Concilij Calcedonen.*23.

At præter nomina Episcoporum, & aliorum viuorum sanctitate Illustrium, etiam Synodorum Oecumenicarum in Dypticis mentionem fieri solitum docemur ex Epistola Iustiniani *ad Epiphanium Hierosolymæ Patriarcham regist. in l.* 7. *C. de Summ. Trinit.* Ibi.

Nullus frustra nos conturbet, spe vana innixus, quasi Nos contrarium à supradictis quatuor Concilijs fecerimus, aut faciamus, aut fieri à quibusdam permittamus, aut aboleri eorundem quatuor Conciliorum memoriam ex dictis Ecclesiæ Dypticis sustineamus.

Nomen quoque Imperatoris Orthodoxi in Sacris Dypticis locum habuit, vt refert Euagr. *lib.* 3. *Historiar.*

Quando ergo descripti in Dypticis, vel à fide defecissent, ex illis eorum nomen eximebatur.

Sic Imperatorem Anastasium, quia existimabant nonnulli eum Concilij Calcedonensis Aduersarium ex Sacris Tabulis exemerunt, sic Euagrius *loco citato*, sic testante Anastasio *in Agathone Papa* Orthodoxi abstulerunt nomen Patriarcharum Cyri, Sergij, Pauli, Pirri, Petri, per quos error Orthodoxæ fidei vsque nunc pullulauerat.

Et legi possunt Epistolæ Hormisdæ Pontificis *to.* 2. *Conciliorum* de Acacij erasione; Et Epistola Vigilij Papæ *in Theodorum Beganensem*.

Sic Innocentius Primus Arsacium Episcopum Chrisostomo iniquè successorem datum è Dypticis expungi mandat, vt in eius Epistola *ad Arcadium Imperatorem*.

Etsi quando impij Hæretici, vel Schismatici Orthodoxorum nomina ex Dypticis euellebant, vel pietate Imperatorium, vel Pontificum iussu, vel Oecumenicorum Conciliorum eorum nomina iterum in illis inserebantur, sic Synodus Oecumenica 6. *action.* 13. mandauit Sophronium Episcopum iterum inscribi.

Sic nomen Chrisostomi ab impijs è Dypticis abrasum, ab Actico Episcopo iterum fuit inscriptum, vt in eius epistola *ad Cyrillum* apud Nicephorum *lib.* 14. *Histor. Ecclesiast. cap.* 26.

Sed de his,qui plura videre cupit, adeat Ioannem Cardona Episcopum Dertosen. *in suo singulari libello de Dypticis*,Durandum *de Ritibus Ecclesiast. cap.* 43. & Isacium Habertum *in suo Pontificali Ecclesiæ Graecæ obseru.* 13. *per totam*, à quo hanc eruditionem accepimus.

Ex nostris Conradum Brunnum *de Hæret. lib.* 5. *cap.* 17. Menoch. *cons.* 99. *num.* 55. & vltra hos omnes post hęc scripta,Cabassut. *in notit. Concil. in Appendice ad sextum Synodum fol. mihi* 478,*in impressione Lugdunen.*

26 Sed redeundo ad materiam nostram de Episcopis instituentibus Hæreticos hæredes, dicit Gloss. *in d. cap. Si quis Episcopus in figuratione casus*, *num*.1. & idem intellige de minoribus Clericis, & ibi Hostien. *n*. 1. Boich. *num*. 6. & est Textus expressus *in cap. in eos de Haret.* Ibi.

Idemque hoc quod de Episcopis, & Presbyteris dictum est, debet de reliquis Clericis extendi. Et ibi Glossa, & Doctores, Farinacc. *d. quæst*. 190. *num*. 110. P. del Bene *d. dub*. 147. *Corol*. 3. *num*. 4.

27 Sed & de laicis, & quocunque Catholico dixit Hostien. *d. cap. Si quis Episcopus num*. 3. Boich. *num*. 1. *&* 6. Anan. *num*. 1. Farinacc. *num*. 3. P. del Bene *loco citato num* 5.

28 Non solùm autem Instituentes hæredes hæreticos sunt excommunicati, sed & illis denegatur Ecclesiastica sepultura, Hostien. *d. cap. Si quis Episcopus num*. 3. Boich. *nu*. 1. Soccin. *num*. 11. Farinacc. *loc. cit. nu*. 107.

Imò possunt excommunicari, & damnari tanquam Hæretici, & in vita, & post
29 mortem, vt dicunt Hostien. Soccinus, Ananias, Ancharanus, Butrius, & alij Canonistæ *in d. cap. Si quis Episcopus*, Farinacc. *loc. cit. num*. 108. *&* 114.

Quod dictum est de institutione hæredis habet locum etiam in donatione, vel
30 quoquo modo fuerit eis datum, dummodo non causa pietatis, vt dicit Farinacc. *loco citato*, *num*. 112. *&* 117. P. del Bene *dubit*. 149.

31 Et propterea non est incapax legati alimentorum, vt post multos tractat P. del Bene *dub*. 148.

32 Cessabunt tamen huiusmodi pœnæ, si instituens hæredem hæreticum Inconstans pœnituerit, Gloss. 1. *num*. 5. Farinaccius *loc. cit. num*. 116.

33 Nec habebunt locum, si quis ignoranter Hæreticum instituerit, Boich. post Io. Andr. *d. cap. Si quis Episcopus*, *num*. 1. Anchar. *num*. 2. Butr. *num*. 4. Felin. *nu*. 1. P. del Bene *dubit*. 147. *Coroll*. 3. *num*. 6.

34 Dummodo ignorantia instituentis non sit crassa, & supina, Boich. *loco citato*, Farinaccius *num*. 118.

In dubio tamen ignorantia præsumitur, & propterea debet probari scientia, Felin. *loco citato*, Zabatell. *d. cap. Si quis Episcopus in* 2. *oppos*. Anan. *num*. 1. Soccin. *num*. 9. Farinacc. *num*. 118. P. del Bene *loco citato num*. 7.

35 Huic pœnæ annectitur alia nempe priuatio Patriæ potestatis iuxta Textum *in cap*. 2. §. *fin. de Hæret. in* 6, & ibi Doctores, & Gloss. *in ver. Decreuit*, Repertor. *verb. Pœna vers. Item filijs*, & ibi Mandos. *in addit, littera F*, Simanch. *de Cathol. tit*. 46. *nu*. 74. Zanchin. *de Hæret. cap*. 28. *num*. 2. Roias *singul*. 152. Decian. *lib*. 5. *cap*. 44. *num*. 28, *vers. Nota*, Alphons. de Castro *de iusta punit. Hæret. lib*. 2. *cap*. 7. Pegna *par*. 3. *comment*. 165. Azor. *to*. 2. *lib*. 2. *cap*. 22. *qu*. 6. Sanchez *d. cap*. 24. *num*. 5. *&* 6. Farinacc. *quæst*. 197. *numer*. 29. P. del Bene *par*. 1. *dub*. 150. *num*. 1.

36 Hæc autem priuatio nullam requirit sententiam declaratoriam, sed statim incurritur à puncto commissi criminis, quia Textus *in d. cap*. 2. §. *fin*. appellat filios sui iuris, & dicit emancipationem factam à Patre esse nullius momenti; Supponit ergo ante declaratoriam Patrem esse priuatum Patria potestate, & ideo quicquid dixeriut Azor. & Simanch. hanc opinionem tenet Gloss. *in ver. Desierit*, Castro *d. cap*.7. Pegna *d.comment*.165. & alii, quos refert Sanchez *loco citato*, *num*.6. Farinacc. *d. quæst*. 197. *num*. 29. Card. de Lugo *de Iustit. & Iure tom*. 2. *disp*. 7. *sect*. 1. *num*. 27. *& d. disp*. 24. *sect*. 1. *num*. 35. P. del Bene *loc. cit. num*. 1. *vers. Et quidem*.

37 Hinc infertur, quod emancipatio filiorum facta à Patre hæretico nihil valet, vt vltra Text. *in d*. §. *fin*. statuit Innocentius Quartus *de anno* 1254. & Nicolaus Tertius *de anno* 1281. *Nouerit Vniuersitas registrat. post Directorium*, Farinacc. *loc. cit. num*. 30. *vers. Et quod*.

Secundò infertur, non posse patrem hæreticum facere filio suo pupillo pupil-
38 larem substitutionem, quia in eo deficit Patria potestas, Castro, & Pegna, & Sanchez *locis citatis*, *num*. 6. *in fin*. P. del Bene *loc. cit. num*. 2.

An autem filius hæretici, sicuti à Patria potestate liberatur, liberetur etiam ab
39 obligatione alendi patrem; Negat Gloss. *in cap*. 1. *verf. fideles distinct*. 30. Castro *cap*.7. Surd. *de alimen. tit*. 1. *quæst*. 18. *num*. 3. *& quæst*. 19. *num*. 3.

Cum hæc obligatio descendat à Iure naturali, quàm nullum Ius humanum auferre potest in pœnam patris, Sanchez *d. cap*. 24. *num*. 7.

Affirmant alij cum hac limitatione, nisi pater sit in extrema necessitate constitutus, nempe Lara *in l. Si quis à liberis* §. *Etsi impubes*, *num*. 10. *ff. de lib. agnosc*. Surd. *de aliment. tit*.7. *quæst*.14. *à nu*. 19. *vsque ad* 27. P. del Bene *loco citato num*. 3.

Rationem assignant, tum quia pater non tenetur alere filium hæreticum, & tamen maiori vinculo adstrictus est erga filium, quàm filius erga patrem, sic Sanchez *loco citato*, *num*. 7. Tùm quia pater potest filium exhæredare, ergo & ei negare alimenta, Molin. *de primogen. lib*. 2. *cap*. 16. *num*. 1.

Sed non est recedendum à negatiua opinione, & quia magis pietati naturali
40 conuenit, & quia rationes allegatæ à Sanchez nullius sunt momenti.

Non enim verum est, quod pater astrin-
gatur magis ad subministranda filio ali-
41 menta, quàm à filio debeantur parenti,
vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 9.
& cum eo omnis Schola Theologorum,
vt per Azor. *to.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 16.

Secundò, quia non valet argumentum;
Potest pater filium exhæredare, ergo ei
nagare alimenta: Nam pater non potest
42 instituere hæredem filium spurium, &
tamen tenetur ei alimenta præstare, sal-
tem de æquitate Canonica, *cap. Cum ha-
beret de eo, qui duxit*, Paris. *conf.* 14. *nu.*27.
lib. 2. Couuar. *de matrim. par.*2. *cap.* 8. §.6.
nu. 4. Surd. *de aliment. tit.* 8. *num.* 51. Rota
decis. 92. *num.* 8. *par.* 5. *recent.* Et ideo hanc
opinionem tenent Azor. *d. lib.* 2. *cap.* 3.
quæst. 2. quem sequitur Card. de Lugo
d. disp. 24. *sect.* 1. *num.* 35.

Et sicut filij hæretici liberantur à patria
potestate ità etiam Serui hæreticorum,
43 si sint Christiani, efficiuntur liberi, nec
transeunt ad fiscum: Si verò sint infide-
les non recuperant libertatem, sed tran-
seunt in fiscum, vt benè distinguendo
tenet Pegna *comment.* 168. *vers. Sed de Ser-
uis*, Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. Card. de Lugo
post Hurtad. & Suarez *loco citato num.* 29.
Farinacc. *d. quæst.* 197. *num.* 30. P. del Bene
dub. 151. *num.* 1. & 7.

Quod intellige, nisi ipsi Serui infideles
denunciauerint Dominos hæreticos, vel
44 nisi fuerint Cathecumeni, quia his duo-
bus casibus, quamuis non acquirant ipso
iure libertatem, debent tamen ea donari,
vt voluit Pegna *d. comment.* 168. & post
eum Sanchez *d. cap.* 24. *num.* 11. P. del Bene
loco citato num. 10.

Semel autem si sit acquisita per Seruos
libertas reuocari non debet *l.* 1. & 2. *C. si*
45 *aduersus libertatem*, ideo Hæreticus, qui
habet Seruos, si spontè compareat, vel
intra tempus gratię, vel quandocunque, &
ex priuilegio spontè comparentium licèt
bona sibi restituantur, non tamen recu-
perat dominium Seruorum ob supradi-
ctam rationem, vt voluere Simanch. *de
Cathol. tit.* 61. *num.* 9. Molin. *de Iustit. disp.* 40.
Pegna *d. comment.* 168. Sanchez *d. cap.* 4.
num. 12. P. del Bene *loc. cit. num.* 11.

Acquiritur autem cum effectu hæc à
Seruis libertas post sententiam declara-
46 toriam à Iudice latam, quæ retrotrahitur
ad diem commissi criminis, Sanchez *loco
citato, num.* 13.

Quæ autem diximus de Seruis Christia-
nis circa acquisitionem libertatis, intelli-
47 genda sunt, si Serui sint à Dominis pos-
sessi ante eorum hæresim, secùs si post, quia
tunc de illis iudicatur, sicuti de alijs bonis
acquisitis post hęresim, vt docet Sanchez
loc. cit. num. 14. apud quem alia in hac
materia Seruorum hęreticorum videre
poteris, & apud P. del Bene *d. dubit.* 151.

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM.

De pœnis Apostatarum à fide. De pœnis credentibus Hæreticis. De consolationem petentibus ab Hæreticis. De Accedentibus ad conciones Hæreticorum. De Accedentibus ad Templa Hæreticorum. De Accedentibus ad Synagogas, & Conuiuia Hæbreorum. De Catholicis mittentibus filios ad Scholas Hæreticorum, & è contra. Quæ pœnæ Hæreticorum transeant ad eorum filios. Et primò de pœna Irregularitatis. Secundò, de pœna Infamiæ. Tertiò, de pœna priuationis hæreditatis paternæ, & maternæ. Quartò, de pœna priuationis Beneficiorum. An huiusmodi pœnæ habeant locum in Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses. De Statutis excludentibus à Beneficijs descendentes ab Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Apostatis à fide imponuntur omnes pœnæ, quæ sunt imposita Hæreticis.*
Apostasia non est peccatum distinctum ab hæresi.
2 *Apostata est excommunicatus ipso iure.*
3 *Apostatæ sunt irregulares.*
4 *Apostata timore ductus, vel fictè apostatans, an, quando, & quàm peculiarem incurrat irregularitatem.*
5 *Apostata efficitur infamis.*
6 *Apostata promoueri non possunt ad dignitates, nec ad officia.*
7 *Apostata priuatur potestate spirituali tam ordinis, quàm iurisdictionis.*
8 *Apostata priuantur Beneficijs.*
9 *Apostata tradendus Brachio seculari.*

104 Quid de hereditate prouenlente ab extraneo Catholico.

105 Quid de maioratu habente, vel non habente iurisdictionem.

Filius quæ bona amittat ob delictum patris.

Filius in maioratu non succedit patri, sed primo institutori.

106 Maioratus institutus à patre Hæretico quando ad filium, & quando ad Fiscum transeat.

107 Filius Hæretici an sit capax dignitatis annexæ maioratui.

108 Filius Hæretici an, & quando sit capax iurisdictionis.

109 Infamis quando sit capax dignitatis.

110 Filij Hæreticorum priuantur beneficijs Ecclesiasticis.

111 Et inhabilitantur ad illa obtinenda.

112 Quid de filijs natis ante perpetratum à patre crimen, & num. seq.

113 Et de praxi Supremæ in hac materia.

114 Pœnæ Hæreticorum an extendantur ad eorum filios natos post hæresim.

Filij Hæreticorum an priuentur pensionibus.

Nepotes Hæreticorum an priuentur beneficijs, & pensionibus.

Dispensatio pro retinendis beneficijs, & pensionibus filiis, & nepotibus Hæreticorum faciliter relaxanda.

115 Priuatio beneficiorum cessat in filijs Hæreticorum pœnitentium, & ad fidem redeuntium.

116 Dummodo Ecclesiæ incorporentur.

Filij Relapsorum etiam pœnitentium, & ad Sacramenta Ecclesiæ receptorum, priuantur beneficijs.

Filij suspectorum de hæresi non priuantur beneficijs.

117 Suspecti de hæresi non priuantur beneficijs, nec ad illa inhabilitantur.

Quid si abiurauerint de vehementi.

Abiuratus de vehementi an incurrat irregularitatem.

118 Filij Hæreticorum damnatorum in contumaciam, an, & quando priuentur beneficijs.

Contumacia vnius non debet nocere alteri.

119 Filius hæretici condemnati in contumaciam, præcedente plena delicti probatione, an priuetur beneficijs, & num. 122.

Quid in crimine læsæ maiestatis humanæ.

120 Hæreticus contumax quando censeatur conuictus.

121 Conuictus hæresis censetur ob Clauium contemptum qui per annum perstitit in excommunicatione.

123 Filius inquisiti de hæresi, & contumacis ob legitimum impedimentum non priuatur beneficijs.

124 Nec si probauerit etiam postea patris innocentiam eumque semper Catholicum extitisse.

Hæreticus contumax etiam post annum admittitur ad probandam suam innocentiam.

Statutum puritatis an obstet filijs probantibus innocentiam patris.

125 Filij sponte reuelantes hæresim patris non incurrunt pœnas Hæreticorum.

Quid si patrem contumacem Inquisitoribus præsentauerint.

126 Filius præsentatus Inquisitoribus à patre remissius puniendus.

127 Et quid de praxi Supremæ.

128 Quid si pater eum præsentet indicijs præuentum, & ob timorem ne à Curia caperetur.

129 Regularis præsentatus Inquisitoribus à Superiore an sit remissius puniendus.

130 Pater non dicitur præsentare filium si illum denunciet, quia requiritur oblatio personæ.

Pater tenetur denunciare filium Hæreticum.

131 Superior quando dicatur præsentare Monachum, & quomodo debeat illum præsentare vt mitius puniatur.

132 Descendentes Hæreticorum vsque ad quam generationem pœnas incurrant.

133 Quid de descendentibus per lineam masculinam.

Infectio viri deterior quam fœminæ.

Sexus virilis transmittit ad posteros nobilitatem, dignitatem, & familiæ honorem.

Crimen patris maiorem importat iacturam, quam crimen matris.

134 Filij illegitimi Hæreticorum an pœnas incurrant.

Honor non debet plus tribui luxuriæ, quàm castitati.

135 Filij vulgo quæsiti an incurrant pœnas ob hæresim patris.

136 Quid si adsit Statutum quod filij incerto patre nati censeantur de aliqua agnatione illiusque arma assumant.

Filiatio quomodo probetur ad puniendum filium Hæretici, & an sufficiat sola nominatio, vel requiratur tractatus.

137 Filij adoptiui an pœnas incurrant ob hæresim patris.

138 Dispositio loquens de filijs non comprehendit adoptiuos.

Pater naturalis si incidat in hæresim, eius filius ab alio adoptatus, pœnas incurrit.

Adoptio non tollit iura sanguinis.

139 Descendentes Hæreticorum in Regionibus vbi impune grassantur hæreses, an pœnas incurrant.

Quid de filijs transeuntium ad Hæreticos à fide Orthodoxa.

140 Dispensatio filijs Hæreticorum in Regionibus vbi impune hæreses grassantur, vt admittantur ad ordines, & ministeria Ecclesiastica

ficaneceſſaria, & quando facilius, quando difficilius concedenda.

141 *Miſſionarij quando poſſint abſoluere ab hæreſi iuxta eorum inſtructionem.*

143 *Statutum Eccleſiæ, vel Religionis excludens deſcendentes Pœnitentiatorum in Sancto Officio, Iudæorum, aliorumque Infidelium an extendatur vltra ſecundum gradum, & an requirat confirmationem Apoſtolicam.*

143. *Statuta Eccleſiæ, vel Religionis derogatoria iuris communis requirunt confirmationem Apoſtolicam.*

144 *Conditio appoſita in fundatione Eccleſiæ, vel Religionis quod in illa admitti non poſſint niſi deſcendentes ab antiquis, & puris Chriſtianis valet abſque confirmatione Apoſtolica.*

145 *Fundator quas conditiones apponere poſſit in limine fundationis.*

146 *Statuta excludentia deſcendentes ab infidelibus an ſint fauorabilia, vel odioſa, & num. ſeq. vbi refertur opinio Rotæ Romanæ.*

148 *Conuerſi nouiter ad fidem deſcendentes ab Hebræis an debeant admitti ad officia, & dignitates.*

149 *Statutum excludens à beneficijs Eccleſiæ infidelium deſcendentes, quibus conditionibus à Sede Apoſtolica fuerit confirmatum.*

Puritas ſanguinis præſumitur, & contrarium aſſerenti incumbit onus probandi.

150 *De diſpenſationibus circa ſanguinis puritatem.*

SVPRA enumeratæ Hæreticorum pœnæ extenduntur etiam ad Apoſtatas, quia Apoſtaſia non eſt peccatum diſtinctum ab Hæreſi, Caſtro *de Iuſta Hæret. punit. lib.* 1. *cap.*7. Pegna *par.*2. *comment.*74. Sanchez *lib.*2. *cap.*7. *à num.*16. Sanctarell *de Hæreſi cap.*2.*dub.vnic. num.*2.

1 Et propterea omnes eædem pœnæ,quæ imponuntur Hæreticis,imponuntur etiam Apoſtatis, *cap. Contra Chriſtianos, de Hæret. in* 6. niſi in ſpecie fuerit aliter deciſum, Simanch. *de Cathol. tit.* 17. Sanctarell. *loco cit. num.* 2. P. del Bene *de Officio Inquiſitoris par.*1. *dub.*47. *petit.*2.

2 Hinc Apoſtata ſicut Hæreticus eſt excommunicatus ipſo iure, *cap.*1. *de Apoſtat.* & ibi Innocentius *num.* 2. Hoſtien. *num.* 2. Boich.*nu.*3. cum alijs per Farinacc. *q.*183. *num.*12. P.del Bene *loco cit.num.*2.

3 Secundò, Apoſtatæ ſicut Hæretici ſunt Irregulares, Sanchez *d.lib.*2. *cap.*25.*num.*2. Sanctarell. *loco cit. num.*6. *verſ. Quare Apoſtata*, Farinacc. *quæſt.*192.*nu.*27. P.del Bene *loco cit. num.*3.

Quod verum eſt, ſiue timore ducti, ſiue ficte apoſtatauerint à fide, quia licet

4 iſti non incurrant Irregularitatem annexam Hæreſi, cum nec verè Hæretici, nec Apoſtatæ ſint, incurrunt tamen peculiarem irregularitatem huic delicto annexam per Text. *in cap. Presbyteros diſtinct.*50. Maiol. *de Irregular. lib.* 5. *cap.* 34. *num.* 2. Suarez 5.*tom. par.*3.*diſput.*43. *ſect.*2. *num.*2. Sanchez *dicto cap.*25.*num.*6. Farinacc. *dicta quæſt.*192. *num.*73.

Sed contrariam opinionem in ijs, qui ficte apoſtatauerint, ſequitur, & defendit Fermoſin. *ad cap. Vergentis, de Hæreticis alleg.* 50. *num.* 11. Quod tamen ipſe admittit, ſi crimen ſit occultum, ſecùs ſi ſit notorium, quia hoc caſu incurritur Irregularitas ex infamia, non autem peculiaris, vt ipſe declarat *loco alleg. num.*12.

5 Tertiò, Apoſtata ſicut Hæreticus efficitur infamis, Goffred. *in Summ.de Apoſtat. num.* 3. Silueſter *ver.Apoſtaſia verſ.Sed Apoſtata*, cum alijs per Farinacc. *qu.*183.*nu.*43. Sanctarell. *loco cit. nu.*6. P.del Bene *loco cit. num.*4.

Ideo non poſſunt promoueri ad digni-

6 tates, nec ad alia officia, de quibus diximus ſupra in Hæreticis, Farinacc.*d.q.*183. *num.* 4.

Quartò, ſicuti Hæretici priuantur ſpi-

7 rituali poteſtate tam ordinis, quàm iuriſdictionis,ità & Apoſtatæ,*cap.*1.*de Schiſmat.* qui Textus licet loquatur de Schiſmaticis, habet locum in Hæreticis, & conſequenter in Apoſtatis ex regula generali *ſuperiùs* firmata: Quod tamen intelligenda eſt iuxta *ſuperiùs* tradita de Hæreticis.

8 Quintò, ſicuti priuantur Hæretici beneficijs, ità & Apoſtatæ, Azor. *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.*17. *verſ. Quæritur*, Farinacc. *quæſt.* 189. *num.* 76.

Sextò, contra Apoſtatas proceditur ad

9 traditionem Brachio ſeculari, ſicuti contra Hæreticos, *cap. Contra Chriſtianos, de Hæret. in* 6. Soccin. *cap.*1.*num.*3.*de Apoſtat.* Alciat. *conſ.*478.*nu.*1. Menoch. *de Arbitrar. caſ.* 546. *num.* 6. Pater del Bene *loco citato num.* 11.

10 Septimò, bona Apoſtatarum confiſcantur, ſicut bona Hæreticorum, *l.*1. *C.de Apoſtat.* Anan. *cap.*1. *num.*3. *extr.de Apoſtat.* Archid. *cap.Contra Chriſtianos,in princip. de Hæret.in* 6. & ibi Io:Andr.*nu.*1. Geminian. *num.* 3. Clar. §. *fin. quæſt.* 78. *verſ. Apoſtata*, Decian. *lib.*5. *cap.*72. *num.*7. cum alijs per Farinacc. *quæſt.*183. *nu.*35. & 36. Menoch. *dicto caſ.*546. *num.*10. P.del Bene *loco citato num.* 5.

11 Et cum bona etiam feudalia Apoſtatarum publicentur, Afflict. *in Conſtit. Regni Neapolit. de Hæreticis, & Patarenis, rubr.*3. *de Apoſtat. cap.*1. *num.*12.

Ideo Subditi, & Vaſſalli liberi fiunt ab eorum dominio, & iuramento fidelitatis, D.Thom. 2.2.*quæſt.*12. *art.*2. & ibi Bannes, & Valentia, ex noſtris Decian.*lib.*5.*cap.*72.

Afflict. *loco cit.* Menoch. *d.caſ.*546. *num.*8. *&* 9. Farinacc. *d.q.*183.*nu.*7.

Niſi tamen Princeps eſſet adeo potens, vt Subditi non poſſint reſiſtere, quia illis
12 licebit obedire, donec aliter per Sedem Apoſtolicam iniunctum fuerit, dummodò ſimus in his, quæ non concernunt fidem ad Text. *in cap. Iulianus* 11. *quæſt.* 3. Menoch. *loco cit. num.* 8. *&* 9. Zech. *in Summ. par.*1. *tit.de fide cap.*24. *rubr. de Apoſtaſia num.* 4. *per tot.* Farinaccius *loco citato num.* 37.

Et propterea ſi Subditi Catholici compellantur à Rege Apoſtata ad præſtandum iuramentum fidelitatis, ſi iuramentum
13 contineat ſolùm ciuilem obedientiam, tenentur illud præſtare, ſecùs autem ſi concernat materiam fidei, verbi gratia, ſi in illo iuramento eiuretur poteſtas Pontificia in Eccleſiam, vel aliud dogma Catholicorum, vt in iuramento Anglicano decreuit Paulus Quintus in ſuis Diplomatibus regiſtratis per Suarez *aduerſus Regem Angliæ in præm.lib.*6. & per Becan.*de Primat. Regis Angliæ lib.*3. *quæſt.*13.

14 Ad hanc pœnam adiungendæ ſunt aliæ de quibus diximus ſupra in pœnis Hæreticorum, nempe ademptio facultatis teſtandi, *l. Si quis defunƐto*, *& l. hi, qui C. de Apoſtat.* Menoch. *d.caſ.*546.*nu.*13. Farinacc. *d. quæſt.*183. *num.*48.

15 Incapacitas acquirendi hæreditatem ſibi delatam, *l. Hi qui, C. de Apoſtat.* & ibi Salycet. Anan. *in cap.* 1. *extr. de Apoſtat.* Menoch. *loco cit.num.*11. Farinacc. *loco cit. num.* 49.

16 Et cum bona Apoſtatarum ſint confiſcata ipſo iure, vt contra Odofred. *in l.* 1. *nu.*1. *C.de Apoſtat.* voluit Siluester *in Summ. ver. Apoſtata num.* 2. cum alijs per Farinacc. *loco cit. num.* 39.

17 Nec illa vendere, donare, nec alienare poſſunt, *l. Apoſtatarum*, §. 1. *C. de Apoſtat.* Farinacc. *loco cit. num.*47.

18 Et ab omni actu legitimo arceantur, Farinacc. *loco cit. num.* 46. Imò hominum conſortio priuantur, *l.Hi qui, C.de Apoſtat.* & ibi Salycet. vbi quod nulla maior pœna, quàm inter homines eſſe, & horum carere ſuffragijs, Afflict. *in d. Conſtit.Regni Neapolit. cap.*1.*num.*7.*rubr.de Apoſtat.*

19 Et poſſunt expelli à Ciuitate quicquid aliàs ſtatutum fuerit ab Imperatore *in d. l. Hi qui, C. de Apoſtat.* vt bene poſt Afflict. docet Farinacc. *loco cit. num.*51.

20 Arceantur etiam à teſtimonio ferendo, ab accuſando, & ab omni alio actu legitimo, vt ſupra dictum eſt, *dicta l. Hi qui*, Farinacc. *loco cit. num.*46. Sanctarell. *cap.*1. *dub. vnic. num.*6.

21 An autem confiſcatio bonorum intret, quando Apoſtatæ memoria damnatur, ſicuti damnari poteſt, Gloſ. *in l.Manichæos*, §. *Subire*, *C. de Hæret. l. Si quis defunƐto*, & ibi Gloſ.1. & *in l. Apoſtatarum*, §.1. *verſ.In tantum*,*&* §§.*ſeq.C.de Apoſtat.* vide Farinac. *loco cit. num.*41.

22 Pœna verò mortis, & confiſcationis plectuntur illi, qui aliquem ad Apoſtatandum perſuadent,*l.Eum qui,C.de Apoſtat.* ibi:

Eum qui Seruum, vel ingenuum inuitum, ſeu ſuaſione pleƐtenda, ex cultu Religionis in nefandam SeƐtam, Ritumue traduxerit, cum diſpendio fortunarum, capite puniendum eſſe cenſemus.

Et ibi notat Salycetus, Rimin. iunior *conſ.*83. *num.*4. *lib.*2. *conſil. crim.* Sanctarell. *loco cit.nu.*7. qui ſubiungit,quod ſi Iudæus inducat Chriſtianum ad Iudaiſmum, vel impediat Iudæum ne Baptiſmum ſuſcipiat, poteſt ab Inquiſitoribus puniri, Siluester *ver. Hæreticus* 2. *num.*4. Zabarell. *Clement.* 2. §. *Inquiſitoribus num.*7. *de Hæret.* de quo nos aliàs, & de his omnibus pœnis latè P.del Bene *d.dub.*47. *petit.*2. *à nu.*6. *vſque ad fin.*

23 Secundò,omnes autem prædictæ pœnæ Hæreticorum extenduntur ad Schiſmaticos, de quibus diximus *ſupra*.

24 Tertiò, extenduntur ad credentes erroribus Hæreticorum, *cap. Excommunicamus, il ſecondo, de Hæret.* & ibi Gloſſ. *in ver. Deprehenſi*, Soccin.*num.*7. Io:Andr.*nu.*3.Hoſtien. *num.* 2. Boich. *in cap. Excommunicamus il* 1. *num.*11.*de Hæret.* & ibi Abb.*nu.*12. Soccin. *num.*36. Anan. *nu.*1. *&* 11. Et extant Conſtitutiones Innocentii Quarti *Ad extirpanda* 1252. Et *Nouerit Vniuerſitas* 1254. Clementis Quarti *Ad extirpanda* 1265. Nicolai Tertij *Nouerit Vniuerſitas* 1281. de quibus per Pegnam *in fine DireƐtor.* Locat. *ver.Credentes num.*1. *&* 2. Simanch. *de Cathol. tit.*15. *de credentibus*, *& in Enchiridion.tit.*13.*rub.de credentibus*, cum alijs per Farinacc. *qu.*182.*num.*221. vbi omnia, quæ à ſacris Canonibus contra Hæreticos ſtatuta ſunt, habere locum contra credentes erroribus Hæreticorum, affirmat Sanctarell. *d.cap.*11.*dub.*4. *num.*32.

Et hæc concluſio habet locum in ijs, qui erroribus Hæreticorum contra fidem aſſentiuntur, & implicitè credunt, cum
25 tamen nullum eorum errorem, aut hæreſim in particulari credant; ſic ex noſtris Calderin. *rubr. de Hæret. credent. num.*8. Simanch. *d. tit.* 15. *rubr. de credent.* Pegna *par.*2. *comm.*75. Decian. *lib.*5. *cap.*51.*nu.*15. & alij, quos refert Farinacc. *dicta qu.* 183. *num.* 124. & poſt cum Sanctarell. *loco citato num.* 1. P. del Bene *par.* 1. *dubit.* 14. *& Coroll.* 1.

26 Idem dicendum eſt, ſi non tantùm ore credant Hæreticis, verum etiam factis, vt puta, ſi conſolationem petant in infirmitate ab Hæreticis, iuxta Text. *in cap. Filij*,

de Haret. in 6. Concil. Narbonen. de quo Pegna *dicta comment.* 75. *littera A. & par.* 3. *comment.* 170. *per tot.* Repert. *ver. Credentes,* Simanch. *de Cathol. tit.* 50. *rubr. de præsumpt. & in Enchiridion. tit.* 40. *num.* 3. Zanchin. *de Haret. cap.* 7. *num.* 4. Decian. *lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 42. cum aliis per Farinacc. *d. qu.* 183. *num.* 110. Caren. *par.* 2. *tit.* 4. §. 9. Sanctarell. *loco cit. nu.* 31. P. del Bene *dub.* 14. *Corollar.* 1. *num.* 7.

27 Dummodo infirmus de eo tempore, quo petit consolationem ab Hæreticis esset sanæ mentis, aliàs non existens sanæ mentis, nec Hæreticus, nec de hæresi suspectus haberetur, Gloss. *in dicto cap. Filij, verb. Filij, cum verb. Non sanæ, de Hæret. in* 6. & ibi Archid. *num.* 1. Pegna *d. comm.* 170. Farinacc. *d. qu.* 182. *nu.* 111. Carena *loco cit. num.* 85.

Cæterum quia filij huiusmodi credentium, vel eorum hæredes asserebant mortuos parentes, vel Testatores vocasse Hæreticos Consolatos, dum erant à mente alienati, ne excluderentur ab hæreditate. Alexander Quartus vt huic malitiæ, & fraudi occurreret, statuit, vt probatio non sanæ mentis in tribus casibus non admitteretur.

28 Primò, quando viuens erat diffamatus de hæresi: Secundò, quando erat suspectus: Tertiò, quando priùs legitimè constiterit, quod infirmi sanæ mentis existentes huiusmodi Hæreticos petierint, *vt in dicto cap. Filij, de Hæret. in* 6. vbi Gloss. & Doctores relati per Farinacc. *d. quæst.* 182. *num.* 112.

Rursus idem Alexander Quartus statuit sua Constitutione *edita anno* 1258. *Ex parto, relat.* per Pegnam, quod si legitimè con-
29 stiterit, quod prædicti, dum sanæ mentis essent, perierint Hæreticos consolatos, si fuerint viam vniuersæ carnis ingressi, vel post perditam iam loquelam suscepisse dicantur, nulla super hoc probatio admittatur, cum in nullo sic decedentes debeant propterea releuari.

In dubio verò admitti poterit non tamen vxores, filii, seu familiares, seu de suis aliqui recipiuntur in testimonium,
30 sed alii testes idonei, & specialiter fidei zelatores, cum contra tales sit non modicum præsumendum, sitque in talibus propter fidei priuilegium cum multa cautela, summaque diligentia præ cæteris negotijs procedendum. Quam Constitutionem confirmauit Vrbanus Quartus sua Constitutione directa ad Fratres Prædicatores Inquisitores in Regno Aragoniæ, & illam refert Eymer. *par.* 2. *direct. fol.* 141. de qua non meminit Farinaccius, licèt oculatissimus, & laboriosissimus.

Qua tamen putat non excludi probationem per indirectum, hoc est, si vellent
31 filii, & hæredes probare corruptionem, vel falsitatem anterioris probationis, secundum doctrinam Io: Andr. *in dicto cap. Filij col.* 2. *vers. Legitimè,* & ibi Gemin. *nu.* 9. Franc. *num.* 3. Repert. *ver. Probationes,* Villadieg. *de Haret. quæst.* 22. *num.* 10. Decian. *lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 19.

Puto tamen irrepsisse mendum *in dicto cap. Filij,* dùm dicit Hæreticos *Consolatores*: nam Alexander Quartus dicta sua Constitutione vocat eos Hæreticos *Consolatos*, & ità verè debent appellari, vt patet ex Bulla Nicolai Quarti directa Senatui Veneto
32 registrata *in mea responsione ad Historiam Inquisitionis Venetæ à Fratre Paulo Seruita conscriptam.* Vrbanus verò Quartus vocat eos Hæreticos *Consolatores*, ideò existimo restituendum Hæreticos *Consolatos*.

Quænam autem esset illa Consolatio, quam infirmi petebant ab Hæreticis, Pegna *par.* 3. *comm.* 170. dicit, quod illam
33 nunquam potuit inuenire, nec intelligere, donec in quodam Codice Bibliothecæ Vaticanæ inuenit summam Fr. Raynerij Ordinis Prædicatoris *de Catharis Leonistis, seu Pauperibus de Lugduno*, in qua plenè agitur de Sacramentis Catharorum, inter quæ vnum erat, quod vocatur *Consolamentum*, seu manus impositio, seu spiritualis Baptismus, qui dabatur certo Ritu, de quo *in par.* 2. *comm.* 38. vbi hæc habet verba:

Manus impositio vocatur ab eis consolamentum, & spiritualis Baptismus, seu Baptismus Spiritus Sancti, sine qua secundum eos, nec mortale dimittitur, nec Spiritus Sanctus alicui datur, sed per eam solummodo ab eis factam vtrumque conferri mentiuntur.

Hæc autem manus impositio hoc ritu absoluebatur apud eos. Præpositus eorum (de quo mox dicemus) cum aliquis ex ipsis incidit in peccatum, aut ad Sectam eorum conuertitur per manus impositionem consolamentum daturus, librum Euangeliorum, vel totius noui Testamenti tenet ante pectus suum; is verò, qui consolamentum est accepturus, vbi coram Catharis confessus est in genere, dicens, se esse peccatorem, & humiliter accedere ad petendam veniam, tunc Præpositus absolutione peracta ponit prædictum librum super caput illius, & cæteri Cathari, qui adsunt manum dexteram, & incipiunt suo ordine dicere Orationem Dominicam. Hoc ritu Consolamentum, & peccatorum remissionem dicunt se conferre, quam non habent miseri Cathari, de quo extat insignis locus in Concilio Narbonensi (quod ego in Concilijs meis impressionis Regiæ Gallicanæ inuenire non potui) *cap.* 19. in hæc verba:

Si consolationes eorum vbi enim, quem consolantur in Hæreticum recipientes per impositionem manuum se saluare proditionaliter mentiuntur, aut seruitio eorundem, vbi maiore ipsorum librum tenente apertum, per ipsum quasi sub generali confessione, remissionem intel-

ligunt veri peccatorum; Hactenus Pegna.

34 Sed puto eruditissimum Virum allucinatum esse, quia aliud est consolamentum, seu spiritualis Baptismus, aliud est consolatio, quam petebant infirmi ab Hæreticis.

Sciendum namque est inter errores Albigensium Hæreticorum vnum fuisse,
35 quod putabant credentes eorum sectæ, quamuis dediti fuissent in vita vsuris, rapinis, homicidiis, carnis illecebris, periuriis, & peruersitatibus vniuersis, sine restitutione ablatorum, sine confessione, & pœnitentia, se fore saluandos, dummodo in supremo mortis articulo *Pater noster* dicere, & manuum impositionem à Magistris suis potuissent obtinere.

Inter hos erant aliqui, qui vocabantur *Perfecti*, & Magistratum habebant, & hos vocabant Diaconos, & Episcopos, sine quorum manuum impositione nullus inter credentes moriturus, se saluare posse credebant: Verùm si morienti cuilibet quantumcumque flagitioso manus imposuissent, dummodo Orationem Dominicam recitare posset, ità saluandum existimabant, vt absque alia satisfactione, absque omni alio remedio euolaret ad Cœlum: & hæc est illa Consolatio, quam dabant Hæretici istius Sectæ morientibus; sic Petrus Vallis-montes *in Historia Albigensium cap.* 2. Odericus Raynald. *ad annum Christi* 1204. *num.* 61.

Superuenerunt postea eodem seculo alii Hæretici Cathari nominati, qui in eodem errore erant cum Albigensibus, nempe vt
36 crederent salutem certissimè adepturos, si quis ex his, quos Præfectos vocabant, morientibus, manus imposuisset, atque Orationem Dominicam repetiisset omnia scelera quantumuis immania hoc penitùs deletum iri.

Huiusmodi autem superstitionem, ac vesanum ritum, Consolationem vocitabant, quod morituri eo vsurpato apicem fœlicitatis attingere existimabant.

Contra hos, Constitutiones suas edidit Alexander Quartus, vt benè Raynaldus *ad annum Christi* 1258. *num.* 24.

Consolamentum verò, de quo per Concilium Narbonense, & per Pegnam, non
37 erat illa Consolatio, quam adhibebant morituris, sed erat eorum Baptismus, de quo Raynerius, siue Renherus *in tractatu contra Vualdenses* (de quo meminit Pegna *sub nomine Summa*) scribit, ipsos, quatuor Sacramenta, quorum primum vice Baptismi, manus impositionem, seu Consolamentum appellabant, non à Christo institutum, sed ab ipsis effectum admisisse.

Verba autem Renherii, seu Raynerii, quæ adduximus ex Pegna referuntur etiam à Raynaldo *loco citato*, pergit Renherus:

38 *Differunt tamen in hoc ab eis (Catharis) Albanenses, dicunt enim, quod manus ibi nihil operatur, cum ipsa à Diabolo sit creata secundum eos, sed sola Dominica Oratio, quam ipsi dicunt tunc, quod vtrumque necessarium ibi requiritur, videlicet, & manus impositio, & Dominica Oratio. Est etiam communis opinio omnium Catharorum, quod per illam impositionem manus, & Orationem Dominicam non fiat aliqua remissio peccatorum, si illi, qui tunc manus imponunt, sunt in aliquo mortali peccato: Fit autem hæc manus impositio à duobus ad minus, & non solùm à Prælatis eorum, sed etiam à Subditis, & in necessitate à Catharis: Nota insuper Cathari in maximo laborantur dubio, & periculo animæ, videlicet si Prælatus eorum, & maximè Episcopus occultè commiserit aliquod mortale peccatum, quales etiam multi olim reperti sunt inter eos omnes illi quidem, quibus ille manus imponit, sunt decepti, & pereunt, si in illo statu decedunt, etiam causa huius periculi vitandi, omnes Ecclesiæ Catharorum, vna excepta solummodo, vel duabus, recipiunt secundo, & aliquæ tertio consolamentum, idest manus impositionem, quod est Baptisma eorum. Dicunt omnia peccata per manus impositionem ab ipsis factam relaxari, & Spiritum Sanctum infundi, & hoc volunt propter illam auctoritatem Actuum: Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

Quando autem aliquem in extremo periculo vitæ recipere volunt, dant ei optionem, vtrum velit in Regno Cælorum esse cum Sanctis Martyribus, vel Confessoribus, si autem elegerit statum Martyrum, tunc Manutergio adhoc specialiter deputato, quod Teutonicè vocatur Enctextuch, *ipsum strangulant, ostio super eum clauso: Si autem Confessorum elegerit, tunc post manuum impositionem nihil dans ei ad esum, nec paucam aquam ad bibendum; & ità fame ipsum perimunt*: Hactenus Renherus.

Subiungit verò Raynaldus *num.* 28.

Hæc erat infanda Hæreticorum consolatio, quæ in carnificinam desinebat subtili Dæmonis commento, ne quis eorum, qui ad Hæreticos accessisset, ex cruentis eius manibus euaderet: Ad eam ergò pestem exscindendam, quam refellere supernacuum esset, cum humani sensus ad illam perhorrescant iure Principes ferro, flammis, & catastis vtendum censuere, edixitque Alexander, vt eorum bona, quibus ab Hæreticis manus admota esset, Fisco addicerentur, ne agrorum propinquitate coniunctissimi, ad quos hæreditas spectaret, sceleratum adeo piaculum committi paterentur. Hæc Raynaldus.

Ex quibus supradictis apparet diuersum fuisse illud, quod appellant *Consolamentum*, ab eo quod *Consolationem* voca-

bant. Redeamus ad rem.

39 Inter credentes factis adnumerantur
etiam ij, qui pluries accedunt ad Concio-
nes Hæreticorum, Anan. *in cap. Excom-
municamus, il primo, §. Credentes, num.* 12.
de Haret. & ibi Felin. *num.*3. Calderin.*rub.
de Haret. credent. num.* 13. Locat. *ver. Cre-
dentes, num.*3. *& ver. Hæreticus, num.*2.Re-
pert. *ver. Audiens verſ. primo, & in ver. Cre-
dentes, verſ. Sed ponamus*, Pegna *par.* 2.
comm. 75. Decian. *lib.*5.*cap.*18.*nu.*16. cum
alijs à Farinacc. *quæſt.*182. *num.*115. P. del
Bene *d. dub.* 14. *Corollar. primo, num.*5.

Sed quod etiam pluries accedentes ad
Conciones Hæreticorum non ſint verè
Hæretici, ſed tantummodò vehementer
ſuſpecti de hæreſi ſtatuit Concilium Tar-
raconenſe celebratum *anno* 1242. Sede
vacante per obitum Cæleſtini Quarti con-
tra Hæreticos Vualdenſes in Aragoniam
erumpentes, cui interfuit Sanctus Ray-
mundus de *Pennafort*, Papæ Pœnitentia-
rius, vbi habentur hæc verba: *Credentes
verò dictis hæreſibus ſimiliter Hæretici ſunt
dicendi.*

*Suſpectus de hæreſi poteſt dici, qui audit
prædicationem, vel lectionem Inzabbatorum,
vel qui flectit genua orando cum eis, vel qui*
40 *dedit oſculum eis, vel qui credit Inzabbatos
eſſe bonos homines, vel ſimilia, quæ poſſunt
probabilem ſuſpicionem inducere. Et poteſt di-
ci ſuſpectus ſimpliciter eſſe, qui ſemel orauit,
vel aliquid fecit de prædictis cum eis; Si verò
pluries audiuiſset prædicationem, vel lectio-
nem, vel oraſset, vel aliquid aliud de prædi-
ctis feciſſe cum eis, poſſet dici vehementer ſu-
ſpectus: Si autem omnia prædicta feciſſet, ma-
ximè ſi pluries poſſet vehementiſſimè dici ſuſpe-
ctus.*

Vehementiſſimam ergò ſuſpicionem
non incurrit ille,qui pluries audiuit Con-
ciones Hæreticorum, vt perperam dicit
Farinacc. *loco cit.* qui fortaſſe, vel non
vidit, vel non conſiderauit verba Con-
cilij, ſed ille, qui omnia ea feciſſet, &
præſertim ſi pluries.

Et certè ſi quis Catholicus denuncia-
tus eſſet Sancto Officio, quod pluries au-
41 diuiſſet Hæreticorum Conciones, ſolùm
tanquàm vehementer ſuſpectus de Fide
haberetur, niſi aliud qualitas perſonæ
ſuaderet. P. del Bene *d. dub.*14. *num.*6.

Sed an liceat Catholicis, qui morantur
in locis, in quibus Hæretici, & Catho-
lici mixtim viuunt, adire Templa Hære-
ticorum, ad audiendas eorum Concio-
nes?

42 Negat Nauarr. *in manual. cap.*25. *nu.*36.
*& conſ.*15. *num.* 3. *de Haret.* Sanchez *lib.* 2.
*cap.*4. *nu.* 26. quos refert, & ſequitur Ric-
ciull. *de Iure perſonarum lib.*1. *cap.*8. *num.* 1.
P. del Bene *dub.*154. *petit.*3. *num.*1.

Quod adeo verum eſt, vt nec liceat au-
dire prædictas Conciones, vt Hæretico-
rum notet errores, & refutet propter pe-
43 riculum ſubuerſionis, niſi audiens ſit vir
omni exceptione maior doctrina præcla-
rus, & ceſſet ſcandalum, vt notant San-
chez, & Ricciull. *locis citatis.*

Quamuis Card. de Lugo *de virtute Fi-
dei Diuinæ diſp.* 24. *ſect.* 5. *num.* 71. teneat
contrarium, hoc ſolo addito ex ſenten-
tia Sanchez, & Coninchij non debere
44 indoctos eam licentiam ſibi aſſumere,
nec ſolam curioſitatem ſufficere, vt licitè
quis eiuſmodi Conciones audiat,ſed grauē
aliquam cauſam requiri, vt id licitè fiat.

Azorius verò *tom.*1. *lib.*8. *cap.*11. *qu.*4.
cum Nauarr. *conſ.* 15. *num.* 3. *&* 4. *de Ha-
ret.* tenet licere audire Conciones Hære-
ticorum ad eorum poſtea errores confu-
tandos, & hæreticam perfidiam euerten-
dam triplici accedente conditione.

Prima, ne Catholicorum animis of-
fenſio generetur.

45 Secunda, ne vlla ſit communicatio Ri-
tus, Cæremoniæ, ac impietatis hæreticæ.

Tertia, ne vllum periculum immineat
ſubuerſionis, & Catholicæ Religionis
contemptus.

Sed licèt opinio Azorij probabilis ſit,
tamen Summi Pontifices reiecerunt ſem-
46 per petitiones Catholicorum,qui degunt
in Anglia, Scotia, & Hibernia, ac in
Germania, quibus ſupplicabant diſpen-
ſari, vt poſſent accedere ad audiendas
Hæreticorum Conciones, vt accidit *die
12. Aprilis anni* 1601. *& die* 22. *Ianuar.* 1609.
quo tempore reiectę fuerunt petitiones
Catholicorum Scotorum,& *de anno* 1607.
fuit denegata licentia Hyacintho Oſtrinſ-
ki Theologo, & Canonico Craconien.
accedendi ad Conciones Hæreticorum ad
effectum eorum hæreſes, & errores con-
futandi. Quod multò magis vetitum eſt,
ſi Princeps Catholicus iubeat per Edi-
ctum, vt omnes eius ſubditi accedant ad
audiendas Prædicantium Hæreticorum
Conciones, quia Catholici ſubditi etiam
prætextu euitandi pœnas grauiſſimas in
Edicto contentas, ad illas accedere non
poſſunt. Et licet Azor *tom.*1. *lib.*4. *cap.*27.
*quæſt.*5.dicat,quod ſi Princeps hoc iubeat,
quia vult, vt ſuo mandato omnes obe-
diant, id eſſe licitum Catholicis facere,
nam in eo ſolùm obedientiæ officium
Principi debitum præſtant. Si tamen id
præcipiat,vt eo tanquam Religionis ſym-
bolo prauitatem hæreticam ſimul profi-
teantur, & vt Catholici diſcernantur ab
Hæreticis, quia proculdubio cæteri Ca-
tholici offenderentur, & deindè eo ipſo
tacitè hæreticam perfidiam profiteren-
tur: niſi tamen, vt aliqui putant publicè
Catholici proteſtarentur,ſed id ſolum ef-
ficere,vt ſuo Principi pareant,non autem

vt ſectam hæreticam profiteantur, quia
tunc periculo, & offenſioni Catholico-
rum conſultum videtur, & iniqui Prin-
cipis vexationem Iure declinant, euitandi
pœnas vitæ, & publicationis bonorum.

Nihilominus contraria opinio verior
eſt, quam tenet ipſemet Azor. *tom.3.lib.1.
cap.7. verſ. poſſet*, vbi ſe à perpera inter-
pretatione eorum, quæ dixit *d.to.1.cap.11.
quæſt.4. & cap.27. qu. 2.* defendit, aſſeren-
do non licere Catholico Eccleſias, ſiue
Conuenticula Hæreticorum adire, vt hæ-
retico Principi obediant id præcipienti,
vt ea ratione Catholici hæreſim profiteri
videantur, nec poſſe ſe excuſare proteſta-
tione propoſita, tum quia à Magiſtratu
non permitteretur, tum quia illa frequen-
tatio vix poſſet fieri ſine ſui, ſuorumque
periculo manifeſto, tùm denique quia
ſemper huiuſmodi Edicta fiunt à Princi-
pibus, vt ea frequentatione denotetur
ſignum diſtinctiuum, & hæreticæ praui-
tatis profeſſio.

Et hanc opinionem, quod attinet ad
Edictum Regis Angliæ latè defendit Sua-
47 rez *aduerſus eundem Regem Angliæ lib.6.c.9.*
Turrianus *de Fide diſput. 35. dub. vlt.* Co-
ninch. *cod. tract. diſp. 15. num. 57.* Hurta-
do *cod.tract.diſp.48. ſect.5.* Sanchez *d. lib.2.
cap.4.num.17.* Et ita conſuluiſſe duos Emi-
nentiſſ. non minus Purpura, quàm do-
ctrina viros Baronium, & Bellarminum
refert Granad. *de Fide tract.11.diſp.3.ſect.3.
num.18.* quos omnes refert Card. de Lu-
go *d. diſp.24. ſect.5. §. 6. num.174.*

Et res caret hodie difficultate propter
48 Breue Pauli Quinti 10. *Kalendas Octobris*
1606. quod refert Suarez *in probem. lib. 6.*
Card. de Lugo *loco cit.* Ricciull. *d. lib. 1.
cap.8. num. 3.* quod Breue confirmatum
fuit *ſub die* 10. *Kalendas Octobris* 1607.

Et prius Sacra Congregatio reiecerat
petitionem filiorum Catholicorum cuiuſ-
dam Hæretici Scoti, qui ſupplicauerant
49 Sanctiſſimo ſecum diſpenſari, vt poſſint
adire Templa ad audiendas Conciones
Hæreticorum, ne priuarentur hæreditate
paterna, vt ex Decreto *ſub die 17. Aprilis*
1601.

Elegans locus eſt S. Auguſtini *ſerm.6. de
verbis Domini*.
50 *Si Imperator iubeat, eſto mihi in obſequium,
rectè, ſed non Idolio, prohibet maior poteſtas;
Da veniam, Tu carcerem, ille gehennam mi-
natur.*

Licet ergo aditus ad Templa Hæreti-
corum, ſiuè ad audiendas Conciones, ſiuè
51 ad aliud præſeferens Symbolum Religio-
nis illicitus ſit, non erit prohibitus, quan-
do ex cauſa merè ciuili ſit. Azor. *d. c.27.
in fin.* Becan. *in ſumm. cap. 9. de extern. act.
Fidei quæſt.5. nu.13. & 14.* Hurtad. *diſp.48.
§. 65.* Cardin. de Lugo *loco cit. num.173.*
Ricciull. *loco cit. num.4.*
52 Quia ingreſſus regulatur à cauſa. Bald.
l. Iubemus C. ad Vellei. Soccin. *conſ.24. nu-
mer.12. lib. 1.* Surd. *deciſ. 217. num. 3.* Ric-
ciull. *loco cit.* Neque debet operari vltra
intentionem agentis, *l. obligationum ſub-
ſtantia, §. Non ſatis ff. de action. & obligat.
l. ſi duo §. Nam ſi aliter ff. de ſolut.*

Quod procedit, etiamſi actus duplicem
poſſet habere cauſam, quia ſemper tri-
buitur ei, quæ eſt contemplata *l.1. §.Idem
Pomponius ff. Depoſit. l. ſi Procurator ff. Man-
dati, l. Emptor §. Lucius ff. de Pact.*

Et propterea famuli, vel famulæ comi-
tantes dominos, aut dominas ſuas, quas
alibi honoris, & obſequij gratia comita-
53 ri ſolent, vel milites, & ſatellites Regij
poſſunt Regi Hæretico Templum intran-
ti aſſiſtere. Sanchez *d. cap.4. num.17.* Car-
din. de Lugo *loco cit. num. 173.* Ricciull.
loco cit. num.6.

Sic etiam Catholico gerenti Magiſtra-
tum apud Principem Hæreticum, licebit
illum ad Templum euntem præire cum
gladio, vel ſceptro, ibique permanere,
dum Diuina officia celebrantur, ad effe-
54 ctum præſtandi illud ciuile ſeruitium.
Ricciull. *loco cit. num. 6.* qui tamen decla-
rat hoc procedere, ſi ſeruitium iſtud præ-
ſtaretur extra Eccleſiam, quod ſi intra
Eccleſiam tantùm præſtaretur, tunc cau-
ſa ipſius præſtandi eſſet ſola Religio - Me-
lius dixiſſet, ſi cauſa illius præſtandi in
Eccleſia eſſet ſola Religio, quia fortaſsè
foret aliqua ſolemnitas ciuilis in Eccle-
ſia, non vti locus deputatus ad Religio-
nem, ſed vti locus, vel domus ampla ad
populum recipiendum, in quo actu Ca-
tholicus deberet deferre inſignia, & hoc
caſu non eſſet actus ille cauſa Religionis
factus.

Præterea huiuſmodi famulis, & inſer-
uientibus Catholicis non ſolùm eſſet lici-
55 tum ingredi cum dominis Templa Hæ-
reticorum, ſed etiam illis genua flecten-
tibus genuflectere ad effectum auxilii præ-
ſtandi, vt expreſsè exemplo Naaman Sy-
ri dicunt Liran. & Burgen. Abulen. *d. q.25.*
Azor. *d. cap.27. qu.7.* Sanchez *lib. 1. cap.7.
num. 21. & lib. 2. cap. 4. num. 14.* Ricciull.
loco cit. num.6. verſ. Quin imò.

Dixi, *ad effectum auxilij præſtandi*, quia
ſi Dominus non indigeret auxilio ad ge-
nuflexionem, vel ad ſurgendum, ſed eo
56 genuflectente, ipſi etiam genuflecterent,
eſſet hoc illicitum, quia illa genuflexio
eſſet religioſa, non ciuilis erga dominum
vt benè Card. de Lugo *loco cit.* Niſi for-
taſsè ad tollendam laxitudinem ſtantis
famuli fieret, vt mihi contingebat, dum
aſſiſtebam Congregationibus Ianſeniſtis
coram glorioſæ recordationis Innocen-
tio Decimo, in quibus per quinque, vel

ſex horas ſtabam, quia tunc eſſet actus
naturalis, non religioſus, vel vt collo-
queretur cum alio Hæretico genuflecten-
te, quia iſte eſſet actus ciuilis, & ideò iſtis
caſibus poſſent Catholici adeuntes Tem-
pla excuſari à peccato, ſi abſque ſcanda-
lo aliorum Catholicorum fierent.

Sed poſt hæc ſcripta prodijt liber Patris
Verricellij *de Apoſtolicis Miſſionibus*, qui
lib. 1. *cap.* 19. materiam hanc diffusè tra-
ctat, vbi *num.* 5. dicit, quod Sacra Con-
gregatio de Propaganda Fide mandat ex-
57 preſsè ſuis Miſſionariis, ne ad Hæretico-
rum, aut Schiſmaticorum Templa, aut
Conciones quouis prætextu, aut quauis
cauſa accedant, & propterea maiorem in
illis eſſe obligationem, & ideo etiamſi
degant in locis, in quibus adeſt libertas
conſcientiæ, nullo modo debere accede-
re ad Conciones Hæreticorum, & ratio
eſt, quia hoc poteſt reſultare in maxi-
mum Catholicorum ſcandalum, & offen-
ſionem, & alij fortaſsè eorum exemplo
poſſent audire illas Conciones, & peruer-
ti; & *num.* 19. dicit, mortaliter peccare
perſonam magnæ auctoritatis, vt eſt Car-
dinalis, Epiſcopus, aut Regis Legatus,
qui abſque grauiſſima cauſa publicè in-
tereſt Sacris, aut Concioni Hæretici, vel
Schiſmatici manifeſti, quia ex hoc ma-
ximum acciperet incrementum hæreſis,
vel ſchiſma, ac illi notabilis honor accre-
ſceret ex tam grauis Perſonæ præſentia,
magnumque indè ſcandalum prouenıret
fidelibus, ac grauis eſſet Catholicorum,
piorumque hominum offenſio. Id autem
præ cæteris cauendum eſt ab Epiſcopo,
vndè Cornelius à Lapide *in epiſt.2.ad Thi-
motheum cap.2. num.96. Denita, & fuge, non
tam propter te, quam propter ſubditos, vt
quod illi ſuum Epiſcopum fugere videant, fu-
giant & ipſi*: Et legi Cardinalem Hypo-
litum Eſtenſem Legatum Sedis Apoſto-
licæ in Gallia fuiſſe à B. Pio Quinto acri-
tèr reprehenſum, quia adſtitit colloquio
inter Catholicos, & Hæreticos habito in
loco *Depoiſi*, vt ſcribit Homerus Torto-
ra *in ſua Hiſtoria Gallica lib.2. fol.* 62. De
materia videndus eſt P. del Bene *dub.* 154.
petit. 3.

Ad Iudæorum autem Synagogas, & eo-
rum conciones acceſſus ſemper à Supre-
58 ma, & Vniuerſali Inquiſitione vetitus
fuit, & *de anno* 1600. *die* 31. *Decembris*
Clemens Octauus mandauit fieri Edictum
nomine Sancti Officij contra Iudæos Vr-
bis admittentes Chriſtianos ad eorum Sy-
nagogas, & Chriſtianos ad illas accedentes,
prout promulgatum fuit, & *de anno* 1601.
24. *Septembris*, ſcriptum fuit Inquiſitori
Ferrariæ, ne permittat Chriſtianos acce-
dere ad Synagogas, & conciones Iudæo-
rum; Et *de anno* 1607. 25. *Februarij* ſcrip-
tum fuit eidem Inquiſitori, ne permitte-
ret Chriſtianos accedere ad Synagogas
Iudæorum, & Circumciſionibus, & eo-
rum nuptijs intereſſe.

Et iure meritò, quia *Canon Apoſtolorum*
63. prohibet, ne Clerici, vel laici Syna-
59 gogas Iudæorum ingrediantur, & licèt
ibi dicatur ad orandum, idem tamen eſt,
ſi curioſitatis cauſa, dùm ibi ſuperſtitioſa
peraguntur, Azorius *to.* 1. *lib.* 9. *cap.* 11.
quæſt. 3. *in fine*, Sanchez *lib.*2. *cap.*31. *nu.*38.
Quia ſemper ſcandalum aliis paratur, San-
chez *loco citato*, Ricciull. *de iure perſonarum
lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 12.

Secùs verò alijs temporibus, vel vt Sy-
nagogæ ſtructura ſpectetur, vel vt irri-
60 deantur eorum vana, & ſuperſtitioſa,
Azor. *d. quæſt.* 3. *in fine*, Sanchez, & Ric-
ciull. *locis citatis*.

61 Ad eorum conuiuia accedere vetitum
fuit in Concilio Agathen. *cap.* 4. relat. *in
cap. Omnes* 28. *quæſt.* 1. & in alijs ſæpiſſimè,
vt in Epaumen. *cap.* 15. Viennen. *cap.* 18.
Eliber. *cap.* 5. Aurelian. 3. *cap.* 28. & idem
tradunt Gloſs. *in cap. Quam ſit de Iudæis*,
& ibi Abb. *num.* 2. Soccin. *num.* 1. & alij
per Ricciull. *loco citato*, *cap.* 41. *num.* 25.
Sanchez *d. cap.* 31. *num.* 12.

62 Et hoc habet locum, ſiue fiat ciborum
diſtinctio, ſiue communibus cibis Chri-
ſtiani vtantur, Hoſtien. *d. cap. Quam ſit
num.* 3. Io. Andreas *num.* 5. Abb. *num.* 3.
Turre-cremata *in cap. Nullus, nu.*4. 28. *qu.* 1.
Sanchez, & Ricciull. *locis citatis*, ille *n.* 13.
iſte *num.* 27.

Cæterum quia non reputantur creden-
tes Hæreticorum, qui adeunt Hæreticos
diſcendi cauſa, non quæ ſpectant ad Reli-
gionem, ſed ad Philoſophiam, Mathema-
ticam &c. vel litteras humaniores, vt vo-
luit Farinacc. *d. quæſt.* 192. *num.* 117.

Quæritur, an liceat Catholicis mittere
filios proprios ad Hæreticorum Scholas,
63 & negatiuè reſoluendum eſt propter pe-
riculum peruerſionis, vt voluit Ledeſma
to. 2. *Summæ tract.* 5. *cap.* 12. *poſt vndecim.
concluſ. diffic.* 3. Nauarr. *conſ.* 1. *de Conſtit.
quæſt.* 27. Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 11.

Idem dicendum eſt, ſi pater vellet filium
collocare cum Domino hæretico inſtante
64 maxima etiam neceſſitate, dummodo
non ſit extrema, vt benè Card. de Lugo
diſp. 14. *ſect.* 5. *num.* 166. & pluries fuit
reſolutum à Suprema, & Vniuerſali Inqui-
ſitione, non licere Catholicis mittere fi-
lios ſuos ad Hæreticorum Scholas.

E contra verò, licèt non ſit de iure illi-
citum, quod Hæretici mittant filios ſuos
ad Scholas Catholicorum ſi non ſint de-
nunciati, Nauar. *d. conſ.* 1. *quæſt.* 27. Azor.
to. 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæſt.* 8. Ledeſma, &
Sanchez *locis citatis*.

Nihilominus Suprema, & Vniuerſalis

Inquisitio *sub die* 4 *Iunij* 1598. scripsit In-
66 quisitori Mediolani, quod non permitteret admitti ad Scholas Catholicorum filios Hæreticorum, qui excedant annum duodecimum, neque hos, si secum habeant Pedagogos, vel famulos hæreticos.

Pariter non reputantur credentes Hæreticorum illi, de quibus certò non ap-
67 paret, quod credant eorum erroribus, sed quodammodo credunt verbis, iussionibus,& operibus, vt puta, quia ad eorum dictum cadunt, veniunt, sermones audiunt, litteras deferunt, libros suscipiunt, alimenta præstant, pecuniam accommodant, visitant, & alia faciunt, in quibus de ritu Hæreticorum nihil ostendunt, Eymeric. *par.* 2. *quæst.* 59. *num.* 4. & ibi Pegna *comment.* 75. Farinacc. *loco citato*, *num.* 123.

His tamen non carent suspicione hæresis, Farinacc. *loco citato num.* 55.

Pariter excusantur à pœnis credentium Hæreticis, qui ex simplicitate crederent,
68 Hæreticum esse virum bonum, & virum Christianum, & Catholicum, vel fuerunt decepti ab aliquo viro, docto, si admoniti recognouerint errorem, vel crederent illis in his, quæ explicitè Catholici credere non tenentur, sic post multos voluit Farinacc. *d. quæst.* 182. *num,* 126. 128. 129. 130. *&* 131.

Quartò, plures pariter pœnę Hæreticorum extenduntur ad fautores, defensores,
69 receptatores eorum, de quibus singillatim videbimus *infra*, quando tractabimus *de præsumptis in fide Inconstantibus.*

Quintò plures etiam pœnæ Hæreticorum extenduntur ad eorum filios, de
70 quibus hic agendum est: Dixi *plures*, quia certum est, quod pœna excommunicationis non cadit in filios, cum sint innoxij à peccato hæresis paternæ, & huiusmodi pœna supponit peccatum, *cap. Si habes* 24. *quæst.* 3. Bauni *de censuris tit. de Excommunic. cap.* 10. Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 4. *ad* 1. Suarez *de fide disp.* 24. *quæst.* 3. *num.* 2.

Nec minùs in eos cadit pœna mortis iuxta illud Deuteronomij 4. *Non occidetur*
71 *filius pro patre*, & licèt quandoque Deus propter scelera patrum occiderit filios, vt in paruulis Sodomorum, in Datan.& Abiron. in filio Dauid contigit, eruditè Simanch. *Cathol. tit.* 29. *de filijs, & minor.*

Non tamen dedit hanc potestatem Principi, siue Reipublicæ puniendi quem-
72 piam pro peccato alterius,vel pœna mortis, vel alia corporali, *l. Sancimus, C. de pœnis, cap. Si habes* 24. *quæst.* 3. Castro *de iusta Hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 11. Simanch. *loco citato num.* 6.

Etsi in aliquibus Regionibus mos fuit pro peccato patris etiam occidere filios,
73 vt in Regno Scitharum, & apud Macedones lex erat, vt propinqui eorum, qui Regi insidiati essent, cum ipsis etiam insontes necarentur, iniquissimum tamen morem, & legem tyrannicam fuisse dicit Philo. *lib.* 2. *de specialibus legibus*, cũs verba refert Simanch *loco citato num.* 6.

74 Prima ergo pœna Hæreticorum, quæ ad filios extenditur, est pœna Irregularitatis, quæ colligitur ex Textu *in cap.* 2. *de Hæret. in* 6. *& in cap. Statutum il secondo eodem tit.* *De pœna Irregularit.*

Nam in vtroque Textu filij Hæreticorum prohibentur assumi ad Beneficia, & Officia publica,sub quorum nomine comprehenduntur etiam Ecclesiastica, & per consequens intrat Irregularitas, Simanch. *de Cathol. tit.* 29. *num.* 17. Nauar. *in man. cap.*22.*n.*205. Salzedo ad Diaz *cap.*22.*n.*22. Maiol. *de Irregul. lib.* 5. *cap.* 46. Sanchez, qui alios *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 7. Suarez *dicto disp.* 24. *sect.* 3. *num.* 2. *& de censur. disp.*43. *sect.* 3. *num.* 1.

Hæc autem pœna incurritur à filijs, etiam si eorum parentes non fuerint dam-
75 nati per sententiam, sed notoriè constet, vel per eorum confessionem in iudicio, vel per euidentiam facti esse, vel fuisse Hæreticos, Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *post qu.* 8. *in* 8. *Pœna, vers. Deinde quæro*, Suarez *dicta disp.*43. *num.*2. Sayr. *de censur. lib.*6. *cap.*10. *num.*40. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 27.

Cessat autem huiusmodi pœna, si Hæretici sanctè Inconstantes emendati fue-
76 rint, Ecclesiæ reconciliati,ac incorporati, nam cessat illius causa, Bonacina *de Irregularitate disp.* 7. *quæst.* 3. *puncto* 7. *num.* 9. Baldell. *de fide, & infidel. lib.* 1. *disp.* 57. *num.* 11. Sanchez *loco citato*

Et in hoc est differentia inter parentem hæreticum, & eius filios, quia pater, vt dixi *supra*, etiamsi fuerit Ecclesiæ reconciliatus, remanet irregularis, donec cum eo dispensetur, filij autem post parentum reconciliationem, dispensatione non indigent, vt benè Suarez, & Sanches *locis citatis*.

Dixi *Ecclesiæ incorporati*, quia non sufficit, quod emendati sint, licèt enim
77 relapsi, qui traduntur Curiæ seculari emendentur, non tamen Ecclesiæ incorporantur, vt tuetur latissimè Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 30. *à num.* 35.

78 Et propterea filij huiusmodi relapsorum irregulares censentur, vt tenuerunt Gloss. *in cap. Statutum vers. Quia lapsi*, & ibi Io. Andr. *num.* 5. *de Hæret. in* 6. Franch. *ibid. num.* 4. Anchar. *num.*1. Simanch. *de Cathol. tit.* 29. *num.* 17. *& in Enchiridion. tit.* 63. *rub. de filijs heret.* Pegna *par.* 3. *comm.* 164. Decian. *lib.* 5. *cap.* 45. *num.* 3. Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 8. *in* 8. *pœna*, Sanchez *lib.*2.*cap.*27.*nu.* 13.*&* 14. Bursatt. *conf.*289. *num.* 16.

num. 16. *lib.* 3. Hos omnes Ricciull. *loc. citato, nu.*32. *verſ. Quibus non obſtant,* Roias *de Hæret.* 2. *par. num.*337. Locat. *ver. Hæreticorum filij,* Paramo *de origine Inquiſitionis lib.* 3. *quæſt.* 9. *num,* 206. *&* 207. Suarez *de cenſur. diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 4. Molin. *de Iuſtit. & Iure par.* 1. *diſp.* 658. *num.* 19. Addo Baldell. *de fide lib.* 1. *diſp.* 53. *nu.* 20. Card. de Lugo *de fide diſp.* 25. *num.* 53.

Contrariam ſententiam tenent, tanquam benignitati, & æquitati Sancti Offi-
79 cij magis conſonam, Gemin. *in cap. Statutum,* §. *hoc ſanè, num.* 2. *de Hæret. in* 6. Nauar. *in Summa cap.* 27. *nu.* 205. Ledeſma *in* 2. *par.* 4. *quæſt.* 26. Caſtro *de iuſta Hæret. punit. lib.* 2. *cap. vlt. & lib.* 1. *de lege pœnal. cap.* 7. Repertor. *ver. filij,* Maiol. *de Irregular. lib.* 5. *cap.* 46. Tolet. *in Summa lib.* 1. *cap.*25. Valent. *in* 4. *to.* 3. *diſp.* 7. *quæſt.* 19. *punc.* 3. Sà *ver. Irregularitas, num.* 2. Rodriguez 1. *to. Summa, cap.* 160. *num.* 2. Montalbus *ad leges Regias lib.* 2. *tit.* 26. *par.*7. Lup. *ac Hæret.cap.*18. Surd. *conſ.*346. *num.* 24. Canter. *Quæſt. crimin. tit. de quæſt. tangent. punc. delicti cap.* 5. *num.* 4. Henriquez *de Irregular. lib.* 14. *cap.* 5. *nu.* 4. *verſ. Quid dicendum?* Pegna *d. comment.* 164. dicit,hanc quæſtionem indigere deciſione Pontificia, P. Diana *in* 4. *par. tract.* 2. *de Irregularitate reſolut.* 45. dicit, de mente Præpoſiti,& Coninchij, hanc quæſtionem eſſe inutilem in noſtris partibus, quia licèt iſti non incurrant Irregularitatem latam *in cap. Statutum,* incurrere tamen Irregularitatem ortam ex infamia.

MIHI verò placet opinio affirmatiua, tanquam melioribus rationibus fulcita,
80 ſed propter æquitatem, & benignitatem Sancti Officij fortaſsè opinio negatiua eſt tenenda, in omnem caſum hæc dubietas poteſt inclinare Summum Pontificem ad faciliùs diſpenſandum cum Hæreticorum filijs.

Idem dicendum eſt de filijs Hæreticorum, qui quamuis relapſi non ſint, non admittuntur ad incorporationem, etiamſi ad pœnitentiam admittantur.

Idem de filijs negatiuorum, qui traduntur Brachio ſeculari, quamuis profiteantur, ſe eſſe, & mori Catholicos.

Idem de filijs eorum, qui pro prima vice traduntur Brachio ſeculari iuxta Conſtitutionem Pauli Quarti,& Clementis Octaui, nam iſti ſunt fictè relapſi, ſic de primis Suarez *d. diſp.* 43. *ſect.* 3. *ad fin.* Sanchez *d. cap.* 27. *num.* 24. Baldell. *dicta diſp.* 53. *num.*21. De ſecundis vltra Suarez, & Sanchez, Cantera *d. cap.* 1. *num.* 11. Card. de Lugo *d. diſp.* 25. *ſect.* 4. Baldell. *d. cap.* 53. *num.* 22.

De tertijs verò idem ſentiendum, quia iſti dicuntur fictè relapſi,& militat eadem ratio negatæ incorporationis.

Sed quamuis effectus irregularitatis ſit vt non ſolùm ad ordines quis aſcendere
81 nequeat abſque diſpenſatione, ſed non poſſit etiam in ſuſceptis miniſtrare, vt colligitur ex Textu *in cap. Curandum* 34. *diſtinc.& in cap. Si cuius vxorem eadem diſtinc. cap. vlt. de Tempor. ordin. cap. Inquiſitionis il primo de Accuſat.* Innocent. *in cap. Si celebret, de Cler. Excommun. miniſtran. num.* 3. Cardinalis *in Clement. vnic. de homicid.* Suarez *de cenſuris diſp.* 40. *ſect.* 2. *num.* 1. *&* 4.

Nihilominus ſi filij Hæreticorum promoti fuiſſent ad Ordines, antequam eo-
82 rum pater incidiſſet in hæreſim, non priuantur vſu, & exercitio Ordinum, tùm quod Ius quæſitum iam habeant, quo nemo abſque culpa ſua priuari poteſt,Gloſs. *in cap. Satis peruerſum in princip. diſtinc.* 56. tum quia Textus *in cap.* 2. §. *Hæretici de Hæret. in* 6. ex quo colligitur, huiuſmodi irregularitas non præcipit,hos filios ab Officijs adeptis deijci, ſed ad ea impoſterum non admitti, Maiol. *de irregularitate cap.*47. *num.* 6. Suarez *de cenſuris diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 2. *in fine,* Sanchez *loco citato num.* 10.

Sed hæc reſtrictio maximam patitur difficultatem per ea, quæ dicemus *infra* de pœna amiſſionis Beneficiorum, vt conſiderat Baldell. *loco citato, num.* 16. *verſ. Sed oppoſitum, & num.* 19.

83 Secunda pœna, quæ extenditur ad filios eſt pœna infamiæ,Simanch. *de Cathol. tit.*9. *num.*269. *& tit.* 29. *num.* 14. Couuar. *lib.*2. *cap.* 8. *num.* 1. Caſtro *lib.* 2. *de iuſta Hæretic. punit. cap.* 9. Gomez *ad l.* 40. *Tauri num.* 9. *verſ. Tertio principali,* Canter. *quæſtion. d. cap.* 1. *num.* 11. *& cap.* 2. *num.* 11. Azeued. *lib.*8. *recopil. tit.* 3. *l.* 1. *num.* 17. *& l.* 3. *num.* 34. *&* 35. Paramus *de origin. lib.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 206. Pegna *par.* 1. *comment.*4. cum alijs per Sanchez *lib.* 2. *cap.* 28. *nu.* 4. Baldell. *d. diſp.* 54. *num.* 10. Farinaccius *quæſt.* 191. *num.* 23. & 1. *ampl.* & hanc opinionem tenet Rota *in Conchen. penſionis* coram Penia *deciſ.* 305. *poſt* 2. *volum. Farinacc.* & per Garziam *de Benefic. par.* 11. *cap.* 10. *num.*79. *De pœna Infamiæ.*

Contrariam opinionem, filios Hæreticorum non incurrere pœnam infamiæ ob
84 paternam hæreſim, quia nullo iure ſtatuta eſt, tenent Menoch. *conſ.* 808. *num.* 44. *&* 45. Suarez *de cenſuris, diſp.* 48. *ſect.* 3. *num.* 2. Sanchez *d. cap.* 28. *num.* 5. idem Suarez *de fide diſp.* 24. *num.* 7.

Non enim ex quo iſti arceantur ab officijs,& Beneficiis,debent reputari infames,
85 vt ſentiunt Doctores, qui contrariam tuentur ſententiam,latè Baldell. *loco citato,* quia vt benè Suarez, & Sanchez, quibus in hac dubitatione aſſentior, inhabilitas ad officia, & Beneficia non prouenit ab infamia paterna, ſed eſt quoddam irregularitatis genus, per quod arceantur à præ-

Z

dictis officijs, & Beneficijs, aliàs si filij Hæreticorum essent infames, subirent alias pœnas infamiæ, quibus non subiacent, *vt videbimus*.

Secundò, quia etsi aliàs valeat argumentum à crimine læsæ Maiestatis humanæ,
86 ad crimen læsæ Maiestatis diuinæ, vt *supra* dictum est; Attamen hoc non habet locum, quando tractatur de extendenda pœna præsertim contra innocentes, Soccin. *conf.* 275. *num.* 11, *vol.* 2. Sanchez *loco citato*, Suarez *loco citato*.

Tertiò, quia cum expresserit lex Canonica pœnas, quibus innodantur Hæreti-
87 corum filij, vtique aliæ debent censeri exclusæ, vt post Salicetum ratiocinatur Surd. *conf.* 386. *num.* 18. & 19. *vers. Non obstat*.

88 Hinc propterea infertur, filios Hæreticorum non amittere nobilitatem, Simanc. *de Cathol. tit.* 29. *num.* 18. Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 35. *num.* 4. Suarez *d. disp.* 24. *sect.* 3. *num.* 7. Sanctarell. *de hæresi cap.* 35. *num.* 1.

Ratio est, quia illam non habent à parentibus, qui crimen huiusmodi perpe-
89 trantur, sed ab antiquis Prædecessoribus, ad quod optimè conducit Textus *in l. eum, qui ff. de Interdictis*, ibi.

Eum, qui Ciuitatem amisit, nihil aliud Iuris adimere liberis, nisi quod ab ipso proventurum esset ad eos, si intestatus in Ciuitate moreretur, hoc est hæreditatem eius, & libertos, etsi quid aliud in hoc genere reperiri potest; quæ verò non à Patre, sed à genere, à Ciuitate, à rerum natura tribuuntur ijs manere incolumes, Tiraquell. & Sanctarell. *locis citatis*.

Quod si priuilegium nobilitatis esset concessum à Principe ipsi patri hæretico,
90 sicuti perdit ille nobilitatem propter delictum, ità etiam & eius filij, Decius *conf.* 318. Menoch. *conf.* 805. *nu.* 8. Simanch. *loco cit.* Otalora *de Nobilitate par.* 4. *princip. cap.* 9. *nu.* 2. Lupus *de Regno Nauarræ par.* 5. §. 6. Sanctarell. *loco citato num.* 2. Tiraquell. *de Nobilitate, cap.* 35. *num.* 4. Sanctarellus *loco cit. vers. Nam cum huiusmodi*.

Secùs tamen si filius ob propria merita acquisiuisset priuilegium nobilitatis, quia
91 obsequens parentis delictum illud non amittit, cum ob propria merita independenter à patre illud obtinuerit, Menoch. *loco citato*, & *conf.* 808. *num.* 25. Otalora, & Sanctarell. *locis citatis*.

92 Secundò infertur, filios Hæreticorum non arceri à testimonio ferendo iuxta Text. *in cap. Non potest* 2. *quæst.* 7. quia nullo iure prohibentur, Sanchez *d. cap.* 28. *nu.* 5.

Neque obstat, quod non possint accusare filii Hæreticorum ob incursum infamiæ patris, & ex eius delicto, vt ex Bonacin. *de Irregular. disp.* 7. *quæst.* 3. *num.* 13. tenet Escobar. *de purit. & nobilit. probanda quæst.* 4. §. 4. *num.* 41.

Quia non valet argumentum, irregularitas filiorum oritur ex infamia nascen-
93 te ex delicto Patris, ergo sunt infames filij; Nam cum nullo iure sit imposita hæc pœna filijs Hæreticorum, vt supra dictum est, sed sola, & pura irregularitas, huic irregularitati non est annectenda alia pœna non statuta à iure contra Textum *in cap. Is, qui de sentent. excomm. in* 6. Sanctarell. *cap.* 25. *dub.* 2. *num.* 12.

Minùs obstat, quod absurdum, sit filios damnatorum pro crimine læsæ Maiestatis humanæ infames esse, non autem filios damnatorum de crimine læsæ Maiestatis diuinæ, vt dicit Escobar. *loco citato nu.* 45.

94 Quia Sancta Mater Ecclesia, quæ est cultrix Iustitiæ, & Mater Pietatis, Text. *in C. lib. feudor. tit. de alienat. feud. cap.* 1. §. *Sed diuersum obseruatur*, Io. Andr. *in cap. Contmebatur, de hijs, qua fiunt à Prælato sine conf. Capituli*, nunquam ea facit, per quæ possit aspera, & rigida iudicari, *cap. Tua de Iureiurand.* & ideo non tam sæuit in filios Hæreticorum, sicut lex ciuilis, sed certis pœnis contenta afflictionesnon addit afflictis, nec sæuit propter aliorum culpas in innocentes, vt benè in proposito considerat Surd. *conf.* 386. *num.* 20.

95 Tertia pœna est priuatio hæreditatis paternæ *cap. Vergentis vers. Cum enim*, & *in vers. nec huiusmodi*, & ibi Gloss. *in figuratione casus in vers. Exhæredatio*, Abbas antiquus *in Summar.* Hostien. *num.* 9. Io. Andr. *num.* 1. Boich. *num.* 4. Butr. *num.* 1. Panormitan. *num.* 1. Felin. *num.* 1. Soccin. *num.* 7. Zabarell. *num.* 13. & 14. Anan. *num.* 1. & 9. *de Hæret.* Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *num.* 4. & *in Enchiridion. tit.* 36. & *tit.* 63. Repert. *ver. Confiscatio*, Locat. *ver. filij*. Menoch. *de arbitrar. cas.* 546. *num.* 11. Farinacc. qui alios *quæst.* 190. *num.* 1. Sanctarell. *cap.* 36. *dub.* 1. *num.* 4.

An autem priuentur legitima, & alimentis diximus supra in pœna confiscatio-
96 nis bonorum, videndus Farinacc. *qu.* 191. *à num.* 5. *vsque ad* 9. Sanctarell. *loco citato*.

Et quamuis huiusmodi pœnæ, & aliæ supra traditæ, & inferiùs tradendæ non
97 excedant in filijs lineæ masculinæ secundum gradum, vt videbimus *infra*: Hæc tamen pœna extenditur ad omnes descendentes vsque in infinitum, Couuar. *Variarum resol. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 2. Decianus *lib.* 5. *cap.* 45. *num.* 3. Farinacc. *loco citato, num.* 21. & 22.

Et hæc pœna habet locum siue simus in Terris Ecclesiæ, siue in Terris Imperij,
98 licèt enim de Iure Ciuili antiquo filii Hæreticorum non priuentur hæreditate paterna, *l. Manichæos*, §. *Præterea, vers. Sed hæc filios*, *C. de Hæreticis*, *l. Hæretici*, §. *Orthodoxi*, *ff. eodem*, *l. Manichæi la seconda*, *l. quæ*

de Sammaritis, *l. Cognouimus*, *& in Auth. idem est*, *C. eod.* De iure tamen, Authenticorum paterna hæreditate priuantur, vt habetur *in Authenth. Gazarof.cap. de Hæret.* & ibi Bella-pertica, & Cynus *num.* 1. *&* 3. Alberic. *num.* 1. Saliect. *num.* 1. Felin. *in cap. Vergentis*, *num.* 4. Simanch. *de Cathol. tit.* 9. *rubr. de bonis Hæret. num.* 1. Parisi *cons.* 2. *num.* 182. *lib.* 4. Pegna *par.* 2. *comment.*158. Surd *conf.* 386. *nu.* 13. Farinacc. qui alios *loco citato*, *nu.* 31.

Sed quatenus per ius Authenticorum filij prædicti non priuarentur paterna hæ-
99 reditate, nihilominus in Terris Imperij debet seruari Ius Canonicum, quia sumus in crimine Ecclesiastico, vt benè Alber. *in l. Cognouimus*, *num.* 2. *C. de Hæret. cap. Vergentis Extrau. de Hæret.* & ibi Gloss. *in ver. Exhæredatio*, Boich. *num.* 45. *&* 46. Anchar. *num.* 7. Butr. *nu.* 11. Abbas *nu.* 5. vbi miratur de Io. Andrea, qui contrariam tenet opinionem, Soccin. *num.* 8. qui ait, opinionem Io. Andreæ falsam esse, Paris. *d.cons.*2. *num.*182. *lib.*4. Carrer. *de Hæret. num.* 140. Pegna *d. comment.* 9. Farinacc. qui alios *loco citato num.* 37.

100 Quæ pœna habet locum, siue filij nati sint post hæresim paternam, siue ante, vt voluit Simanch. *d. tit.* 29. *num.* 22. qui dicit, ità seruari in praxi, Roias *de hæret. par.* 2. *num.* 356. Pegna *par.* 3. *comm.* 163. Farinacc. qui alios *d. quæst.* 191. *num.* 40.

Sed quia hæc opinio multos habet contradictores, vt làtè dicemus in pœna priuationis Beneficiorum, ideo ad dicenda *inferiùs* lectorem remitto.

101 Sed licet filij Hæreticorum priuentur hæreditate paterna, non priuantur tamen hæreditatibus, quæ illis non proueniunt ex persona paterna, siue ex illius successione, Boich. *d.cap.Vergentis nu.*6. Farinac. *d. qu.*191. *num.*42.

102 Primò infertur, non priuari hæreditate aui paterni Catholici, Iason. *l. Hæreditas num.*8. *C. de his*, *quibus vt indign.* Alexander *cons.*74. *num.*1.*vol.*3. Cephal. *cons.*103.*nu.*18. *vol.*1. Menoch. *consil.*388. *num.* 24. Surdus *cons.*386. *per tot.* Canter. *quæst. crimin. rubr. de Hæret. cap.*1. *num.*11. *&* 12. Simanch. *de Cathol. tit.*29. *num.* 18. Sanctarell. qui alios *dicto cap.* 36. *dub.* 1. *num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *cap.*14. *num.*35. Farinacc. qui alios *loco cit. num.* 26.

103 Quod idem dicendum est de hæreditate materna, Locat. *ver. Filij num.*9. Repertor. *ver. Filij*, *vers. Sed quæro*, Zanchin. *de Hæret.cap.*28.*num.*9. Decian.*lib.*5.*cap.*45. *num.*2. Farinacc. *loco cit. num.*27.

104 Et de hæreditate prouenicnte à quocumque extraneo Catholico, Bartol. *in l.* §. *Quidam rectè num.*2. *ff.de liber. & posthum.* Butrigar. *l.*1. *C.de hæred. instit.* Simanch. & alij *num. præcedente allegati*.

105 Secundò infertur, filios Hæreticorum esse capaces Maioratus, siue Iurisdictione careat, siue illam habeat, vt de prima parte voluit post multos Molin. *de Primogen. lib.* 4. *cap. vlt. num.*51. alter Molin. *de Iustit. & Iure to.*3. *par.*1. *disp.*658. *num.*25. Sarmient. *Select.cap.*4.*num.*5.*lib.*3. Sanchez latissimè *d. lib.*2.*cap.*30. *num.* 4. Sanctarell. *d. cap.*36. *dub.*2. *num.* 10. P. del Bene *par.*1. *dub.* 173. *Corollar.* 5. *&* 6.

Rationem habemus *ex l.* 3. *ff. de interd. & leg.* vbi habetur, filium ob patris delictum amittere bona, quæ à parente obtineret, si non deliquisset, non vero ea amittere, quæ non à patre, sed à genere, Ciuitate, ac à rerum natura illi obueniunt.

Sed filius in maioratu non succedit patri, sed primo institutori, vt dicunt *supra citati*.

106 Si autem Maioratus fuisset à patre institutus, distinguendum est cum Sanchez: aut Maioratus, siue Primogenitura fuit instituta testamento, siue ante, siue post delictum patris, tunc filij in illa non succedunt, quia Maioratus iste transit in Fiscum, *vt supra* dictum est.

Idem dicendum est, si Maioratus fuisset institutus post delictum quocumque contractu, etiam irreuocabili, quia tunc pariter transit in Fiscum.

Si autem Maioratus institutus sit ante patris instituentis delictum, & in contractu inter viuos, siue irreuocabili, siue reuocabili, dummodo non sit reuocatus ante patris condemnationem, filij in ipso succedunt, quia talis maioratus non transit in Fiscum; sic Sanchez *d. lib.* 2. *cap.*39. *num.* 13.

Quoueró ad secundam partem, in qua maior stat difficultas, quia filij Hæreticorum videntur ab huiusmodi dignitatibus arcendi, vel tanquam infames, *l.* 2. *C. de Dignitatibus*, vel tanquam incapaces iurisdictionis, Sanctarell. *dicto cap.* 36. *dub.* 2. *num.* 11.

Et ideo hanc sententiam substinent, Parlador. *in sua Sesquicentur diffic. iuris*, *diff.*109.§.1. *per tot.* quem sequitur Carena *par.*2. *tit.*1. §.31. *num.*170.

107 Sed contraria opinio verior est, & tenenda, quando Dignitas, puta Marchionatus, vel Ducatus, annexa est Maioratui, vt volunt Molin. *de Iustit. & Iure to.*3. *par.* 1. *disput.*653. *num.*25. Menoch. *d. conf.*808. *num.*9.*lib.*9. Valasc. *de Iure Emphyteut.q.*49. *num.* 11. Berous *cons.*155. *&* 156. *volum.* 3. Sanchez, qui hanc comprobat per varias rationes *dicto cap.*30. *num.*7. Sanctarell. *loco cit. num.*11.

108 Non obstat, quod filij Hæreticorum sint incapaces iurisdictionis, quia hoc procedit, si iurisdictio de per se principaliter

tribuatur, secùs quando illa venit in consequentiam bonorum, quorum ipsi sunt capaces, vt post Innocent. Abb. Felin. & alios, dicit Molin. *de Primogen. lib. 1. cap.13. num.14.* Sanchez,& Sanctarell. *locis citatis*.

109 Non obstat, quod Infames non sunt capaces Dignitatum, quia respondetur, quod filij Hæreticorum non sunt infames, & quatenus tales essent, arcerentur à Dignitate, si ipsi illam vellent principaliter acquirere, secùs si illam acquirant in consequentiam bonorum, Sanctarell. *loco cit, vers. Obycies secundo.*

110 Quarta pœna, quæ extenditur ad filios Hæreticorum, est priuatio Beneficiorum Ecclesiasticorum, *cap. Vt commissi, §. Priuandi*, & ibi Monach.*num.1.* Gemin.*num.3.* Franc. *num. 3. de Hæret. in 6.* Calderin. *de Hæret. rubr. de pœn.Hæret. post nu.4.* Carrer. *in prax. tit.de Hæret. §.Nunc de pœnis num.5.* Repertor. *ver. Filij, vers. Nunc videndum*, Villad. *de Hæret. quæst.23. num.2.* Decianus *lib.5. cap.45. num,50.* Farinacc. *qu.191.§.2. nu. 44.* Et adsunt plures Pontificum Constitutiones, quibus huiusmodi pœna filij Hæreticorum plectuntur, nempe Alexandri Quarti *Quod super*, & *Ad extirpanda*, Honorij Quarti *Exhibita*, Gregorij Noni *registrat.* per Pegnam *in fine Directorij.*

111 Et non solùm priuantur obtentis, sed fiunt inhabiles ad alia obtinenda,*cap. Quicumque, §. Hæretici, de Hæret. in 6,* & ibi Gloss. *in signatione casus, in ver. Sciendum, & in ver.Beneficia,*Monach.*n.1.*Archid.*n.9.* Gemin. *num.1,* Io: Andr. *col.penult. in verb. Beneficium.* Et facit Text. *in cap.Statutum il primo,eod.tit.in 6.* cum alijs innumeris relatis à Farinacc. *d.qu.191. num.48.*

112 Quod habet locum, non solùm si filij nati sint post patris delictum, sed etiamsi ante perpetratum à patre crimen, Couuar. *variar. lib.2. cap. 8. num. 5.* Roias *de Hæret. par.2. assert.4. num.354.& singul. 68.* Pegna *par.3. comment.163.* Surdus *dicto consil.386, num. 7.* Farinacc. qui alios *loco cit. num. 52.* Et in hanc inclinat Rota *in dict. Conchen. Pensionis, registr.* per Garziam *vt supra*, & *post 2. volum. consil.* Farinacc. *decis. 123.* plures refert P. del Bene *par. 1. dub. 174, num. 2.*

113 Quamuis contrariam opinionem teneat Simanch. *de Cathol. tit.29. rubr.de filijs num. 22. & in Enchiridion, tit. 63. num. 10.* Clar. *§.Hæresis, vers. Quæro nunc,* Anan. *in cap.Vergentis nu.17.de Hæret.* Locat. *qu.22.* Tolet. *in Summ. lib. 1, cap. 69. num. 4.* quos adducit, sed reprobat Farinacc. *d. qu. 191. num. 53.*

Cæterùm in hac quæstione,an filij Hæreticorum priuentur obtentis, siue nati ante delictum patris, siue post, siue illa obtinuerint ante patratum crimen à patre, siue ante illius condemnationem, semper in hac Suprema, & Vniuersali Inquisitione seruata fuit negatiua opinio tanquam humanior, & æquior, & pietati Sanctissimi Tribunalis consona, cum tractetur de pœna ad innocentem extendenda.

114 Et propterea, cum *de anno* 1594. euenisset casus, quod famosus ille Antonius Perez à Secretis Philippi Secundi Regis Hispaniarum, à carceribus Inquisitionis Ciuitatis Cæsar-augustanæ aufugisset, & vt dicebatur ad Hæreticos, & fidei hostes se contulisset, fuit per sententiam diffinitiuam Hæreticus declaratus, & Hæreticorum fautor, statuaque eius combusta: dubitatumque fuit, an Consaluus Perez eius filius priuatus fuisset Beneficijs, quæ obtinebat, vel saltem veniret priuandus. Et causa proposita in Rota, propter diuersitatem opinionum Doctorum, Domini mandarunt, vt R. P. D. Peña, siue Iustus Ponens referret Sanctissimo tunc temporis Clementi Octauo,quid actum fuisset in Rota, & Sanctitas Sua respondit *sub die 23. Decembris* proposuisse dubium in Suprema, &c. & reperiisse, Sanctum Officium seruare opinionem negatiuam tanquam benigniorem, & ideò non esse locum disputationi, vt refert idem Pegna *in dicta decis. Conchen. Pensionis 24. Octobris 1594. quæ est decisio 402. inter eius recollectas to. 1.* Et Iustus *in eadem causa 16. Decembris 1594. vt in decis. 90. post 2. vol. cons. Farinaccij.*

Sed nihilominus disputato dubio in Rota *sub die 6. Martij 1598.* vna parte informante, & Auditoribus morem, & æquitatem Sancti Officij ignorantibus, quia siue Peña, siue Iustus morbo oculorum impeditus, ad Rotam accedere non potuit, quæ tamen excusatio friuola erat, cum per Epistolam, vel Nuncium potuisset Auditoribus pietatem Sanctæ Inquisitionis significare: sed re vera fuit disputatum dubium, quia Clemens Octauus in sua resolutione inconstans mandauit dubium disputari, vt apparet ex dicta decisione, in qua:

Primò, resolutum fuit, pœnas à Sacris Canonibus inflictas filiis Hæreticorum, eos comprehendere, siue nati sint ante, siue post patris delictum.

Secundò, filios Hæreticorum priuari Beneficijs obtentis, etiam ante patris delictum.

Tertiò, resolutum fuit filios Hæreticorum esse perpetuò infames.

Quartò, addendo rigorem rigori esse etiam priuatos pensionibus, vt apparet ex decisione compilata per R. P. D. Peregrinum, de qua per Garziam *de Benef.par.11. cap.10. num.79.* qui nititur respondere om-

nibus obiectionibus, & auctoritatibus in contrarium facientibus: Sed an fœliciter, an infœliciter, videatur Sanchez *d. lib. 2. cap. 27. & 28.* Sanctarell. *cap. 34. dub. 1.* & eadem Rota coram Peñia in *cit. decis. 403. per totam*.

Benè reperij, quod *sub die 13. Octobris 1599.* fuit eadem causa proposita in Sacra Congregatione, & omnes Consultores fuerunt in omnibus prædictis resolutionibus, & conclusionibus pro sententia negatiua: sed Sanctissimo placuit causam non diffinire per Decretum, sed per dispensationem, quod etiam contigit *sub die 10. Februarij 1600.*

Et ideò stante benignitate, & pietate Sancti Officij, vel debemus sequi sententiam negatiuam, quicquid dixerit Rota contra morem suum, quæ semper in delictis mitiorem sequitur opinionem, & quicquid dixerit Escobar post hæc scripta à Me visus *in suo tract. de Purit. & Nobilit.* qui omnia mutuauit à Rota, & à Sanchez, nec etiam ipse fœliciter ad contrariæ opinionis fundamenta respondit, quia sententia negatiua benignior est, vt dicunt Simanch. *de Cathol. tit. 29. num. 7.* Pegna *par. 3. comm. 163. in fin.* Clar. *§. Hæresis, vers. Item Clericos*, Baldell. *de fide, & infidel. lib. 1. disput. 53.* qui subiungit inductum esse pia consuetudine, vt filij, & nepotes Hæreticorum non modò non censeantur ipso iure priuati beneficijs, & pensionibus ante patris delictum obtentis, sed nec etiam priuentur per sententiam, vel saltem statim atque petunt dispensationem, sine mora, & absque difficultate conceditur dispensatio.

115 Hæc tamen pœna priuationis beneficiorum non habet locum in filijs Hæreticorum pœnitentium, & ad fidem redeuntium, iuxta Text. *in cap. Statutum, il primo, de Hæret. in 6.* vbi Gloss. & Doctores Farinaccius, qui plures allegat *dicta quæst. 191. num. 64.*

Dummodo Hæretici pœnitentes fuerint Ecclesiæ incorporati, iuxta Text. *in dicto cap. Statutum*, ibi;

Non autem illos, quos emendatos esse constiterit, & incorporatos Ecclesiæ vnitati.

116 Ideò filij Relapsorum, & iàm pœnitentium ad Sacramenta Ecclesiæ receptorum non euadunt hanc pœnam, Io: Andr. *dicto cap. Statutum num. 1.* Franc. *num. 4.* Simanch. *de Cathol. tit. 29. num. 17.* & *in Euchiridion. rubr. 63. num. 6. & 7.* Pegna *par. 3. comm. 164. vers. Circa secundum*, Farinaccius *loco cit. num. 65.*

Nec habet locum in filijs suspectorum de hæresi, Put. *decis. 400. vol. 2.* Zanchin. *de Hæret. cap. 28. num. 3. & 4.* Repertor. *ver. Filij*, Pegna *loco cit. vers. Nam filij*, Sanchez *cap. 27. num. 9.* Farinacc. *quæst. 191. num. 67.* Sanctarell. *cap. 34. dub. 2. num. 18.*

117 Quinimò, nec ipsi suspecti de hæresi sunt priuati beneficijs, nec inhabiles redduntur ad ea obtinenda, quamuis publicè abiurauerint de vehementi, vt plenè Rota *decis. 51. post primum volum. consil. Farinaccius*.

Et fuit pluries in Suprema, & Vniuersali Congregatione resolutum abiurantes de vehementi, etiam publicè, non incurrere Irregularitatem.

118 Similiter non habet locum hæc pœna in filijs Hæreticorum damnatorum in contumaciam, quia vnius contumacia alteri nocere non debet, *l. Eius qui, ff. de Iure Fisci*, & hanc opinionem tenet Gloss. communiter recepta *in cap. Excommunicamus il primo, §. Qui autem, ver. Condemnentur, de Hæret.* Simanch. *de Cathol. tit. 2. num. 20. & 21. & tit. 14. in fin.* Pegna *par. 3. comm. 49.* Sanchez, qui alios *dicto cap. 27. num. 27.* Farinacc. *quæst. 191. num. 56.*

119 Quæ tamen opinio intelligi debet, si versemur in simplici contumacia, secùs autem si præcedat plena delicti probatio, vt in crimine læsæ maiestatis humanæ voluit Farinaccius *quæst. 116. num. 130. & in crimin. Hæresis d. quæst. 191. num. 68.* Scaccia *de Iudic. cap. 98. num 4. & 5.*

120 Ideo cauendum est à Deciano *lib. 7. cap. 41. num. 33.* & à Sanchez *dicto cap. 2. & cap. 27. num. 19.* quia eorum rationes non concludunt, vt de rationibus Deciani dixit Farinacc. *d. quæst. 116. num. 3.* nec Textus *in cap. Cum contumacia*, in quo se fundat Sanchez, facit ad propositum, quia ibi non traditur, quod ex sola contumacia quis censeatur verè conuictus, & pertinax Hæreticus, sed ex eo quod per annum excommunicationem substinuerit, & in his terminis intelligendi sunt Pegna, & Sanchez *vt supra*.

121 Et ratio est, quia ex illa persistentia in excommunicatione per annum, inducta fuit violenta suspicio, vel potiùs præsumptio iuris, & de iure, quæ tollit omnem defensionem, & inducit sufficientem hæresis probationem: talis enim contemptus Clauium efficit, vt Ecclesia habeat illum pro conuicto de hæresi, vt volunt Hostien. *dicto cap. Cum contumacia nu. 2. ver. Anathematis, & in rubr. de Summa Trinit. & Fide Cathol.* Doctores, quos refert Farinacc. *quæst. 192. num. 14.* sed meliùs Scaccia *de Iudic. cap. 98. num. 4.* & præsertim *num. 5. & 6.*

122 Nec quod conclusio limitetur in crimine hæresis habet solidum fundamentum in iure, vt benè Card. de Lugo *de virt. fidei Diuinæ disput. 25. sect. 4.* Et ideò idem Cardinalis transit cum opinione negatiua, iuxta *supra* tradita, quam tenet Gigas *de Crimine læsæ Maiestat. lib. 3. cap. 13. num. 3.*

tit. de pœnis, quas incurrunt filij, & ad terminos dicti *cap. cum contumacia* reducenda sunt, quæ longo sermone habet Escobar. post hæc scripta à Me visus *in tract. de Purit. & Nobilit. probanda quæst. 4. §. 4. per totum*.

123 Hæc autem contumacia non obstabit, si ob legitimum impedimentum comparere non potuit coram Inquisitoribus, vt docent Gemin. Franc. & Io: Andr. *in dicto cap. Cum contumacia*, Pegna *d. comm.* 164. Sanchez *d. cap. 27. num.* 19.

124 Pariter contumacia patris non obstabit, si filii probauerint patris innocentiam, & Catholicum semper extitisse: Tam enim ipse contumax etiam post annum admittitur ad probandam suam innocentiam, vt dictum est *supra*, & est Gloss. *in cap. Excommunicamus il primo*, §. *Qui autem*, *ver. Condemneutur*, *de Hæret.* Sanchez qui plures *dicto cap. 27. num.* 18. Farinaccius *quæst. 185. n.* 106. Quam etiam filii, vt ex Text. *in l. Filio*, §. *Lecto, de adim. leg.* & *in l. Si quis filium, ff. de inoffic. testamen.* Bald. Peregrin. Gomez, Vasquez, Pegna, voluit idem Escobar. *loco cit. num. 30. & 31.* vbi *num.* 32. dicit, se vidisse filios Antonij Perez, *de quo supra*, cuius statua fuerat combusta in contumaciam, eosque probasse coram Inquisitore Hispaniarum patris innocentiam, & ideo illius memoriam fuisse absolutam, & filijs integrè famam restitutam, cuius dicta refert Fermos. *par. 2. alleg. Fiscal. 9. num.* 63. adeo iudicia hominum inconstantia: sed nescio, an restitutæ fuerint pensiones. Non assentior tamen prædicto Escobar, dum dicit, prædicta non habere locum, vbi vigent statuta puritatis, *vt 1. par. cap. 9. §. 2. num.* 45.

Nam hoc valdè rigorosum videtur, cum filii huiusmodi culent pœnas inflictas non solùm à lege Ciuili, sed à Sacris Canonibus, non video, qua ratione debeant subiacere pœnis Statutorum particularium, ideò nisi huiusmodi Statuta sint confirmata in indiuiduo à Sede Apostolica, crederem eius opinionem ab Hispanica pietate non esse seruandam.

125 Pœnas autem supradictas euitabunt filii Hæreticorum, si spontè patris hæresim reuelauerint, Calderin. *de Hæret. rubr. de pœnis Hæret. post nu.* 4. & *de pœnis Hæret. post nu.* 4. & *de pœnis recceptat. nu.* 3, Repertor. *ver. Bona*, & *ver. Detegitur*, & *ver. Filij*, Simanch. *de Cathol. tit. 29. num.* 46. Decian. *lib. 5. cap. 51. num.* 802. Sanchez *d. cap.* 27. *num.* 30. Farinacc. qui alios *quæst. 191. nu.* 37. vbi de Constitutione Federici Imperatoris, Pegna *par. 2. comm.* 15.

Quod multo magis procederet, si filius patrem, etiam inquisitum, & fortasse contumacem Inquisitoribus præsentauerit, quia etsi pater Negatiuus, Relapsus, vel Pertinax indignus esset venia, nec mitiùs esset puniendus, nihilominus hoc non debet auferre priuilegium filio, quod non consistit in mitiori pœna infligenda patri, sed in actu præsentationis, quasi quod filius magis publicam salutem, quam paternam curauerit, vt deducitur ab exemplo allegato à Tiraquell. *de pœnis temperan. causa* 18. *num.* 3.

Ità è contra videmus, quod si pater præsentaret filium Inquisitoribus, semper remissius solet puniri ad Textum notabilem *in l. Milites agrum*, §. *Desertorem*, & ibi Gloss. *ff. de re militari*, vt in terminis Albertin. *de agnoscend. quæst. 25. num.* 28. Sousa *in Aphorism. lib. 3. cap. 36. num.* 15.

126 Et quamuis Raynerius de Forliuio *in dicto* §. *Desertorem* dicat, quod quicquid sit de iure, & Doctores cantent, de facto difficile esset ex huiusmodi cautela minorem pœnam obtinere, attestans non fuisse obseruatam Bononiæ in quodam de Galluccijs, qui præsentauerat Iudici filium bannitum: Et Cepolla cautela prima dicat, hanc cautelam esse periculosam, & Carrer. *in prax. tit. de Homicid. §. 9. num.* 16. dicat, cautelam hanc non esse tutam, & Clar. §. *fin. quæst.* 60. dicat, difficile esse obtinere in practica, & quod nunquàm hanc cautelam vidit in practica proponi; & Farinaccius *qu.* 98. dicat disputationem super dicta cautela contingere.

127 Nihilominus praxis inconcussa est in Suprema, &c. vt seruetur dispositio *d.* §. *Desertorem*, vt pluries tempore mei Assessoratus obseruatum vidi.

128 Et hæc cautela non solùm habet locum, quando pater præsentat filium indicijs non præuentum, quia tunc non ex æquitate *dicto* §. *Desertorum*, sed vigore spontaneæ comparitionis esset liberandus; sed etiam quando præuentus indicijs, & timore, ne à Curia caperetur, pater præsentauerit, & hoc casu seruatur in Sancto Officio opinio Alciati *de præsumption. reg. 1. præsumpt. 4. num.* 2. Et ideò non est attendenda opinio Farinaccij *in quæst.* 81. *num.* 174. *& quæst. 98. num.* 163. contrarium sentientis.

129 Scio disputatum fuisse in Suprema, &c. coram fel. record. Vrbano Octauo, an dispositio *d.* §. *Desertorem* habeat locum in Superiore Regulari præsentante Monachum, siue Religiosum, & fuit affirmatiuè resolutum *sub die* 18. *Octobris* 1635.

Sed per aliud Decretum f. m. Vrbanus Octauus statuit hoc priuilegium solùm competere Generalibus Religionum, exclusis alijs Superioribus immediatis: Sed eius dispositio obseruata non fuit, & iure merito, quia Superior immediatus Conuentus est loco patris, quamuis Superiores

mediati eandem habeant auctoritatem.

130 Sed aduertendum est, hoc priuilegium consistere in oblatione personæ, non autem in sola denunciatione, quia cum pater teneatur filium Hæreticum denunciare, Pegna *par. 2. comm.* 15. cum aliis per Trasmieram *de Denunciation. quæst.8. cap.4.* & Superior Monachum ex Bulla Pauli Quinti *Romanus Pontifex*; vt notauit Alberghin. *in man. cap.38. per tot.* Trasmier. *cap. 1. num. 7.* si non offerant, vel præsentent, sed solùm denuncient, denunciatus non gaudebit priuilegio §. *Desertorem*.

131 Aduertant ergo Superiores Religionum quomodo procedant, quando præsentant processus Sancto Officio Religiosorum, qui fuerunt inuenti deliquisse in materijs Sanctæ Inquisitionis. Nam debent præsentare processum, & personam, aliàs si solùm processum, ille seruit loco denunciationis, non autem præsentationis Rei. Debent ergo præsentare personam, & implorare misericordiam Sancti Tribunalis, vt possit gaudere vel priuilegio sponte comparentis, vel §. *Desertorem*, si indicijs in dicto Sancto Tribunali fuerit præuentus.

132 Præterea licet *in cap. Vt commissi, §.vlt. & in cap. 2. §. Hæretici, de Hæret. in 6.* filij Hæreticorum credentium, receptatorum, & fautorum ipsorum vsque ad secundam generationem afficiebantur huiusmodi pœnis, postea iste rigor sublatus est per Textum *in cap.Statutum il secondo,de Hæret. in 6.* hoc est, vt extendantur solùm ad filios, & nepotes per lineam masculinam descendentes. Per lineam verò maternam non extenduntur nisi ad primum gradum, hoc est ad filios, vt voluit Gloss. *in dicto cap. Statutum in figuratione casus, vers. Quæritur, & ver. Mane,* & ibi Monachus *num.1.* Gemin. *num. 2.* Franc. *num.1.* Simanch. *de Cathol. tit.29. num.45.* Decian. *lib.5.cap.20. num. 4.* Pegna *par.3. comment.164.* Sanchez *dicto lib.2. cap.27. num.2. 3. & 4.* Farinacc. *qu.181. num.51.*

133 Ratio autem diuersitatis, quare puniantur in vlteriori gradu, tam filij Hæreticorum descendentes ex linea masculina, quàm illi, qui descendunt ex fœminina, est, quia deterior est infectio viri, quam fœminæ, & filij magis patrem, quam matrem repræsentare videntur, & sicuti nobilitas, dignitas, & familiæ honores descendunt in posteros ex sexu virili, ità maiorem iacturam ex crimine paterno, quam materno, eos pati instissimum est; sic Sanchez *dicto cap.27.num.2.in fin.* & has rationes mutuauit à Simanch. *de Cathol. tit.29. num.15.*

134 Quæ pœnæ habent locum non solùm in filijs legitimis, & naturalibus, sed etiam in illegitimis quibusuis, & spurijs, ne plùs honoris luxuriæ, quàm castitati tribuatur contra Text. *in §. vlt. in Authent. de restit. & ea quæ parit,* & ità dicit Gloss. *in dicto cap. Statutum, §. Volumus, de Hæret. in 6.* & ibi Io: Andr. *in fin.* Anchar. *num.2.* Franc. *num.4.* Gemin. *num.4.* Couarr. *lib.2.variar. cap. 8. num. 3.* Simanch. *de Cathol. tit. 29. nu.16. & in Enchiridion. cap.63. nu.3.* Pegna *comm.163. par.3.* Menoch. *de præsumpt. 33. num. 11. lib. 5.* cum aliis per Sanchez *dicto cap.27. num.1.* addo Ricciull. *lib. 5. cap.30. num.1.* Farinacc. *d.qu.191. nu.9.* Sanctarell. *cap.36. dub.1. num.5.*

135 Dummodo pater eorum sit certus, aliàs si sint vulgo quæsiti, qui certum patrem nominare non possunt, non incurrunt huiusmodi pœnas, Franc. *in dicto cap. Statutum il 1.num.4.de Hæret.in 6.* Couarr. *loco cit. num. 3.* Sanchez *loco cit.* Farinacc. *loco cit. num. 11.* Surdus *consil. 386. num. 6.* Ricciull. *loco cit. num.5.* Sanctarell. *loco cit. num.5.in fine.*

136 Nisi fortasse adesset Statutum, vel consuetudo, quod vulgo concepti reputarentur de agnatione aliqua, illiusque arma assumerent. Tunc enim incurrerent pœnas prædictas, quamuis incerto patre nati essent; Repertor. *ver.Filij, verf. Sed eo præsupposito,* Decian. *d.lib.5.cap.45.num.3.& 5.* Graff. *lib.2. decis. cap. 1. num.19.* Farinacc. & Ricciull. *locis citatis.*

Sed quomodo isto casu probetur filiatio? Dic, quod sola nominatio non sufficit, nisi etiam concurrat tractatus, Repertor. *verb. Filij, verf. Etsi quæratur,* & ibi Mandos. *littera H.* Farinacc. *dicta qu. 191. num. 10.*

137 Quid autem in filijs adoptiuis, Ricciull. *loco cit.* dicit, hanc quæstionem non vidisse ab aliquo tractatam, & propterea longo sermone illam examinat, & cum distinctione procedit.

Certum autem est, filios adoptiuos non subiacere huiusmodi pœnis, quia non sunt propriè filij, sed habent quandam filiorum imaginem, *l.Cum adoptiuum, C.de Decur. lib.10. l.Filio, ff. de liber. & posthum. l. Quæsitum, ff. de adopt.*

138 Et ideo si lex disponat de filijs, non comprehenduntur in illa dispositione filij adoptiui, Tiraquell. *l.Si vnquam. verb. Susceperit liberos num.5. C.de reuocand. donat.* Soccin. *l. Adoptiuum num. 4. ff. de in ius vocan.*

Si ergo pater naturalis incidat in hæresim, eius filius quamuis ab alio adoptatus incurret in huiusmodi pœnas, quia per adoptionem non tolluntur iura sanguinis, *l.Iura sanguinis, ff.de regul. iuris, l. Ius autem ciuile, ff.de pact.* & ità in terminis in vtroque casu tenet Sanctarell. *dicto cap. 36. dub. 1. num.6. & 7.*

139 An autem filij, & nepotes eorum, qui

decedunt in hæresi in Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses, subijciantur huiusmodi pœnis, negat Henriqu. *in Summa lib.*14. *tit. de Irregul. cap.*5. *num.*4. Sà *in Summa, ver. Hæresis num.* 4. Sanchez *lib.*2. *cap.*27. *num.*28. *in fin.* Layman. *par.*2. *tract.* 5. *punct.* 5. *cap.* 4. *num.* 13. *vers. Notat verò Henriquez*, Banni *de Censur. tract.*11. *de Irregular. qu.*51. *vers. Notandum*, Filiucc. *tract.*22. *num.*228.

Sed quicquid sit de hac opinione, quæ tamen difficultate non caret, maximè circa filios eius, qui ex Orthodoxa fide ad Hæreticos voluntariè transit, & in hæresi decedit, vt voluit Escobar. *de probanda puritate par.*1. *qu.*9. §.2. *num.*42.

140 Certum est, Sedem Apostolicam non approbare leges, vel consuetudines contra Sacros Canones, nec illarum Prouinciarum admittendi filios eorum Hæreticorum ad ordines, & ad ministeria Ecclesiastica, nisi præuia dispensatione.

Et vidi plures horum filios non solùm ordinandos, sed ordinatos ab Episcopis Catholicis recurrisse ad Supremam, &c. pro dispensatione, quæ dispensatio non denegatur filijs eorum, qui nati, & educati in hęresi,in eadem hæresi decesserunt: Si autem essent filij eorum, qui nati, & educati in fide Catholica ad Hæreticos transierunt, & in hæresi decesserunt, non tam facile cum eis dispensat.

141 Et propterea in facultatibus absoluendi ab hæresi, quæ solent concedi Missionarijs, semper excipiuntur illi, qui nati, & educati in fide Catholica, & præsertim in Regionibus, in quibus viget Sanctum Officium ad Hæreticos conuolarunt, & hæresim professi sunt.

Aduertendum tamen est,quod *vt supra dixi*, licet huiusmodi pœnæ non extendantur vltra secundum gradum in linea masculina, in linea verò fœminina vltra primum, iuxta terminos *dict. cap. Statutum*:

142 Nihilominus si adsit particulare Statutum alicuius Ecclesiæ, vel Religionis, vel Militiæ disponens,quod non admittantur, qui descendunt ex pœnitentiatis in Sancto Officio, vel à Iudæis, Mauris, & Saracænis etiam vltra prædictos gradus, si à Sede Apostolica sit confirmatum,attendendum est, Suarez *de Censur. disput.*43.*sect.*3.*num.*8. Sanchez *dict. dub.*2. *cap.*28.*num.*14.

143 Requiritur autem confirmatio Apostolica, quia prædicta Statuta sunt iuris communis derogatoria, Suarez *loco cit.* Lara *de Anniuers.& Cappellanijs lib.*2.*cap.*4. *num.* 39. Mantic. *decis.*307. *num.* 1. & Rota *in vna Toletana Canonicatus* 15. *Decembris* 1608. *coram* Marcomontio, Ricciull. *de Neoph. cap.*7. *num.* 1.

144 Valeret tamen absque confirmatione Apostolica, si huiusmodi conditio fuisset apposita in limine fundationis alicuius Ecclesiæ, vel Religionis, quod scilicet non possent admitti nisi descendentes ex antiquis, & puris Christianis, Otalora *de Nobilit. cap.*7. *num.* 26. 2. *par.* 3. *par.* Lara *dicto cap.*4. *num.*1. & 10. Ricciull. *d. tract.de Neoph. cap.*6. *num.*18.

145 Quia fundator potest apponere in limine fundationis quascunque conditiones etiamsi sint contra ius,dummodo non sint impossibiles, vel à iure improbatæ, Lambertin. *de Iurepatronat. lib.* 1. *par.* 1. *art.*1. *quæst.* 9. *num.* 52. Rota *in Romana Iurispatronatus* 31. *Maij* 1613. *coram Cardinale Sacrato*,relata per Viuian.*de iur.patron.lib.*4. *cap.*9.*n.*56. Ricciull.*loc.cit.*Barbos.*de potest. Episcop. par.* 1. *tit.*2. *glos.*17. *nu.* 27. & 28.

146 An autem huiusmodi statuta sint iusta, vel iniusta, fauorabilia,vel odiosa videndi sunt relati à Barbos. *loco cit.* & nouissimè ab Escobar. *de probanda Purit. & Nobilit. tota quæstione tertia*, qui licet totis viribus intendat probare huiusmodi Statuta esse fauorabilia, & adinuenta fuisse propter publicam vtilitatem, ne impuri cum puris, & sordidæ stirpes cum Nobilibus misceantur, & latissimam recipere interpretationem, quando tractatur de personis in prædictis Statutis comprehensis.

147 Nihilominus Rota Romana contrarium semper renuit,& obseruauit, nempe huiusmodi Statuta esse odiosa,strictamque recipere interpretationem, nec posse extendi etiam respectu personarum, de quibus loquuntur, vt in pluribus decisionibus relatis per Barbos. *d. Glos.*17. *num.*29. & præsertim per Manric. *decis.*307. & iterum *decis.* 307. & 355. *par.*4. *recent.* vbi in specie de Constitutione Clementis Octaui excludente descendentes ab Hebræis per lineam paternam, vel maternam, & earum quamlibet, vsque ad septimum gradum, quam confirmauit, & extendit Paulus Quintus, vt per Barbos. *loco cit.* & de huiusmodi Statutis idem Barbos. *in tract. de Canonic. cap.*13. *à num.*27.

148 Sed an nouiter conuersi ad fidem, & descendentes ab Hebræis debeant excludi ab Officijs, & Dignitatibus latissimè, & eruditissimè tractat idem Barbos. *in suis votis decisiuis vol.*2. *lib.*3. *vot.* 93. post hæc scripta visus, in quo voto affert plures Canones reprehendentes Episcopos, qui nolebant admittere ad Præbendas, & Canonicatus ex Hebræis nouiter conuersos ad fidem, & registrat de verbo ad verbum Bullam Nicolai Quinti pro Regnis Castellæ, & Legionis, & Decretum B. Pij Quinti pro Religione Sancti Francisci, & alia plura ad rem facientia, cui addo Ricciull. *de Neophitis cap.* 5.

Quod spectat ad Sanctum Officium Episco-

Episcopus, & Capitulum Tuden. In Hispania *de anno* 1616. supplicauit Paulo Quinto, vt dignaretur confirmare Statutum dictæ Ecclesiæ, quo cauebatur, ne descendentes ex Christianis nouis Mahometanis, aut pœnitentiatis in Sancto Officio vsque ad quartum gradum possent obtinere Beneficia in dicta Ecclesia.

149 Pontifex tunc temporis recusauit confirmare, quia erat contra ius, ordinauit tamen Datario, vt quando occurreret casus collationum, aduerteret ad qualitatem personarum. Sed denuò illis instantibus Statutum illud confirmauit, his adiectis conditionibus, *vt onus probandi descendentiam, spectaret ad Capitulum*, vt de iure spectat, sicuti pluries resoluit Rota; & signanter *decis.* 202. *par.* 5. *recent.* Barbos. *de Canonic.* qui alios in *cap.* 13. *nu.* 32. *&* 33.

Secundò, quod in confirmatione reseruetur facultas Sedi Apostolicæ dispensandi cum talibus descendentibus, quibus dispensatis, si fiat à Capitulo obstaculum confirmatio eo ipso nulla sit.

Demùm, quod occurrente lite super præmissis causa deuoluatur per appellationem ad Rotam Romanam, vt in Decretis *sub die* 16. *Ianuarij* 1616. *&* 1. *Februarij* 1617.

Et quia huiusmodi Statuta, *vt diri*, sunt contra ius, solet Sedes Apostolica semper cum prædictis descendentibus benignè dispensare, præsertim cum his, qui sunt vltra secundum gradum.

110 Quando quis dispensatur ad ordines, solet committi dispensatio arbitrio Ordinarij. Si dispensetur ad Religionem Militarem, committitur dispensatio arbitrio Magni Magistri dictæ Militiæ.

Si ad gradus Religionum Mendicantium, vel Monachatum, excipitur Generalatus, & committitur arbitrio Superioris.

Si ad Beneficia, vt plurimum excipiuntur Curata: Excipiuntur pariter quandoque primæ Dignitates post Pontificalem, & quandoque etiam Canonicatus in Cathedralibus secundum qualitatem personarum.

Et super his fere in singulis Congregationibus Sancti Officij, quæ habentur coram Sanctissimo, dispensationes conceduntur.

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

An à Bulla Cœnæ sublata sit facultas Episcopis absoluendi ab Hæresi occulta. An Inquisitores habeant facultatem absoluendi in foro conscientiæ. An qui detinentur in Carceribus Sancti Officij possint absolui in foro conscientiæ. Quando quis dispensetur, & absoluatur citra reuelationem Complicum. An si per Iubilæum sit data facultas absoluendi in casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, censeatur data facultas absoluendi ab Hæresi. An qui non non potest accedere Romam pro absolutione, teneatur mittere Procuratorem. De facultate absoluendi ab Hæresi externa. An Episcopus auctoritate sibi à Concilio attributa possit dispensare cum Hæretico occulto. Quid de Inquisitoribus. Qui dispensent super infamia ex Hæresi orta. An Papa possit restituere famæ laicos sibi non subditos quoad temporalia. Quid de Sacra Congregatione respectu vocis actiuæ, & passiuæ quoad Regulares. Quid de Inquisitoribus, & Episcopis, an possint restituere famæ. Pœna priuationis Iurisdictionis, & Beneficiorum à quo possit remitti. Quis possit remittere pœnas temporales Hæreticorum. An pœna Confiscationis, quæ debetur Principi seculari, possit remitti per Inquisitores. An Episcopus sine Inquisitore, & Inquisitor sine Episcopo possint proferre sententiam absolutoriam: Et de praxi Supremæ in hac materia. An Reus semel absolutus possit iterùm molestari ex eisdem indicijs, vel nouis superuenientibus probationibus.

SVMMARIVM.

1 *Papa punire potest Hæreticos, & eorum pœnas tollere.*

2 *Episcopus an possit absoluere ab excommunicatione Hæreticum occultum, & numeris sequent.*

7 *Papa an potuerit adimere Episcopis facultatem absoluendi Hæreticos occultos ab excommunicatione, & nn. seqq.*

8 *Et an illam ademerit in Bulla Cœnæ, cum nn. sequentibus.*

9 *Episcopi degentes in locis vbi impunè grassantur hæreses, quando, & qualiter absoluere possint Hæreticos ab excommunicatione.*

12 *Et quibus conditionibus concedi soleat talis facultas Episcopis, & Missionarijs.*

13 *Clausula* non tamen eos, qui nati sunt in Regionibus vbi exercetur Sanctum Officium, *in eadem facultate apposita, de quibus intelligatur.*

14 *Episcopus an, & quando absoluere possit Apostatas à fide.*

15 *De facultate concessa Ordinario absoluendi ab excommunicatione ob hæresim durante Visitatione, & collocandi Moniales fugitiuas in alijs Monasterijs, quam suæ professionis.*

16 *Inquisitores an possint absoluere Hæreticum in foro conscientiæ.*

17 *Et an debeant audire Confessiones Sacramentales.*

18 *Absolutio Sacramentalis delictorum, quorum cognitio spectat ad Sanctum Officium, non suffragatur pœnitentibus in foro exteriori.*

19 *Inquisitores quando possint absoluere Hæreticos in foro conscientiæ.*

22 *Diuersæ quæstiones superfluæ in materia huius absolutionis remissiuè.*

Carcerati in S. Officio, an possint aliquando absolui ab hæresi in foro conscientiæ.

Et an admittantur ad audiendam Missam durantibus eorum causis.

Vel ad Sacramenta.

21 *Sacerdotes carcerati in Sancto Officio an possint Missam celebrare.*

22 *Reus qui ante denunciationem fuit sacramentaliter confessus, & pœnitentiam adimpleuit fidem faciente probato Confessario an sit mitius puniendus.*

23 *Papa potest delegare facultatem absoluendi Hæreticos ab excommunicatione.*

24 *Et quibus conditionibus illam deleget Maiori Pœnitentiario.*

Conscij hæresis an dicantur, cum quibus Hæreticus fuit collocutus.

Conscij hæresis dicuntur qui sunt illius complices, & de ratione.

Collocutio hæresis non facit aliquem suspectum, vel denunciandum de hæresi.

Omissio denunciationis Hæretici, etiam formalis, an, & quando importet suspicionem hæresis, vel fautoriæ.

25 *Vxor non denuncians maritum Hæreticum, vel Blasphemias hæreticales proferentem, an, quando, & quomodo sit punienda.*

26 *Hæreticus recusans reuelare complices an, & quando possit absolui ab excommunicatione.*

Quid si promittat dare notulam complicum Confessario.

27 *Hæreticus, vel suspectus de hæresi quando teneatur complices denunciare.*

28 *Facultas absoluendi à casibus reseruatis an importet facultatem absoluendi ab excommunicatione ob hæresim.*

Hæresis specialem mentionem requirit vt comprehendatur in facultate absoluendi.

Confessarius an, & quando absoluere possit ab excommunicatione ob hæresim occultam tempore Iubilæi.

Confessarius absoluens ab excommunicatione ob hæresim occultam in foro conscientiæ an possit ab Inquisitoribus puniri, & quid si non constet de vsu.

29 *Episcopus an possit ab excommunicatione ob hæresim absoluere impeditum adire Romanum Pontificem.*

Quid de simplici Sacerdote, & signanter in casu necessitatis, vel in articulo mortis.

30 *Confessarius quando, & quomodo in casu necessitatis absoluere possit ab excommunicatione ob hæresim, vel à casibus reseruatis, & quis dicatur casus necessitatis.*

31 *Impeditus personaliter Romam accedere ad petendam absolutionem ab excommunicatione ob hæresim an sit cogendus vt accedat per Procuratorem, & num. seq.*

32 *Et an saltem teneatur adire Pœnitentiarium.*

33 *Stylus Curiæ an, & quando obliget nedum in foro exteriori, sed, & in foro conscientiæ.*

Pœnitentiariæ stylus quoad expeditiones omnino gratis concedendas.

34 *Hæresis externa non occulta ad forum contentiosum non deducta à quo possit absolui quoad excommunicationem.*

35 *Episcopus an possit absoluere ab excommunicatione ob hæresim externam non occultam, & ad forum contentiosum deductam.*

Episcopus potest procedere contra Hæreticos etiam vbi adest Inquisitor.

36 *Bulla Cœnæ an adimat Episcopis facultatem absoluendi ab excommunicatione ob hæresim externam in foro exteriori, & quam facultatem adimat.*

37 *Inquisitor potest absoluere Hæreticos ad ipsum delatos, & pœnitentes ab excommunicatione in vtroque foro.*

38 *Hæreticus non habens animum deserendi errores si absoluatur ab excommunicatione dicitur nulliter absolutus.*

39 *Hæreticus damnatus ab Episcopo, & Inqui-*

sitore per quem eorum absolui debeat ab excommunicatione.

40 *Papa solus dispensat ab irregularitate ob hæresim.*

41 *Irregularitatem Apostatæ an dispensare possit solus Papa.*

42 *Episcopus an possit ab irregularitate dispensare Hæreticum occultum, & numero sequen.*

Facultas dispensandi ab irregularitate an sublata dicatur sublata facultate absoluendi.

Prohibitio maiorum an, & quando importet etiam prohibitionem minorum.

Facultas dispensandi an maior sit quam facultas absoluendi.

43 *Argumentum à minori ad maius quando procedat.*

Prohibitio hypothecæ importat prohibitionem alienationis.

Legitimatio per subsequens matrimonium quando sit maior, quam legitimatio per rescriptum Principis.

Priuilegium aliquando maiora tribuit illi, qui non potest minora.

44 *Pœnitentiaria potest dispensare Hæreticum ab irregularitate etiam vbi non potest illum absoluere ab excommunicatione.*

45 *Episcopus an dispensare possit Sacerdotem ab irregularitate ob hæresim circa ministerium Altaris, vel solum Clericos in minoribus Ordinibus.*

46 *Dispensatio ad audiendas Confessiones an, & quando concedatur Hæreticis, vel de hæresi suspectis.*

47 *Inquisitores non possunt dispensare ab irregularitate ob hæresim, vel Apostasiam, neque in foro conscientiæ, & num. 49.*

48 *Indultum concessum Inquisitoribus vt possent dispensare ab irregularitate contracta ob hæresim, vel Apostasiam an cessauerit, vel fuerit reuocatum.*

50 *Inquisitores an possint se inuicem dispensare ab irregularitate ob hæresim, vel Apostasiam.*

51 *Papa solus delere potest infamiam ab Hæretico contractam.*

52 *Maximè quoad personas Ecclesiasticas.*

53 *Papa restituere potest famæ ob hæresim maculatæ laicos subditos Status Ecclesiastici ad omnes effectus, & subditos aliorum Principum quoad spiritualia.*

54 *Papa an possit restituere famæ alienos subditos quoad temporalia.*

55 *Papa an possit in terris Imperij restituere laicos famæ de potestate absoluta.*

56 *Quid de potestate ordinaria, & an possit restituere natalibus, & ligitimaro.*

57 *Quid si legitimet in radice matrimonij.*

58 *Restitutio famæ, & legitimitas æquiparantur.*

59 *Collegium Cardinalium an possit restituere famæ, & an habeat potestatem iurisdictionis.*

60 *Cardinales Supremæ, &c. an restituant ad honores, dignitates, & famam.*

61 *Et an, & quando Regulares ad vocem actiuam, & passiuam; & ad Officia, & Dignitates Religionis restituant, & numero 100.*

62 *Inquisitores an possint restituere ad famam propter hæresim deperditam.*

Quid de Episcopo.

Delatus ob crimen hæresis absolui potest ab Episcopo, & Inquisitore.

Restitutio iustitiæ trahit in consequentiam restitutionem famæ.

63 *Infamia facti tolli non potest à potestate terrena, & de ratione.*

Homines fieri non potest, quod bonum virum credant, quem volunt credere malum.

64 *Infamia facti quomodo possit deleri.*

65 *Regularis delet priorem infamiam si migrans ad aliam Religionem bonum nomen acquirat.*

66 *Infamia Hæretici tolli non potest per secularem potestatem, & de ratione.*

Quid in filijs Hæretici.

67 *Papa solus dispensare, & remittere potest Hæreticis, & Schismaticis priuationem iurisdictionis.*

68 *Quid quoad priuationem beneficiorum.*

Beneficia Hæreticorum sunt reseruata Sedi Apostolicæ.

69 *Beneficium alteri collatum an, & quando censeatur restitutum Hæretico, quem Papa restituit ad beneficia, & num. 71. cum sequen.*

70 *Restitutio condemnati quando importet restitutionem quoad bona in alium translata.*

73 *Possessio beneficij an, & quando capi possit propria auctoritate per restitutum à condemnatione itaut prouiso non competat reintegratio.*

74 *Et an, & quando prouisus teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum.*

75 *Restitutio iustitiæ tantum restituit quantum abstulit.*

76 *Beneficium restituendum suspecto de hæresi, quamuis pendente carceratione fuerit tertio collatum, & licet expediatur cum abiuratione.*

Papa solus remittere potest pœnas temporales Hæreticorum, Apostatarum, & Schismaticorum.

Remissio pœnarum, & præsertim mortis, spectat ad solum Principem Supremum.

77 *Bona delata in Fiscum solus Princeps potest restituere.*

78 *Pœnæ à iure statutæ contra Hæreticos Curiæ seculari tradendos non possunt ab Episcopo, vel Inquisitore remitti.*

79 *Pœnæ Hæreticorum pœnitentium, vel suspectorum de hæresi, sunt arbitrariæ.*

80 *Iudices pœnitentias hæreticis irrogantes non debent esse nimium seueri, & de ratione.*

81 *Rescriptum Supremæ, &c. vt quis condemnetur ad pœnas Hæreticorum, de quibus pœnis intelligatur.*

82 *Clausula* citra pœnam relapsus, *non apponenda per Inquisitores, nisi consulta Suprema, &c.*

83 *Inquisitor an possit condonare Hæretico pœnitenti bona per confiscationem Fisco seculari applicanda, & numeris seqq.*

84 *Iudex secularis non potest se ingerere in bonis Hæretici Fisco laicali applicandis, nisi post sententiam Inquisitorum.*

85 *Ius Principis secularis super bonis Hæretici eius Fisco applicandis quale sit.*

86 *Bona Hæreticorum cur confiscentur.*

87 *Iudex non potest pœnam augere, nec minuere post latam sententiam.*

Iudex lata sententia functus dicitur officio suo.

88 *Pœnæ hæresis mutari, & mitigari an, & quando possint ab Episcopis, & Inquisitoribus post latam sententiam, & nume-ro 95.*

89 *Maximè si in id ius sibi reseruauerint.*

90 *Auctoritas augendi, & minuendi pœnam potest ab Inquisitore cum Episcopo in sententia contra Hæreticum sibi reseruari, & quomodo reseruari debeat num. 95.*

Priuilegium Inquisitorum vt etiam post sententiam eorum iurisdictio in causa non expiret.

91 *Sententia condemnatoria Hæretici proferenda per Inquisitorem simul cum Episcopo.*

92 *Pœna vigore facultatis sibi reseruatæ in sententia mutari non potest à solo Episcopo, vel à solo Inquisitore.*

93 *Inquisitor an possit commutare pœnam Hæretici requisito Episcopo, & eo recusante.*

94 *Quid post petitum consilium Episcopi.*

96 *Inquisitor non potest mutare pœnas corporis afflictiuas in pœnas pecuniarias.*

97 *Episcopus an possit ex seipso mutare pœnas Hæreticorum post sententiam, vbi non sunt Inquisitores.*

98 *Consuetudo præscripta tribuit iurisdictionem.*

Scientia Principis cum tolerantia est eiusdem potentiæ, ac consuetudo.

99 *Inquisitio Suprema quomodo mutare soleat pœnas post sententiam.*

101 *Inquisitio Suprema non solet condonare pœnas nisi peracta pœnitentia per dimidium temporis.*

102 *Quid si damnati sint ad perpetuam pœnam carceris, vel triremium.*

103 *De Inquisitione Hispaniarum.*

104 *Sententia absolutoria inquisiti de hæresi an possit proferri à solo Episcopo, vel à solo Inquisitore.*

105 *Et de praxi Supremæ in hac materia.*

106 *Reus semel absolutus à Sancto Officio an possit iterum molestari, & processari*

Sententia absolutoria in causis fidei nunquam transit in iudicatum.

107 *Quid si reus absoluatur tanquam innocens.*

108 *Et an possit molestari super eadem hæresi, de qua fuit absolutus.*

109 *Reus condemnatus in pœnam extraordinariã per Sanctum Officium ob crimen non probatum, an, & quando superuenientibus probationibus possit de nouo inquiri, & in pœnam ordinariam condemnari, & numero 112.*

Quid si reus sit defunctus, & probationes superuenientes sint imperfectæ.

110 *Reus an possit ex ijsdem indicijs per Sanctum Officium iterum molestari post absolutionem, & num. 112. vbi de praxi Supremæ, &c.*

111 *Dictio* præsertim *quid operetur.*

113 *Sanctum Officium quando absoluat reos tanquam innocentes.*

114 *Et quomodo expediat reos non probata denunciatione, vel qui substinent in tortura, & an, & quomodo relaxet testimonium ad tuendam eorum famam.*

115 *Inquisitores an possint ex grauibus indicijs molestare reum per viam gratiæ, vel dispensationis absolutum à Summo Pontifice.*

116 *Papa an, & quando auocet causas à foro Inquisitorum, & absoluat reum ne ab Inquisitoribus possit amplius molestari.*

117 *Condemnatio rei tolli debet in Sancto Officio superueniente probatione innocentiæ.*

QVIS autem possit pœnas Inconstantium in Fide tollere, vel super illis dispensare.

Certum est, quod primò, & principaliter hæc facultas residet in Summo
1 Pontifice, tanquam Vniuersalis Ecclesiæ capite, & Christi Vicario, cui ab eodem Christo data est omnis potestas quæcumque ligandi, & soluendi in terris: Ideo sicuti virtute huius supremæ Potestatis potest Hæreticos punire, vt latè probat Suarez *de Fide disput.20. sect.3. à num.21.* Sanctarell. *cap.37. dub.1. num.1.* ita virtute huius supremæ Potestatis à pœnis impositis liberare, & omninò eas tollere. Decius *cons.137. per totum.* Paris. *consil.1. ex nu.36. lib.4.* Sousa *in Aphorism. lib.3. c.37. num.12.*

Enumerando igitur singillatim pœnas:

Quod spectat ad excommunicationem; vel incursa est illa propter hæresim occultam, vel propter hæresim externam non occultam.

Si est propter hæresim occultam, vi-
2 gore Concilij Tridentini *cap.6. sess.24. de reform.* certum est posse Episcopum absoluere à prædicta excommunicatione, & hæresi, ibi:

Idem in Hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicarijs sit permissum.

Si verò attendamus dispositionem Bul-
3 læ in Cœna Domini, sciendum est huiusmodi facultatem fuisse ab ea Episcopis ademptam, vt volunt innumeri Doctores quos citat Barbòs. *in addit. ad Concil. dicto cap.6. num.*50. & *in tract. de potest. Episcopi allegat.* 40. *num.* 24. plenè P. del Bene *prima par. dubit.*55. *à num.*16.

Et licèt non pauci Doctores teneant contrarium, quos refert idem Barbos. *locis citatis*, nempè per dictam Bullam non
4 fuisse expresè derogatum Decreto Concilij, fuisse solum sublatam facultatem Pœnitentibus accedendi ad Episcopos, non verò ademptam Episcopis auctoritatem eos absoluendi, quam habent à Iure Diuino.

Hos tamen Doctores audacitèr locutos fuisse in re tam graui dicit idem Barbosa *d. allegat.*40. *num.*22.

Quia quod facultas sit sublata Pœnitentibus accedendi ad Episcopos, non verò ipsis
5 Episcopis eos absoluendi, futilis est ratio, cum apertè constet de contrario ex verbis ipsius Bullæ, præsertim publicatæ à Gregorio Decimoquinto, vbi expressè habetur, quod nullus absolui possit à dictis casibus, præterquam à Summo Pontifice, nisi in mortis articulo, & tollit omnes facultates, & Priuilegia quibuscumque Personis, etiam Episcopali dignitate præditis.

Et quamuis solis Pœnitentibus fuisset
6 ablata facultas adeundi Episcopum, hæc tamen ademptio coarctat etiam facultatem Episcopi, vt benè considerat Barbos. *d. allegat.*40. *d. num.*22.

Nec quicquam facit, quod Episcopi habeant hanc auctoritatem à Iure Diuino, quia hoc etiam supposito, potuit Papa
7 in casu hæresis illis eam suspendere, cum tota facultas absoluendi Hæreticos pendeat à voluntate, intentione, & concessione Summorum Pontificum, vt benè Stephanus Daluinus *de potest. Episcop. Abbat. & Abbatiss. cap.*28. *per totum*.

Et ablatam fuisse huiusmodi facultatem Episcopis per Bullam in Cœna Domini declarauerunt Sac. Congregationes Con-
8 cilij, & Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis: Declarationem vnam Concilij refert Garzias *de Benef. par.*11. *cap.*10.*n.*118. aliam refert Zerola *in prax. par.*1. *verbo Absolutio*, §. 4. & 2. *par.* §. 8.

De Declarationibus verò Supremæ, &c.
9 testatur Pegna *par.*3. *comm.* 141. & ita declarasse Gregorium Decimumtertium, & Clementem Octauum dicit Fuscus *de Visitat. lib.*2. *cap.*31. *num.*5. & *cap.* 23. *num.*4. Barbos. *d. allegat.* 40. *num.*24. & *in addit. ad cap.*6. *prædicti Concilij num.* 52.

Et disputato articulo in Suprema, &c. sic declarauit Paulus Quintus *die* 21. *Augusti* 1609. & iterum 7. *Iunij* 1617.

Stantibus ergo istis Declarationibus,
10 non esse recedendum ab opinione affirmatiua dicit Sanchez *d. lib.*2. *cap.*11.*in fin.* & hodie nefas est ab ea recedere dicit Rota coram bon. mem. Merlino *in eius Magistrali Decisione* 136. *num.*19.

Et propterea Episcopis, qui resident in locis, in quibus impunè grassantur hæreses solet à Sacra Congregatione concedi facultas absoluendi ab hæresi in foro
11 conscientiæ, cum nonnullis tamen limitationibus, de qua praxi testatur Trullench. *in Bulla Cruciatæ lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.*7. *num.* 4. *prope finem*. Stephanus Daluinus *d. tract. cap.* 24. *vers. Mihi tamen*. Barbos. *d. allegat.* 40. *num.* 25. vbi per extensum refert Diploma Supremæ, &c. sub Clemente Octauo concessum Episcopo Virdunen. quod tamen non facit ad rem, quia concessio in dicto Diplomate contenta deseruit tantummodo pro foro exteriori, dum ibi dicitur.

Dummodo corde sincero, & fide non ficta
12 *coram Notario, & Testibus publicè, vel priuatim, prout casus exegerit, & eidem Episcopo, seu eius Officiali, siue Vicario in spiritualibus generali magis expedire videbitur; Hæreses, Schisma, & errores supradictos, ac alios quoscumque detestati fuerint, anathematizauerint, & abiurauerint, ac ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, recipi, & admitti humilitèr postulauerint, eoque præstito per eos Iuramento promiserint de cætero ab huiusmodi hæresibus, schismate, & erroribus, aliisque similibus excessibus pœnitus abstinere in forma Ecclesiæ consueta.*

Quæ omnes clausulæ ad forum exteriorem spectant, ad quas non aduertit oculatus Barbosa.

Facultas autem solita concedi Episcopis prædictis sic se habet.

Absoluendi ab Hæresi, & Apostasia à Fide, & à Schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos, tam sæculares, quam Regulares, non tam eos, qui ex locis fuerint, vbi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impunè grassantur hæreses deliquerint, nec illos, qui iudicialitèr abiurauerint, nisi isti nati sint vbi impunè grassantur hæreses, & post iudicialem abiurationem illuc reuersi, in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientiæ tantum.

Eadem facultas solet concedi Missionarijs.

13 Clausula autem modificatoria, *Non tamen eos, qui nati sunt in Regionibus vbi exercetur Sanctum Officium*, intelligitur de fugitiuis ab eorum Patrijs, vt fuit resolutum in Suprema *sub die* 27. *Ianuarij* 1594.

Et licèt secundum formulas antiquas non concedebatur facultas absoluendi Apostatas à Fide, licèt hi largo modo sint Hæretici, & propterea fuit scriptum Nuncio apud Cæsarem, vt reciperet Apo-
14 statas fugitiuos à Turcis, qui apud ipsos actus Apostaticos fecerunt, & illos iuxta qualitatem eorum Confessionis expediat, cui etiam fuit dictum, quod huiusmodi Apostatas potest Episcopus recipere in foro exteriori, non tamen solummodo in foro conscientiæ absoluere, obstante Bulla in Cœna Domini, vt ex Decreto *sub die* 27. *Ianuarij* 1594. Hodie tamen cessat huiusmodi difficultas propter expressionem delicti Apostasiæ à Fide.

Vidi etiam concessam facultatem Archiepiscopo Taurinen. absoluendi ab hæ-
15 resi omnes Italos commorantes in Valle Pragellati durante eius visitatione tantum, necnon collocandi Moniales illuc fugitiuas in alijs Monasterijs, quàm suæ Professionis ex Decreto *sub die* 4. *Maij* 1600.

Quod dictum est de Episcopis, idem dicendum est de Inquisitoribus, qui nul-
16 lo modo habent facultatem absoluendi Hæreticos in foro conscientiæ, vt tenet Viuald. *Candelabr. aur. tit. de Irregularitate* 3. *num.* 21. Suarez *de Censur. disput.* 43. *sect.*1. *num.* 3. Sanctarell. *de Hæresi cap.* 5. *dub.* 7. Garzias *de Benef. par.* 11. *capit.* 10. *num.* 155. Bonacin. *de Censur. disp.*2. *qu.*5. *punct.*2. *num.*11. Farinacc. *quæst.*192. *nu.*52. *&* 54. P. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 35. cum alijs per Barbos. *d. allegat.*40. *nu.*27.

Et ita pluries resoluit Suprema, & Vniuersalis Inquisitio, nempè *sub die* 3. *Ianuarij* 1604. 4. *Maij* 1606. 7. *Iunij* 1609. 8. *Februarij* 1614. *&* 8. *Ianuarij* 1625.

Imò illis fuit iniunctum, ne quoquomodo audiant Confessiones Sacramen-
17 tales ex Decreto *sub die* 5. *Maij* 1606. & 18. *Augusti eodem anno* de quo meminit Salelles *de materijs Tribunalis Fidei lib.*2. *cap.*8. *reg.*200. *num.*35.

Quia cum absolutio Sacramentalis de-
18 lictorum, quorum cognitio spectat ad Sanctum Officium non suffragetur Pœnitentibus in foro exteriori, vt tradit Zanchin. *de Hæret. cap.*34. Repertor. *ver. Absolutio* §. *Sed an Absolutio*, *& ver. Confessio*, §. *Verum*. Locat. *ver. Absoluere num.*1. *& ver. Hæreticus num.*24. Sanchez *d. lib.*2. *capit.*12. *num.*7. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 12. *num.*12. Boss. *de Inhibito sect.*2 *cas.*10. *num.*331. Barbos. *d. allegat.*40. *n.*29.

Inconueniens est, vt ille, qui est absolutus in foro Sacramentali, videat se molestari in foro exteriori ab eomet Inquisitore, qui illum absoluit, posset enim dubitare, ne Inquisitor vteretur notitia delictorum habita in Confessione Sacramentali, vt illum vocaret ad Iudicium, & puniret.

Benè noui, quandoque fuisse indultum alicui ex Inquisitoribus, vt possit absoluere in foro conscientiæ tantùm aliquos Hæreticos sponte comparentes.

Sed, vel in illis Partibus, in quibus Impunè grassantur Hæreses, vt Inquisitori Coloniæ, vel alteri Inquisitori illis
19 Partibus viciniori, vt Inquisitori Taurini, & quandoque etiam Inquisitori Venetiarum, vt in Decretis 6. *Maij* 1595. & 15. *Iulij eodem anno*, & 10. *Maij* 1607.

Et de Indulto particulari intelligenda sunt quæ dicit P. Diana *tom.*1. *tract.*4. *de absolutione ab Hæresi resolut.*3. *& tom. siue par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 35. dum dicit quod Inquisitores Hispaniæ, & Siciliæ possunt absoluere Hæreticos in foro conscientiæ.

Ex quibus modo superfluum est inqui-
20 rere, an Episcopi, seu Inquisitores possint in aliquo casu particulari delegare huiusmodi facultatem eorum Vicarijs, vel alteri: An resideat penes Capitulum Sede Vacante: An Archiepiscopus visitando Diœceses Suffraganeorum possit eorum subditos absoluere: An qui habeat Iurisdictionem quasi Episcopalem possit vti ea facultate: An Episcopus possit absoluere Hæreticos occultos extra Confessionem, de quibus videndus est Sanctarell. *cap.*5. *dub.*1. *cum seq.* Card. de Lugo *de virtute Fidei Diuinæ disputat.* 23. *sect.*3. §. 1.

Sed an qui detinentur in carceribus Sancti Officij possint aliquando absolui ab hæresi in foro conscientiæ.

De hac quæstione dixi *supra capit.* 21. *num.* 55. quamuis fortasse melius apposita hic esset tractanda.

Huiusmodi autem carcerati durantibus eorum causis non admittuntur ad audiendam Missam, vt ex Decreto *sub die* 3. *Nouembris* 1619. & 22. *Decembris eodem anno*.

Nec admittuntur ad Sacramenta, vt ex Decreto 23. *Decembris* 1619. de qua re videndus est Pegna *par.*3. *qu.*59. *comm.*108. §. *De his autem*.

Neque si sint Sacerdotes Missam cele-
21 brare possunt, quamuis à Carceribus sint habilitati, vt ex Decreto *sub die prima Aprilis* 1604.

Pariter aduertendum est, quod licet Pegna *par.*2. *Directorij comm.*25. Ignat. Lopez ad Diaz *cap.* 199. *vers. Nec erit omittendum*; & Menoch. *de Arbitrar.* quos refert Farinacc. *d. quæst.* 185. *num.* 108. vo-
22 luerint, quod si Reus ante denunciationem, & inquisitionem Sacramentaliter confessus esset, & pœnitentiam sibi iniunctam adimpleuisset, de quo fidem faceret Confessarius bonæ, & probatæ vitæ, de-

mum denunciatus esset, & inquisitus, cum eo mitius sit agendum ab Inquisitore, & Episcopo.

Non vidi tamen casum hunc practicari in Sancto Officio.

Solus ergo Papa potest hanc absolutio-
23 nem impertiri, sed non adeò solus, vt non possit illam alijs delegare, vt considerat Duard. *in Bulla Cœnæ lib.3. §. 2. qu.1. à num.1.* Suarez *de Fide disp.21. sect.4. n.4.*

Delegat autem, vel simpliciter, vel cum aliqua limitatione, *vt supra dictum est* in delegatione facta Maiori Pœnitentiario,
24 quæ habet in ventre limitationem, *dummodo non habeat Complices, vel Conscios*, qui conscij non sunt ij, cum quibus de sua hæresi Hæreticus colloquutus fuit, vt perperam putauit Pater Marcus Paulus *in praxi Sacræ Pœnitentiariæ par. 3. de forma absolut. & dispens. in formula pro laico Hæretico ver. vel conscios*, sed ij, qui aliquo modo sunt complices, *vt supra dictum est*.

Et facit ratio, quia *vt supra dixi*, illa limitatio apposita est, cum Hæreticus denunciare teneatur complices, vel alios de hæresi suspectos, inter quos non sunt conscij simpliciter, cum non sint Hæretici, neque de hæresi suspecti, & ideò non denunciandi. Trasmier. *tract. de Denunciat. quæst. 3. cap. 7. num. 11.* quia sola omissio denunciationis non facit quem suspectum de hæresi, nisi concurrant aliæ coniecturæ, ex quibus possit deueniri in hæresis, vel fautoriæ suspicionem, etiamsi omittantur denunciari formales Hæretici, vt benè Suarez *de Fide disp.20. sect.4. nu.28.* Sanctarell. *de Hæresi cap.9. dub.vnic. num.19.* Trasmier. *d. quæst.3. cap.7.num.11.*

Ideo cauendum est à Pegna *par.3. comment. 160. vers. Plus tamen*, qui dixit vxorem non denunciantem maritum Hære-
25 ticum, esse de hæresi suspectam, nam falsam esse eius opinionem dicit Sanctarell. *loco citato*.

Et propterea ab Inquisitoribus Siciliæ fuit excusata quædam mulier à denunciatione cuiusdam Blasphemantis hæreticaliter, imò à depositione, cum fuisset data in contestem, cum dixisset, se amoris causa tacuisse, & mulctata pœnâ exilij, nam hoc casu pœnam esse arbitrariam resoluunt Suarez Sanctarell. & Trasmier, *locis citatis hic num.13.*

Sed an quis possit absolui ab hæresi ab habente facultatem, puta à Sacra Con-
26 gregatione, si recuset reuelare complices, dixi *supra*, quod non debet absolui, nam Sacra Congregatio solet rescribere similibus petitionibus, *Denunciet complices*, etiamsi Reus promittat dare notulam Complicum Confessario, vt fuit resolutum *sub die 21. Nouembris 1602.*

In multis vero casibus solet facultatem absoluendi impertiri, etiamsi petens absolutionem, recuset denunciare complices, verbi gratia, quando sumus in Monialibus sollicitatis à Confessario, in Virginibus, vel in Nuptis, vel alijs personis, quæ ob timorem aliquem denunciare, non solùm Complicem, sed etiam Reum recusant.

Hoc tamen non ità passim, sed prius iniuncto Confessarijs, qui dicunt non potuisse inducere Pœnitentem ad denunciandum, vt moneant illam de sua obligatione, & ei suadeant, non debere timere reuelationem suæ denunciationis ob strictissimum secretum Sanctæ Inquisitionis, & recipiant ipsi secretissimè denunciationem, pro qua recipienda solet eis impertiri huiusmodi facultas.

Quibus peractis diligentijs, si adhuc in sua pertinacia non denunciandi constans sit Pœnitens, solet iuxta casuum qualitatem concedi Confessario facultas ipsam absoluendi, etiamsi omittat denunciationem.

Quando autem teneatur de Iure hæreticus, vel suspectus de hæresi denunciare
27 Complices, videndus est P. Diana *par.4. tract. 4. de denunciat.* & alij, quos refert Trasmier. *de denunc. quæst.8. cap.2.* Sed de hoc fortasè inferius.

Quid autem si per Iubileum, vel per Diploma fuerit data facultas absoluendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, an censeatur concessa facultas absoluendi etiam ab hæresi.

Controuersa est quæstio, & multi Auctores sunt pro vtraque parte, prout eos refert P. Pasqualigus *de Iubileo quæst. 227. num.1.* Leand. *de Censur. tom. 4. mat. 2. disput. 13.*

Sed iam hæc quæstio caret difficultate
28 propter definitiones Summorum Pontificum, nempè B. Pij Quinti *anno* 1572. Gregorij Decimitertij *anno* 1576. Clementis Octaui *anno* 1592. & 97. Vrbani Octaui *anno* 1630. & 34. & sanctæ mem. Innocentij Decimi, me existente Assessore *anno* 1652. *die 23. Maij*, & demum sanctæ mem. Alexandri Septimi *anno* 1656. *23. Martij*; de quibus Decretis fit mentio à P. Diana *par. 12. de colloc. vetit. temp. Conclau. resolut. 25.* vbi per extensum ponit litteras Sacræ Congregationis, *& eadem par. resolut. miscell. pag.* 105. vbi ponit per extensum Decretum factum in Suprema, &c. coram Alexand. Septimo *sub die 23. Martij* 1656. tenoris infrascripti;

Feria v. die 23. Martij 1656.

In Congregatione generali S. Rom. & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Aposto-

lico apud Sanctum Petrum coram Sanctissimo D. N. Alexandro Papa Septimo, ac Eminentissimis, &c.

Memoriali D. Francisci de Cabrera audito, &c. Sanctiss. D. N. Alexander Septimus, prædictus inhærendo declarationibus aliàs à Prædecessoribus suis factis, ad remouendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id imposterum vllo tempore hæsitari contingat, cum crimen Hæresis præ cæteris grauissimum speciali nota dignum sit, decreuit, facultatem absoluendi ab Hæresi in Iubilęis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absoluendi ab hæresi.

Io: Lupus S. Ro. & Vniu. Inquis. Not.

Registr. fol. 52.

Hodie ergo amplius non est hæsitandum, an sub generali concessione absoluendi à casibus reseruatis comprehendatur facultas absoluendi ab Hæresi, cum Summi Pontifices mentem suam declarauerint nullo modo comprehendi. Lezana *Summ. Theologię tom. 3. tract. 1. quæst. 7. in fine, fol. mihi* 122.

Quam quæstionem post edita huiusmodi Decreta latè examinauit Fermosinus *in cap. fin. de Constitutionibus quæst.* 2. vbi *n.* 17. ampliat, vt nec etiam Confessarius possit absoluere ab hæresi occulta, si in Iubilęo crimen hæresis excipiatur, &c.

Et quod Confessarij absoluentes ab hæresi occulta in foro conscientiæ possint puniri ab Inquisitoribus, licèt non constet de vsu, tenet idem Fermosinus *loco citato num.* 20. etiam excluso Decreto Sanctissimi D. N. Alexandri Septimi contra Sancium, & Moises. *ab eo allegat.* apud quem alia inuenies ad hanc materiam spectantia, &c.

Sed an impeditus adire Romanum Pon-
29 tificem pro absolutione ab hæresi, possit
absolui ab Episcopo; vide latè disputantem P. Dianam *d. par. 12. de Collocut. vetit. resolut. 24. & 25.* vbi etiam, an simplex Sacerdos possit hoc casu absoluere ab hæresi, super quo adest Decretum Clementis Octaui *anno* 1601. quo statuit Sacerdotes, siue seculares, siue Regulares nullo casu posse absoluere, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in articulo mortis: Sed quicquid sit eo casu, certè in articulo mortis quilibet Sacerdos potest absoluere ab omnibus reseruatis, etiam ab hæresi, vt post Sotum, & Nauarr. tenent Gutterez *Canonic. quæstion. lib. 1. cap. 1. num.* 59. Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 19. qu.* 5. Sanchez *lib. 2. cap.* 13. Suarez *de fide disp. 21. sect. 4. nu.* 4.

Cessat enim in articulo mortis omnis reseruatio, vt dicunt *supra citati*.

Aduertendum tamen est, quod casus
necessitatis debet concurrere tam ex par-
30 te pœnitentis, quàm ex parte Con-
fessarij, vt scilicet si sit copia Confessarij, qui habeat facultatem absoluendi ab hæresi, ad illum sit recurrendum, & multò magis si tempus adsit recurrendi ad Reseruantem, vt habetur *in Extrauag. 1. §. Decernimus de sententia Excommun. & Extrauag. 1. §. Incendiarios de priuilegijs*. Ità Suarez *loco citato, num.* 24.

Secundò obseruandum est in hoc casu, Confessarium debere obligare pœnitentem, si conualescat, adire Pontificem personaliter, quia facultas tali casu concessa est sub ista conditione, & propterea tenetur Confessarius exigere iuratoriam cautionem à pęnitente de adimplenda huiusmodi obligatione; Sic Sanchez, & Suarez *locis citatis*.

Si tamen absolutus nequeat personali-
ter accedere, non erit cogendus, vt acce-
31 dat per Procuratorem, Nauarr. *in man.
cap. 27. num. 90. ad 2. quæst.* Vgolin. *de censur. Pontif. reseruat. 3. par. cap. 2. Sub tit. de mortis articulo quæst. 4. num.* 1. Sanchez *loc. cit. num.* 14. Suarez *loc. cit. num.* 25. ex Henriquez Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. concl. 1.* Alter. *de censur. lib. 5. disp. 22. cap. 2.* Duard. *in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 2. quæst. 8. nu.* 21. P. Diana *par. 5. tract. 9. resolut. 6. & par. 7. tract. 10. resolut.* 27.

Et ratio est, quia Canones ad id pœnitentem non obligant, vt videri potest *in c. eos, qui de sentent. Excomm.* & *in cap. vlt. 26. quæst. 6.* & in Concilio Arausicano 1. *cap.* 2. Suarez *loco citato*.

32 Contrariam opinionem tenet Bonacin. *de censur. disp. 1. quæst. 3. punc. 2. num.* 4. P. Thesaur. *in praxi Ecclesiast. par. 1. cap. 24. vers. Amplia tertio*, qui dicit, quod praxis se habet, vt recurratur ad Sacram Pœnitentiariam; Et post eum Alphons. de Leone *recollect. 5. de Censur. num.* 424. P. Diana *d. par. 12. resolut.* 25.

33 Contra autem P. Thesaurum, & P. de Leone immeritò insurgit P. Verricellus *de Missionibus Eccles. tit. 9. quæst. 151. nu.* 7. dicens, hanc praxim nullum habere in iure fundamentum, quia licèt hoc verum esset, nihilominus in hoc casu stylus Curiæ non solùm obligat in foro exteriori, sed in foro conscientiæ; vt ex multis probat idem P. Diana *resolut.* 25.

Nec quicquam facit, quod pauperes non habeant, quod dent Procuratori pro expeditione litterarum Sacræ Pœnitentiariæ, quia omnia in dicto Sanctissimo Tribunali expediuntur gratis, etiam quoad scripturam: Ideò, cum dum hæc transcriberem, fuerit disceptata huiusmodi quæstio in Sacra Congregatione super controuersijs iurisdictionalibus occasione cuiusdam

dam Notarij, qui fuerat excommunicatus, eo, quod in Audientia Regia Sanctæ fidei in Peruana Prouincia conscripserat acta, & processus criminales contra personas Ecclesiasticas, fueratque absolutus cum conditione, quod vel per se ipsum, vel per Procuratorem Romam accederet ad petendam absolutionem à Summo Pontifice; Isque excusabatur propter impedimentum itineris longissimi, ab eadem Sacra Congregatione fuit rescriptum: *Adeat Sacram Pœnitentiariam*, ex Decreto *sub die* 24. *Ianuarij* 1662.

Quouerò ad hæresim externam non occultam, vel illa est deducta ad forum
34 contentiosum, vel non: Posteriori casu certum est, ab Excommunicatione propter hæresim externam non occultam, solùm Summum Pontificem posse absoluere, vel ab eo Delegatum; Et in hoc nulla est difficultas, cum clara sint verba Bullæ Cœnæ, vt dicit Barbosa *allegat.* 40. *num.* 12.

Priori verò casu facultas absoluendi competit Episcopo, qui potest Hæreticos coram eo comparentes, vel denunciatos
35 ad fidem Catholicam recipere, Ecclesiæ reconciliare, & ab excommunicatione in vtroque foro absoluere, vt probat Textus *in cap. Vt officium, de Hæret. in* 6. in illis verbis *Absolutionis beneficium impendatis*; & ibi voluerunt Archidiac. *ante n.* 1. Io. And. *eodem loco* Gemin. *n.* 2. Franch. *n.* 2. Glos. *in cap. Excommunicamus il primo*, §. *Credentes, in verbo Apostolicæ Extrau. de Hæret.* Et ibi Hostiens. *num.* 24. Anan. *nu.* 4. Felin. *nu.* 3. Zabarell. *num.* 6. Repertor. *ver. Absolutio*, cum aliis per Farinacc. *qu.* 192. §. 4. *nu.* 52. alios Ricciull. *de Iure Personarum lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 1.

Et ità determinauit Suprema &c. pluries ea ratione, quia Episcopus potest contra Hæreticos procedere, licèt in sua Diœcesi adsit Inquisitor, ità & absoluere; Et ità fuit scriptum Episcopo Casertano *sub die* 28. *Nouembris* 1595.

Vnde cauendum est à Lelio Zechio *in Summ. par.* 1. *tit. de fide, rub. de Hæret. cap.* 11. *num.* 18. qui dicit, hodie Episcopus prop-
36 ter Bullam in Cœna Domini non potest absoluere Hæreticos in foro exteriori, sed solùm Inquisitor, quia contrarium est veriùs, Farinacc. *loco citato*, quem reprobat etiam Ricciull. *loco citato*, *num.* 3. & quotidie obseruatur in practica: Bulla enim in Cęna Domini non substulit facultatem Episcopo, nisi respectu hæresis occultæ, & absolutionis in foro conscientiæ, vt *supra* dictum est.

Non solùm autem Episcopus, sed etiam Inquisitor potest Hæreticos pœnitentes
37 ad illum delatos ab huiusmodi excommunicatione in vtroque foro absoluere, iuxta dictum Textum *in cap. Vt officium de Hæret.* ibi, *Si verò aliquis*, & eo loco omnes Canonistæ concordant Constitutiones Alexandri Quarti, Vrbani Quarti, & Clementis Septimi, quas refert Pegna *in calce Directorij*. Idem Pegna *par.* 3. *comment.* 141. vbi dicit, hoc priuilegium fuisse concessum Inquisitoribus à Clemente Quarto, Gregorio Nono, & Innocentio Quarto, Farinaccius *quæstione* 192. *num.* 54. Sanctarell. *de hæresi cap.* 5. *dub.* 7. *num.* 3.

Si autem Hæreticus absoluatur ab excommunicatione, & liberetur ab aliis pœ-
38 nis in foro externo, & tamen non habeat animum deserendi suos errores, absolutio huiusmodi non valet, Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 19. Sanctarell. *loco cit. nu.* 34.

Sed quid, si Hæreticus damnatus sit ab Episcopo, & Inquisitore iuxta dispositionem Clementinæ *Multorum de Hæret.* quis
39 eorum absoluet illum ab excommunicatione? Praxis habet, quod absoluatur ab Inquisitore, hoc tamen intellige, si processus fuerit fabricatus ab Inquisitore, si autem ab Episcopo, Episcopus absoluet; vt fuit resolutum in Suprema, &c. *die* 8. *Maij* 1619. nisi Vsus fuerit in contrarium.

40 In secunda pœna, quæ est Irregularitatis, solus Papa dispensat, Angelus *ver. Irregularitas num.* 28. Siluester *eodem ver. quæst.* 5. *num.* 7. Nauar. *in man. cap.* 27. *num.* 205. Pegna *par.* 3. *comm.* 162. & 175. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 26. *art.* 2. Pheliarch. *de offic. Sacerdotis to.* 1. *par.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Valent. *to.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 19. *punc.* 3. *in* 3. *quæst. Irregularitas*, Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *quæst.* 8. Suarez *de censur. disp.* 43. *sect.* 1. *num.* 6. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 25. *nu.* 13. Farinacc. *quæst.* 192. §. 5. *num.* 75. Sanctarell. *cap.* 25. *dub.* 1.

Idem dicendum est circa Irregularitatem contractam ab Apostatis, siue fictè, siue verè apostatauerint, siue sint laici, siue
41 Clerici, vt contra Angelum, & Siluestrum, qui dixerunt, cum Apostatantibus timore graui si sint Sacerdotes, solùm Papam dispensare, voluere Suarez *d. disp.* 43. *sect.* 2. *num.* 3. & 4. Sanctarell. *loco citato*.

Nec Episcopus vigore facultatis sibi concessæ à Concilio potest dispensare
42 cum Hæretico occulto, quia sublata facultate absoluendi per Bullam Cœnæ, intelligitur etiam sublata facultas dispensandi per Textum expressum *in cap. Cum illorum* 32. §. *Primos. de sentent. Excommunication.* Ibi.

In reliquis casibus tam Archiepiscopi, quàm Episcopi absque mandato Sedis Apostolicæ dispensandi facultatem se noucrint non habere, quibus etiam est absolutio talium interdicta, cum maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora.

Et ità tenent Suarez *d. disp.* 43. *sect.* 1. Bonacin. *eodem tract. disp.* 7. *quaest.* 3. *punc.* 6. *num.* 11. Rodriguez *to.* 3. *cap.* 183. *num.* 5.

Sed ille Textus non est ità expressus, vt voluit Ricciull. *de iure personarum lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 5. *vers. Contrarium.*

Quia vt dicit Vgolinus *in tract. de Irregularitate cap.* 36. §. 2. *num.* 3. cum Concilium concesserit Episcopo facultatem absoluendi, & dispensandi, sublata facultate absoluendi, non censetur sublata facultas dispensandi.

Confirmat hanc responsionem Card. de Lugo *de virtute fidei diuinae disp.* 23. *sect.* 4. *nu.* 130. ait enim sibi non posse persuadere, quando quis habeat facultatem ad duos actus non subordinatos, sed disparatos, si ei adimatur facultas pro faciliori, censeatur illi adempta eo ipso pro difficiliori: Nam si Summus Pontifex auferat aliquod priuilegium alicui Religioni, non ideò censetur reuocare omnia alia priuilegia, vel facultates maiores illi concessas, quod priùs dixerat Filiuccius *to.* 1. *tractat.* 40. *cap.* 9. *num.* 246.

Secundò respondet Cardinalis de Lugo, Textum illum procedere quando sumus in carentia potestatis; Nam optimè procedit argumentum Textus, data quippe carentia minoris, sequitur, quod detur carentia maioris, at sic non est in eo, qui habet ex concessione duas facultates, quia ex ablatione vnius etiam minoris, non censetur ablata maior.

Tertiò respondet Sanchez, Textum illum statuere regulam, nempe maiorem esse facultatem dispensandi, quàm absoluendi, limitari tamen in casu, de quo agitur ob strictissimam reseruationem de haeresi factam, & ideo maiorem videri in hoc casu facultatem absoluendi, quàm dispensandi, praesertim cum irregularitas sit dubia.

Idem sentit Filiuccius, nempe ex dicto Textu colligi maiorem esse facultatem absoluendi, quàm dispensandi.

Sed haec ratio non placet, quia ex illo Textu omnes Canonistae, nemine dempto, colligunt, maiorem esse facultatem dispensandi, quàm absoluendi, & ideò illam meritò reijcit Cardinalis de Lugo.

Denique respondet P. Thesaurus *in praxi Poenitentiariae M. S. tit.* 5. *ad* 4. quod ar-
43 gumentum à minori ad maius non procedit, quando sumus in Correctorijs, seu restrictorijs facultatis olim competentis, sed nihil allegat, imò contrarium veriùs est, quod etiam in correctorijs valet argumentum de minori ad maius, Surd. *decis.* 254. *num.* 15. vbi quod si prohibitum sit hypothecare, multò magis alienare.

Stantibus ergo tot responsionibus ad illum Textum transeo cum opinione affirmatiua, quam substinent Sanchez *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 18. Vgolin. *de Irregularitate cap.* 36. §. 5. *num.* 3. Garzias *de Beneficijs, par.* 11. *cap.* 10. *num.* 86. Fagundez *ad praecepta lib.* 1. *cap.* 17. Farinacc. *d. qu.* 192. *num.* 79. Filiucc. *to.* 1. *tract.* 20. *cap.* 19. *num.* 246. P. Diana *par.* 2. *tract.* 1. *Miscell. resolut.* 24. *vers. Sed ego*, Card. de Lugo *d. disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 3. Bauui. *de censur. tract.* 11. *de Irregularitate quaest.* 55. *vers. Contrarium*, Boss. *de triplici Iubilaeo sect.* 1. *cas.* 10. §. 12. *num.* 144. Marchin. *de Sacram. Ordinis tract.* 1. *par.* 8. *cap.* 2. *num.* 11. Barbos. *de potest. Episcopi allegat.* 59. *num.* 44. *vers. Duodecimo*, P. del Bene *de officio Sanctae Inquisitionis par.* 1. *dub.* 72. *per tot.*

Addo, quod argumentum à minori ad maius valet, quotiescunque minus continetur sub maiori, aliàs secùs, nam vt dicunt nostri Doctores, aliquis potest dare equum magni valoris, qui non potest dare captam, §. *Praeterea Instit. de action.* Rimin. iun. *cons.* 222. *num.* 19. *lib.* 2.

Secundò non valet tale argumentum, quando id, quod est minus, aliquo respectu in veritate maius est, Gloss. *not. in Clement. fin. ver. videbatur de rebus Eccles. non alien.* Rimin. iun. *loco citato*, vbi quod licèt legitimatio per subsequens matrimonium sit maior legitimatione facta per rescriptum, fallit tamen, quando legitimatio per rescriptum continet clausulas praegnantes, ideò in casu, de quo agitur, facultas absoluendi censetur maior facultate dispensandi propter strictissimam reseruationem absoluendi ab haeresi factam à Pontifice in Bulla Coenae, vt dicunt Sanchez, & alij *supra citati.*

Tertiò non habet locum argumentum à minori ad maius, quando sumus in priuilegiis, Gloss. *in cap. Pastoralis in fin. de priuil. &* consuluit Cuttius iun. *cons.* 134. *n.* 4. *vol.* 2.

Et propterea per priuilegium quis quandoque potest maiora, quod non potest minora, Rimin. iun. *d. cons.* 222. *num.* 199.

Sed quod tollit omnem difficultatem, est, quod ità seruatur in praxi, nam licèt
44 Sacrae Poenitentiariae à sanctae mem. Papa Vrbano Octauo sublata fuerit facultas absoluendi ab haeresi occulta Haereticos, si habent complices, vel conscios, non tamen adempta est illis facultas dispensandi super irregularitate ob dictam haeresim contracta, ideò obtenta absolutione ab haeresi à Suprema, & Vniuersali Inquisitione, Haeretici absoluti adeunt Sacram Poenitentiariam, & ab illa obtinent dispensationem super irregularitate eam ob causam contracta; Et ità obseruatum fuit toto tempore, quo fui Corrector, demum Datarius Sacrae Poenitentiariae: Idem testatur P. Thesaur. *in d. sua praxi M. S. tit.* 5. *ad* 4.

Aduertendum tamen est, quod licèt Episcopus per supradicta possit dispensare super huiusmodi irregularitate, vt Clerici in susceptis Ordinibus minoribus, & for-
45 tassè Sacris ministrent, non tamen poterit dispensare cum Sacerdote in Altaris ministerio, quia cum sit res grauissima, soli Pontifici est reseruata, Siluester *ver. Irregularitas,quæst.*5. Maiol. *de Irregularitate lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 16. Zanchin. *de Hæret. cap.* 28. Nauarr. *in man. cap.* 27. *num.* 205. Suarez *d. disp.* 43. *sect.* 1. *num.* 5. Sanchez *d. cap.* 25. *nu.* 14. Pegna *par.* 3. *comm.* 175. vbi dicit, B. Pium Quintum inhibuisse Generali Inquisitori Hispaniarum, ne redderet habiles Presbyteros hæretica labe iam infectos, vt in Altaris ministerio possent inseruire, quod etiam tradit Sanchez *loco citato*, Farinacc. *d. quæst.* 192. *num.* 78. Ricciull. *d. cap.* 16. *num.* 8. Card. de Lugo *d. disp.* 23. *sect.* 4. *num.* 132. vbi more suo mordet Hurtadum de hac limitatione dubitantem.

Pariter admonendus est Episcopus, ne cum istis dispenset ad audiendas Confes-
46 siones, quia Sedes Apostolica, vel Suprema, &c. eos dispensare non solet ad audiendas Confessiones, sed nec etiam suspectis de hæresi, qui de vehementi abiurarunt,concedit licentiam eas audiendi, vt fuit resolutum in eadem Suprema, &c. *die* 17. *Septembris* 1562. *& die* 15. *Nouemb.* 1565. ac ità seruat Archiepiscopus Neapolitanus, vt testatur Genuen. *in praxi cap.* 45. Quicquid dixerit Nauarr. *consf.* 2. *de Hæret.*

Seccùs autem in eo, qui abiurauit de leui, vt fuit resolutum in Suprema, &c. *die* 6. *Maij* 1596. Genuen. *loco citato*.

Sed quicquid sit de Episcopis certum est,Inquisitores nullam habere facultatem
47 dispensandi super Irregularitate, ob hæresim, vel apostasiam, vel aliam in fide Inconstantiam contracta, etiam occulta, & in foro conscientiæ, vt restatur Pegna *d. comment.* 175. *par.* 3.

Diploma enim Clementis Septimi, quo concedebatur facultas Inquisitoribus, &
48 eorum Commissariis dispensandi cum Clericis secularibus,vel personis Religiosis super quauis Irregularitate contracta ob hæresim, vel apostasiam, fuisse,vel reuocatum,vt dicit idem Pegna,vel cessasse,quia erat personale, Suarez *d.disp.*43. *sect.*1.*nu.*3. Farinacc. *d. quæst.* 192. *num.* 36. Sanchez *d. cap.*25. *num* 19. P. Diana, *par.*4. *tract.* 8. *resolut.* 85. Sanctarell. *d. cap.*25. *dub.*1. *nu.*6. Card. de Lugo *loco citato nu.* 133. Baldell. *de fide, & infidel. disp.* 52. *num.* 18. P. del Bene *loco citato, num.* 14.

49 Et ità seruatur, quicquid dixerint Locat. Campegg. Mandos. Zecchius, & Henriquez, quos adducit, & reprobat Farinaccius, *loco citato num.* 76.

Sed licèt Inquisitores careant facultate dispensandi quoad alios, posse tamen se
50 ad inuicem dispensare super prædicta irregularitate voluit Roias *de Hæret. par.* 2. *nu.*423. per *Extrauag.* Vrbani Tertii, quam refert Repertor. *ver. Irregularitas, & ver. Inquisitores*, Pegna *par.* 3. *comment.* 72. Campegg. ad Zanchin. *de Hæret. cap.* 131. *littera A*, P. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *de irregularitate resolut.* 102. P. del Bene *par.* 1. *dub.* 162. *pet.* 4. *num.* 6.

In tertia pœna, quæ est Infamiæ, cum oriatur ex delicto Ecclesiastico, solus Papa
51 dispensat, hoc est ad famam restituit, Bald. *in l.* 1. §. *Eum, qui ff. de Postul. & consf.* 40. *nu.* 1. *lib.* 4. Crauett. *consf.* 9. *nu.*5. *lib.* 1 Odd. *de restit. quæst.* 92. *art.* 4. *num.*40. Canonistæ *in cap. Cum te*, præsertim Innocentius, & Hostien. *de sentent. & re iudic.* Sanchez *in opusc. lib.*6. *cap.*3. *dub.*6.*num.*23. P. Thesaur. *in prax. par.*1. *cap.*347. Et in terminis Suarez *de censur. disp.*48. *sect.*2. *num.* 10. Pegna *par.* 1. *comment.*4. Baldell. *de fide, & infidel. lib.* 1. *disp.* 54. *num.* 12.

Quod absque dubio procedit respectu personarum Ecclesiasticarum,quia quales-
52 cunque illæ sint, & quocunque in loco, & in quauis Republica degant pristinæ famæ restituere potest, P. Molin. *de Iustit. & Iure tract.* 4. *disp.* 10. *num.* 4. Layman. *lib.*1. *tract.* 5. *cap.*4. *num.* 3. Tolet. *in Summ. lib.* 1. *cap.* 62. *num.*4.

Quouerò ad laicos, si de subditis Ecclesiastici Status tractetur, vtique ad omnem
53 effectum potest Papa ad famam illos restituere; Si verò agatur de subditis aliorum Principum,quoad spiritualia, nempe ad Ordines, & Dignitates Ecclesiasticas, certum est, Papam posse ad famam restituere, eosque ad talia habilitare, Bartolus *l.* 1. §. *de qua re ff. de Postul.* Innocentius *cap. Cum te in fin. de re iudic.* & ibi Abbas *num.* 10. Lucas de Peña *l. fin. & l. pen. C. de his, qui numero subeunt lib.* 10. Turre-crem. *cap. Euphemium* 2. *quæst.* 3. *num.* 4. Angel. *ver. Infamia num.* 3. Siluester *eodem num.*17. Odd. *d. quæst.*92. *num.* 41. & 43. Toletus *loco citato num.* 5.

Quouerò ad temporalia plurimi Doctores tenent, Papam non posse laicos subdi-
54 tos alienos restituere famæ ad effectum acquirendi Dignitates, & honores profanos, sic Innocent. *d. cap. Cum te in fine*, & ibi Abb. de communi *num.* 10. Felinus *num.*10. *Bald. num.*4. Boich. *nu.*11. Anchar. *in fine*, Turre-crem. *d. cap. Euphemium*, Angel. *ver. Infamia nu.* 12. & 13. Siluester *eodem num.* 17. & ex sententia D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. Odd. *d. quæst.* 92. *num.* 44. Toletus, Molin. Layman. Sanchez *locis citatis*.

Et licèt Siluester *d. num.* 17. dicat, quod

de potestate absoluta Papa potest etiam
55 in Terris Imperij laicos restituere ad famam, si in Clericatu sibi necessarios putat,
quem sequuntur nonnulli ex supra allegatis, P. del Bene par. 1. dub. 94. sect. 2.

Tu tamen indubitanter tene, quod Papa de potestate ordinaria, & in omnem
56 casum, etiam in Terris Imperij potest
laicos restituere ad famam, siue principaliter, siue in consequentiam tam quoad
spiritualia, quàm quoad temporalia, sicut
etiam restituere natalibus, & legitimare,
vt voluere ex Antiq. Gloss. in cap. Per Venerabile in 3. compilat. ver. Potestatem, qui
filij sint legitimi, Præposit. ibid. num. 77. Goffred. de Trano (qui fuit Auditor Rotæ)
in Summa tit. qui sint filij legitimi, Hostien.
d. c. per Venerabilem, n. & in Summa eod. tit. §.
Qualiter & à quo n. 11. vers. Salua reuerentia,
Io. Calder., & Gaspar eius filius, qui dicit,
quod est etiam opinio Nasini, vt refert
Antonius de Butr. d. cap. Per Venerabilem
num. 10. vers. Io. Calderin. & eius filius, &
hanc opinionem tenuit Rota decis. 200.
alias 1. in nouis, Qui filij sint legitimi, & nouissimè decis. 191. par. 1. recent. num. 12.
vbi redarguit P. Sanchez, qui lib. 8. de
matrim. disp. 7. in princip. dicit, contrariam
opinionem esse verissimam, & receptissimam, & quod ità communiter tenetur, &
dicit, quod eius dicta antiquorum Scriptorum modestiam non imitantur, & fallitur, cum illa non sit vera, nec communis
opinio, sed tantummodo illorum, qui negant potestatem Papæ in temporalibus:
Et plurimos ex dictis Doctoribus tenentes
contrariam opinionem scripsisse ante Decretales Bonifacij Octaui, & Ioannis Vigesimisecundi super vtroque gladio. Ideò
non Doctores antiquos, sed quosdam
moderniores audacter locutos fuisse scientes diffinitionem Ecclesiæ.

Et hanc opinionem nostram tenuere
Anastas. Germon. in Paratit. tit. qui filij sint
legitimi, Barbos. d. cap. Per Venerabilem
num. 3.

Quod maximè procedit, quando Papa
dispensat in radice matrimonij, & addit
dictam prolem susceptam, si quæ sit, &
57 suscipiendam legitimam decernendo: Tunc
enim legitimatio trahitur ad spiritualia, & temporalia etiam in Terris Imperij, & in præiudicium tertij, vt magistraliter voluit Rota in Hispalen. legitimitatis 4. Februarij 1613. coram Vbaldo in
eius impressis decis. 114. num. 5. & rursus in
eadem 11. Maij 1615. coram Manzanedo,
quæ est decis. 687. par. 2. recent. Rubeus ad
decis. 2. par. 3. recent. §. 40.

58 Et licet isti Doctores loquantur in legitimitate, idem tamen est in restitutione
famæ, quia hæc duo ad imparia non iudicantur, cum vtrobique eadem sit ratio,
P. Molina de Iust. & iure tract. 4. disput. 10.
num. 3. in fine.

59 Ad Collegium quoque Cardinalium
transiret hæc facultas, nisi per Constitutionem Gregorij Decimi in cap. Ne Romani, de elect. & Pij Quarti In eligendis, fuisset
Cardinalium Collegio omnis potestas iurisdictionis, quæ spectabat ad Pontificem
viuentem ablata, vt in puncto voluit Laur. lucubrat. Ecclesiast. tit. 3. cap. 3. num. 17.
Campanil. diuersor. iuris rubr. 7. cap. 6.
num. 84.

60 Sed Cardinales Supremæ, &c. possunt
restituere ad honores, & dignitates, & ad
famam, Locat. verb. Inquisitor num. 35.
quem refert, & sequitur Farinace. dicta
qu. 193. §. 2. num. 68.

Ego tamen nunquam vidi eos vsos hac
facultate, sed solùm factam restitutionem
in Congregatione, quæ singulis hebdomadibus habetur coram Sanctissimo, itaut
Sanctissimus restituat auditis votis Eminentissimorum DD. Cardinalium.

61 At in Congregatione, quæ habetur in
Conuentu Sanctæ Mariæ supra Mineruam
Cardinales Supremi Inquisitores restituũt
Regulares ad vocem actiuam, & passiuam,
ad officia; & dignitates Religionis, licet
enim hæc facultas reseruata sit Sanctissimo per Decretum Vrbani Octaui editum
anno 1626. Vsus tamen inualuit, quod à
solis Cardinalibus in dicta Congregatione
restituantur; & præsertim hæc restitutio
fit in Congregationibus gratiarum, quæ
habentur singulis annis in Paschate, &
Natiuitate Domini Nostri, quæ gratiæ
referuntur Sanctissimo, qui eas ferè omnes approbat.

62 Inquisitores verò minores ad famam
propter hæresim deperditam restituere
non possunt, Zanchin. de Hæret. cap. 38. &
ibi Campegg. Ghirland. de relaxat. Carcerat.
tit. de Indulg. Principis, Pegna par. 1. comm. 4.
vers. Præterea num. 35. Farinacc. loco citato
num. 68.

Quod idem de Episcopo tradunt Pegn.
Locat. Farinacc. locis citatis, Tolet. dicto
cap. 62.

Sed licet isti non possint directè restituere ad famam, possunt tamen per indirectum, nempe absoluere delatum de
crimine hæresis, Canonistæ in cap. Cum te,
de sentent. & re iudic. vbi Abbas num. 15.
Felin. num. 12. Decius in cap. At si Clerici,
§. de adulterijs num. 143. de iudic. Villadieg.
de leg. qu. 14. Odd. qui alios d. qu. 92. art. 6.
num. 77. & art. 10. num. 104.

Ratio est, quia hæc est restitutio iustitiæ
principaliter, quæ trahit in consequentiam restitutionem famæ, Castren. l. 1.
§. Ait Prætor nu. 3. ff. de postul. Odd. d. art. 10.
num. 105.

63 Quæ hactenus dicta sunt procedunt in

infamia iuris, non autem in infamia facti, quæ nec à Papa, nec ab vlla potestate terrena tolli potest, Præposit. & Gemin. *d. cap. Euphemium 2. q. 3.* Abb. *in cap. Cum te, num. 9.* Felin. *num. 10.* Archid. *cap. Testes 2. qu. 7.* Odd. *dicta qu. 92. art. 4. nu. 34.* Tolet. *loco cit. num. 5.* Canonistæ *in cap. Ex tuarum de purgatione Canonica*, Rota coram Comitolo *decis. 10.*

Ratio est, quia cum illa resideat in mentibus hominum, non potest inde per aliquem amoueri, cum non possit fieri per quamcumque potestatem, quod homines credant virum bonum, quem credunt, & credere volunt malum; sic Tolet. *loco cit. num. 3.* Odd. *loco cit. num. 34. & 35. vers. Sed ego non video,* Farinacc. *qu. 6. num. 46.*

64 Potest benè per contrarium factum deleri, nempè per bona opera, vel per purgationem Canonicam purgando se à crimine, Riccard. *in 4. distinct. 25. art. 6. q. 3.* Summa Astens. *2. par. lib. 6. tit. 27.* Tolet. *loco cit. num. 3.* Archid. & Præposit. *in cap. Laici, distinct. 33.* P. del Bene *par. 1. dub. 44. pet. 2. num. 6.* vbi quod deletur per emendationem vitæ, præsertim si durauit triennio.

Saltem quoad iuris effectum, Abb. *in d. cap. Ex tuarum, nu. 20.* & *in cap. Testimonium*, vbi Felin. *num. 12. de Testibus*, Rota coram Comitolo *d. decis. 10. num. 18.*

Ideo inferunt Doctores, quod si infamatus in aliquaReligione migret in aliam
65 & in ea bonum nomen acquirat, delet priorem infamiam, Riccard. & Hostien. *loc. citatis*, Henriquez *in Summ. lib. 14. c. 5. §. 3.* Maiol. *de Irregular. cap. 1. num. 15.* Sayr. *de Censur. lib. 7. cap. 11. num. 7.*

Hæc autem infamia proueniens ex delicto Hæresis non potest tolli per secularem
66 potestatem, quia prouenit directè à Iure Canonico, Suarez *de Censur. disp. 48. sect. 2. num. 9.* Nec etiam quoad filios Hæretici, vt reprobando Maiol. *de irregular. lib. 3. cap. 1. num. 3.* benè tuetur Suarez *loco cit. in fine.*

Quarta pœna, quæ est priuatio Iurisdi-
67 ctionis non potest remitti, seu in ea dispensari, nisi à solo Papa, Abb. *in cap. quia diligentia de elect.* Iacobat. *de Concilio lib. 7. art. 4. num. 4.* Qui licet loquatur de Schismaticis, idem dicendum est de Hæreticis, imò multo magis, quia potest dari Schisma sine Hæresi, sed non datur Hæresis sine Schisma.

Quinta pœna priuationis Beneficiorum
68 non potest remitti, nisi à solo Papa, Rebuff. *in praxi 3. par. de modis amitt. benef. num. 54.* P. Thesaur. *in praxi par. 1. cap. 30. quæst. 3.* Eo præsertim, quia eorum Beneficia sunt reseruata Sedi Apostolicæ, B. Pius Quintus in sua Bulla *Cum ex Apostolica 6. Kalendas Februarij 1566.* Gonzalez *ad Reg. 8. Gloss. 51. num. 102.*

Quid autem si Pontifex concedat alicui beneficia vacantia propter hæresim, vel per impetrationem, vel collationem, si
69 deinum Inconstans Reum ad Beneficia restituat, nunquid censetur restituisse ad beneficia tertio collata? Certum est regulatiter non censeri Papam restituere ad beneficia tertio collata, vt in terminis dicit Anton. de Butr. post Io: de Lignan. *in cap. At si Clerici, §. de Adulterijs in 4. col. de Iudic.* quem refert & sequitur Iacobat. *de Concilio lib. 7. art. 2. num. 2. & 5.*

Et quamuis restitutio fiat non per viam dispensationis, sed restitutionis, & trans-
70 latio, & Ius alijs quæsitum trahat originem, & causam simpliciter à condemnatione, & non à nouo pacto, vel contractu inito cum Papa, vel cum Principe, quo casu recuperantur bona etiam in alium translata, vt voluit Bald. *in l. Gallus §. Et quid si tantum de liber. & posthum.* Anchar. *in cap. Quamuis de rescript. in 6. vers. Et concludc, & cons. 409.* Idem Bald. *in l. si Pater ff. de Adopt.* Bellam. *decis. 743.* & *744.* Felin. *in cap. Intra quatuor de Maiorit. & obed.* & *in cap. Super eo, de offic. deleg.* Et propterea videretur dicendum, quod Hæreticus restitutus recuperet Beneficia tertio collata.

Nihilominus contraria opinio est verior, quia doctrina supra tradita non habet locum in bonis, & Beneficijs in alijs
71 translatis facto hominis, & sic ex collatione facta à Papa: Sed quando sunt translata per sententiam condemnatoriam, per quam alteri debent applicari, vt notat Anchar. *cons. 261.* Abb. *in d. cap. Quia diligentia, in fin. de elect.* Doctores *in l. Gallus, §. Et quid si tantum, de liber. & posthum.* quos refert Iacobat. *de Concilio, d. art. 2. num. 5.*

Sed in hac quæstione Ius est metiendum à verbis restitutionis, quia si restitutio esset plenissima, puta, si per Papam Hæreticus, vel filij Hæreticorum, fauto-
72 rum, credentium restituantur in integrum non obstante aliqua condemnatione, quam vellet haberi pro non facta, & de ea non posse obijci cum Inhibitione, & Decreto annullatiuo, vt fuit restitutio facta à Clemente Quinto Dominis Petro, & Iacobo de Columna, tunc recuperant Beneficia etiam alteri collata, vt vult Io: Andr. *in cap. Quamuis de rescript. in 6.* vbi quod sufficit plena restitutio, Abb. *consil. 94. sect. 2.* in terminis de restitutione facta Hæreticis, Io: de Lignano *dicto cap. Quia diligentia*, Iacobat. *de Concilio loco cit. à num. 6. per multos*, qui *numero 7.* de mente Card. Florentini *in d. cap. Quia diligentia*, dicit, quod per hoc non aufer-

tur ius à tertio, sed ei denegatur iustitia de facto propter inhibitionem aliter iudicandi, sed non de Iure, vnde si talis restitutio directè non valeret, valeret tamen per indirectum, quia à Magistratu non redditur ius secundùm,Soccin. *d. §. Et quid si tantum, in Gloss. in 2. limitatione*.

Et cum hæc materia fuisset examinata in Rota coram Mohedano, omnes Domini, exceptis duobus, tenuerunt per restitutionem plenariam factam à Pontifi-
73 ce, Reum non solum fuisse restitutum ad Beneficia alteri collata, sed etiam potuisse possessionem dictorum Beneficiorum capere propria auctoritate, ità, & taliter, quod prouiso non competat reintegratio, vt per eius *Decisiones 5. & 6. de restit. spoliat.* Quæ Decisiones loquuntur in condemnato ob crimen lesæ maiestatis humanæ: Idem in damnatis ob hæresim voluit Decian. *lib.5. cap.67. num.14.*

74 Fructus tamen interim perceptos, non tenetur prouisus restituere, *Authentic. Idem de Nestorianis, C. de Hæret.* quem Textum reputant singularem, Angel. Imol. Cuman. Aretin. *in d. §. Et quid si tantum*, Bald. *in cap. Domino guerram, in fine, in vsibus feudor.* Iacobat. qui alios *loco cit. num.17.*

Quod procedit, si per viam gratiæ, secus autem si per viam iustitiæ fiat restitu-
75 tio, quia hæc restitutio tantum restituit, quantum abstulit; vt *l. Qui proprio, §. Item quæritur, ff. de Procur. l. Quod si minor. §. Restitutio, ff. de minor.* Gloss. *in cap. Clericus victum 91. distinct.* Gloss.*fin. in cap. Pastoralis de Appell.* per Text. *in l. penult. ff. de re milit.* Alexan.*conf.142. nu.4. vol.5.* Iacobat. *loco cit. num.18. 19. & 20.*

Quod tanto magis procedit in suspecto de hæresi, quia si pendente eius carceratione fuerunt Tertio collata eius Benefi-
76 cia, nihilominus, & si cum abiuratione expediatur, illi propria beneficia restituuntur, Rota coram Achille de Grassis *decis. vnic. alias 345. de Hæret.* Mandos.*ad Signaturam Gratiæ, ver. Absolutio ab hæresi, in fin.*

Cæterum quoad pœnas temporales, si loquamur de remissione gratiosâ post latam sententiam, nullus alius, nisi Summus Pontifex pœnas Hæreticorum, Apostatarum, Schismaticorum, remittere poterit, quia ad solum Principem supremum spectat pœnarum remissio, & præsertim pœna mortis, *l. Relegati, l. Ad bestias, l. Ex Prouincia, ff. de pœnis, l. 2. C. de Bonis damnat.* Olasc. *decis.101. num.1.* Farinac. *quæst.6. num.2. vers. Prima sit conclusio*, Mastrill. *de Magistr. lib.3. cap.7. n.1. de indulto, cap.2. num.1.*

Pariter bona in Fiscum delata nullus
77 alius quam Princeps restituit, *l. 2. C. de Bonis damnat.* Peregr. *de Iure Fisci lib.5. cap. 2. num. 2. vers. Item nec bona*. Si verò loquamur in actu sententiæ, an pœna lata à iure contra Hæreticos, Apostatas, Schismaticos, possit remitti.

Dic nullo modo posse remitti per Inquisitores, vel Episcopos pœnas statutas à iure communi contra Hæreticos im-
78 pœnitentes, relapsos, negatiuos, vel alios Brachio seculari tradendos, Repertor. *ver. Dispensare*, Zanchin. *de Hæretic. cap.19. num.1. & 2.* & *cap.21. num.1.* cum alijs per Farinac. *quæst.193. num.100.*

Quoverò ad Hæreticos pœnitentes, cum omnes pœnæ horum respectu sint
79 arbitrariæ,Gloss. *in cap. Vt commissi, §. Illorum de Hæret. in 6.* Qui Textus licet loquatur de pœna carceris, Gloss. tamen, & *ibi* Canonistæ faciunt generalem conclusionem, vt habeat locum in omnibus pœnis imponendis prædictis Hæreticis pœnitentibus, vel suspectis de hæresi, Card. Zabarell. *in Clement. 2. §. Inquisitoribus, num.2.* & ibi Imol. *num.6. de Hæretic.* Calderin. *Rubr. de Hæret. redeunt. & conuers. num.1.* Repertor. *ver. Arbitrare, & in ver. Carcer.* Pegna *par.3. comm. 65. & comm.111.* cum alijs innumeris, quos adducit Farinaccius *dicta quæstione 193. numero 84.*

Episcopi, & Inquisitores possunt illas mitigare, & minuere, & quandoque augere iuxta facti, & personarum qualitatem; nam aliter agendum est cum simplicibus, aliter cum prudentibus, aliter cum Ecclesiasticis, aliter cum laicis, & aliter cum Prælatis, vt considerant Calderin. & Farinac. *locis citatis*.

Et in irrogandis huiusmodi pœnitentijs Iudices non debent esse nimium se-
80 ueri, & rigorosi, vt pœnitentes exacerbentur, & in Barathrum desperationis coniiciantur, vt per Decian. *lib.5. cap.44. num.36. & 37.* & *cap.49.* & *cap.54. num.3.* & *num.27. 28. 29.* & *32.* cum alijs per Farinac. *loco cit. num.84. in fin.*

81 Cæterùm quia quando agitur de imponenda pœna Hæreticis formalibus pœnitentibus, non tamen spontè comparentibus, sed præuentis, Inquisitores, & Episcopi solent consulere Sacram Congregationem, quæ semper rescribit, *vt eos condemnet ad pœnas Hæreticorum*, hoc est *carceris formalis perpetui, & in multis pœnitentijs salutaribus*; etsi Beneficiati *in priuatione Beneficiorum*, nisi adsint circumstantiæ, propter quas pœnæ sint minorandæ: nam tunc pœna perpetui carceris commutatur in aliam minorem.

82 Hinc decreuit Suprema, quod clausula *citra pœnam relapsus*, non apponatur ab Inquisitoribus, nisi de consilio eiusdem Sa-

cræ Congregationis *sub die 23. Ian. 1601. & 1. Martij 1608.*

83 Sed quando pœna confiscationis bonorum imposita Hæreticis, si debeantur Principi seculari bona confiscanda ex priuilegio Apostolico, an possint hanc pœnam Inquisitores Hæreticis pœnitentibus condonare? negatiuam opinionem tenet Simanch. *de Cathol. tit.47. num.15.* vbi habet hæc verba:

Nec enim Inquisitoribus licere putamus bona ipso iure confiscata relinquere pœnitentibus in damnum Fisci, cui videtur ius quæsitum.

84 Contrariam opinionem tenet Pegna *par.5. comment.146. vers.Neque his,* Carena *ad quæst.15. Fulcod.num.12.* tùm quia Iudex secularis non potest se ingerere in bonis Hæreticorum, nisi post sententiam Inquisitorum; tùm quia ad Principes seculares bona prædicta non spectant, nisi vigore Constitutionum Apostolicarum; tùm quia ad Summum Pontificem spectat prædictorum bonorum dispositio.

85 Meliùs dixisset, quod Papa concedendo bona Hæreticorum Principibus secularibus, non sibi adimit, nec suis Delegatis, quales sunt Inquisitores, facultatem condonandi dicta bona Hæreticis pœnitentibus, & sic conditionaliter ea acquirit Fiscus secularis, quatenùs non fuerint ab Inquisitoribus, vel à Summo Pontifice remissa, vt diximus *supra*, Moura *de Ensalmis, & Incantationibus sect.3. cap.1. num.35.* qui dicit, quod ius, quod habent Principes seculares ad bona Hæreticorum est remotum, & quasi per accidens, seu quasi ex hypothesi, si nempe delinquentes in effectu per Iudicem competentem sententia prolata in pœnam confiscationis bonorum condemnentur.

86 Nam confiscatio bonorum non est directè introducta in fauorem Fisci secularis, sed per se directè, vt Hæretici ea priuatione puniantur, vt dicit Sanchez *de matrimon. lib. 10. disput. 8. num. 14.* & hoc seruat Suprema &c. teste Carena *loco superiùs citato.*

87 Quouerò ad remissionem pœnarum lata sententia, licet de iure Iudex post latam sententiam, nec pœnam augere, nec minuere possit, quia functus est officio suo, *l. Paulus, l. Acta, §.1. de Reg. Iur. cap. In litteris de Offic. Deleg.* Gloss. *in cap. Vt commissi, in verb. Vel mutando, de Hæret. in 6. l. Postquam de sentent. & re iudic.* Farinacc. *qu.17. num.61.*

88 Hæc tamen conclusio fallit in crimine hæresis, in quo Inquisitores vna cum Episcopis, post latam sententiam, possunt pœnam carceris, vel reclusionis mitigare, & mutare per Textum expressum *in d.cap. Vt commissi, §. illorum, de Hæret. in 6.* & ibi omnes Canonistæ, Repertor. *verb. Pœna, vers. Nota, quod si Episcopus,* Villad. *de Hæret. quæst. 17. num. 1. & seq.* Decian. *lib. 5. cap. 42. num. 36. & 37. & cap. 40.* Roias *singular. 177, & de Hæret. par. 2. num. 119.* Pegna *par. 3. rubr. de modo terminandi processum num.194.* Farinacc. *qu.163. & qu.17. num.61.* Sousa *lib.3. cap.30 num.4.*

89 Eo magis si in sententia sibi reseruauerint auctoritatem addendi, minuendi, & commutandi pœnas, & pœnitentias iniunctas, Calderin. *de Hæret. rubr. de auctoritate Inquisitorum nu.7.* Pegna *loco cit.* Farinacc. *dicta qu.193. num.97.*

90 Prout de iure hanc reseruationem facere possunt, adden. ad Zanchin. *de Hæret. cap. 21. littera A. & cap. 19. vers. Addit,* & patet ex forma sententiæ registr. per Eymeric. *in tit. de octauo modo terminandi processum.*

Et hoc esse insigne priuilegium Inquisitorum, vt etiam post sententiam eorum iurisdictio in eadem causa non expiret, dixere Ancharan. *in dicto cap. Vt commissi,* Pegna *par. 3. comment. 44. num. 194.* vbi id confirmat auctoritate Concilij Biterren. *cap.12.* & Narbonen. *cap.7.*

91 Sed aduerte, quod solus Inquisitor, vel solus Episcopus non potest sibi reseruare facultatem augendi, minuendi, vel commutandi pœnas, sed ambo insimul poterunt hanc reseruationem facere, quia insimul proferunt sententiam, vt fuit resolutum in Suprema, &c. *die 20. Septembris 1597. in vna Vercellen.*

92 Et ideò vnus sine altero non poterit pœnas commutare, minuere, vel augere, Anchar. *Clement. 1. de Hæret. in 6.* & ibi Zabarell. *§. Dudum num.5.* & ità Suprema, &c. *vt supra* decreuit.

93 Vnde cauendum est à Tabiena *in verb. Hæreticus num. 25.* qui tenet, quod Inquisitor in commutatione pœnarum teneatur requirere consensum Episcopi, etsi Episcopus illum præstare recuset, non debet se abstinere à commutatione tam respectu laicorum, quàm Clericorum.

94 Et à Zanchino *cap.21.* qui dicit, Inquisitorem pœnas laicorum posse mitigare, & mutare, petito, licet non obtento consilio ab Episcopo.

Clericorum verò debere requirere Consilium, & expectare Episcopum, quod videtur etiam voluisse Squillacen. *de fide Catholica cap.41. num.1.*

Quia, *vt dixi,* aliter statuit Sacra Congregatio optima ratione, quia sicut reseruatio non potest fieri nisi ab ambobus, ità vnus

95 sine altero non poterit alterare reseruationem, vt clara sunt verba Text. *in dicto cap. Vt commissi, §. illorum,* ibi: *Pœnam vna cum Prælatis, quorum iurisdictioni subsunt mitigandi, vel mutandi:* qui Textus loquitur tam contra Clericos, quàm contra laicos.

Sed quicquid esset antiquitus per dispositionem dicti Text. hodie hoc priuilegium ablatum est Inquisitoribus per Supremam, &c. ne scilicet impositas pœnas mutare, augere, vel minuere possint eas inconsulta, vt fuit resolutum *sub die* 4. *Aprilis* 1601.

Sicuti etiam apud Hispanos seruari testantur, Simanch. *de Cathol. cap.*16.*num.*20. Roias *de Hæret. par.* 2. *num.* 382. *&* 383. Quod etiam dixit Farinacc. *qu.*186. *nu.*76. Pegna *par.*3. *comment.*44. *vers. item Inquisitores*; & *sub die* 26. *Maij*, *&* 2. *Sept.* 1615. inhibitum fuit Inquisitoribus, ne amplius in sententijs sibi, sed Supremis Inquisitoribus facultatem commutandi, minuendi, vel augendi pœnas reseruent: Quod procedit, non solùm quando condemnantur Rei ab Inquisitoribus de mandato Supremæ, &c. sed etiam quando ipsimet inconsulta S. Congregatione eos condemnant, quia Decretum est generale; vnde cauendum est à Carena *par.*3. *tit.*11.*num.*30. qui cum hac distinctione videtur pertransire: & etiam à P. del Bene *par.* 1. *dub.* 155. *nu.* 5. nam loquuntur secundum ius commune.

96 Etsi quando hoc illis fuit permissum, non tamen possunt commutare pœnas corporis afflictiuas in pecuniarias, vt fuit resolutum *sub die* 18. *Maij* 1627.

97 Sed quid in Episcopis, qui iure ordinario procedunt contra Hæreticos, nec in eorum Diœcesibus habent Inquisitores? Crederem debere ab eis obseruari dispositionem iuris communis circa pœnas post sententiam remittendas.

98 Omnes ergo pœnas Suprema, &c. vel de consuetudine præscripta, quæ solet iurisdictionem tribuere, vt in terminis P. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 3. vel ob scientiam, & tolerantiam Pontificis, quæ eiusdem est potentiæ cum consuetudine, *l.* 1. §. *Magistratum autem*, *ff. de exercit. act.* Abb. *in cap. Clerici il secondo num.* 4. *de vit. & honest. Cleric.* Mascard. *de probat. conclus.* 1153. *num.*1.*vol.*3. Cencd. *Canonic.quæstion. quæst.*45. *num.* 30. mutat, minuit, & auget pœnas, prout fidei negotio conuenire videtur, vt notat Pegna *d. comm.* 44. *vers. Imò*, & Concilium Biterren.

99 Licet quando tractatur de minuenda pœna mortis, vel confiscationis bonorum, non soleat ad eam deueniri commutationem, nisi consulto Sanctissimo: sicuti etiam de pœna perpetui carceris testatur Farinacc. *qu.*193. *num.* 107.

Ità etiam vidi seruari in diminutione temporis damnatorum ad Triremes, & multo magis in liberatione ab eisdem Triremibus, quæ non solet fieri nisi consulto Sanctissimo: licet pluries viderim solam Supremam liberasse hos reos à Triremibus approbante Pontifice, cui à Præfecto Triremium notificatur gratia liberationis.

100 Solet etiam Suprema, &c. restituere Regulares ad vocem actiuam, & passiuam, & ad honores, & gradus Religionis, licet Decretum dicat, *quod non possint tales rehabilitari, nisi in Congregatione coram Sanctissimo*, vt *supra* dictum fuit, quia Vsus est in contrarium.

101 Non solet autem Suprema, &c. remittere, vel condonare reis pœnas, nisi peracta pœnitentia per dimidium temporis condemnationis, hoc est, si quis fuerit damnatus ad triremes per decennium, non liberat ab illis nisi transacto quinquennio.

102 Si autem damnatus fuerit ad Triremes in perpetuum, vel ad perpetuum carcerem, solet transacto decennio condonare illi pœnam, nisi tale delictum sit, quod ob publicum scandalum non expediat reos liberare, vt in delicto perpetrato per Sororem Iuliam de Marchis, & in aliis similibus, licet vnus ex complicibus Sororis Iuliæ fuerit post viginti annos à carceribus liberatus, qui tamen statim obijt.

103 Inquisitio tamen Hispaniarum in hoc mitiùs agit, teste Simanch. *de Cathol. dicto cap.*16. *num.*21.

An autem Episcopus sine Inquisitore, & Inquisitor sine Episcopo possit proferre sententiam absolutoriam in inquisitos de hæresi.

104 Affirmat Gloss. *in Clement.* 1. *de Hæret. in* 6. & ibi Bonif de Vitaliu.*num.*173. Carrer. *de Hæret. num.* 71. Petrus Gregor. *Syntagmat. Iur. lib.*33.*cap.*7.*nu.*5. Eymer. *par.*3. *qu.* 48. *num.* 1. & ibi Pegna *comm.* 97. licet contrariam opinionem dicat securiorem, Azor. *instit. moral. par.*1.*lib.*8.*cap.*18.*qu.*16. cum alijs per Farinacc. *quæst.* 186. *num.*60. Carena *par.*3. *tit.*11. §. 8. *sub num.* 13. *vers. An autem possit Inquisitor.*

Contrariam opinionem tenet Io: Andr. *in dicta Clement.* 1. *de Hæret.* & ibi Imol. Simanch. *de Cathol. tit.*3. *rubr. de absolut. nu.*8. *&* 9. *in Enchiridion. tit.* 51. Roias *singul.*27. *num.*7. Azor. *loco cit.* vbi hanc opinionem putat veriorem, quamuis contrariam magis consonam iuri arbitretur; plures alios congerit Farinacc. *loco cit.num.*61.

105 Sed hanc seruat Sacra Congregatio, vt fuit resolutum *sub die* 4. *Aprilis* 1603. *&* 3. *Ianuarij* 1604. *& priùs* 18. *Februarij* 1597.

106 Si autem semel reus fuerit absolutus à Tribunali Sancti Officij, poterit nihilominus iterùm molestari, & processari, quia sententia absolutoria in causis fidei nunquam transit in iudicatum, Lucas de Penna *in l. Causas* 23. *C. de sentent.* *aduersus*

aduersus Fiscum latis, Pegna, qui alios refert *par. 3. commentar.* 92. Et habemus Constitutionem Beati Pij Quinti 5. *Kal. Ianuarij* 1567. quam refert Simanch. *de Cathol. tit.* 6. *rubr. de sentent. num.* 13. Roias *de Haeret. par.* 2. *assert.* 49. *num.* 384. idem Pegna *par.* 3. *comm.* 37. Farinacc. qui alios *qu.* 185. *num.* 197.

107 Et hoc procedit, etiamsi reus fuerit absolutus tanquam innocens, vt reprobato Corrado Bruno *de Haret. lib.* 4. *cap.* 8. *in fin.* voluit idem Farinacc. *dicta quaest.* 185. *num.* 197.

108 Secundò procedit, etiamsi agatur super eadem hæresi, de qua fuerit absolutus, vt reprobato Repertorio Inquisit. *in ver. Absolutio*, & ibi Adden. Mandosio, voluit Farinacc. *dicta quaest.* 185. *nu.* 197.

109 Tertiò procedit prædicta conclusio in reo condemnato in pœnam extraordinariam ob crimen non probatum, quia poterit de nouo inquiri, & si superuenerint plenæ probationes, condemnari in pœnam ordinariam, Lucas de Penna *dicta l. Causas num.* 3. Roias *de Haeret. par.* 2. *assert.* 50. *num.* 391. qui tamen duobus modis limitat.

Primò, quod probationes, quæ superueniunt tales sint, quod absque primis sufficiant ad pœnam ordinariam.

Secundò, quod res sit integra, hoc est, quod prima pœna extraordinaria non fuerit adimpleta, aliàs bis reus de eodem delicto damnaretur, quamuis has limitationes aliorum iudicio submittat.

Quartò, habet locum conclusio etiam respectu Rei defuncti, quia si ob defectum probationum reus fuerit absolutus, poterit iterùm processari, si superueniant probationes etiam imperfectæ, quæ tamen iunctæ cum prioribus sufficientes sint ad eum condemnandum, vt post Bartolum, Hostien. Felin. Alexan. testatur Simanch. *de Cathol. tit.* 18. *rubr. de defunct. num.* 20. & post eum Farinacc. *d. quaest.* 185. *nu.* 200.

110 Sed hæc omnia procedunt, si post absolutionem superueniant noua indicia, aliàs esset iniquum super eisdem indicijs iterum reum molestare, vt notant omnes supracitati Doctores, Carena *par.* 3. *tit.* 11. §. 5. *num.* 14.

111 Et quamuis verba Bullæ B. Pij Quinti sint adeò generalia, vt ex illis colligi videatur, iterùm reum posse molestari super eisdem articulis receptis, perindè acsi dictæ sententiæ non emanassent, cum de nouis indicijs fiat mentio, *præsertim nouis superuenientibus indicijs*, quæ dictio *præsertim* ampliat dispositionem præcedentem Reynoso *pract. obseru.* 16. *num.* 6. & exprimit casum minùs dubitabilem, & implicat magis dubitabilem, *l. fin.* & ibi Gloss. *in verb. Præsertim*, *ff. de liber. exhiben. cap. Pro humani in ver. Præsertim*, & ibi Doctores *de Homicid. in* 6. Barbos. *de Diction. diction.* 277. *num.* 4. & 9.

112 Nihilominus praxis Sancti Officij inconcussa est, vt nullo modo reus iterùm inquiratur de hæresi, vbi interuenit sententia absolutoria, siue concipiatur per verba innocentiæ, siue per clausulam *ex hactenus deductis*, nisi noua superueniant indicia, vt in terminis Bullæ prædictæ dicit Scaccia *de Iudic. cap.* 95. *num.* 2. *vers. Sed hæc insignis difficultas*, Carena *loco citato num.* 14.

113 Aduertendum tamen est, quod in Tribunali Sancti Officij non absoluuntur Rei, tanquam Innocentes, nisi probata impostura per testium falsitatem declaratam, Eymer. *par.* 3. *rubr. de forma absoluendi delatum num.* 143. & ibi Pegna *comment.* 37. Farinacc. *dicta quaest.* 185. *num.* 173. Sousa in *Aphorism. lib.* 2. *cap.* 37. *nu.* 3. Carena *d. par.* 3. *tit.* 11. §. 7. *num.* 33.

114 Expediuntur ergo Rei, si contra illos denunciatio non fuerit probata cum decreto, *Relaxandos esse à Carceribus, & non molestandos*: Quod idem fit, si indiciati ad torturam, illam substineut. Et si Rei velint testimonium suæ relaxationis ad tuendam eorum famam, datur illis Decretum, *Nihil extare in Sancto Officio, quod eos afficiat*; & ità venit intelligendus Masinus *in Arsen. par.* 10. *assert.* 145.

115 Absolutus verò à Summo Pontifice, siue per viam gratiæ, siue dispensationis tutus erit in foro Inquisitorum, itaut contra illum minimè procedere possint, quamuis indicia sint grauia, Decius *cons.* 137. *per tot.* Paris. *cons.* 1. *lib.* 4. Mandos. ad Repertor. *in ver. Absolutio*, Simanch. *in Enchiridion. tit.* 51. *rubr. de absolut.* Farinacc. *d. qu.* 185. *num.* 209.

Quod tamen non caret difficultate stante Bulla Beati Pij Quinti, vbi expressè determinatur, quod non obstantibus sententijs latis, vel ferendis à Summis Pontificibus, contra prædictos noua possit formari inquisitio.

116 Sed vt tollatur iste scrupulus solent Pontifices (etsi raró) præuia auocatione causæ à foro Inquisitorum deuenire ad absolutionem, vt accidit *de anno* 1661. cum quodam Iudæo, qui aufugerat ab Inquisitoribus Goanis, & Romam accesserat, qui præuia auocatione omnium eius causarum à Tribunali Inquisitionis Goanæ, fuit à san. mem. Alexandro Septimo absolutus ab omnibus, de quibus erat in dicto Tribunali inquisitus, & hoc fuit factum à pietate Sanctissimi propter iter longissimum, quod miser ille arripuerat, & se coram Sanctitate Sua, & Suprema, præsentanerat.

117 Denique obseruandum est, quod quemadmodum vigore Bullæ Beati Pij Quinti, sententiæ in causa hæresis nunquam transeunt in iudicatum: Ità ęquum est, vt idem obseruetur in sententijs condemnatorijs. Nam si superueniant innocentiæ probationes, tolli debet illa condemnatio, Scaccia *de sententia, & re iudicata, Glos.14. qu.7. num.*162. Carena *par.3. tit.11. §.5. num.15.*

Quod Ego semel expertus sum, præsertim in quodam Religioso Franciscano, & in quodam Polygamo, nam ambo post condemnationem probata innocentia, absoluti fuerunt.

Hactenus de verè, & formaliter Inconstantibus in fide, modo deueniendum est ad præsumptos in fide Inconstantes.

CAPVT XXVI.

ARGVMENTVM.

De præsumptis Inconstantibus in fide. De Fautoribus, Defensoribus, & Receptatoribus. Quando Principes dicantur fauere Hęreticis. De Iuramento præstando à Principibus, & Magistratibus secularibus de adiuuanda Ecclesia in persecutione Hæreticorum. De concessione Brachij secularis à Principibus. De Episcopis, & Inquisitoribus negligentibus in persequendis Hæreticis. Quid de Familiaribus. De Custode Carcerum. Quid de personis priuatis. Quid de Testibus. Quando committendo quis dicatur fauere Hæreticis. Quando Catholicus possit præsentare ad Iuspatronatus Hæreticum. An Summus Pontifex possit dispensare, vt Hæretici retineant bona Ecclesiastica. Qui dicantur fauere Hæreticis.

SVMMARIVM.

1 *Fautores, Defensores, Receptatores Hæreticorum præsumuntur de hæresi suspecti.*
2 *Alij personæ publicæ, alij personæ priuatæ.*
3 *Fauor Hæreticis præstari potest omissione facti, & cooperatione.*
4 *Princeps quando dicatur fauere Hæreticis, & num. 16.*
5 *Terra Principis negligentis illas ab Hæreticis purgare, an, quando, & quomodo à Catholicis occupari possint.*
6 *Principes negligentes suas Terras ab Hæreticis purgare an sint suspecti de hæresi, vel Hæretici formales, & quomodo puniri debeant.*
7 *Magistratus inferior quis sit, & quando dicatur fauere Hæreticis.*
Magistratus negligens eijcere Hæreticos, an, & quomodo puniendus.
8 *Iuramentum adiuuandi Ecclesiam contra Hæreticos per Dominos temporales, Rectores, & Consules Ciuitatum præstandum.*
Quid si iurare recusent.
9 *Et an hodie sit præstandum hoc iuramentum.*
10 *Ac quomodo præstetur per Regem, & Magistratus Hispaniæ, & num. seq.*
11 *Reges Hispaniæ subijciunt se iurisdictioni Inquisitorum.*
12 *Principes pacatas suas Regiones volentes, debent extirpare Hæreticos, & causam fidei tueri.*
13 *Duces Venetiarum, & Bauariæ præstant iuramentum eijciendi Hæreticos in actu Coronationis.*
14 *Quid de Imperatore.*
15 *Magistratus tenetur denunciare, & si sit necesse etiam accusare Hæreticos Inquisitoribus, & locorum Ordinarijs.*
17 *Magistratus secularis debet promptus Inquisitoribus concedere Brachium pro capiendis Hæreticis, & de hæresi suspectis.*
18 *Iudex secularis an possit Brachium retardare sub prætextu, quod sibi notificentur personæ capiendæ.*
Licentia Iudicis secularis an sit petenda à vocato per Inquisitorem.
19 *Sanctum Officium an possit vocare familiares, & stipendiatos Principis secularis etiam, vti testes sine eiusdem Principis licentia.*
20 *Episcopus an teneatur saltem ad aures significare Principi seculari causam pro qua implorat brachium in negocio fidei.*
21 *Episcopi, & Inquisitores negligentes in capiendis, & puniendis Hæreticis, an possint dici Fautores Hæreticorum, vel suspecti de hæresi, & qualiter sint puniendi.*
22 *Familiares Sancti Officij negligentes capere Hæreticos dicuntur Fautores Hæreticorum.*

23 *Et de iuramento, quod præstant in eorum receptione, ac de eorum officio.*

24 *Familiares Sancti Officij tenentur Hæreticos denunciare, alias dicuntur fautores Hæreticorum, & vti tales puniuntur.*

25 *Custot Carceris permittens fugam Hæretici dicitur fautor Hæreticorum.*

Custos Carceris connumeratur inter Ministros Sancti Officij.

26 *Requisitus à Magistratu omittens capere Hæreticum quando dicatur fautor Hæreticorum.*

27 *Irrequisitus non tenetur ex iustitia capere Hæreticos.*

28 *Omittens denunciare Hæreticos an, & quando dicatur fautor Hæreticorum, & nu.30. cum seqq.*

29 *Et quomodo puniendus, & num.31.*

32 *Vxor omittens denunciare virum Hæreticum an sit suspecta de hæresi.*

33 *Requisitus à Magistratu capere Hæreticum, idque omittens non dicitur fautor Hæreticorum si aliqua ratione potest excusari.*

34 *Testis recusans deponere contra Hæreticum ab Inquisitoribus iuste interrogatus an dicatur fautor Hæreticorum, & quomodo sit puniendus.*

Testes recusantes deponere veritatem an, & quando in Sancto Officio carcerandi, torquendi, & terrendi.

35 *Fautores Hæreticorum facto qui dicantur.*

Alimenta præstans Hæretico quando dicatur fautor Hæreticorum.

36 *Conferentes Hæreticis honorem, vel dignitatem, an, & quando dicantur fautores Hæreticorum.*

37 *Catholicus an possit præsentare Hæreticum ad iuspatronatus.*

38 *Malum minus quomodo possit tolerari ad euitandum maius.*

39 *Delicta committere non licet ne quis maiora committat.*

40 *Nullitas actus prohibiti non excusatur à vitatione maioris mali.*

41 *Malum minus faciens, & valens illud vitare peccat.*

42 *Petens gratiam, vel iustitiam à Tyranno, qui illam præstare non potest sine peccato, an peccet, & num. seq.*

43 *Tyrannus magis peccat negligendo administrationem iustitiæ, quam occupando Tyrannidem.*

44 *Catholicus ad redimendam vexationem an possit dolosè circumuenire Pseudo-episcopum fictè præsentando Hæreticum ad iuspatronatus, & num. seq.*

45 *Hæreticus institui non debet ad beneficium iurispatronatus.*

46 *Dispensatio vt Hæreticus præsentari possit ad Beneficium iurispatronatus, vel retinere redditus Ecclesiasticos, an concedatur.*

Et quomodo concedatur Anglis ad fidem conuersis pro retinendis bonis Ecclesiasticis.

47 *Pontifices nunquam permiserunt quod Catholici darent pecuniam Hæreticis, vt ipsis conferrent Canonicatus.*

48 *Fructus Beneficij sunt bona Ecclesiæ.*

Fructus Beneficij iurispatronatus remanent infecti infecto titulo.

49 *Fautores Hæreticorum verbis qui dicantur.*

50 *Qui consilio.*

51 *Quid de sepelientibus Hæreticos in loco Sacro, vel seruantibus eorum ossa, vel cineres.*

1 PRIMO ergo Fautores, Defensores, & Receptatores Hæreticorum præsumuntur Inconstantes in fide tanquam de hæresi suspecti, *cap. Quicumque, de Hæret.in* 6. & ibi Archid. *nu.*4. Io Andr. *num.*4. Geminian. *nu.*9. Calderin.*de Hæret. rubr. de Credentibus num.* 15. Locat. *in verb. Credentes*, & *in ver. Defensores*, & *in ver. Pœna num.* 11. & *in verb. Excommunicatio num.* 3. Repert.Inquisit. *in verb. Fautores*, Simanch. *in Enchiridion. tit.*13. *rubr.de Credentibus*, & *rubr. de Defensor. num.*3. Zanchin.*de Hæret. cap.* 17. *num.* 1. & ibi Campegg. Eymer. *par.*2. *quæst.*50. & ibi Pegna *comment.*75. & *comment.* 77. & *comm.* 79. Martin. del Rio *disquis.magic.lib.*5.*sect.*4. Graff. *decis.cap.*18. *num.* 38. hos omnes Farinacc. *quæst.* 182. *nu.*55. Addo Carenam *par.*2. *tit.*4. *num.*20. *vers. Alterum*, Sanctarell. *de Hæresi cap.*41. *dub.* 3. *vers. Qui Hæreticos receptat.* & *vers. Qui illis fauent.*

Isti verò sunt in duplici differentia, vel
2 enim sunt publicæ personæ, veluti Principes temporales, & eorum Magistratus,
vel sunt personæ priuatæ, vt docet Eymer.
*par.*2. *quæst.*54.

Rursus fauor potest dupliciter præstari,
3 vel omissione facti, vel cooperatione
tertij, consilio, seu verbis, Eymer. *loco cit.*
Zanchin. *de Hæret. cap.* 5. Repertor. *verb.*
Fautores, Pegna *loco cit.* Farinacc.qui alios
*quæst.*182. *num.*1.

Principes verò tunc dicuntur fauere
4 Hæreticis *omittendo*, quando omittunt
Hæreticum inuestigare, & capere, Anan.
in cap. Excommunicamus, §. *Credentes, de*
*Hæret.num.*14. & *in dicto cap. Excommunica-*
mus, §.*Moueantur*, vbi Innocen. *num.*1. Io:
Andr. *nu.*8. & 10. Soccin. *nu.*29. Hostien.
in Summa de Hæret.§. *Qualiter dicuntur*, latis-
simè Farinacc. *quæst.*182.*num.*15. Duard.*in*
*Bulla Cœnæ lib.*2. *can.*1. *quæst.*32. *in* 3.*conclus.*
num. 10. Carena *par.* 2. *tit.* 4. §. 1. *num.* 6.
Sanctarell. *cap.*11. *dub.*1.*num.*6. P.del Bene
*par.*1. *dub.*26. *num.*24. *in Corollar.*

In tantum quod si moniti ab Ecclesia
terras suas ab Hæreticis purgare neglexe-
5 rint, post elapsum annum monitionis, de
iure ciuili possunt eorum terræ à Catho-
licis occupari, saluo iure domini directi,
si tales Principes fuerint Feudatarij, *Auth.*

Si verò, Codice de Haret.

De iure verò canonico debent prius
Principes sic negligentes excommunica-
ri, demùm totum id debet denunciari
Summo Pontifici, vt Vassalli ab eorum
fidelitate denuncientur absoluti,& terram
exponat Catholicis occupandam, *vt in cap.*
Excommunicamus, §. Moneantur, de Haret.
latè Farinacc. *quaest.* 182. *nu.* 15. P.del Bene
loco cit. num. 6.

Quinimò, & ipsi reputantur nutantes,
& Inconstantes in fide, & non tam præ-
6 sumpti, quàm verè, & formaliter, cos
enim esse suspectos in fide, dicit Textus
in cap. Vt Officium, §. Statuimus, de Haret. in 6.
Carrer. *de Haret. cap.* 2. *num.* 56. Menoch.
de præsumpt. lib. 5. *præsumpt.* 6. *num.* 31. imò
esse verè Hæreticos, vel saltem, quod de-
beant puniri tanquam verè Hæretici, vo-
luit per Text. *in cap.* 2. *de Haret.* Pegna
par. 2. *comment.* 2. Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 18.
num. 20. Farinaccius *loco citato num.* 16.
& 18.

Quæ dicta sunt de Principibus habent
locum in Magistratibus inferioribus, nem-
7 pe Officialibus Principum, Rectoribus,
& Gubernatoribus Prouinciarum, & Ter-
rarum, qui si Hæreticos capere neglexe-
rint, illosque à Terris eorum eijcere,
fautores Hæreticorum dicendi sunt, Lo-
cat. *ver. Fautores nu.* 1. & *in ver. Magistratus,*
Repertor. Inquisit. *verb. Iuramentum, vers.*
Item omnes, Io: Andr. *in cap. Quicumque*
nu. 5. *de Haret. in* 6. & ibi Geminian. *nu.* 10.
Decian. *lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 33. Simanch. *de*
Cathol. tit. 15. *de Credent. num.* 13. Farinacc.
quaest. 182. *num.* 19. Sanctarell. *loco cit. nu.* 6.
vers. Præterea, Carena *par.* 2. *tit.* 4. §. 1. *num.* 6.
Eos etiam esse suspectos de Hæresi, imò
quod tales puniri debent plusquam Hære-
tici, suadetur ex Text. *in cap.* 2. *de Haret.*
Pegna *par.* 2. *comm.* 2. Menoch. *de præsumpt.*
loco cit. num. 31. Farinacc. *loco cit. num.* 21.
Sanctarell. *loco cit. num.* 7. Carena *loco cit.*
num. 5. P.del Bene *loco cit. num.* 9.

Et propterea, vt ab illis auferatur omnis
negligentiæ occasio, debent Domini tem-
porales, Rectores, & Consules Ciuitatum
iurare, quod Ecclesiam contra Hæreticos
adiuuabunt, quod si iurare recusauerint,
8 vltra excommunicationis pœnam, quam
incurrunt, omni officio, & honore pri-
uantur, inhabilesque redduntur ad alia
obtinenda, *cap. Ad abolend. §. Statuimus extra*
de Heret. cap. Excommunicamus il primo,
§. Moneantur, eod. tit. cap. Vt Officium, §. Sta-
tuimus, de Haret. in 6. & in prædictis omnes
Canonistæ, & ità cauetur Constitutione
Friderici Imperatoris, *Catharos, vers. Sta-*
tuimus, & Innocentij Quarti *Ad extirpanda*
1252. & *Ad aures nostras* 1253. de quibus
Pegna *post Director.* Farinacc. *dicta qu.* 182.
num. 22. P.del Bene *loco cit. num.* 22. *&* 23.

Et licet Hostiensis *in dicto cap. Excommu-*
nicamus, §. Moneantur, dicat, quod hodie
de consuetudine dictum iuramentum
non præstatur, vel negligentia Episcopo-
9 rum, vel verius istud iuramentum non
debet præstari, nisi in Terris, seu Prouin-
cijs, in quibus fama est Hæreticos habi-
tare, non autem in alijs. Et Hostiensem
sequuntur Io: Andr. Anchar. Anton. de
Butr. & Soccinus. Horum tamen opinio-
nem quoad secundam partem impugnat
Card. Zabarell. *in dicto §. Moneantur, ante*
num. 1. dicens, hoc iuramentum esse præ-
standum in quibusuis Terris, etiam non
suspectis, quod ibi morentur Hæretici,
cum Textus generaliter loquatur, P. del
Bene *loco cit. num.* 21.

Quouerò ad primam partem, nec in
totum vera est, quia à Religiosis Princi-
pibus in eorum assumptione tale iura-
10 mentum præstatur, vt de Inuictissimis,
& Catholicissimis Regibus Hispaniarum,
qui non solùm faciunt illud præstari ab
eorum Magistratibus, cuius formulam
affert Carena *par.* 2. *tit.* 4. §. 4. *num.* 32.

Sed ipsimet in actu Coronationis, seu
antequam accipiant Regni Gubernacula,
11 iurant, se semper Catholicam fidem ser-
uaturos, ac à finibus suorum Dominio-
rum expulsuros Hæreticos, vt testatur Ba-
ronius *to.* 8. *Annal. anno Domini* 638. *num.* 13.
Carena *in Anteludijs,* §. 5. *num.* 69. Imò
ipsimet se subijciunt Inquisitorum iuris-
dictioni, vt post Martam *de Iurisdict. par.* 1.
cap. 26. *num.* 94. testantur Solorzanus *de iure*
Indiar. to. 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *nu.* 92. Carena *par.* 1.
tit. 3. *§. vnic. num. fin.*

12 Quod alijs Catholicis Principibus exem-
plo esse debet, si velint pacatas suas Re-
giones; nisi enim Hæretici extirpentur,
vt causa fidei sit in tuto, Regna, & Do-
minia nequeant diutiùs consistere, &
conseruari, iuxta illud Isaiæ *cap.* 60.
vers. 12.

Gens enim, & Regnum, quod non seruierit
tibi, peribit, & Gentes solitudine vastabun-
tur.

Pegna *par.* 3. *comment.* 168. *versic. Ca-*
ueant, plenè Carena *in Anteludijs,* §. 2. *per*
totum.

13 Idem iuramentum præstatur à Duce
Venetiarum in actu suæ Coronationis, &
à Duce Bauariæ.

Imperatores verò tùm Orientales, tùm
Occidentales iuramentum præstitisse de
14 defendenda Ecclesia, & Religione Chri-
stiana, & vsque ad hæc tempora præstare
tradit Mager. *de Aduocat. armat. cap.* 5. *à*
num. 143. vbi registrat iuramentum præ-
stitum à Ferdinando Secundo patrio idio-
mate.

Præterea, vt notam negligentiæ Magi-
stratus a se auertant quamprimum none-

15 rint Hæreticos, debent illos Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum denunciare, & si necesse sit accusare, D. Thom. 2. 2. *quæst.*68. *artic.*1. Alex. de Aleſ. *in 3. par.* 9. *quæst.* 42. Soto *de Iust. & Iure lib.*5. *quæst.* 5. *art.*1. Cardin. *in cap. Si peccauerit 2. quæst.*1. *num.* 29. Conradus Brunus *lib.* 1. *de Hæret. cap.*7. Roias *singul.*5. *& tract. de Hæret. par.*2. *assert.* 3. Alphonsus de Castro *de Iusta Hæret. punit. cap.*25. Simanch. *de Cathol. tit.*19. *num.* 10. Pegna *par.*2. *comment.*78. *vers. Postremo*.

Pariter reputabuntur Principes, & Magistratus seculares Hæreticorum fautores, si negligentes erunt in imponendis pœnis
16 Hæreticis à iure statutis, vt voluere plures relatià Farinacc. *quæst.*182. *num.* 19. de quo dixi *supra* in pœna mortis, & contra eos sic negligentes, & recusantes exequi sententiam Inquisitorum, posse eosdem Inquisitores procedere tanquàm fautores Hæreticorum, tenent Locat. *in ver. Iudex, num.*57. Pegna *par.* 3. *comm.* 85. Campegg. ad Zanchin. *de Hæret. cap.*8. *littera A.* Farin. *quæst.*186. *num.* 161. & 163.

17 Debent etiam Magistratus seculares esse prompti in concedendo Brachio seculari Inquisitoribus pro capiendis Hæreticis, & de hæresi suspectis, *cap. Vt Inquisitionis, de Hæret. in* 6. & ibi Gloss. *in figuratione casus*, & *in ver. Inquisitionis*, Gemin. *num.*2. Locat. *ver. Iudex num.*57. Simanch. *in Enchiridion. tit.*66. *rubr. de Iudicibus secul. nu.*2. Zanchin. *de Hæret. cap.*8. *num.*2. Farinacc. qui alios, *dicta quæst.* 186. *num.* 160. vbi de Constitutione Innocentij Quarti edita *anno* 1252. *Ex commissi*, & Alexandri Quarti edita *Anno* 1260. *Dùm ad Studium*, & Vrbani Quarti edita *anno* 1261. *Cum ex commissi*, & Martini Quinti edita *anno* 1418. *Inter cunctas*, quas registrat Pegna *post Directorium*.

Hinc reiiciendæ sunt prætensiones nonnullorum Iudicum secularium, qui recu-
18 sant præstare tale Brachium, nisi illis notificentur personæ capiendæ, quia Sanctum Officium non debet subijci huiusmodi seruituti, nec est reuelandum secretum, quod ab ipso Iudice poterit propalari, & semper Suprema &c. vetuit Inquisitoribus, ne hoc facerent, vt *sub die* 20. *Aprilis* 1590. Inquisitori Ianuensi.

Et cum N. N. vnus ex Protectoribus Sancti Officij præcepisset Cursori Sancti Officij, ne exequeretur aliquid de mandato Inquisitoris, nisi ipso certiorato, fuit acriter reprehensus, qui statim reuocauit præceptum, quod si non reuocasset, iussferat Suprema &c. vt contra illum procederetur ad censuras, vt ex Decreto facto *sub die* 8. *Aprilis* 1588. Idem fuit resolutum in Casalen. *die* 15. *Aprilis* 1588. in Mutinen. 22. *Iunij* 1600. & in Mantuana *de eodem mense, & anno*, in qua fuit etiam resolutum, vocatos ab Inquisitore non debere petere licentiam à Iudice seculari.

Imò cum Dux N. prætendisset suos familiares, ac stipendiatos non debere vo-
19 cari ad Sanctum Officium, etiam vti testes sine eius licentia, scriptum fuit dicto Duci, Sanctum Officium esse liberum in procedendo contra quoscunque, nec esse redigendum in seruitutem *die* 9. *Aprilis*, & *septima Maij* 1607.

Pro-regi verò Neapolitano significatum fuit Sanctitatem Suam nolle permit-
20 tere, vt Episcopi, nec etiam ad aures ei significent, pro qua causa Sancti Officij Brachium implorent, sed sufficere, vt dicant, implorare Brachium pro causa Sancti Officij.

21 Quod dictum est de Principibus, & Magistratibus secularibus, multò magis dicendum est de Episcopis, & Inquisitoribus: Hi enim si negligentes sint in capiendis, & puniendis Hæreticis, possunt dici fautores Hæreticorum, vt probat Textus *in cap. Qui potest obuiare 23. quæst. 3. cap. Quanto de sentent. Excommun.* Gemin. *in cap.* 2. *num.* 10. & ibi Anchar. *num.* 5. *de Hæret. in* 6. Farinacc. qui alios *d. quæst.*186. *num.* 167. Carena *par.* 2. *tit.*4. §. 1. *num.* 2. Sayr. Thesaur. *to.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. Suarez *de fide disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 6. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.*12. Castro-palao *par.*1. *tract.*4. *disp.* 3. *punc.* 5. *num.*7. Sousa *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 4. P. del Bene *dub.* 27. *num.* 2.

Et isto casu Episcopos, & Inquisitores esse de hæresi suspectos, ac posse vt hæreticos damnari, dicit Pegna *par.* 2. *comm.* 2. *vers. de Episcopis*, Farinacc. *quæst.*182. *nu.*26. Sanctarell. *cap.* 11. *num.* 2. Carena *loco cit. num.* 4.

His adduntur familiares Sancti Officij, vt Crucesignati, ad quos ex officio spe-
22 ctat capere Hæreticos; Hi enim si negligant eos capere, fautores Hæreticorum dici possunt, Simanch. *in Enchiridion. tit.*15. *num.*3. Pegna 2. *par. comment.*78. Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 13. Castro-palao *loco citato num.* 6. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 5. & *in Bulla Cœnæ*, *cap.* 2. *disp.* 11. *num.* 9. Sanctarell. *loco citato, dub.*1. *num.* 4. P. del Bene *loco citato num.* 3.

Nam quando recipiuntur in familiares, iurant, vel iurare debent, si requisiti fuerint ab Inquisitoribus, vt capiant Hæreti-
23 cos, auxilium, consilium, & fauorem se præstituros, vt disponit Constitutio Clementis Septimi, *Cum sicut* §.1. *to.*1. Bullar. Campegg. ad Zanchin. *de Hæret. cap.* 36. *vers. Adde vlteriùs*, & propterea multi familiares, qui recusarunt associare Reos Sancti Officij, qui Romam ducebantur, fuerunt priuati litteris patentibus familia-

ritatis, & acriter obiurgati.

Et tenentur Hæreticos denunciare, non
ſolùm ex obligatione omnibus fidelibus
communi, ſed ex proprio iuramento deſ-
24 cendente, aliàs dicentur Hæreticorum
fautores, & vti tales poſſunt puniri, ſi ne-
gligant eos denunciare, Guid. Fulcodius
quæſt. 10. verſ. Et hoc fateor, & ibi Carena
num. 5. Caſtro-palao loco citato nu. 7. Souſa
d. cap. 25. num. 5. Filiucc. to. 1. tract. 16.
cap. 2. num. 38. P. Diana par. 4. tract. 7.
reſolut. 21. verſ. Verùm hæc opinio.

25 Cuſtos carceris quoque Epiſcopi, vel
Inquiſitoris ſi permittat Hæreticum fuge-
re à carceribus, reputatur fautor Hæreti-
corum, Nauar. conſ. 14. aliàs 11. de Hæ-
reticis.

Talis enim Cuſtos connumeratur inter
Miniſtros Sancti Officii, Brun. tract. de
Hæret. lib. 4. cap. 3. num. 13.

Priuatæ verò perſonæ omittendo dicun-
tur fauere Hæreticis.

Primò, ſi fuerint requiſitæ à Magiſtra-
tu, vt caperent Hæreticum, illumque
26 omittant capere, vt contra Eymer. tenet
Pegna par. 2. comment. 78. Corrad. Brunus
de Hæret. lib. 1. cap. 4. Simanch. in Enchi-
ridion. tit. 15. num. 13. Sanchez d. cap. 10.
num. 15. Angelus ver. Hæreſis, num. 24.
Farinacc. quæſt. 182. num. 29. Caſtro-palao
loco citato num. 7. Souſa d. cap. 25. num. 6.
& 8. P. Diana d. reſolut 21. verſ. Notandum,
Carena ad quæſt. 10. Fulcodij num. 4.

Aliàs enim, ſi non ſint requiſitæ à Ma-
giſtratibus, puta Epiſcopo, Inquiſitore,
27 ſiue eorum Vicarijs, cum non teneantur
ex iuſtitia capere Hæreticos, non poſſunt
dici fautores Hæreticorum, Caſtro-palao
loco citato num. 7. Eymer. par. 2. quæſt. 53.
& ibi Pegna comment. 79. Carena ad dictam
quæſt. 10. num. 3. P. del Bene d. dub. 27.
num. 1.

Quod etſi procedit reſpectu capturæ,
non habet tamen locum reſpectu denun-
28 ciationis, ad quam omnes ex Edicto In-
quiſitorum tenentur; Ideo ſi omittant
denunciare Hæreticos, fautores Hæreti-
corum dici poſſunt, Repertor. in ver. fau-
tores, Decian. lib. 5. cap. 51. num. 25. Pegna
d. comment. 78. Duard. ad Bullam Cœnæ lib. 2.
can. 1. quæſt. 32. num. 29. Farinacc. qu. 197.
§. 2. num. 38. Carena par. 2. tit. 9. §. 9. n. 41.
Hos omnes Traſmier. de denunciat. quæſt. 3.
cap. 6. vbi affert Decretum Supremæ, &c.
ſub die 3. Ianuarij 1603.

29 Et tales puniendos eſſe tanquam Hære-
ticos, dicit Pegna in addit. ad Ambroſ. de
Vgnate de Hæret. quæſt. 20. nu. 201. Simanch.
de Cathol. tit. 29. Roias ſingul. 5. Traſmier.
loco citato num. 4.

Sed contrariam opinionem, quod per-
ſona priuata, quæ vigore Edicti tenetur
30 denunciare Hæreticos, ſi nullæ aliæ ſint
circumſtantiæ, etſi non denunciet, non ſit
reputanda fauere Hæreticis, dicit Suarez
de fide quæſt. 20. ſect. 4. num. 28. Sanctarell.
de hæreſi cap. 9. dub. vnic. num. 19. Tolet.
lib. 1. cap. 19. num. 6. Vgolin. in Bulla Cœ-
næ par. 2. verſ. fautores num. 9. Traſmier.
loco citato num. 12. vbi ait, quod verba
Edicti, & Decreti Sacræ Congregationis
non ſunt intelligenda ſimpliciter, ac per ſe
ſolùm ſpectata denunciatione omiſſa, ſed
ſi adſint, & vrgeant alia adminicula, &
circumſtantiæ, vt in terminis Edicti Sancti
Officij tenet P. Lupus par. 2. lib. 14. diſt. 4.
art. 2. difficul. 1. verſ. mihi placet.

Et hæc opinio ſeruatur in praxi, nun-
quam enim vidi contra omittentem de-
31 nunciare, fuiſſe in Suprema, &c. fabri-
catum proceſſum, & deuentum ad pœ-
nam, quamuis Sanctarell. & Traſmier.
locis citatis dicant poſſe tales puniri ab In-
quiſitoribus pœna extraordinaria.

Et ex his patet, nec huiuſmodi eſſe præ-
ſumptos in fide Inconſtantes, cum non
32 ſint ſuſpecti de hæreſi, ſi nullæ coniectu-
ræ, vel adminicula concurrant, vt poſt
Suarez, & Sanctarell. dicit Traſmier. loco
citato num. 11. vbi appellat de mente San-
ctarelli opinionem Pegnæ (dicentis, vxo-
rem non denunciantem virum Hæreticum,
eſſe de hæreſi ſuſpectam) omnino falſam.

Quod multò magis habet locum, ſi
perſona priuata à Magiſtratibus requiſita,
33 vt caperet Hæreticum, aliqua ratione
poſſet excuſari, vt voluit Souſa d. cap. 25.
num. 6.

Secundò, perſonæ priuatæ omittendo
dicuntur fauere Hæreticis, quando ex ſpe-
34 ciali præcepto tenentur denunciare, vel
reuelare Hæreticum, veluti teſtis non de-
ponens, cum iuſtè ab Inquiſitoribus inter-
rogetur, Souſa in Bulla Cœnæ cap. 2. diſp. 11.
num. 6. Megala 3. par. lib. 3. cap. 1. quæſt. 2.
num. 31. Suarez de fide diſp. 24. ſect. 1. nu. 6.
Sanchez d. cap. 10. num. 15. P. Diana par. 4.
tract. 7. reſolut. 21. verſ. Verbum, Souſa dicto
cap. 25. num. 6. 7. & 8.

Contrarium, quod etſi teſtis legitimè
interrogetur ab Inquiſitoribus celet veri-
tatem, nec deponat contra Hæreticum,
non ſit reputandus fautor Hæreticorum,
ſed in mitiorem pœnam debeat condem-
nari, voluit idem Traſmier loco citato n. 13.
verſ. Quod procedit etiam, vbi ſubiungit,
quod ità de facto practicatum fuit in San-
cto Officio Siciliæ de anno 1638. cum qua-
dam muliere, quæ cum fuiſſet data in
conteſtem, & depoſita audiuiſſe quendam
hæreticaliter blaſphemaſſe, ſæpius interro-
gata, noluit deponere veritatem, donec
conuicta per teſtes, & per dictum blaſphe-
mi, tandem faſſa eſt, ſe recuſaſſe dicere
veritatem ob amorem, quo proſequeba-
tur inquiſitum, & idcirco damnatam fuiſſe

ad audiendam eius sententiam in habitu pœnitentiali, & sequenti die expositam dedecori, & exilio mulctatam per certum tempus sine tamen abiuratione, quæ pœna à Suprema &c. miserrimæ mulieri alioquin imposita non fuisset, imò nec fuisset retenta in carceribus Sancti Officii, cum nunquam viderim testes recusantes deponere veritatem, vel carcerari, vel torturæ subiici, vel terreri ad eruendam eorum depositionem super scientia delicti, nisi in casibus grauioribus.

Omittendo verò tunc, tam publicæ, quàm priuatæ personæ dicuntur fauere
35 Hæreticis facto, quando vel Hæreticos comitantur, vel visitant, auxilium illis præbent, alimenta subministrant, pecuniam conferunt, processum contra eos formatum lacerant, abscondunt, vel falsificant, falsum testimonium pro illis ferunt, testes impediunt, aut corrumpunt, ne contra illos verum deponant, vel alio modo institiæ executionem impediunt, Sanchez *cap.* 10. *num.* 16. Zanchin. *de Hæret. cap.* 5. *nu.* 5. Farinacc. *quæst.* 182. *nu.*6. *&* 7. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 25. *nu.* 11. Sanctarell. *d. cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 8. 11. 14. *&* 16. Carena ad Fulcod. *qu.* 10. *num.* 11. *& par.* 2. *tit.* 4. §. 2. *num.* 85. Baldell. *de fide, & infidelit. lib.* 1. *disp.* 44. *num.* 15. P. del Bene *d. dub.* 26. *à num.* 25.

Sed quod dictum est de alimentis præstandis intelligi debet, quando non subministrantur Hæretico in extrema necessitate constituto, latissimè Farinacc. *dicta quæst.* 182. *num.* 13.

Pariter fautores Hæreticorum dicuntur ii, qui sine rationabili causa, per quam ex-
36 cusari possint, honorem, aut dignitatem conferunt Hæretico, vt voluit Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 8. Nauarr. *in man. cap.* 23. *num.* 55. Baldell. *loco citato*, qui tamen cautè legendus, dùm ait in Anglia, Germania, vel aliis Regionibus hæresibus infectis excusari illos, qui Hereticis honores, vel dignitates conferunt, & hoc ratione maioris mali vitandi.

Quia si loquamur de honoribus, & dignitatibus ciuilibus benè possunt excusari, si illas conferant Hæreticis nominatim non denunciatis, vt *supra* diximus; Si autem loquamur de dignitatibus Ecclesiasticis, vtique reiiciendus est, cum Hæreticus non solùm quà excommunicatus, sed quà Hæreticus est, incapax sit dignitatis Ecclesiasticæ, cum sit irregularis, vt *supra* traditum est.

Multò magis expungenda sunt, quæ idem Baldellus *loco citato num.* 16. tradit
37 nempe, posse Catholicum præsentare ad Iuspatronatus Hæreticum, si id faciat ex necessitate, vel metu maioris mali, vel alia causa rationabili.

Quia benè potest tolerari minus malum, vt maius euitetur, sed nullo modo
38 licitum est cooperari ad malum minus, vt euitetur maius, Sanchez *de matrimonio lib.* 2. *disp.* 39. *num.* 12. latè Barbos. *ad cap. Duo mala dist.* 13. *num.* 21.

39 Nec licitum est alicui aliqua committere delicta, ne alia maiora committat, vt dicit Abbas *in cap. Qui scandalizauerit nu.* 1. *in fine de reg. Iuris, & in cap. Debitores nu.* 3. *de iureiurand.* Sotus *de iustit. & iure, lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 5. *vers. Item alteri*, Acunha *ad cap. Quod ait vers. in gloss. periculosissimè*.

Præterea quicquid sit in foro conscientiæ, in foro externo non licèt eligere mi-
40 nus malum, vt euitetur maius, ideò si actus ille minoris mali non solùm sit prohibitus, sed nullus, non excusat vitatio maioris mali à nullitate actus, Barbosa *loco citato num.* 24.

Nec obstat, quod hoc sit præbere materiam minoris mali, quia ex malitia alio-
41 rum imminet maius malum; Nam hoc procedere posset, si essemus in simplici consilio; secus, quando sumus in eo, in cuius voluntate est vitare minus malum, quia tunc faciendo peccat, vt benè Molin. *de contract. disp.* 35. *vers. Ad secundum.*

Non obstat, quod quis possit petere à Tyranno gratiam, vel iustitiam, & tamen
42 ille has sine peccato præstare non potest, quia non benè exemplum hoc applicatur: Nam eo ipso quod Tyrannus occupauit Regnum, etsi eius occupatio sit vitiosa, non est tamen vitiosa ab eo petitio iustitiæ, quia Respublica durante illo statu dat illi auctoritatem tacito quodam consensu administrandi iustitiam, & vt officio occupato, debito modo fungatur, vt benè aduertit Lessius *de Iustit. lib.* 2. *cap.* 29. *dubit.* 9. *num.* 72. *&* 73.

Imò etsi peccet Tyrannus occupando, magis tamen peccaret, si negligeret administrare iustitiam, & ideo iustitia non pe-
43 titur ab eo tanquam minus malum, sed peritur, quod est consequens ad tyrannidem propter bonum commune, quod licitè peti potest, Lessius *loco citato*.

Minus placet cautela Cardinalis de Lùgo, dicentis posse Catholicum ad redimen-
44 dam vexationem iniustam circumuenire dolosè Pseudo-episcopum Hæreticum, & prætextu illius fictæ præsentationis cogere ipsum ad eligendum minus malum.

Quia siue quis dolosè circumueniat, siue realiter præsentet, semper est actus
45 peccaminosus, qui consistit in faciendo, non in consulendo, cum ex vi præsentationis Catholici hæreticus debeat institui, qui indignus est ea præsentatione, institutione, vel electione, cum non sit legitimus minister, nec ministeria clericalia

peragere, nec fructus Ecclesiæ sibi acquirere possit, vt considerat idem Card. de Lugo.

Quod autem hoc casu possit peti dispensatio à Pontifice, ridiculum est, quia
46 nunquam Pontifices dispensarunt, vt Hæretici possint licitè retinere redditus Ecclesiasticos, multò minùs titulos Beneficiales.

Scio tamen cum Anglis ad fidem conuersis Pontifices quandoque dispensasse, vt possent retinere bona Ecclesiastica, data cautione de restituendo illa, quando Regnum, vel Prouincia ad fidem Catholicam redeat; Sed nunquam dispensarunt, vt possint Catholici præsentare ad Beneficium Ecclesiasticum Hæreticum.

47 Imò noluerunt Pontifices permittere Catholicis, vt darent pecuniam Hæreticis, ad hoc vt illis conferant Canonicatus.

Et ex his cessat illud, quod subiungit Baldellus, scilicet, hanc esse solam præsentationem ad fructus, siue redditus Beneficij materialiter, & de facto percipiendos, non autem de iure ex vero titulo.

Quia semper verum est dicere, quod isti fructus sunt redditus Beneficij Eccle-
48 siastici, & sic bona Ecclesiæ, quæ non solùm ex permissione, vt ipse ait, sed ex actu positiuo præsentationis, vel intercessionis apud Hæreticum hæretico incapaci conceduntur: ideò quocunque se vertat Baldellus, eius opinio semper est reijcienda: Præterea fructus dependent à titulo Iurispatronatus, ideo infecto titulo, fructus quoque remanent infecti *cap. 1. de reg. Iur. in* 6.

Verbis verò fauere Hæreticis dicuntur, qui asserunt, Inquisitores iniquè procedere
49 contra Hæreticos, vel dicunt, eos esse viros probos, vel si eos excusent, laudent, commendent, lamententur de eorum captura, vel morte, vel denique si pro eis intercedant, Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 16. Sousa *d. cap.* 25. *num.* 12. Castro-palao *d. punc.* 5. *num.* 6. Sanctarell. *dicto cap.* 11. Pegna *d. comment.* 78. Farinacc. *quæst.* 182. *num.* 4. 5. 6. *&* 7. P. del Bene *loco citato num.* 26.

Consilio fautor Hæreticorum dicitur ille, qui eos instituit, & consilium dat ad
50 celandam veritatem, vel ad dicendam falsitatem, si fuerint ab Inquisitoribus interrogati, si viam fugiendi doceant, iuxta Textum *in cap. Accusatus*, §. *Sacerdotes de Hæret. in* 6. & ibi Gloss. Monach. Gemin. & Franch. Calderin- Locat. Zanchinus, Pegna, & alij relati à Farinacc. *quæst.* 182. *num.* 4. Sanchez *dicto cap.* 10. *num.* 16. Sousa *dicto cap.* 25. *num.* 9. Sanctarell. *dicto cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 8. *&* 10. P. del Bene *loco citato num.* 30.

Et hæc Fautoria non solùm habet locum viuente Hæretico, sed etiam post eius mortem, hoc est, si quis impediret, ne Inquisitor procederet contra memoriam Hæretici mortui, vel vocatus in testem, delictum eius negaret, vt post Vgolin. dicit Sanchez *dicto cap.* 10. *numero* 17.

51 Vel si quis sepeliret Hæreticum in loco Sacro, vel seruaret eius ossa, aut cineres, Sanctarell. *dicto cap.* 11. *dub.* 1. *nu.* 12. Pegna *d. comment.* 78. *par.* 2. Farinacc. *quæst.* 182. §. 1. *num.* 10. P. del Bene *loco cit. num.* 30.

CAPVT XXVII.

ARGVMENTVM.

De Defensoribus Hæreticorum. An liceat in iudicio præstare patrocinium Hæreticis; Et quando Aduocati, & Procuratores illud præstantes dicantur Fautores Hæreticorum. An Reus possit renunciare Defensionibus. An Reo, qui fassus est delictum, danda sit repetitio Testium. Votum Auctoris in hac quæstione. De Defensoribus Hæreticorum extra iudicium. De Impedientibus Sanctum Officium tam directè, quàm indirectè. An Princeps possit statuere, ne aliquis denunciari, accusari, vel inquiri possit de Hæresi: vel quis in sua Hæresi impunè viuere possit. Qualiter tolerandi sint in Vrbe, & in Regionibus Catholicis Hæretici. De Saluoconducto Hæreticis præstando. An fides sit Hæreticis seruanda. An Episcopus, & Inquisitor possint Hæreticis Impunitatem concedere, & seruare. An Princeps secularis possit cognoscere de delicto Hæresis. De Hæreticis remittendis à Iudice seculari ad Ecclesiasticum.

SVMMA-

SVMMARIVM.

1 *Defensores Hæreticorum præsumuntur suspecti de hæresi.*
Quid de defendentibus errores Hæreticorum.
2 *Defensores Hæreticorum qui dicantur.*
3 *Defensores Hæreticorum sunt vehementer de hæresi suspecti, & an debeant abiurare, vel purgationi canonicæ subijci.*
4 *Patrocinium præstare an, & quando liceat pro Hæretico Aduocatis, vel Procuratoribus, ne contra eos vti defensores Hæreticorum procedere possint Inquisitores.*
5 *Aduocati quando dicantur, vel non dicantur fautores Hæreticorum, ex quo Hæreticum defendant.*
6 *Sanctum Officium deputat inquisitis de hæresi, vel suspicione Procuratores, & Aduocatos pro eorum defensione, & qualiter isti debeant iurare.*
7 *Fidelitas Procuratoris, & Aduocati reum in Sancto Officio defendentium, in quo consistat.*
Reus quando dicatur defensus ab eius Procuratore, & Aduocato.
8 *Reus petens in Sancto Officio constitui sibi alium Procuratorem, vel Aduocatum, præter deputatum, an, quando, & quomodo sit audiendus.*
9 *Procurator, vel Aduocatus recusans in Sancto Officio præstare solitum iuramentum, non admittitur.*
10 *Formula iuramenti præstandi in Sancto Officio per Procuratores, & Aduocatos.*
11 *Procuratores, & Aduocati patrocinantes Hæreticos an sint infames, & incurrant excommunicationem.*
12 *Sanctum Officium an, & quando faciat ex officio defensiones reo illis renunciantì.*
Renunciatio defensionum facta per reo eum declaratione, quod nulla sibi competat defensio, an valeat, & num. 17.
13 *Quid si reus fassus esset delictum, vel illud esset notorium, aut repertus esset in flagranti, & num. 17.*
14 *Inquisitores tenentur ex officio exquirere innocentiam, & defensionem reorum, & num. 25.*
15 *Aduocati reorum tot sunt in Sancto Officio, quot sunt Consultores, & num. 26.*
Procurator Fiscalis in Sancto Officio fungitur officio Consultoris.
Et tenetur adiuuare, & defendere reum si videt eius innocentiam.
16 *Consultores Sancti Officij pro reo, vel contra reum, in facto, vel in iure scribentes etiam ad instantiam instigatoris, an, & quam pœnam incurrant.*
18 *Reus potest inconstans reuocare renunciationem defensionibus ab ipso factam, & de effectu istius reuocationis.*
19 *Reus acceptato termino ad faciendum defensiones an possit illis inconstans renunciare expressè.*
20 *Quid de renunciatione tacita finendo labi illarum terminum, & de praxi Supremæ &c. in hac materia.*
21 *Reus remittens se benignitati Sancti Officij an censeatur tacitè fateri delictum quod negauerat, & quomodo expediatur.*
22 *Monitio Inquisitorum in subiecta materia.*
23 *Reus an possit renunciare repetitioni testium habendo eos pro ritè, & rectè examinatis.*
24 *Sanctum Officium quomodo soleat legitimare processum circa repetitionem testium, vel declarationem Rei, quod illos habeat pro ritè, & rectè examinatis, & quid vbi dubitetur de impostura.*
25 *Testes citata parte non repetiti, vel à reo non habiti pro repetitis nullam probationem faciunt in Sancto Officio.*
Repetitio testium an sit offerenda reo crimen confesso, vel habenti testes pro rectè examinatis, & quid in Sancto Officio.
Defensiones sunt de iure naturæ.
Reus sæpe solet confessionem suam reuocare, vel annullare.
Repetitio testium est pars defensionis.
Oblatio repetitionis testium an det reo causam reuocandi propriam confessionem.
Confessio qualis requiratur vt reo præiudicet.
26 *Defensores Hæreticorum extra iudicium qui dicantur.*
27 *Impedientes Sanctum Officium dicuntur Fautores, & Defensores Hæreticorum.*
28 *Impedientes Sanctum Officium præsumuntur Hæretici, & de hæresi suspecti sunt, itaut debeant abiurare.*
29 *Sanctum Officium potest impediri directè, & indirectè.*
30 *Directè quando impediatur.*
31 *Quando indirectè.*
32 *Statutum Principis, vel Magistratus secularis prohibens accusationem, vel inquisitionem in crimine hæresis, impedit directè Sanctum Officium.*
33 *Pax infelix Religionis quod quilibet in sua hæresi tutò, & liberè viuere possit.*
34 *Concessio, vt quilibet sectari possit hæresim quamlibet per edictum, statutum, pactum, vel concordiam non licet.*
Fidem vnam esse demonstratur, & nu. seqq. ac num. 37.
35 *Ecclesia non posset esse perpetua si non esset vna fides.*
36 *Pax Hæreticorum perniciosa Reipublicæ.*
37 *Diuersitas sectarum improbatur.*
38 *Concessio libertatis conscientiæ impugnatur.*
39 *Princeps secularis non potest concedere Hæreticis libertatem conscientiæ sine consensu Summi Pontificis, & de ratione.*
Hæretici ratione baptismi sunt subiecti

Summo Pontifici.

40 *Princeps Catholicus non potest per pactum, vel statutum concedere, quod Catholicis liceat conuolare ad sectas Hæreticorum, & mutare Religionem.*

41 *Nec quod Ecclesiæ, Episcopatus, Monasteria, & redditus Ecclesiastici ad manus Hæreticorum perueniant.*

42 *Impedimentum Sancti Officij quomodo directè præstetur per Principem Catholicum.*

43 *Pactum libertatis conscientiæ an possit tolerari, & quid si sit ad tempus determinatum.*

44 *Hæretici an, quando, & quomodo tolerari possint in Statu Catholico, & quid si veniant occasione mercaturæ, cum numero sequen.*

46 *Commercium cum Hæreticis occasione mercaturæ an, & quando possit tolerari.*

47 *Mora in Italia, & Insulis adiacentibus Hæreticis interdicta quomodo sit intelligenda.*

Scholaris habitare non dicitur vbi moratur vti Scholaris.

Habitatio quando dicatur contracta.

48 *Princeps secularis, nec mercimonij, nec alio prætextu concedere potest Hæreticis licentiam habendi domicilium in Italia, & de ratione cum numeris sequentibus, & numero 53.*

Prohibitio commercij inter Catholicos, & Hæreticos de omni iure demonstratur, & numeris seqq.

52 *Ius ciuile non potest tolerare Hæreticos.*

54 *Saluusconductus non potest Hæreticis concedi ab Inquisitoribus, cum id spectet ad Sacram Congregationem, vel ad Summum Pontificem.*

55 *Fides Hæreticis an, & quando sit seruanda, & numeris sequentibus, ac numero 69. cum seqq.*

56 *Saluusconductus concessus Hæretico an, & quando per inconstantiam concedentis possit reuocari, vel non seruari.*

57 *Saluusconductus concessus Hæretico per Principem Ecclesiasticum secundum terminos iuris communis quomodo intelligatur.*

58 *Saluusconductus quomodo concedatur Apostatis à Suprema &c.*

59 *De saluoconducto concesso Hæreticis Germanis per Patres Concilij Tridentini.*

60 *Saluusconductus quando sit seruandus Hæretico si concedatur à Principe Ecclesiastico, & num. seq.*

62 *Et an fuerit violatus cum* Ioanne Hus, & Hieronymo Pragensi, *& numero sequen.*

63 *Princeps secularis an, & quantum teneatur seruare saluumconductum ab ipso Hæreticis concessum, & num.66. cum seq.*

65 *Iudex Ecclesiasticus impediri non potest per saluumconductum Principis secularis quominus procedat contra Hæreticos, & numero 67. cum seq.*

Saluusconductus damnato per Superiorem concedi non potest per inferiorem.

66 *Saluusconductus ad formam iuris, quid operetur.*

70 *Fides an, & quando sit seruanda Tyrannis Piratis, alijsque publicis prædonibus, & num. 82.*

71 *Quid de Bannitis.*

Pax an sit seruanda Bannitis.

Bannitus potest impunè occidi, non obstante pace.

Hæretici hostes totius Reipublicæ Christianæ.

72 *Obligatio fidei vnde oriatur.*

73 *Pacta sunt iuris gentium.*

Diuersitas Religionis pactionibus obesse non solet.

74 *Catholicus paciscens cum Hæretico tenetur pactum seruare.*

75 *Deus seruauit fidem Cain hæretico, & de eius hæresi.*

76 *Ac Populo Hebræo in fide sæpius peccanti.*

77 *Fides in sacris litteris Infidelibus sæpius seruata.*

78 *Concilia sæpè Hæreticis fidem seruarunt.*

79 *Catholicus non tenetur seruare fidem Hæretico in his quæ sine peccato promitti non possunt.*

80 *Pactum de non denunciando Hæreticum non est seruandum, & de ratione.*

Pactum peccaminosum licet non seruare.

81 *Pactum quando sit seruandum Hæretico.*

83 *Iuramentum adiectum pacto inito cum Tyrannis Piratis publicisq; prædonibus quando seruari non possit.*

Iuramentum interpositum super re illicita non obligat.

84 *Princeps an, & quando teneatur seruare Hæreticis promissionem non iuratam.*

85 *Metus irritat pactionem, & fidem etiam iuratam.*

86 *Impunitas Hæretico promissa an sit seruanda.*

87 *Inquisitor quomodo possit allicere reum ad dicendam veritatem.*

88 *Inquisitor promittens reo misericordiam, vel gratiam tenetur quantum in se est promissionem seruare.*

89 *Inquisitores debent abstinere à promissionibus gratiæ, & misericordiæ, etiam conditionalibus, & quomodo reos debeant admonere ad dicendam veritatem.*

90 *Inquisitores an possint promittere reo impunitatem.*

91 *Quid si promittatur, & an sit seruanda.*

Fides etiam hosti seruanda.

92 *Reus cui fuit promissa impunitas, quatenus ea non seruetur adhuc condemnari non potest in pœnam ordinariam.*

Quid si reus confessionem sic extortam reuocauerit.

Officialibus Sancti Officij credendum in his, quæ spectant ad eorum officium.

128 *Assertioni Iudicis Ecclesiastici super crimine, cuius cognitio ad ipsum priuatiuè spectat, standum est, quamuis soli.*

129 *Inquisitor impingens alicui crimen hæresis, an, & in quam pœnam incurrat.*

130 *Assessori Inquisitoris an sit credendum.*

132 *Occidens, vulnerans, offendens Inquisitores, Ministros, Officiales Tribunalis, dicuntur impedire directè Sanctum Officium.*

133 *De Bulla B.Pij Quinti* Si de protegendis, *remissiuè.*

SECVNDO præsumpti Inconstantes
in Fide sunt Defensores Hæretico-
rum, non qui defendunt errores,
1 quia tunc essent verè Inconstantes, sunt
enim Hęretici, imò Hęresiarchæ, Zanchin.
de Hæret.cap.4. nu.1. Fulcodius *quæst.12.* &
ibi Carena *num.3.* Eymer. *par.2. quæst. 52.*
& ibi Pegna *comm.77. & ead. par. comm.58.*
num. 3. Canonistæ *in cap. 2. de Hæret. & in*
cap. Si aduersus, eod. tit. Simanch. *de Ca-*
thol. tit.15. nu. 8. & in Enchiridion. tit.14.
versic. de Defens. cum alijs per Farinacc.
quæst.182 num.62. Castro-palao *par.1. tra-*
ctat.4. disp.3. punct.5. num.15. Sousa *in*
Aphorism. lib.1. cap.24. num.1. Sanctarell. *de*
Hæret. cap.11. dub.3. num.25.

2 Sed qui defendunt personas Hæretico-
rum quocumque modo, vt in tuto ve-
niant, & in manus Inquisitoris non inci-
dant, Sanchez *d. cap.10. num.18.* Pegna
d. comm.77. Farinacc. *d. quæst.182. num.64.*
Castro-palao *d. punct.5. num.5.* Sousa *in*
Aphorism. lib.1. cap.24. num.2. Filinc. *quæst.*
moral. tom.1. tract.16. cap.2. num.40. Bar-
bosa *d. cap. Sicut, num.2. de Hæret.* Caren.
ad Fulcod. *d. quæst.12. num.4.* Sanctarell.
d. dub.3. nu.25. P. del Bene *d. dub. 26. Co-*
rollar. 2. num.1.

3 Et verè sunt præsumpti Inconstantes in
Fide, quia sunt vehementer suspecti de
hæresi, Eymer. *par.2. qu.25. & ibi* Pegna
comm.78. Fulcod. *d. quæst. 12. in fin. & ibi*
Carena *num.5.* vbi, quod licet aliqui Do-
ctores dicant, quod non solum Defenso-
ribus huiusmodi potest indici abiuratio
de vehementi, vel de leui, iuxta circum-
stantias, & qualitates facti, sed etiam pur-
gatio Canonica.

Nihilominus, quia huiusmodi remedium tanquam fallacissimum, & periculo plenum, iam ab Aula recessit, non indicitur nisi abiuratio:

Et Ego, qui exercui Officium Assessoris Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis per spatium ferè viginti annorum, nunquam vidi practicari remedium purgationis Canonicæ, de quo etiam Farinacc. *quæst.194. num.64. in fin.*

Defensio autem Hæreticorum contingere potest vel in iudicio, vel extra iudicium.

4 In iudicio, quando tanquam Aduoca-
ti, vel Procuratores eos defendunt.
Non enim licitum est præstare parroci-
nium pro Hæreticis, *capitulo finali, de*
Hæret. in 6. & ibi Monach. *in princ.* Ge-
min. *num.2.* Franch. *num. 1.* Simanch. *de*
Cathol. tit. 5. rubr. de Aduocatis, cum alijs
per Farinacc. *quæst.197. num.54.* Et contra
eos vti Hæreticorum Defensores possunt
Inquisitores procedere, Pegna *par.3. com-*
ment.88. Farinacc. qui alios *loco cit. nu.55.*
P. del Bene *dub.26. petit. vnic. num.1.*

Contrarium tamen, quod Aduocatus, siue Procurator, qui coram Superiore Hæreticos defendit, non dicatur fautor Hæreticorum tenet Carrer. *de Hæret. n.114* & alij à Farinacc. *loco cit. num.54. vers. Quamuis.*

Ad concordiam possunt reduci huius-
modi contrariæ opiniones, vt tunc Ad-
5 uocatus dicatur fautor Hæreticorum,
quando verè constat, suum clientem esse
Hæreticum; secus vbi dubitatur an sit
hæreticus, quia hoc casu debet dari illi
Aduocatus, & Procurator, vt possit se
defendere, & probare, se non esse Hæ-
reticum, Eymer. *in Direct. par. 3. rubr. de*
defens. Reorum nu.117. & ibi Pegna *comm.28*
Carrer. *de Hæret. num. 114.* cum alijs per
P. del Bene *dub.26. petit. vnic. num.9.*

Sed quicquid sit de iure, praxis Sancti
Officij se habet, vt in qualiber Inquisitio-
6 ne deputetur Aduocatus, vel Procurator
Reorum, cuius munus est, omnes de hæ-
resi, vel de suspicione hæresis inquisitos
benè, & fideliter defendere, & ideò præ-
stat iuramentum, iuxta formulam inferius
apponendam, Simanch. *d. tit. 5. num.5.*
Pegna *par.2. quæst.4. rubr. de form. & ordin.*
Iudic. num.48. Carena *par.1. tit.10. num.5.*

In hoc autem præcipuè eius fidelitas
consistit, vt totis viribus, & conatu sua-
7 deat Reis, quod veritatem fateantur, &
si videant eos fouere causam iniustam,
omittant eos defendere, Simanch. Sousa,
Castro-palao à Carena *loc. cit. adduct. nu. 6.*

Tunc autem dicitur Aduocatus, vel Procurator defendere Reum, si modis legitimis eum defendat, Carena *loco citato numero 3.*

Cæterum si Reus petat alium sibi con-
stitui Procuratorem, vel Aduocatum
præter deputatum à Sancto Officio, sem-
8 per vidi annuere petitioni Reorum, præ-
sertim si causa sit grauis; Sed non admit-
titur, nisi præstito iuramento vt supra,
de secreto tenendo, & de non reuelando
merita causæ, cui debet parrocinari, & alia
quæ spectant ad Sanctum Officium, de red-
dendo copiam processus, vel originale
sibi traditum finita causa, Pegna *par. 3.*

commentario 7. Carena *loco citato num. 3.*
9 Si verò Procurator, vel Aduocatus concessus noluerit præstare huiusmodi iuramentum iuxta Textum *in cap. Si aduersus de Hæret.* non debet admitti, vt fuit resolutum in vna Florentina *sub die 4. Maij* 1598.

Formula Iuramenti talis est:

Ego N. iuro, atque promitto N. carceratum, & inquisitum ex causis, de quibus in
10 *actis, non instruere ad veritatem in iudicio tacendum, nec illum, nec illius causam calumniosè, sed tantùm iuxta formam Sacrorum Canonum, & stylum Sancti Officij defendere, & quamprimum notitiam habuero illum esse hæreticum, & pertinacem delictorum, de quibus inquiritur, desistere à patrocinio. Casu autem quo Sanctæ Matri Ecclesiæ se reconciliari voluerit, eum adiuuare; & si aliquem, seu aliquos in prosecutione causæ huiusmodi pro complice, seu culpabili scire à me contigerit, Sancto Officio illum, seu illos reuelare; Et insuper Processum contra eum formatum, nec quicquam ex contentis in eo, nec etiam merita causæ huiusmodi cum nemine directè, vel indirectè conferre, dicere, propalare, vel euulgare, nisi cum alijs Aduocatis ad causam admissis, seu deputatis, copiam processus & omnes, atque alias scripturas huiusmodi causam concernentes à Sancto Officio mihi traditas, terminata causa eidem Sancto Officio reconsignare sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua absolui non possim, nisi à Sanctissimo D.N. Papa, vel à Sacra Congregatione.*

11 An autem Aduocati, & Procuratores, qui patrocinantur Hæretico sint infames, & incurrant in excommunicationem Bullæ in Cœna Domini, videndum est P. del Bene *loco cit. num. 4. & 8.*

Imò tanta est benignitas Sancti Officij erga Reos, vt quamuis illi renuncient defensionibus, & se remittant pietati Sancti Tribunalis, nihilominus si causa grauis sit, & tractetur de imponenda pœna
12 corporali, faciat Reis defensiones ex officio, & iure merito, quia renunciatio defensionis facta ab Hæretico nulla est, etiamsi dicat, nullam sibi competere defensionem, Sousa *in Aphorism. lib. 2. cap. 29. num. 7.* Gomez *de potest. in se ipsum lib. 1. cap. 19. num. 37.* Caren. *par. 3. tit. 9. num. 90.*

Quod procedit, etiamsi Reus fassus esset delictum, vel aliàs esset notorium, vel
13 repertus in flagranti, vt bene Gomez *d. tract. lib. 1. cap. 18. num. 4.* & toto *cap. 19.*

Eo magis quia Inquisitores tenentur ex officio exquirere Reorum innocentiam,
14 & defensionem eorum facere, Eymer. *3. par. rubr. de defens. Reor. num. 117.* & ibi Pegna *comm. 28.* Farinacc. *quæst. 185. §. 14. num. 211.* Sousa *in Aphorism. lib. 2. cap. 29. num. 2.*

Imò quot sunt Consultores in Suprema, &c. tot sunt Reorum Aduocati, quin & ipse Procurator fiscalis cum fungatur
15 etiam officio Consultoris, si videat Rei innocentiam tenetur eundem adiuuare, & defendere.

Verum tamen est, quod nullus ex Consultoribus pro Reo, vel contra Reum,
16 etiam ad instantiam Instigatoris in facto, vel in iure scribere potest, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & aliis arbitrio Sacræ Congregationis, vt resolutum fuit *sub die 18. Iunij* 1564. & iterum *sub die 4. Aprilis* 1601. in vna Ianuen.

Et quamuis quādo tractatur de crimine notorio, vel de Reo confesso, & conuicto,
17 vel de dicente, se nullas habere defensiones, aut reperto in flagranti plures Doctores teneant contrarium, vt per eundem Gomez *loco citato.*

Nihilominus si veræ essent huiusmodi limitationes non haberent locum, vbi Reus inconstans reuocaret renunciationem factam defensionibus, vt voluit Angel. *in l. pactum inter hæredem num. . . . ff. de pactis*, qui dicit, quod cautus debet
18 esse Aduocatus inquisiti, vel accusati, qui renunciauit defensionibus, vt reuocari faciat ab ipso Reo talem renunciationem, qua reuocatione facta, non poterit Iudex aliquam executionem facere contra Reum, Angelum sequitur Marsil. *in prax. §. Examinanda, num. 3.* Gabriel. *cons. 138. num. 19. lib. 1.* Bertazzol. *cons. 91. lib. 1. crimin.* Mascard. *conclus. 350. num. 8.* Gomez *loco cit. num. 40.*

Quod tanto magis procedere debet, quando Reus acceptasset terminum ad
19 faciendas defensiones, demùm illis renunciare vellet, quia hæc expressa renunciatio non debet admitti, vt ex multis probat, idem Gomez *dict. tract. cap. 17. num. 30. vers. Ipse nihilominus.*

Secus autem si tacitè renunciaret, vt
20 quia Reus sinat labi terminum ad faciendas defensiones sibi assignatum, vt ex Text. *in l. 1. Cod. Si sæpius in integrum restitutio postuletur.* Et ex Bald. Felin. Paris de Puteo, Menoch. & Couuar. voluit idem Gomez *d. tract. cap. 19. num. 22.* Ideò Carena *par. 3. tit. 9. §. 19. num. 94.* consulit Inquisitoribus, vt non obstante renunciatione defensionum sinant labi terminum assignatum ad illas faciendas, sed quando sumus in causis grauioribus stylus Supremæ est, vt non obstante lapsu termini, nouus assignetur terminus Reo ad faciendas suas defensiones, vel illas mandet fieri ex officio.

Nec obseruatur quod dicit Carena
loco cit., quod si Rei se remittant benigni-
21 tati Sancti Officij, vt sæpè faciunt, cen-
seantur fateri delictum quod negarunt,&
hæc confessio saltem tacita operatur, vt
Rei possint condemnari in pœnam extra-
ordinariam, quia ex huiusmodi remissio-
ne non inducitur secundum stylum Su-
premæ, nec tacita, nec expressa confes-
sio delicti negati, sed expediuntur Rei
iuxta probationes, & indicia, quæ resul-
tant ex processu, & ideò terminatur cau-
sa, vel cum tortura, vel cum pœna extra-
ordinaria, iuxta qualitates indiciorum,
nulla habita consideratione dictæ remis-
sionis, & iste est stylus.

Caueant ergo Inquisitores, ne inducant
Reos ad renunciandum defensionibus,
nec remittendum se benignitati Sancti Of-
ficij, eo quod cupiant celeri causæ expe-
ditione, se subtrahere expensis, quas fa-
22 ciunt in alimentis reorum, quia hæc pra-
xis tolerari non potest, ne sanguis Reo-
rum supra eos cadat, vt dicit Angel. *in*
l. Sed si quis §. Quæsitum, ff. Si quis caut. n.3.
Gomez *d. cap.17. num.4. vers. Itaque.*

Præterea, & si dubium sit, An in causa
hæresis possit Reus renunciare repetitioni
23 testium, habendo eos pro ritè, & rectè
examinatis; & non posse voluit Simanc.
de Cathol. tit.64. num.25. Roias *de Hæret.*
*2. par. num.*111.

Nihilominus in Tribunali Sancti Offi-
cij inoleuit praxis legitimandi processus,
24 si Reus habeat testes pro ritè examinatis,
& ideò non datur ei copia Processus; nisi
habeat prius testes pro ritè, & rectè exa-
minatis; Si tamen Suprema suspicetur de
impostura, etiam quod Reus habeat testes
pro ritè examinatis, eos repetere facit ex
officio; & pluries meo tempore detecta
fuit impostura, præsertim in causis Reo-
rum denunciatorum de solicitatione ad
turpia in actu Sacramentalis Confessionis.

Sed aliàs fuit magna altercatio in Suprema, &c. An Reo, qui fassus est delictum offerenda sit testium repetitio, vt solet dici in Sacra Congregatione, hoc est, An sit publicandus Processus cum clausula, *habitis testibus pro ritè, & rectè examinatis*, vel illa clausula possit omitti.

Et quia Ego substinui partem affirmatiuam, placet inserere Votum meum, quod tale fuit:

25 An Reo in Tribunali Sancti Officij à
testibus indiciato demum confesso offe-
renda sit testium repetitio.

Suppono pro certo, & indubitato, in crimine hæresis, & in quocumque alio delicto ad forum Sanctissimæ Inquisitionis spectante, testes parte citata non repetitos, vel non habitos à Reo pro repetitis nullam facere probationem, latissimè Farinacc. *de Hæresi quæst.*138. *num.*22. vbi testatur de stylo, & praxi huius Supremi Tribunalis.

Modò ad quæstionem.

Clarus *in praxi quæst.*65. *in princ.* Catthar. *de interrogandis Reis, lib.4. cap.2. num.29.* Ambrosin. *in praxi lib.3. cap.1. num.* 59. *& seq.* dicunt, quod quando Reus fassus est delictum, non est necesse, quod illi offeratur testium repetitio, vel Reus eos habeat pro ritè, & rectè examinatis, ea ratione, quia confessio supplet nullitatem Processus.

Baiard. verò ad Clarum *quæst.*45. *nu.*42. Guazzin. *ad Defensam 24. cap.6. num.* 14. dicunt, quod etsi Reus fassus fuerit delictũ, necesse tamen est, quod habeat testes Fisci pro ritè, & rectè examinatis, ea ratione, quia si ex aliquo capite confessio Rei annullaretur, testes non repetiti non probarent, quod Fisco damnosum esset, cuius interest plures habere rationes, & fundamenta, ità quod hæc quæstio in Tribunalibus secularibus controuersa est, & vtraque pars habeat suos Auctores, & vnusquisque Iudicum secundum propriam sententiam, vnam, vel alteram sequitur opinionem, saltèm in illis Partibus, in quibus viget stylus legitimandi Processum, cum sola declaratione de habendo testes pro ritè, & rectè examinatis.

Est ergo videndum, quid sentiant Doctores, qui de modo procedendi in causis Sancti Officij in indiuiduo scripserunt.

Eymericus *in Directorio Inquisitionis in 3. par. tit. de defens. Reor. num.* 117. habet hæc formalia verba: *Quando delatus, siuè sit testibus conuictus, siuè idem fatetur crimen, de quo delatus existit, & prout testes deponunt, tunc concedere sibi defensiones ad dicendum contra testes, superfluum est, quia magis statur suo dicto, & eius propriæ confessioni, quam testium depositioni.*

Vmbertus de Locato *in Iudic. Inquisit. ver. Defensiones*, tenet opinionem Eymerici per eadem verba supra relata.

Campeggius ad Zanchin. *de Hæret. c.*9. *vers. Indiciorum copia*, eademmet verba Eymerici transcribit.

Cæterum eorum opinio reijcitur ab eruditissimo Pegna *eadem par.3. comm.* 28. vbi postquam opinionem Eymerici, & Locati retulit, subiungit hæc verba:

Et quamquam hæc ità se habent, nihilominus tamen cum defensiones sint de iure naturæ, l. vt vim, ff. de iustit. & iur. *non obstante propria confessione, offerri debent Reo defensiones, hoc est aduersus testes, quia quæstio est, an aduersus eos sint dandæ defensiones, quæ consistunt in repetitione, & si quid opponere voluerit aduersus eam audiendus erit, ne iniustè vnquam se damnatum conqueratur; Nam & contra propriam confessionem possunt*

multa opponi, *vt docet* Iulius Clarus.

Conferunt tradita per Simanch. *de Cathol. instit. tit. 17. de defens. Reor. num. 53. & per aliquos seqq.* Verba verò Simanchę *loco* à Penia *allegat.* sunt infrascripta:

Quid autem si Reus Defensionibus renunciet, dicatque se habere rata testimonia, nec velle, vt repetantur testes? Et communi sententia receptum est, hanc renunciationem nullius esse momenti, quia non est audiendus Reus perire festinans. Plerique tamen excipiunt eam speciem à Iudicibus vsitatam, cum Reus id ipsum fateatur, quod testibus comprobatum est, tunc enim superuacaneum esse videtur, iterum testes producere, Baldus, &c.

Verùm, vtcumque in alijs Iudicibus res se habeat, Inquisitores nostri id seruare non debent.

Primò, quia veritas apertior erit publicatis Reo testimonijs, & ab eo singillatim probatis.

Deinde vt iustus sit actorum processus, & Reus ipse, ac testes semel, atque iterum interrogentur.

Postremò, quia sæpe Rei solent reuocare suas confessiones quamobrem oportet, vt conuicti sint. Adde quod mitiùs agitur cum confesso, quàm cum conuicto, cap. Non dicatis, &c.

Idem fermè repetit Simanch. *in Enchiridion. tit. 35. num. 11.*

Ioannes Roias *in tractatu de Hæret. 2. par. 4. assert. num. 3.* hæc formalia verba profert.

Nulli Iudicum præcipuè Inquisitorum fidei liceat testes pro ratificatis à Reis haberi, nec tres monitiones solitas, & testium publicationes omittere, quamuis delati spontè delictum sint confessi, quia sæpe solent suas reuocare confessiones, & processus, & testificationes, absque fide, & probatione, vt superiùs dictum est, remaneut, id meritò ex potissima ratione fieri non debet, quia Rei in causis criminalibus, defensionibus renunciare nequeunt, maximè si pœna corporali sint plectendi, Gloss. &c.

Paramus *de origine Inquisitionis lib. 3. qu. 4. de ordine Iudic. Sancti Officij*, dicit, testium ratificatorum Reis Sancti Officij publicationem esse faciendam, etiamsi Reus confessus sit.

Vt certior fiat carceratum legitimè fuisse, ac præcedente informatione, nam alioquin captura non esset legitima, ac etiam, vt conuictus possit dici, vel confessus, & vt contra ità conuictum, vel confessum possit sententia pronunciari, sic enim liberiùs est Iudicis arbitrium, cuius culpa verti non potest defectus publicationis.

Quibus in verbis Paramus eam assignat rationem, quam considerat Guazzinus, nempe, vt plura contra Reum fiscus habeat fundamenta; Necnon alteram, quam tangit Simanch; nempe, quod facta repetitione, erit in arbitrio Iudicis procedere contra Reum, vel tanquam conuictum, vel tanquam confessum, & sic mitiùs, vel rigorosiùs, vt sibi videbitur.

Farinacc. *de hæresi quæst. 188. num. 22.* prope finem hæc habet.

Et pro conclusione faciunt Doctores *allegati* num. 15. *dicentes, quod licèt in crimine hæresis recipiantur testes lite non contestata, sunt tamen repetendi, ad hoc vt faciant indicium, vel probent, quicquid aliàs sentire ausi fuerint nonnulli Doctores, quos mox referam, ab hac conclusione nullo modo recedas, quæ etiam passim recepta est in Supremo totius Reipublicæ Christianæ Generalis, & Romanæ Inquisitionis Tribunali, in quo finito processu informatiuo Promotor fiscalis iuxta ea, quæ in processu probata reperiuntur, format articulos, eorum copiam carcerato exhibet, & si dictus carceratus testes pro Curiæ informatione prauitè, & rectè examinatis habere noluerit, eos cum interrogatorijs ab inquisito, seu eius Procuratore dandis iterum examinare, & repetere facit.*

Postquam idem Farinaccius autem adduxit Doctores contrarium sentientes, quod scilicet testes in iudicio Sanctæ Inquisitionis non sunt repetendi, subiungit ampliationem his verbis.

Amplia primò hanc secundam limitationem, quia in tantum testes examinati in Inquisitione generali sunt repetendi in speciali, vt procedat hæc conclusio, etiam quod Reus fateatur delictum ex rationibus adductis per Simancham.

Ex his ergo apparet, quod licèt nonnulli Doctores, nempe Eymericus Vmbertus, & Campeggius asserant, Reo confesso non esse offerendam testium repetitionem, eorum tamen opinionem esse reprobatam à Pegna, & ab alijs doctissimis viris, & practicis Inquisitoribus, contrariamque melioribus rationibus, & fundamentis esse munitam.

Quæ opinio magis amplectenda est, quia fauet fisco, & Reis, quorum defensiones debent ab Inquitoribus ex officio fieri etiam Reis non petentibus, vt dicit idem Farinacc. *quæst. 185. num. 211.* vbi quod hoc receptum est in Suprema &c. in qua inquisito, & carcerato de hæresi etiam non petenti, offeruntur copiæ processus, & indiciorum.

Imò in eadem Suprema &c. non solùm offeruntur defensiones, & copiæ processus Reis non petentibus, sed vbi Domini Consultores putant Rei innocentiam posse aliquo modo detegi, illam omni cura, & vigilantia quærunt, & ex officio Reo defensiones faciunt. Inquisitores enim non solùm debent esse Iudices, sed Pattes Reorum, Paramus *loco citato*.

Quod autem repetitio testium sit pars defensionis voluit ex mente Simanchæ, Honded. *cons. 101. num. 36. ad finem. lib. 1.*

Neque obstat, quod per oblationem repetionis testium detur ansa Reo confesso reuocandi propriam confessionem,

quia imò huiusmodi oblatio totum contrarium operatur: Nam cum ex copia processus, quæ debet dari Reo, vt faciat suas defensiones, & deducat quod potest deducere contra propriam confessionem, clarè pateat, testes contra illum nihil probare, cum non fuerint repetiti, nec habiti pro repetitis, solùmque grauari propria confessione, vtique pro sui defensione conuolabit, vel ad nullitatem confessionis, vel ad illius reuocationem, à quibus omnino arceretur, si non solùm propria confessione oppugnari, sed etiam testibus pro repetitis habitis se conuinci cognosceret: Ad quod tendunt ea, quæ in proposito dicunt Baiardus, Guazzinus, Simancha, Roias, & Paramus *supra allegati*.

Eo præsertim quia confessio, ad hoc vt afferat Reo præiudicium, debet esse clara, liquida, & dictis testium omnino similis, & in omnibus suis qualitatibus verificata, *l. 2. & 3. ff. de confess.* quod quam periculosum sit præsertim apud Inquisitores in iudicijs criminalibus non versatos facile est intelligere.

Vt ergo euitetur hoc periculum, & Fiscus nitatur pluribus fundamentis puniendi Reum, ne detur ansa Reis reuocandi confessiones, ne varius stylus super hoc introducatur in Sancto Tribunali; Denique vt iuxta Doctorum nostrorum classicorum opinionem in hoc articulo procedatur, censeo Reis in Sancto Officio inquisitis etiam confessis offerendam esse testium repetitionem.

Et certè lustratis Supremæ, &c. regestris inueni ferè semper Reis etiam confessis oblatam fuisse testium repetitionem.

Extra iudicium verò Hæreticorum defensores dicuntur ij, qui muneribus, vi,
26 dolo, potentia, armis, & clamoribus procurant, ne capiantur Hæretici, vel captos liberant, impediunt ne corrigantur, sed in tuto viuant, Sanchez *dicto cap. 10. num. 18.* Castro-palao *dicto punc. 5. num. 5.* Sousa *d. cap. 24. nu. 2.* Sanctarell. *d. cap. 11. dub. 3. num. 25.*

Cæterum quia hic datur occasio tractandi de ijs, qui impediunt Sanctum Of-
27 ficium, qui & fautores, & defensores Hæreticorum dicuntur, vt *in cap. Accusatus, §. Sacerdotes de Hæret. in 6.* & ibi Gemin. *in Summa*, Bonif. de Vitalin. *in Clemeur. 1. de Hæret.* & alij per Farinacc. *quæst. 182. §. 5. num. 69.*

28 Et hi etiam sunt præsumpti Inconstantes in fide, cum sint de hæresi suspecti, Bonif. de Vitalin. *d. Clement. 1. num. 3.* Locat. *ver. Suspicio, num. 11.* & Repert. *ver. fautores, vers. an impedientes*, Eymer. *par. 2. quæst. 56. num. 2.* & ibi Pegna *comment. 81.* idem Pegna *comment. 79. ead. par.* Decian. *lib. 5. cap. 51. num. 57.* Farinacc. *quæst. 182. n. 70. & num. 86.* vbi quod quia sunt suspecti de hæresi debent abiurare, Eymericus *par. 2. quæst. 54. num. 4.* & ibi Pegna *comment. 79.* vbi ponit formam abiurationis, Sousa *in Aphorism. lib. 1. cap. 28. num. 13. & 19.* Castro-palao *par. 1. tract. 4. disp. 8. punc. 16. §. 7. num. 2.* Sanctarell. *d. cap. 11. dub. 1. num. 14.* P. Diana *par. 4. tract. 7. resolut. 13.* Fermosin. *in cap. Cum venissent, quæst. 10. à num. 5. de Iudicijs*, P. del Bene *dub. 26. Corollar. 3. num. 16.*

29 Sciendum est, Tribunal Sancti Officij impediri directè, & indirectè, vt colligitur *ex cap. Vt Inquisitionis, §. Prohibemus in fine de Hæret. in 6.* Pegna *par. 2. comment. 79.* Sousa *in Aphorism. lib. 1. cap. 28. num. 1.* Farinacc. *d. quæst. 182. num. 74.*

30 Directè impeditur, quando non circuitu, vel per aliud medium, sed principaliter impedimentum præstatur, Pegna *dicto comment. 79.* Sousa *d. cap. 28. num. 1.* Farinacc. *loco cit. num. 75. in fine.*

31 Indirectè verò, quando quis non immediatè, sed vtitur aliquo medio, ex quo impedimentum resultet Pegna, Sousa, & Farinaccius *locis citatis*.

Hinc primò infertur, Principem, vel Magistratum seculare statuentem, ne ali-
32 quis Ciuis accusari, vel inquiri possit in crimine hæresis, directè impedire Sanctum Officium, Gloss. *in cap. Statutum il primo in ver. Directè de Hæret. in 6.* & ibi Barbosa *num. 5.* Eymer. *par. 2. quæst. 54. num. 1.* & ibi Pegna *comment. 79. littera A, vers. Primo*, Farinacc. *d. quæst. 182. num. 75.*

Quod multò magis procedit, si Princeps statuat, vel paciscatur, ne procedi possit
33 contra Hæreticos, sed quilibet in sua hæresi tutò, & liberè viuere possit, vt visum est seculo præterito in quibusdam Prouinciis, in quibus Pax infelix, vt dicitur Religionis inita est, & in hoc seculo, in quo in Conuentu Monasteriensi inita est pax cum tanto Orthodoxę Religionis damno, ac præiudicio, contra quam non tantùm Nuncius Chisius postea Summus Pontifex, sed etiam sanctæ mem. Innocentius Decimus eius Bulla protestatus fuit, de qua *in 4. par. Bullarij Constitut. 19. pag. 67.*

In aliquo enim Regno, Prouincia, vel Ciuitate per Edictum, Statutum, pactum,
34 vel concordiam concedere, vt quis impunè possit sectari Lutheranismum, Caluinismum, Arianismum, vel alias hæreses, planè illicitum est, Diuino præcepto repugnans, & Reipublicæ perniciosum: Ideò à Principe Catholico, non solùm non debet concedi, tolerari, vel permitti, sed omnibus modis impediri, ac profligari.

Vna enim sola est fides, præter quam nulla esse potest vera Religio, nec salus, est autem Catholica, & Romana; Et quidem in

dem in Euangelio omnia, quæ leguntur, conuincunt, Christum vnam fidem mandasse, variam, ac multiplicem prohibuisse, voluit enim vnam tantùm esse Ecclesiam, vnum Ouilem, vnum Baptisma, quæ nisi in vnitate fidei consistere non possunt.

Secundò mandauit Discipulis suis, vt caueront à falsis Prophetis, in multiplici autem Religione necesse est, alios veros esse, alios falsos Prophetas.

Tertiò voluit, Ecclesiam suam esse perpetuam, cui omnes Inferorum potestates
35 resistere non possint; Perpetua autem esse non potest, nisi omnium vna fides sit: Nam & ipse testatur Lucæ 2. *cap.* 15. Quod *Omne Regnum in se diuisum desolabitur*, vt considerat P. Becanus *in Summa tit. de fide Hæreticis seruanda cap.* 16. & Paulus Apostolus disertis verbis id confirmat *ad Romanos* 16. *&* 17. *ad Galatas* 2. 8. *Ad Corinthios* 1. 2. 10. 14. 33. *ad Ephesios* 4. *Vnus Dominus, Vna fides, vnum Baptisma, ad Hebræos* 13. *&* 9.

36 In perniciem autem vergit Reipublicæ, quia vt dicit S. Hieronymus *epist.* 62. *Concordia Hæreticorum non est pax, sed impietatis vnitas.*

Et propterea in Ecclesia toties coacta sunt Concilia, vt vnitas fidei seruaretur, libertas, & varietas impediretur: Hinc feuerissimæ illæ leges priorum Imperatorum, nempe *l. Nullus, C. de Summa Trinitate, & fide Catholica, l. Cunctos Populos, C. de Hæret.*

37 Hinc exempla S. Ambrosij *in epist.* 31. *ad Marcellinam sororem*, recusantis Basilicam Arianis tradere; S. Io. Chrisostomi, de quo Theodorus *lib.* 5. *cap.* 35. S. Leonis Papæ *in epist.* 76. in qua obiurgat Anathalium Episcopum Constantinopolitanum, quod Catholicis permixtos sinebat eos viuere, qui aliam, quàm Catholicam Religionem profitebantur; Sancti Augustini *epist.* 29. in qua Olimpium Comitem hortatur, vt Imperatoris leges in Donatistas Hæreticos constitutas euulget, non aliam ob causam, quàm quod putaret cum vna fide Catholica diuersas Sectas sociari non posse, nec debere; S. Cypriani *lib.* 1. *De vnitate Ecclesiæ*, vbi, quod cohærere non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.

Cæterum, quia contra libertatis conscientiæ concessionem latè scripserunt
38 Andreas Estembergh. *Dialog. lib.* 4. *cap.* 39. Card. Bellarm. *to.* 2. *lib.* 3. *de laicis cap.* 18. Posseuin. *in Bibliothec. select. lib.* 1. Ribadneira *aduersus Macchiauellum lib.* 1. *cap.* 26. Becan. *loco citato*, Hurtad. *de fide disp.* 79. Card. de Lugo *de fide disp.* 19. *sect.* 2. §. 4. *num.* 124. P. Diana *par.* 10. *tract.* 3. *per quinque resolutiones*, ideò ad eos Lectorem remitto. Solùm addo Hæreticos Scriptores hanc agnouisse veritatem; Nam Theodorus Hunkink *in tract. de regimine seculari, & Ecclesiastico lib.* 2. *class.* 1. *num.* 32. dicit.

Par Ecclesiastica quæ securitatem præbet doctrinæ, hoc est quoquo modo disputandi, & docendi contra expressum verbum Dei, illa salua veritate subsistere non potest, cap. 8. Zachar. 34. *Debemus enim arguere, contradicere, & erudire eos, qui subsistunt veritati*, 2. ad Timotheum vers. 25. *quo respectu, neque dari fides potest, neque data seruari.* Hactenus Auctor hæreticus.

Sed post hæc scripta Fermosinus à me visus *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ quæst.* 44. *de Constit.* hanc quęstionem latè examinat,
39 & absolutè tenet, non licere Principibus secularibus concedere libertatem conscientiæ Hæreticis sine consensu Summi Pontificis: Ipse enim tanquam caput Principum, qui sunt oues ouilis Christi, solus potest disponere de Hæreticis in ordine ad Religionem, Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 21. P. Diana *par.* 10. *tract.* 3. *resolut.* 2. cum sint ei subiecti ratione caracteris Baptismi, *cap. Quod quidem* 1. *qu.* 1. *cap. Cum in nobis, de conser. distin.* 4.

Non enim ex quo à fide defecerunt Pontifex desinit retinere ius in illos sicut Pastor in oues errantes, *cap. Maiores, de Baptismo, cap.* 1. *de Spons. & d. Glos.* 2. *non debet*, & ob id benè à Christo Domino, iuxta Parabolam Euangelij Matth. *cap.* 13. in qua iudicium de zizania eradicanda, vel non eradicanda præbetur Patrifamilias, qui est Summus Pontifex, & *ibi* adducit verba Maldonat. *in cap.* Matthæi 26. quæ verè aurea sunt.

40 Peius est, si statuatur, vel fiat pactum à Principe Catholico, quod Catholicis impunè liceat ad Hæreticorum Sectam conuolare, & mutare Religionem, quia hoc nullo modo est licitum: vt benè Card. de Lugo *loco cit. num.* 123. *vers. Non ergò solùm debet considerari.*

41 Pessimum autem esset, si Princeps statueret, vel pacisceretur, quod Ecclesiæ, & Episcopatus possent transire ad manus Hæreticorum, cum peruersione tot Catholicorum, qui coguntur eandem profiteri, quam profitetur Princeps Catholicus Sectam, vel emigrare à Patria: Vel quod auferantur à Monachis Monasteria, & redditus Ecclesiastici, & illa concedantur Hæreticis: vt fuit concordatum in Pace illa Monasteriensi, vt benè considerat Ernestus de Eusebijs, siue quisquis sit Auctor libelli, cui titulus: *An Pax, quam desiderant Protestantes sit per se illicita, per tot. illud Opusculum*; Fermosin. *loco cit. num.* 10. *&* 11.

Hoc est enim directè fauere hæresi, iniuriam inferre Creatori, ac veræ Reli-
43 gioni, perdere credentium animas, auctoritatem Ecclesiæ impedire, officio, & obligationi Principum Catholicorum repugnare.

Quod procedit, non solùm quando perpetuò, & irreuocabiliter pacta super libertate conscientiæ celebrata sunt, sed nec etiamsi ad tempus aliquod determinatum fuerit, vt contra Vvadingum *de contract. disp. 3. dub.* 4. tenet Diana *par.* 10. *tract. 3. resolut. 3. vers. Verùm non obst.* quem sequitur. Fermosinus *loco cit. num.* 26. & proptercà cauendum est à P. del Bene, qui tenet, ad euitandum maius malum posse à Principe Catholico libertatem conscientiæ tolerari, *vt in dub.* 153. *sect. 2. par.* 1.

Certè scio, quod quandoque tolerantur Hæretici, vel occasione commerciorum, vel tanquam aduenæ, qui peragrant
44 Italiam, & accedunt ad Vrbem ad eam inuisendam: Ii enim si Romæ morentur absque scandalo, tolerantur: Nam multi hac de causa ad cor redeunt, & fauente Dei gratia Catholicam Religionem abiurata hæresi profitentur. Vident enim, quæ de Summo Pontifice, Cardinalibus, Prælatis, Curialibus sparguntur inter Hæreticos esse meras nugas, mendacia, & deliramenta; Si autem aliquid attentent in Religionis præiudicium, illicò eijciuntur, mitius cum illis agendo, cum sint nati, & educati in hæresi.

Hæc autem tolerantia, siue permissio est ad breue tempus, & cum Mercatoribus sub certis conditionibus, qui debent se præsentare Inquisitoribus, & petere ab illis licentiam, vt fieri solet cum Heluetijs Hæreticis Mediolanum accedentibus ex Decreto *die* 3. *Iulij* 1593. pluriès confirmato.

Quod obseruatur etiam post editam Bullam à Gregorio Decimoquinto contra Hæreticos domicilium retinentes in Italia occasione Mercaturę, de qua in Bullar. *to. 3. Constit. eiusdem* Gregor. 28.

Fuit enim scriptum Inquisitori Mediolani, vt non obstante Bulla prædicta, permittat Rhetis, & Heluetiis Hæreticis posse
45 morari per aliquot dies in Ciuitate Mediolani occasione mercaturæ, & non aliam ob causam; inuigiler tamen, ne quid contra Catholicam fidem machinentur, vt ex litteris datis *die* 19. *Iunij* 1625. Et replicatum fuit quoad alios Hæreticos *die* 24. *Iunij, & 19. Augusti* 1627.

At sanctæ memoriæ Vrbanus Octauus mandauit, vt per Archiepiscopum, & Inquisitorem paulatim toleretur etiam illud
46 commercium occasione mercaturæ, & diligentia adhiberetur, ne de nouo introduceretur, vt ex litteris datis *die* 10. *Octobris* 1629.

Et propterea clausæ fuerunt plures apothecæ, in quibus Hæretici merces vendebant, sed concessa fuit illis dilatio ad exigenda credita, & solidanda computa: imò denegata fuit illis licentia exercendi Mercaturam etiam per Ministros Catholicos.

Et propterea à Ciuitate Mantuæ, & Bononiæ fuerunt eiecti.

Auenione verò fuerunt tolerati, dummodo darent notam nominum, & cognominum Vice-legato, quæ ab eodem traditur Inquisitori, vt ex Decretis *sub die* 6. *Maij* 1622. *&* 30. *Nouembris* 1623. 6. *Martij*, 4. *Maij, & 28. Augusti* 1624.

Nam Bulla Gregorij Decimiquinti prohibet, ne Hæretici domicilium sub commercij, vel mercimonij, vel quouis alio prætextu contrahere possint, vel domum
47 apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis concessam, vel habitare, & morari in Italia, & Insulis adiacentibus; quæ verba *habitare*, & *morari* non debent intelligi de mora breuis temporis; vt notat Ciunia *in Ritibus Siciliæ cap.* 1. *nu.*26. & Carpan. *ad Stat. Mediol. par. 1. cap. 1. n.*142. *& cap.* 311. *num.* 39. vbi Scholaris non dicitur habitare in loco vbi moratur vt Scholaris, sed retento themate verborum antecedentium, nempe de habitatione, & mora, per quam inducatur animus habitandi, aliàs sine animo non dicitur quis habitare, etiamsi per mille annos in aliquo loco moram traxerit, Abb. *cons.* 100. *nu.* 1. *vol.*2. Iason. *cons.* 77. *per tot. vol.* 3. Carpan. *dicto. cap.* 311. *num.*42.

Principes autem seculares Catholici nullo modo, etiam seclusa Bulla, possunt
48 concedere licentiam Hæreticis habendi domicilium in Italia, etiam causa mercimonij, vel alio sub prætextu, quia hæc prohibitio dimanat à iure Diuino, vt patet Apocalips. 2. 14. ibi:

Sed habeo aduersus te pauca, quia doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel edere, & fornicari, ità habes, & tu tenens doctrinam Nicolaitarum.

Vbi Gloss. ordinaria exponens verbum *Balaam*, ait:

Idest Hæreticus, qui docet terrenos Principes qualiter subuertant videntes Deum.

Ex Ioanne, qui *Epist.* 2. *ad fin.* sic loquitur:

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue *ei dixeritis, qui enim dixerit illi* Aue, *communicat operibus eius malignis.*

Et quæ verbis Ioannes docuit, factis etiam exhibuit, cum enim aliquando apud Ephesum balnea lauandi gratia fuisset ingressus, & conspexisset ibi Cerintum, exiuit continuò, & discessit non lotus clamans:

Fugiamus hinc, ne, & balnea ipsa corruant, in quibus Cerinthus lauat, lauat inimicus veritatis.

Vt *in cap. Omnis* 24. *quæst.* 1.

49 De iure Canonico etiam hęc prohibitio dimanat, vt habemus *in cap. Sicut ait, de Haeret.* ibi:

Eos & defensores, & receptatores eorum anathemati decernimus subiacere, & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domo, vel in terra sua tenere, vel fouere, aut negociationem cum eis exercere præsumat: Si autem in hoc peccato decesserit, neque sibi priuilegiorum nostrorum, ac indultorum obtentu, neque sub alia quaque occasione oblatio pro eo fiat, aut inter Christianos accipiat sepulturam.

Quod etiam statuit Concilium Turonense sub Alexandro Tertio *cap.* 4. his verbis:

50 *Episcopos, & omnes Dominos Sacerdotes illis partibus commorantes inuigilare præcipimus, & sub interminatione anathematis prohibere, ne vbi cogniti fuerint illius hæresis sectatores receptaculum quisquam eis in terra sua præbere, aut præsidium impertiri præsumat; sed nec in venditione, aut emptione aliqua cum eis communio habeatur, vt solatio saltem humanitatis omisso, resipiscere compellantur. Quisquis autem contra hoc venire perteutauerit, tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriatur.*

Refertur ab Antonio Augustino *in epitome iuris canonici par.* 1. *lib.* 11. *tit.* 22. *cap.* 3. *& par.* 3. *tit.* 34. *cap.* 3.

Eadem prohibitio legitur *in cap. Excommunicamus*, §. *Moueantur, de Hæretic.* ibi:

51 *Si verò Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, post annum à temporis monitione elapsum, terram ipsius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis Hæreticis, absque vlla contradictione conseruent, saluo iure Domini principalis, dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat.*

52 De iure pariter ciuili non possunt tolerari Hæretici, vt est Text. *in l. Nemo, C. de Summa Trinit. & fide Catholica, l. Ariani, C. de Hæret.* Adsunt plures leges *in C. Theodosiano lib.* 16. *tit.* 5. & nonnullæ Constitutiones Valentiniani, & Marciani descriptæ in Concilio Calcedonen. *post action.* 3. *&* 13. Et postremò *in Auth. Gazaros, C. de Hæret.*

53 Sed qui plura de hac quæstione scire cupit, videat allegationem eruditam Reuerendissimi Vincentij Præti Commissarij Supremæ Inquisitionis modo defuncti, *ad quæst.* 10. Fulcodij *post* Carenæ *praxim*, & Farinacc. *quæst.* 182. §. 2. *num.* 15. *cum seq.* & eundem Carenam *loco cit.*

54 Non possunt tamen Inquisitores litteras securitatis, quas *saluumconductum* appellant Hæreticis dare, nam hoc spectat ad Sacram Congregationem, vel ad Summum Pontificem.

55 Sed an si saluusconductus concedatur Hæreticis possit concedens Inconstans illum reuocare, vel non seruare. Quæstio hæc dependet ab ea, An fides Hæreticis sit seruanda, de qua scripsit integrum tractatum Molanus *de fide Hæreticis seruanda*, Petrus Bremus *de securitate, promissione, & fide publica* multa congerit, Sanctarell. *cap.* 10. *dub. vnic.* Becanus *in Summa cap.* 16. Marquez *del Gouernador Christiano lib.* 2. *toto cap.* 24. Hurtad. *de fide disput.* 79. *sect.* 2. Card. de Lugo *disput.* 19. *sect.* 2. *à num.* 124. Rubertus Scitnertius, & Henbertus Rosuitch, ambo è Societate Iesu *in particularibus editis super hac materia tractatibus.*

56 Dicendum est ergò, quod aut tractatur de saluoconductu concesso à Principe seculari, vel à Principe Ecclesiastico: Si à Principe Ecclesiastico, vel conceditur iuxta terminos iuris communis, vel cum derogatione ad ius commune.

57 Priori casu saluusconductus intelligitur solùm à violentia, quæ de facto contra ius infertur, latè Barbat. *in cap. In præsentia num.* 3. *de probat.* Misinger. *centur.* 1. *obseruat.* 82. Becanus *dicto cap.* 16. *quæst.* 6. quod expressè patet *in formula* saluiconductus concessi à Concilio Constantiensi, ibi:

Ad quod à violentia, iustitia semper salua, omnem saluumconductum nostrum, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa præsentium tenore offerimus.

58 Et ità intelligendi sunt saluiconductus, qui conceduntur à Suprema &c. vt Apostatæ à fide, vel illi, qui ad Partes Hæreticorum confugerunt, possint liberè, & tutò accedere Romam, ad effectum se præsentandi coram eadem Suprema &c. vel coram aliquo Episcopo, vel Inquisitore, nam ab omni violentia remanent securi, donec se præsentauerint. Sequuta verò præsentatione proceditur contra huiusmodi Apostatas, vel Hæreticos, absque eo quod possit tribui Sacrosancto Tribunali nota Inconstantiæ, vel fidei fractæ.

59 Si verò concedatur saluusconductus Hæreticis vltra dispositionem iuris communis, qualis fuit concessus à Patribus Sancti Concilij Tridentini Germanis Hæreticis, vbi dicitur largiri plenam fidem, & plenissimam securitatem veniendi Tridentum, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, disputandi &c. illo etiam addito, vt Religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum minimè puniantur.

60 Et tunc si concedatur à Principe Ecclesiastico habente auctoritatem illum concedendi, certè debet obseruari, nec potest esse Inconstans in non obseruando, sed fidem semèl datam violare non debet. Hęc enim est praxis antiqua Ecclesiæ concedendi huiusmodi saluosconductus, & fidem seruandi, vt patet ex Epist. 49. Sancti Gregorij Papæ *lib. 4. registr. ind. 13.*

61 Concilium Senonense talem concessit Abailardo, Concilium Basileense Bohemis, & Leo Decimus concessit saluumconductum Luthero, vt dicit Sanctarell. *dicto cap. 10. dub vnic. num. 5. vers. Potest aliquis,* & ità tenuerunt Molan. *de fide Heret. seruand. lib. 1. cap. 26.* Marquez *in tract. del Gouernador Christiano lib. 2. cap. 24.* Hurtad. *de fide quæst. 79.* Cardin. de Lugo *d. disput. 19. sect. 2. num. 124.* Sanctarell. *loco cit. num. 4.* Becanus *dicta quæst. 6. num. 5.*

Garriant ergò vt semper solent contra Catholicos Hæretici, nam hæc est vera opinio, quam seruauit, & seruat Sedes Apostolica, nec vnquam ab Ecclesia contrarium obseruatum fuit.

62 Nam, quod aiunt, Ioannem Hus, Hieronymum à Praga fuisse morti traditos sub saluoconductu, mendacium est: nam Ioanni Hus non fuit datus saluusconductus à Concilio, vt patet ex Historia Concilij Constantiensis, & benè demonstrant Marquez, Hurtad. & alij à Molano *lib. 2. cap. 3.* Petrus Bremu s, Becanus, Sanctarell. & Cardin. de Lugo *locis citatis,* Menoch. *cons. 100. num. 226.* Farinaccius *quæst. 197. num. 25.*

Hieronymo verò Pragensi Concilium concessit saluumconductum, sed in forma iuris communis, vt patet ex verbis saluiconductus, relatis per extensum à Menoch. *loco cit.* & à Concilio Constantiensi *sess. 6.* & benè per Becan. Sanctarell. & alios *locis citatis*, ideò neutri eorum fuit fides violata.

63 Cauendum est igitur à Salomone *in l. 2. §. Ex actis, ff. de origin. iuris,* & à Petro Placa *in Epit. delict. lib. 1. cap. 37.* & à Decian. *lib. 5. cap. 20. num. 55.* qui errore ducti asseruerunt, Concilium Constantiense non seruasse fidem prædictis Hæresiarchis.

Si verò loquamur de Principe seculari, certum, & indubitatum est teneri, quantum in se est, fidem datam Hæreticis ser-
64 uare, nec posse Inconstantem esse in non obseruando saluumconductum, Becanus *dicta quæst. 6. nu. 5.* vbi dicit, hoc affirmare vno consensu Catholicos, latè Marquez *dicto cap. 24.* Sanctarell. & Farinacc. *locis citatis.*

Dixi, *quantum in se est,* quia per hunc saluumconductum non potest impediri Iudex Ecclesiasticus, quin exerceat suam
65 potestatem in Hæreticos, eos carcerando, & condemnando, vt in specie docet Becanus *dicta quæst. 16. num. 13.* quod fuit diffinitum in Concilio Constantiensi *sess. 19.* Sanctarell. *d. dub. vnic. num. 5. vers. Obijcies secundo,* Menoch. *cons. 100. num. 227.* vbi dicit in proposito, non licuisse Imperatoribus, & Regibus tutos reddere Hæreticos, tùm quia inferior non potest saluumconductum concedere damnato à Superiore, tùm etiam quia Imperatores, & Reges Hæreticos expugnare, non autem securos, & tutos reddere tenentur.

66 Et propterea, licet Sigismundus Imperator concesserit saluumconductum Ioanni Hus, vel illi concessum fuit iuxta formam iuris, quod vt dictum est, solùm illum tutum à violentia reddebat, vt benè Becanus *dicta quæst. 6. num. 7.* vel fuit conditionalis, prohibendo illi fugam sub pœna capitis, qui non obstante hac conditione, & prohibitione fugam arripuit, à qua cum fuisset retractus, noluit suam hæresiam abiurare, sed pessimè constans in ea perseuerare maluit: Vel tandem ille saluusconductus non ligabat Concilium, ne in illum posset suam exercere iurisdictionem, non annullando illum saluumconductum, vt perperam dicit Menochius *dicto consilio 100. numero 228.* Sed vtendo iure suo, dum quoad Concilium securitas illa ei non suffragabatur, nulla remanente obligatione Imperatori, quia cum fecisset, quod in ipso erat, suam promissionem impleuerat, Becanus *loco cit. num. 7. 13. & 14.* Sanctarell. *loco citato,* Cocleus *lib. 2. de Gestis Hussitarum,* Molan. *lib. 3. cap. 2. & 3.* Alanus *Dialog. 6. cap. 31.* Marquez *dicto cap. 24. pag. mihi 307. col. 1.*

Maius mendacium est, quod dicunt Hæretici, Concilium Constantiense statuisse, fidem non esse Hæreticis seruan-
67 dam, nam *sess. 19.* solùm dicit, quod ex quouis saluoconductu concesso per Imperatorem, Regem, vel alium seculare Principem Hæreticis, vel de hæresi diffamatis, nullum fidei Catholicæ, vel iurisdictioni Ecclesiasticæ præiudicium generetur, vel impedimentum præstari posse, vel debere declarat, quo minus dicto saluoconductu non obstante liceat Iudici competenti, & Ecclesiastico de huiusmodi personæ erroribus inquirere, & aliàs contra eos debitè procedere, eosdemque punire, quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint, etiamsi de saluoconductu confisi ad locum venerint iudicij, aliàs non venturi, nec sic promittentem, cum fecerit quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.

Merito ergo Summi Pontifices pluries statuerunt, vt non obstante saluoconductu concesso à Principibus Italiæ Hæreticis,

68 vel Iudaizantibus, Inquisitores in eos animaduertant, & præsertim contra eos, qui abiurata priùs hæresi in illam iterùm labuntur, vt ex pluribus Decretis Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis.

An autem, qui fidem dedit Hæretico in alijs materijs quàm Religionis, possit Inconstans ab ea recedere.

69 Dic, quod licet nonnulli ex nostris Iurisperitis inter specialia hæresis hoc etiam ponant, quod Hæretico fides seruanda non est, inter quos est Salomon. *dicta l.* 2. §. *Exactis de origin. iuris*, Placha *in Epit. delict. cap.*37. *num.* 11. Simanch. *de Cathol. instit. tit.*46. *de pœnis nu.*52. Roias *singul.*63. Clar. §. *Hæresis num.*16. Decian. *lib.*5. *cap.*20. *num.*55. Zecchius *in Summa par.*1. *tit. de fide, rubr. de Hæret. cap.*11. *num.*16. Farinacc. *dicta quæst.* 197. *num.*24.

70 Ea ratione, quia si Tyrannis, Piratis, cæterisque publicis Prædonibus fides seruanda non est, multo minùs Hæreticis.

71 Secundò, quia nec etiam Bannito pro capitali delicto, ex quo hostis publicus reputatur, pacem factam quis seruare tenetur, sed Inconstans pace non obstante impunè illum occidere potest, cum illi fides seruanda non sit, Felin. *in cap. Quæ in Ecclesiarum nu.*3. *de Constit.* Farinacc. qui alios *loco cit. num.*24.

Ergo multo minus seruanda est fides Hæreticis, qui non solùm publici, sed totius Reipublicæ Christianæ hostes reputantur; & propterea D. Thom. 2. 2. *qu.*70. *artic.*1. *& qu.*40. *art.*3. censuit, Hæreticum indocilem prodendum esse Iudicibus, non obstante fide ei data.

Nihilominus veritas Catholica est, & iugiter in Ecclesia obseruata, non autem

72 opinio modernorum Pontificum, vt imprudenter inquit Carpzouius Auctor damnatæ lectionis *in tract. de lege Regia Germaniæ cap.* 6. *sect.* 4. *num.* 18. *&* 19. In rebus licitis, & honestis fidem Hæreticis seruandam esse, vt benè Becan. *dicta quæst.*6.

Oritur enim hæc fidei obligatio ex triplici virtute, nempe veritate, fidelitate, & iustitia: Veritas postulat, vt non fictè, sed sincerè promittas: Fidelitas, vt promissa opere adimpleas, ne fias perfidus: Iustitia, vt alteri ius suum tribuas ex conuentione quæsitum.

Hæ autem virtutes obligant ad constantiam etiam eo casu, quo cum Hæreticis pacisearis, nunquam enim licet mentiri, nunquam perfidum esse, neque alterius ius violare, seu iniuriam facere: Hæc Becanus, quæ refert Ritunchin. *sect. de Regimine seculari, & Ecclesiastico lib.* 2. *class.* 1. *cap.*2. *num.*7.

73 Non enim in pactionibus, quæ iuri gentium nituntur, diuersitas Religionis obesse solet, *l. Nemo ex externis, C. de Iudæis, & Cælicol.*

Et propterea si Catholicus paciscatur cum Hæretico de commutatione, aut venditione fundi, de Feudo, emphytheusi, piscatione, venatione, & similibus, quæ

74 iure gentium concessa sunt, in hac pactione Inconstans esse non poterit; sic Becanus *in appendice ad tract. de fide Hæret. seruand. in princip. num.* 6.

Plura autem in Testamento veteri habentur exempla huiusmodi fidei seruatæ.

75 Et primò, Deus ipse fidem seruauit Cain, qui fidem negauerat, & prouidentiam Dei non credebat, vt dicit Saluian. *lib.*1. *de Prouiden.* & ideo verè Hæreticus, vt dicit Saluian. *in Epitome anno Mundi, & Adami* 50. meliùs Fragos. *de Regimin. Reipubl. to.*2. *disp.*13. §.1. *num.*11. *&* 12.

Timebat enim Cain, ne qui primo ei occurreret, illum occideret: Deus illi fidem dedit de ipsum seruando à nece, quam seruauit factis: posuit enim in eo signum ne occideretur.

76 Pariter Incarnationem Verbi Populo Hebræo promisit, fidemque seruauit, licèt Populus Hebræus in fide sæpiùs peccauerit, ideò Beatus Paulus *ad Romanos* 3. dicebat:

Quid enim si quidem illorum non crediderunt numquid infidelitas eorum fidem euacuauit? Et *ad Thimotheum* 2. 13.

Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.

77 Secundò, Iosue seruauit fidem Gabaonitis: sic Iacob percussit fœdus, & seruauit cum Laban Idolatra. Genes. 31. *vers.* 48. Sic etiam fuit fides inter Exploratores Israel, & Raab, Iosue 2. 6.

In nouo verò Testamento habemus plura exempla tam in Concilijs Generalibus, quàm Prouincialibus: fanè Gregorius

78 Magnus, Petro, & Prudentio Episcopis de Istria Hæreticis, & Schismaticis fidem obstulit, & seruauit, vt patet *in Epist.* 49. *registr. lib.* 4. *Indic.*13.

79 Opinio verò Iurisconsultorum, vel non magni facienda, vel interpretanda est in sanam partem, hoc est, vt priuata persona non teneatur seruare fidem Hæreticis, quando ea promittit, quæ sine peccato promitti non possunt, vt benè declarat Simanch. *loco cit. num.*54. & cum dicta fides versetur in detrimentum fidei Catholicæ dare non potest, Menoch. *dicto consil.*100. *num.* 218.

Fingamus enim priuatam personam aliquam pacisci cum Hæretico in aliquo

80 contractu cum eo gesto de ipsum non denunciando Sancto Officio, erit ne fides illi seruanda circa hoc pactum? Certè non, quia est pactum peccaminosum, & illicitum, cum tam ex dispositione Sacrorum

Canonum, quàm ex edictis Inquisitorum non possit omitti Hæreticorum denunciatio, vt diximus *supra*. Non erit ergò hæc fractio fidei, sed pactum peccaminosum non seruare, quod licitè fieri posse, etiam leges ciuiles statuerunt, *l. Imperialis, §. Quod eis promittitur, C. de Nuptijs*, Gratian. *tota causa 22. quæst.4.* & hoc est, quod dicit Sanctus Thomas *dicta quæst.70. à nu.1.* Hæreticum indocilem prodendum esse Iudicibus, non obstante fide data, nempe si fides detur à persona priuata.

81 Ad hoc ergo, vt priuata persona in fide Hæreticis data Inconstans esse nequeat, oportet, vt fides sit de rebus licitis, & honestis, vt benè Becan. *in append. add. cap. 13.* Sanctarell. *dicta dubit. vnic. cap. 10. num. 1.*

82 Doctrina verò Bartoli *in disp. 1. Lucanæ Ciuitatis*, in qua se fundant alij Iurisconsulti *supra* adducti, scilicet, quod Tyranno, Piratæ, & Bannito fides data non sit seruanda, debet intelligi, quando datur fides à persona priuata, quæ illam dare non potest, cum sit contra bonum publicum, vt respondet Menoch. *dicto cons. 100. num. 218.*

83 Et hoc procedit, quamuis iureiurando priuatus hanc fidem vallasset, quia non obstante iuramento, tanquam interposito super re illicita, Inconstans in ea esse potest, Becanus, & alij *supra relati.*

Non assentior tamen Hurtado *dicta quæst. 79. §. 53.* dùm dicit, Principem Inconstantem esse posse in promissione Hæ-
84 reticis facta, si illam non firmauerit iuramento, quia si illa promissio est de re licita, & honesta, ad illius validitatem iuramentum non requiritur, vt benè reprobato Hurtado, tenet Cardin. de Lugo *dicta disp.19. sect.2. §.4. num 126.*

Si autem est de re illicita, iuramentum (vt *supra* vidimus) nihil operatur, quemad-
85 modum nec iuramentum operatur super pactione, & fide metu extorta, vt benè in proposito idem Card. de Lugo *loco citato*, Becanus *in dicta appendice*: Sed de materia videndus est nouissimè P. del Bene *par. 1. de Officio Inquisitionis dubit. 153. per tot. sect. 4.*

An autem si Iudex, puta, Episcopus, vel Inquisitor Hæretico impunitatem promittat, si hæresim fateatur, teneatur talem promissionem seruare.

Quæstionem hanc examinat Pegna *ad Eymeric.3. par. comm.23.nu.105.* vbi eam in
86 duas partes secat: prima est, an liceat Inquisitoribus hac cautela vti ad eruendam veritatem: secunda, an in promissa fide impunitatis Inconstans esse possit.

Et quoad primam partem censet Pegna, Inquisitorem, non quidem sub spe impunitatis, sed cum promissione misericordiæ, & amplæ gratiæ Hæreticos allicere posse ad dicendam veritatem.

87 Scaccia *de Iudicijs lib. 1. cap.87. num. 25.* negat, Inquisitorem posse eos allicere sub spe misericordiæ, & amplæ gratiæ, sed benè cum promissione, quod secum agetur benigniori, quo poterit, modo, dummodo Relapsus non sit, & quod Ecclesia misericorditer eum tractabit.

Aliud enim est promissio misericordiæ, & gratiæ simpliciter, aliud est promittere, quod Ecclesia secum misericorditer aget. Priori enim casu sumus in simplici promissione; secundo verò in conditionata, quæ pendet non ab arbitrio Inquisitoris promittentis, sed Ecclesiæ, hoc est Summi Pontificis, vel Supremæ &c.

Cæterum si Inquisitor promiserit misericordiam, vel gratiam simpliciter, debet
88 quantum in se est constans esse in promissione, Gomez *variar.to.3.cap.12.num.6.* Pegna *loco cit. vers. Altera*, Sousa *in Aphoris. lib.2.cap.20.num.43.* P. del Bene *dicta par.1. dub.183. sect.4. Corollar. num.4.*

Imò vidi sæpiùs à Suprema &c. obseruatam fuisse fidem datam ab Inquisitoribus, quamuis habeant in mandatis abstinendi ab huiusmodi promissionibus etiam
89 conditionalibus, sed simpliciter admonendi Reos ad dicendam veritatem, & solùm, vt spem habeant in misericordia Sanctæ Matris Ecclesiæ. Et propterea Cantera *quæst.crimin. cap. 1. de vera confessione num. 9.* dicit, non fuisse relaxatum à Consilio Inquisitoris quendam relapsum Brachio seculari, eo quia Inquisitor promiserat ei simplicem misericordiam. Hinc P. Diana *par. 4. tract. 8. resolut. 22.* referens opinionem Canteræ, suadet Inquisitoribus, vt cautè cum Reis loquantur.

90 Quo verò ad secundam partem, certum est, Inquisitores non habere facultatem promittendi impunitatem: Quicquid dixerit Carthar. *de interrogandis Reis lib. 2. cap. 1. num. 27.* Et Bartolus mendosè allegatur à Diana *dicta par. 4. tract.8. resolut. 22.*

Cæterum si illam Inquisitor promittat, vidi nihilominus à Suprema &c. monito,
91 ac etiam amoto Inquisitore, si delictum erat graue, & scandalosum, & contra Reum vrgentiora essent indicia, fidem seruatã fuisse: nam quoquomodo data sit, vel promissa impunitas, debet obseruari, quia etiam hosti fides est seruanda: Pegna, Cantera, & Diana *locis citatis*.

Si autem iudicaret Suprema &c. aliquo casu non esse seruandam impunitatem
92 promissam ex confessione sub spe illius extorta, nullo modo Reus posset damnari in pœnam ordinariam, vt voluit Pegna *loco cit. vers. Hanc opinionem*, latè Farinacc.

*quæst.*81. *num.*276.

Quod eo magis procedere debet, si Reus confessionem extortam reuocauerit, Pegna *loco cit.* Farinaccius *loco cit. num.* 287.

Imò, etsi eam confessionem ratificauerit, etiam cum expressa protestatione,
93 quod impunitatis promissæ nulla habeatur ratio, adhuc in Tribunali nostro non sufficeret ad pœnam ordinariam, vt benè Pegna *loco cit.vers. Nos in hoc crimine;* & ità est seruandum quicquid dicat Farinaccius *d. quæst.*81.*nu.*289. post Couuarr. Magalott. & Bertazzol. per eum *citatos*.

Secundò, dicitur directè impediri Sanctum Officium, si Magistratus secularis vellet cognoscere de hæresis delicto, illius
94 enim cognitio nullo modo ad eum spectare potest, cum crimen sit merè Ecclesiasticum, ex Textu expresso *in cap. Vt Inquisitionis*, §. *Prohibemus*, *de Hæret. in* 6. & ibi Gloss. Io:Monachus, Archid. Io:Andr. & Gemin. Gloss. *fin in cap. Cum secundum*, *ver. Ecclesiasticum*, *de Hæret. in* 6. Abb. *in cap. Ad abolendam num.* 7. *de Hæret.* & ibi Soccin. *num.* 8. Zabarell. *col.* 2. *in princip. in* 4. *opposit.* Anan. *num.*8. Io:Andr. *in cap. Excommunicamus il secondo nu.*1. & ibi Butr. *num.* 5. Abb. *num.* 1. Soccin. *num.* 1. Anan. *num.*1.*de Hæret.* plures citat Farinacc. *quæst.* 186. *num.* 153. addo Castro-palao *tom.* 1. *tract.*4. *disput.*8. *punct.*14. *num.*2. Sanctarell. *cap.*40.*num.*22. Torre-blanc. *de Magia lib.*4. *cap.*29. Catena *par.*2.*tit.*17. *nu.*54. & *par.*3. *tit.* 13. *numer.* 11. San-felicius *decis.* 239. *num.* 4. Fermosin. *in cap. Ecclesiæ S. Mariæ de const. quæst.*55.*num.*7.

Et huius criminis cognitio vetita est Iudici, & Magistratui seculari, non solùm principaliter, sed etiam incidenter. Nam Textus *in dicto* §. *Prohibemus*, vtitur verbo
95 *quoquomodo*, quod comprehendit omnem modum, qui excogitari potest, etiam improprium, *l. Quidam*, §. 1. vbi Gloss. *ff. de fideicomm.libertat.* Menoch. *cons.*344.*nu.*19. cum alijs per Barbos. *diction.* 354. *num.* 2. Et hanc opinionem tenet Gloss. *in dicto* §. *Quoquomodo*, Io: Andr. *col. fin.* Gemin. *num.*4. Simanch. *de Cathol. tit.*36.*num.*1. & *in Enchiridion. tit.* 66. *num.* 1. Paris. *consil.* 2. *num.* 107. *lib.* 4. Farinacc. *dicta quæst.* 186. *num.*154. Sperell. *decis.*134. *nu.*51. Ansald. *de Iurisdictione par.*2. *tit.*2. *cap. vnic. num.*2. Fermosin. *loco cit. num.*4. *in fin.*

Et propterea si exceptio hæresis incidenter in aliquo iudicio seculari opponatur, Iudex laicus de illa exceptione non
96 potest cognoscere, etiamquod de solo facto Hæresis, vel Apostasiæ agatur, vt ex Text. *in dicto* §. *Prohibemus*, voluit Alexan. *l. Titia num.*34. *ff. soluto matrim.* Simanch. *de Cathol. tit.*36.*in princ.* Decius *cap.*2.*num.*24. *de Iudic.* latè Petrus Barbos. *dicta l. Titia num.* 34. & nos *supra* diximus *in crimine Apostasiæ*, Azeued. *lib.* 8. *tit.* 3. *de los Erejes num.* 117. Sesse *de Inhibitionibus cap.* 30. *num.* 43. Carleual. *de Iudic. disp.*2.*quæst.*7. *sect.*1. *num.*769.

Quod intellige ad effectum cognoscendi de delicto, & puniendi, secùs ad effe-
97 ctum repellendi à iudicio, nam si opponeretur exceptio hæresis, si illa esset notoria, vel per sententiam declarata, Iudex secularis posset repellere Hæreticum à iudicio, Plot. *cons.*77. *num.* 13.

Ideo Suprema &c. consulenti Iudici seculari, an verè quis fuerit punitus tanquam Hæreticus, vel pœnitentiatus in Sancto Officio, nulla attestatio super hoc
98 ei datur in scriptis, sed iniungitur Notario Supremæ, &c. vt adeat Iudicem secularem, & ei significet, quid sit actum contra Reum in Sancto Officio.

99 Si tamen sententia in publico lata est, non vidi denegatam copiam sententiæ, si petatur pro causa ciuili, secùs si pro causa criminali.

100 Hinc Magistratus, & Iudices seculares, vel Principes laici, nihil possunt statuere in concernentibus dictum crimen, tàm quoad Processum, quàm quoad petitionem, *cap. Statutum Ciuitatis*, *cap. Accusatus*, §. *Sacerdotes*, *de Hæret. in* 6. Decian. *lib.*5. *cap.*26. *num.*4. Bofs. *de Hæret. num.*13. & 14. Paris. *cons.*2. *nu.*107. *lib.*4. Farinacc. *d. quæst.*186. *num.*154. Castro-Palao *tom.* 1. *tract.*4. *disp.* 8. *punc.* 14. *num.*3.

101 In Italia Deo fauente, Principes, & Magistratus sæculares de crimine hæresis, nec principaliter, nec incidenter cognoscunt, nec super eo aliquid vel minimum statuunt, sed tota eius cognitio residet penes Episcopum, vel Inquisitorem, vel ad vtrumque iuxta terminos *Clementinæ multorum de Hæreticis*.

102 Et quamuis tempore Iulij Tertij fuerit à quodam Principe seculari conditum Statutum, quod vna cum Inquisitoribus, & Episcopis eius Iudices in causa hæresis procederent, & sententiam ferrent, idem Summus Pontifex mandauit, vt illud Statutum aboleretur, prout verè abolitum fuit, & super hoc publicauit suam Bullam quæ incipit. *Licet ex diuersis*, in Bullario, *Constit.* 11. de qua etiam per Pegnam *in fine Directorij*, quæ vetuit, ne sub prætextu; ne vlli fiat iniuria, vel pietatis colore, vt sontes puniantur seueriùs, nec sub prætextu assistentiæ, Iudices seculares Episcopis, & Inquisitoribus vllo modo se adiungant in cognitione criminis hæresis, Processus formando, & suo iudicio subijciendo, quascumque leges, ordinationes, & prouisiones contra Sacros Canones editas annullauit, abrogauit, & aboleuit.

Et licèt in Statu Veneto permiserit assistentiam in causis Sancti Officii duorum Senatorum, hæc tamen Assistentia est absque vlla Iurisdictione: de qua Ego dixi latè *in responsione ad Historiam Inquisitionis Venetæ*, à Fratre Paulo Seruita compositam.

Et nisi suffulta esset Priuilegio Apostolico, vtique non posset ab Inquisitoribus permitti dicta assistentia, vt post Zanard. tenet Diana *par.4. tract.8. resolut.*105.

Nec huiusmodi Assistentia permittitur, vt sint certi assistentes, quod ritè, & rectè contra Hæreticos procedatur, vt malè inquit Zanard. *in Director. Theolog. par.1. cap.6. quæst.29.* Sed permissa fuit, vt faciliorem executionem haberent sententiæ sancti Tribunalis; & isto casu assistentia nihil aliud est quam obedientia, vt ex Procopio probaui *in dicta mea responsione*.

103 Imò nec sub prætextu, quod pax publica perturbetur, vel seditio Ciuitatis sequatur, possunt Iudices seculares de crimine hæresis cognoscere, Boss. *de Hæret. num.*13. & 14. vbi damnat praxim Senatus Mediolani, qui Iudices seculares deputabat in crimine hæresis, & volebat ad Senatum referri causas Hæreticorum, quando sequebatur perturbatio Status, & seditio, Farinacc. *dicta quæst.* 186. *num.*153. & 155.

104 Nec Episcopi, aut Inquisitores possunt permittere, vt Iudices laici secum cognoscant de huiusmodi crimine, vt statuit Iulius Tertius, *prædicta sua Constitutione, Licèt ex diuersis*.

105 Possunt tamen habere Consultores laicos, Procuratores, Aduocatos, Fiscales, Notarios, Scribas, & alios Officiales, dummodò votum Consultorum sit merè consultiuum, Albert. *in cap. Quoniam de Hæret. in 6. quæst.*11. *num.*1. Marta *de Iurisdictione par.4. Centur.2. cap.179.n.3.* Morla *in Emporio, tit.2. quæst.6.*

Nam, vt ait Innocentius *in cap. Decernimus, de iudicijs*, quem sequuntur Abbas, Declus, & alij, potest haberi consilium à laico in causis Ecclesiasticis.

106 Malè autem dixit Paramo *de origine Inquisit. lib 3. tit.2. cap.34. num.3.* Quod Assistentes Veneti habebant votum consultiuum, quia vt *supra* dictum est, nudam habent assistentiam omni Iurisdictione vacuam, & ità fuit scriptum Cardinali Mauroceno *sub die* 17. *Iulij* 1593.

107 Sed quamuis Iudices sæculares non possint cognoscere de causa hæresis, benè possunt carcerare Hæreticos, sed ad effectum illos remittendi Curiæ Ecclesiasticæ, vt voluit Afflict. *in Constit. Regni de Hæret. & Patarenis, num.*33. Farinacc. *dicta quæst.*186. *num.*158.

108 Et propterea Constitutiones laicorum disponentes Iudicem secularem posse in crimine hæresis procedere, debent intelligi solùm quoad carcerationem, ad effectum remittendi Reos ad Iudicem Ecclesiasticum, vt voluit idem Afflict. *loco cit.* quem sequitur Farinaccius *loco citato numero* 158.

109 Et in tantùm hæc remissio debet fieri à Iudice seculari, vt etiamsi in suis carceribus pro delicto aliquo etiam atrocissimo Reum detinerent, qui tamen ob negotium Fidei ab Inquisitore, vel Episcopo petatur, tenetur statim ad illum remittere, vt priùs causa Fidei terminetur; vt statuit B. Pius Quintus, in suo Decreto edito *Anno primo sui Pontificatus*, de quo *in 2. tom.* Bullar. noui *fol.* 177. quod Decretum referunt, Simanch. *post tract. de Cathol.* Trasmiera *de Poligamia, lib.2. q.16. num.15.* Moura *de Incantat. sect.3. punc.1. num.40.* P. Diana *par.4. tract.8. resolut.*104. Carena *par.2. tit.12. §.18. num.168.* Fermosin. *in cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ qu.59. num.28. vers. ad 2. de Constit.*

110 Et hoc etiam faciendum ante Constitutionem B. Pij Quinti, per Constitutiones Vrbani Quarti, & Clementis Quarti, de quibus per Locat. *in ver. Iudex*, dixit Sesse *de Inhibitionibus, cap. 30. num.31. & 32.* quem sequitur Fermosin. *loco cit. nu.35.* qui *numeris sequentibus* damnat leges, siue *fueros* Aragoniæ remissionem huiusmodi denegantes.

111 Et non solùm remissio est facienda in causa hæresis formalis, sed etiam in causis in quibus adest sola suspicio hæresis, Sesse *de Inhibit. cap.30. §.1. num.*111. Carena *loco cit. num.*140. etiam quod Reus detineretur in carceribus laicalibus pro delicto læsæ Maiestatis, quia maius est delictum læsæ Maiestatis Diuinæ, quam humanæ, *cap. Cum secundum leges, de Hæret. in 6.* Trasmiera *in punc. loco cit. num.6. & 7.*

112 Et remissio est facienda in quacumq; iudicij parte petatur. Sesse *loco cit. num.*41. *& seqq. & num.*58. Carena *loco cit. nu.*140. *vers. Bene Ioseph Sesse*.

Verum tamen est, quod non per hoc Iudices seculares, qui remittunt Reum ad Inquisitores, debent supersedere in fabricatione Processus, vt, puta, in examine testium, quia Decretum B. Pij Quinti debet interpretari, vt Iudices seculares supersedeant in expeditione causæ, non autem in formatione Processus, vt benè Sesse *loco cit.* Carena *loco cit. num.*140. *vers. Verum ego teneo*; quamuis hoc non intellexerit Fermosinus *loco citato, numero* 32. & 36.

113 Aliàs posset dari casus, quod per dilationem causæ Sancti Officij deperirent probationes in causa laicali, ideò ne hoc sequatur absurdum, non sunt impediendi Iudices

Iudices seculares, quin possint procedere ad vlteriora in formatione Processus.

Et ità intelligendus est Molina *in Repertor. in ver. Lapsus*, & Sesse *d. num.* 111. qui dicunt, post remissionem Rei Inquisitoribus posse Iudices seculares procedere contra dictum Reum, hoc est in formatione Processus, non in expeditione causæ.

Imò tenentur Iudices seculares supersedere in causis motis, tam ciuilibus, quàm criminalibus, si interim Reus detineatur in Sancto Officio, quamuis non fuerit remissus ab ipsis Iudicibus secularibus, vt fuit resolutum *sub die 24. Octobris* 1584. *&* 22. *Ianuarij* 1588. *&* 25. *Februarij* 1589. & hunc esse inueteratum stylum Sancti Officij, dixit Sacra Congregatio *sub die 27. Ianuarij* 1626. *&* 31. *Augusti* 1627.

Quamuis *de anno* 1660. quoad causas ciuiles fuerit hoc reuocatum in dubium, cum Decretum B. Pij Quinti, loquatur de causis criminalibus, sed non est recedendum à consuetudine Sancti Officij.

114 Finita verò in Sancto Officio causa Rei remissi, tenentur Inquisitores illum restituere Iudici seculari, à quo fuit habitus, vt disponit dictum Decretum B. Pij Quinti, Pegna *ad Lucernam Inquisitorum post tract.de Strigibus fol.*158. Carena *loco citato num.*140.

Non debent tamen Inquisitores in simili remissione cautionem aliquam præstare de restituendo Reum remissum, vt dicit Sesse *loco cit. num.*113. Fermosin. *loco cit. num.* 32. & ità fuit à Suprema, &c. rescriptum Inquisitori Mediolani, ne cautionem hanc præstaret occasione nonnullarum Maleficarum remissarum à Iudicibus secularibus Inquisitori.

115 Si verò Rei non habeantur à Iudicibus secularibus, nunquam Sanctum Officium illos remittit vel Iudici seculari, vel Episcopo, licèt sint Coniudices in causis Hæreticalibus, Carena post Massin. *in Arsenal.assert.*35.*loco cit. num.*167.& 168. Et fuit pluries resolutum in Suprema, &c. nempè 29. *Martij*, 12. *Aprilis*, 30. *Augusti* 1601. 17.*Ianuarij*, 12. *Iunij*, 26. *Octobris* 1602. 24. *Ianuarij*, 25. *Februarij*, 13. *Septembris* 1605. 18. *Decembris* 1613. & 7.*Augusti* 1614. Et hoc vbique obseruatur.

Vnde Legato Ferrariæ petenti sibi consignari carceratum post terminatam causam Sancti Officij, vt pro delictis ad forum secularem spectantibus posset puniri; Sanctissimus dixit, esse contra stylum Sancti Officij, quod non remittit carceratos aliis Iudicibus, vt ex Decreto *sub die* 16. *Iunij* 1616. Quod procedit etiamsi tractaretur de delicto capitali, vt fuit dictum *sub die 27. Martij* 1627.

116 Quando autem habiti sunt à Iudice, & sunt ei restituendi, si pœna, quæ debet illis imponi ab illo Iudice, maior est illa à Sancto Officio imposita, tunc luent pœnam illam; si verò sit minor, tunc rescribitur, quod non liberentur inconsulta Sacra Congregatione.

117 Sed quomodo debeant peti huiusmodi carcerati à Iudicibus secularibus, an expressè ex causa Fidei, an verò pro negocio Inquisitionis; latè disputat idem Fermosinus *loco cit. num.*50.

Sed Nos inhærendo Decreto Sanctæ memoriæ B. Pij Quinti, semper petimus Reos ex causa Fidei, quando verè sunt Hæretici, vel suspecti de Fide.

118 Quando autem carcerati sunt pro delictis indifferentibus, & sunt de illis, qui gaudent priuilegio Fori Sancti Officij, mandat Sacra Congregatio Iudicibus secularibus vt eos remittant ad Inquisitores, tanquam subiectos Foro eorundem Inquisitorum, & exemptos à Foro seculari.

119 Sciendum est etiam Sanctum Officium non subministrare scripturas, vel indicia aliis Tribunalibus, vt Reos possint punire pro delictis, pro quibus detinentur in carceribus, Carena *loco citato num.*169. *in fin.* vbi dicit, fuisse à Sacra Congregatione denegata indicia Episcopo Cremonen. contra quendam Clericum ab eo in suis carceribus detentum.

Et memini sub Pontificatu sanctæ memoriæ Innocentii Decimi, in perquisitione facta Romæ in domo cuiusdam Clerici fuisse inuenta duo breuiora tormenta, quæ non possunt domi retineri sub pœna capitali iuxta Constitutionem Summorum Pontificum; Nihilominus non fuisse super eo delicto inquisitum, nec remissum ad Iudicem suum cum corpore delicti.

Omnia verò alia Tribunalia tenentur remittere scripturas, quas habent contra Inquisitos in Sancto Officio, *cap. Vt commissi, de Hæretic. in* 6. Carena *loco citato numero* 166.

120 Sciendum pariter, si dum Rei examinantur in Curia seculari, & incidenter aliquid deponant, quod spectet ad Sanctum Officium, vel in perquisitione facta in eorum domibus, vel in propriis personis reperiatur aliquid, quod reddat ipsos suspectos de hæresi, pura, si inueniantur Cartæ cum characteribus, Anuli characterizati, cartæ virgines, Particulæ, vel Hostiæ, quæ præsumuntur consecratæ, secreta ad amorem, ad odium, ad necem, ad inueniendos thesauros cum Dæmonum inuocatione, & similia, possunt Iudices seculares mandare, vt scribantur eorum depositiones, & inuenta adnoten-

tur; sed tenentur illicò ea omnia ad Inquisitores, vel Ordinarios remittere.

Peccant tamen sæpiùs Satellites in huiusmodi perquisitionibus, non adhibendo testes, vel non curando, vt Rei se subscribant scripturis, quas in perquisitione inueniunt; Nam sæpè sępius Rei negant, apud illos inuentas fuisse, & cum non credatur Birruarijs Curiæ secularis in Sancto Officio facilè euadunt pœnas.

121 Dixi *Birruarijs Curiæ secularis*, quia Satellitibus deputatis à Sancto Officio creditur in concernentibus eorum officium, iuxta Constit. Innocentij Quarti, *editam de anno* 1252.

122 Sæpè sępius etiam solet accidere, quod detenti in carceribus secularibus, dicunt se habere aliquid spectans ad Sanctum Officium, quod denunciare intendunt, tenenturque propterea Ministri seculares id notificare Inquisitoribus, qui debent accedere ad carceres, & recipere eorum denunciationes, iuxta Decretum Supremæ, &c. *sub die* 24. *Octobris* 1602.

123 Sed non debent propter solam illam denunciationem, vel etiam depositionem illum extrahere à carceribus laicalibus, quia pluries obseruatum fuit, Delinquentes vti hac cautela, vt liberentur à carceribus, quod maximè solet accidere in damnatis ad triremes, nam & hi sæpiùs, vt liberentur à Triremibus, petunt audiri in Sancto Officio; quoniam si res grauis est, debent Inquisitores, vel Episcopi illam referre ad Supremam, si leuis, non debent amoueri à carceribus, vel Triremibus.

124 Dum vero petitur Reus, qui detinetur in carceribus secularibus hic Romæ, P. Commissarius mandat Custodi carcerum, vt illum consignet Ministris Sancti Officij.

Et quia quidam Vrbis Gubernator prætendere cępit, non debere Commentariensem consignare carceratum Sancto Officio, nisi priùs P.Commissarius mittat ad ipsummet Gubernatorem pro licentia, vel saltem ex vrbanitate: fuit resolutum coram Sanctissimo *de anno* 1656. satis vrbanè agi cum Gubernatore, si mandatum de consignando intimetur Custodi, & non Gubernatori, cui posset intimari, Sesse *de Inhibit. cap.*30. §. 1. *num.*56.

125 Si autem Gubernator aliquo respectu censet non debere consignari à Custode, tenetur ille mittere ad P. Commissarium aliquem ex suis Ministris, qui ei notificet causam, ob quam intendit retardare consignationem, quæ si rationabilis iudicabitur, tunc poterit supersederi.

Causæ autem retardandæ consignationis esse possunt, si Iudex secularis necesse haberet carceratum ad substantiandum Processum, subiicere torturæ, vel cum complicibus, vel testibus confrontare, vel similia peragere, quæ si non fierent ante carcerati consignationem, maximum inferretur præiudicium causæ.

126 Posset etiam retardari consignatio, si quis ad mortem damnatus esset denunciatus de hæresi, vel diceret se Hæreticum; & hoc casu, si Reus iste non fuisset alias suspectus de hæresi, non est remittendus Inquisitori, quia huiusmodi dolus, vel fraus illi patrocinari non debet, Roias *singul.* 105. *num.* 5. P. Diana *par.*4. *tract.*8. *resolut.* 164.

127 Si autem Inquisitor petat carceratum asserendo illum velle pro causa ad Sanctum Officium spectante, ei omninò credendum est, vt probat Sesse *loco cit. nu.*97. 98. 106. *&* 107. ex Constitutione Alexandri Quarti, *Ad extirpanda*, in qua statuitur, quod Officialibus Sancti Officij plena fides adhibeatur in omnibus, quæ spectant ad eorum officium.

128 Et licèt Sesse loquatur in duobus Inquisitoribus, vel Officialibus asserentibus carceratum, quem repetunt esse Reum criminis hæresis; idem tamen dicendum est, si vnus tantum Inquisitor hoc asserat, nempè Reum esse Hæreticum, vel de hæresi suspectum, quia vbi crimen est merè Ecclesiasticum, & de sola cognitione Iudicis attestantis, illius assertioni standum est, etiamsi solus sit, §. *Si verò Ecclesiasticum, in Authent. vt Clerici apud proprium Episcopum*, Sesse *loco cit. num.*106.

129 Eo magis, quia Inquisitor non potest impingere alicui crimen hæresis, aliàs in excommunicationē incideret, & alijs pœnis pro mensura delicti esset puniendus, *Clement.* 1. §. *Verum*, *de Hæret.* & ibi Zabarell. Simanch. *de Cathol. cap.*34.*num.*19. Siluester *ver. Excommunicatio*, 7. *num.* 29. Carrer. *de Hæret.* §. *De cuius, num.*14.Sesse *loco cit. num.*108. *&* 109.

130 Et quod etiam Assessori Inquisitoris sit credendum, tenet Carena *par.*2. *tit.*12. §. 15. *num.*140. *vers. Et in casu*.

131 Credendum pariter est Inquisitori, circa restitutionem carcerati, quem habuit à Curia seculari, nec tenetur præstare cautionem de illo restituendo finita causa Sancti Officij; idem Sesse *loco cit. num.*113.

Hoc enim nullo iure cauetur, licet quidam Officialis Sancti Tribunalis hanc cautionem præstiterit, vt dicit Sesse *loco cit. nu.*63.Sed malè, vndè Suprema, &c. Me existente Assessore, Inquisitori Mediolani rescripsit, ne præstaret cautionem de restituendo quasdam mulieres à Curia seculari habitas, vt *dictum est*.

132 Tertiò Sanctum Officium directè impeditur, quando quis occidit, vulnerat,

vel offendit Inquiſitores, vel Miniſtros, ſeu Officiales Sancti Tribunalis, Carena *par.2. tit.4. §. 3. num.22.*

133 Cæterum, quia incidimus in Bullam B. Pij Quinti, *Si de protegendis*, paululùm hic immorandum eſt.

Super ea latè ſcripſerunt, Carena *par.3. tit.13. per plures §§.* Bordon. *in Tribunal. tot. cap. 29.* Scortia *in Select. Epitom.106.* P. Diana *par.4. tract.7. reſolut.13.* Nos hic nonnulla, quæ occurrunt in praxi dicemus.

CAPVT XXVIII.

ARGVMENTVM.

Latè de Bulla Beati Pij Quinti *Si de protegendis*. An ſufficiat, quod Bullæ ſint publicatæ Romæ, vt afficiant. An pœna Bullæ habeat locum in eo, qui offendit Inquiſitorem, vel Miniſtrum Sanctæ Inquiſitionis dimiſſo officio. Quid de offendentibus Familiares, & Cruce-ſignatos Sancti Officij. Quid de offendentibus eos, à quibus timent denunciari in Sancto Officio. De Procurantibus fugam Reorum. An credatur Satellitibus Sancti Officij. Qualis perterrefactio ſufficiat. Quæ cauſæ excuſent à pœnis prædictæ Bullæ. An qui offendit Teſtem non examinatum, vel vocatum in cauſa Hæreſis formalis, ſed ſuſpicionis Hæreſis, incidat in pœnas Bullæ. An ignorantia excuſet, minoritas, imbecillitas, ſexus, conſanguinitas. Leuitas offenſionis. An Rei Bullam debeant obſeruare. An abſolutio Excommunicationis, in materia de qua agitur, ſit reſeruata.

SVMMARIVM.

1 *Bulla Beati Pij Quinti* Si de protegendis, *ratione vniuerſalitatis comprehendit omnes tam laicos, quàm Eccleſiaſticos.*

2 *Et an comprehendat Imperatorem, & Reges.*

3 *Dictio* quicumque *vniuerſalis.*
Verba vniuerſalia in materia fidei comprehendunt etiam Imperatorem, & Reges.

4 *Edictum denunciandi Hæreticos comprehendit Imperatorem, & Reges.*
Imperator, & Reges ſi incidant in hæreſim ſunt denunciandi.

5 *Nec poſſunt eximi à pœnis contra denunciatos inflictis.*

6 *Inquiſitor contra inferiores Regulos, & Duces an, & quomodo procedere poſſit.*
Quid contra Barones.

7 *Princeps ſi reddatur ſuſpectus, quod de eius mandato Miniſtri perpetrauerint delictum contentum in hac Bulla quomodo procedendum.*

8 *Iudices ſiue ſeculares, ſiue Eccleſiaſtici ſub prætextu defendendæ eorum iuriſdictionis non poſſunt Inquiſitoribus impedire carcerationem Rei, vel carceratum eripere, & quid gerere poſſint, & an, & quando incidat in hanc Bullam, & num.10. cum ſeqq.*
Iudex quilibet tueri poteſt ſuam iuriſdictionem.
Et quando poſſit illam defendere enſe, & bello.

9 *Iudex contendens de iuriſdictione cum alio Iudice recurrere debet ad ſuperiorem.*

10 *Excommunicatio ceſſat quando quis tuetur ius ſuum.*
Poſſeſſor non tenetur ius ſuum indefenſum relinquere.

11 *Iudex præſumitur iuſtè procedere.*

13 *Excommunicatio* Regentis à Ponte, *& eius cauſa, & exitus.*

14 *Publicatio Bullæ, ſiue Conſtitutionis Apoſtolicæ quando obliget, & an ſit neceſſaria in ſingulis Prouincijs, & num. 16.*

15 *Bulla* Si de protegendis, *vbi non fuit publicata an excuſentur, qui committunt in ea contenta, & num. 17.*

17 *Papa quando velit Conſtitutionem ſuam non ligare niſi poſt publicationem.*

18 *Inquiſitores an, & quomodo intimare debeant Reis antequam excarcerentur Bullam* Si de protegendis.

19 *Publicatio Bullæ an, & quando fieri debeat, & quod ex diuturnitate temporis præſumatur.*

20 *Bullæ* Si de protegendis *iuſtitia.*
Offenſio Officialis delictum atrociſſimum, & atrociter puniendum.

21 *Bulla* Si de protegendis *strictè interpretanda.*

22 *Nec extendi poteſt de perſona ad perſonam.*

23 *Offenſio indicantis Curſori Sancti Officij denunciatum arreſtandum an ſubiaceat pœnæ Bullæ* Si de protegendis.

24 *Offendens Ministrum Sancti Officij remotum ab Officio, an incidat in hanc Bullam.*
Officialis remotus non dicitur inseruire.
25 *Offendens Officialem Sancti Officij remotum ab officio, sed intuitu Sancti Officij an incidat in hanc Bullam.*
Requisita istius Bullæ.
26 *Offendens Officialem actu inseruientem Sancto Officio, sed non occasione Sancti Officij, an incidat in hanc Bullam, & num.66.*
27 *Indultum delictorum præterquam commissorum contra Officiales, an suffragetur ei qui deliquit contra Officialem remotum.*
28 *Statutum pœnale, & contra ius intelligi debet de casu vero, non autem de casu ficto.*
29 *Offendens Inquisitorem, vel Ministrum Sancti Officij electum ad ministerium antequam possessionem apprehendat, an incidat in hanc Bullam.*
Tempus Datæ attenditur in gratiosis.
Quid in concernentibus iurisdictionem.
30 *Indultum excipiens offensionem factam Officialibus, an suffragetur illi qui occidit Officialem electum.*
Priuilegium concessum ratione officij requirit Officium in actu, non autem in habitu tantùm.
31 *Offensio familiaris Sancti Officij an, & quando subiaceat Bullæ* Si de protegendis, *& numeris seqq. & num.36.*
Offendens hominem quo Princeps vtitur, efficitur Reus lesæ maiestatis.
32 *Familiarium Sancto Officio institutum, & officium.*
Familiares Sancti Officij militant pro Tribunali.
33 *Familiares Sancti Officij gaudent priuilegio fori, siue sint actores, siue Rei, stante consuetudine.*
34 *Ministri Sancti Officij qui dicantur.*
35 *Familiares Sancti Officij an, & quomodo distinguantur ab eius Ministris.*
37 *Offensio Consultorum Sancti Officij an subiaceat Bullæ* Si de protegendis.
Consultores Sancti Officij dicuntur Consiliarij Principis, & de eorum officio.
38 *Consultores Ministri Supremæ Inquisitionis Neapolijs, quod habeant officium, an gaudeant priuilegio fori, & an qui eos offenderit incidat in hanc Bullam.*
39 *Familiares Sancti Officij an, & vbi gaudeant priuilegio fori, & quæ alia habeant priuilegia.*
40 *Qualitas requisita per Constitutionem vbi deficit, cessat Constitutio.*
Offensio illius, à quo quis dubitat denunciari, vel quem contra se dubitat examinatum, an subiaceat Bullæ Si de protegendis, *& num. seq.*
41 *Subuersio quando cesset.*
42 *Fuga denunciati si procuretur, an, & quando procurantes incidant in hanc Bullam.*
Prohibitio capturæ quando verificetur.
43 *Exemptio capti pro Sancto Officio an probetur ex dicto Satellitum Tribunalis.*
Dictum Satellitum non reputatur integrum.
44 *Electio probatorum virorum facienda pro capiendis Hæreticis, quibus in concernentibus eorum officium credendum est.*
45 *Officiales pro capiendis Hæreticis deputati quando fidem mereantur, & num. 50.*
Cursores Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ qui sint, & an eorum officium reputetur vile.
46 *Birruarij quando, & qui fidem mereantur.*
47 *Birruarij maiores licet nuncupentur Baroncelli, & Capitanei adhuc Birruarij sunt, & an, & quando sint testes omni exceptione maiores.*
48 *Birruarij capientes Reos exercent officium vile, & an, & quando sint testes integræ fidei, vel non.*
49 *Birruarij deponentes, se fuisse impeditos, vel offensos in executione facienda, fidem non merentur.*
Testes omni exceptione maiores in causa propria non admittuntur.
Conspiratio in personam Principis, vel Papæ, non probatur ex ipsius Principis, vel Papæ, contra quem prætenditur, assertione.
Officialis quantumuis nobilis, & probus adhuc fidem non meretur, etiam in his, quæ officium concernunt vbi deponit ad sui exonerationem, vel in causa propria.
50 *Constitutiones Apostolicæ recipiunt interpretationem à iure communi.*
51 *Satellites Sancti Officij fidem merentur etiam in causis grauioribus quando eorum dictum est adminiculatum.*
52 *Cursores, siue Scoppettelli Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ cuius sint conditionis, & quam mereantur fidem præsertim in Sancto Officio.*
53 *Birruarij maiores quando repelli non possint à testificando.*
54 *Baroncellus Gubernatoris Romæ licet magnæ auctoritatis, reputatur persona vilis, & potest à testificando repelli.*
55 *Offensio Officialis Sancti Officij mandatum non ostendentis an subiaceat Bullæ* Si de protegendis.
Officiali mandatum non ostendenti potest impune resisti.
56 *Satellites Sancti Officij dicentes velle Reum capere pro causa Tribunalis an fidem mereantur, nisi ostendant mandatum.*
57 *Reus resistens Birruarijs non ostendentibus mandatum an debeat prius petere illius ostensionem.*
Birruarij debent ostendere mandatum testibus ad iustificandam resistentiam Rei capturandi.
58 *Quid si habeant signum officij puta virgam.*
Birruarij habentes mandatum an debeant etiam habere signum officij.

59 *Iudex potest committere capturam Rei cuilibet priuato, ac ipsi parti timore offensæ.*
60 *Perterrefactio an, & quomodo differat à minis incusso.*
61 *Terror an infertur verbis, vel & facta requirat, & num. 64.*
Terror vnde dicatur.
62 *Minæ an inducant semper terrorem.*
63 *Deiectio quid significet.*
Dictio seu est declaratiua.
64 *Terror verbis illatus an subiaceat Bullæ* Si de protegendis.
Qualitas minarum, seu minantis non attenditur in materia turbatæ, seu impeditæ iurisdictionis, sed solus effectus.
65 *Minæ non secuto effectu an, & quando subijceant huic Bullæ.*
Actus mere internus ex intentione violandi, sine conatu, vel actu externo ad delictum proximo non subiacet dictæ Bullæ.
66 *Fauens Hæreticis ex alia causa quam hæresis non incidit in pœnas Fautorum.*
Quid de Defendentibus, & Receptantibus Hæreticos ex alia causa, quam hæresis.
67 *Offendens Officialem Principis ex odio priuato an incidat in crimen læsæ maiestatis.*
Contrarietas quid sit.
68 *Fiscus Sancti Officij probare tenetur delictum fuisse patratum in odium Tribunalis, aliàs non intrant pœnæ Bullæ* Si de protegendis, *& cessat iurisdictio Inquisitionis.*
69 *Scientia offendentis Inquisitorem, Testem, vel Aduocatum Sancti Officij, quod ille sit talis, requiritur vt intret hæc Bulla, & num. 90.*
70 *Officialis Sancti Officij offensus quod fuerit cum scientia istius qualitatis, & in odium Tribunalis, quomodo probetur.*
71 *Probationes claræ ad euitandas pœnas Bullæ* Si de protegendis, *quæ dicantur.*
72 *Inquisitor an, & quando punire possit offendentem Officialem Sancti Officij cum ignorantia, quod ille sit talis.*
Offendens Clericum cum ignorantia Clericatus an incurrat excommunicationem.
73 *Episcopus punire potest offendentem Clericum cum ignorantia Clericatus.*
Euentus attenditur, & non intentio.
74 *Offendens testem non vocatum in causa hæresis, sed in causa suspicionis hæresis, an incidat in pœnas Bullæ* Si de protegendis.
Causa fidei dicitur non solum, quæ spectat ad hæresim formalem, sed, & quæ ad suspicionem hæresis.
75 *Suspecti de hæresi an gaudeant immunitate Ecclesiastica, quam non gaudent Hæretici, & num. seq.*
Suspecti de hæresi veniunt appellatione Hæreticorum.
76 *Blasphemantes hæreticaliter non gaudent immunitate Ecclesiastica.*
77 *Inquisitor an, & quomodo possit extrahere Hæreticos, & de hæresi suspectos à loco immuni.*
78 *Iudex secularis tenetur remittere ad Inquisitorem acta nedum in causa hæresis, sed & in causa suspicionis hæresis.*
79 *Testis, qui falsum deposuit in causa Polygamiæ an gaudeat immunitate Ecclesiastica.*
80 *Ignorantia an, & quando excuset offendentes Ministros Sancti Officij à pœnis Bullæ.*
Constitutio perpetua Papæ, vel alterius Principis superiorem non recognoscentis ligat etiam ignorantes, & quid si agatur de pœna corporali.
81 *Lex in atrocibus non succurrit ætati, nec imprudentiæ.*
Minor offendens Officialem Sancti Officij an incidat in pœnas Bullæ, & quomodo sit puniendus, & num. seq.
Quid si vocetur in iudicium pro delicto commisso in minoritate effectus maior.
82 *Minor delinquens in minori ætate an, & quando vocari possit in iudicium postquam fuit effectus maior.*
83 *Senex offendens Officialem Sancti Officij an incidat in hanc Bullam.*
84 *Quid de muliere.*
85 *Mulier mandans occidi Inquisitorem, Episcopum, vel alium Ministrum Sancti Officij quomodo punienda.*
86 *Mulier eripiens è manibus Satellitum virum, vel filium an sit excusanda à pœnis Bullæ.*
87 *Maritus percutiens eum, qui denunciauit vxorem in Sancto Officio, an excusetur à pœnis Bullæ, & quomodo sit puniendus.*
Quid de fratre.
88 *Pater eripiens è manibus Birruariorum Sancti Officij filium suum an incidat in Bullam, & quomodo sit puniendus.*
89 *Offensa leuis an subiaceat dispositioni Bullæ, & quomodo sit punienda.*
Quid de perterrefaciente testes non secuto effectu.
91 *Causæ ob quas excusari possit Reus à pœna huius Bullæ.*
92 *Inquisitores quomodo se continere debeant in casibus huius Bullæ.*
93 *Reus ob casum in Bulla contentum, an, & quando torturæ, & abiurationi subijci debeat.*
94 *Excommunicatio huius Bullæ an sit reseruata Sedi Apostolicæ.*

BVLLA hæc condita, & promulgata fuit à Beato Papa Pio Quinto occasione nonnullarum offensionum factarum Inquisitori, & Ministris Sancti
1 Officij Mantuæ, de quibus idem Summus Pontifex redarguit acriter Ducem Mantuæ, & eò legauit S. Carolum Borromeum, vt motus sedaret; vt latè diximus *in responsione ad Historiam Veneta Inquisitionis*

Fr. Pauli Seruitæ: Et propterea tanquam Vniuersalis comprehendit omnes, tam laicos, quàm Ecclesiasticos, vt dicit Scortia *d. epitom. 106. Theorem. 278. in princip.* Carena *par. 2. tit. 13. num. 84. vers. Et hinc est*.

An autem comprehendat Imperatorem, & Reges, negat Bordon. *loco citato num. 5. vers. Quæres secundò*; ea ratione, quia de illis non fuit facta expressa mentio; Nam verba Bullæ, ibi:

Vt quicunque, siue cuncta Ciuitas, siue Populus, siue Dominus, siue Comes, Marchio, Dux, vel potiori titulo Illustres.

2 dicit, debere referri ad expressos. Sed contrariam opinionem tenet Carena *loco citato num. 84. vers. Et hoc multò magis*.

Ea ratione, quia cum simus in materia fidei, dictio illa vniuersalis, *quicunque*, com-
3 prehendit etiam Reges, & Imperatorem, *cap. Vt Inquisitionis, de Hæret. in 6.* Paramus *de origin. Inquisitionis lib. 3. quæst. 5. num. 23.* idem Carena *par. 2. tit. 9. num. 26.*

Et hanc sententiam credo verissimam, quia etiam Edictum denunciandi Hæreti-
4 cos comprehendit Imperatorem, & Reges, Suarez *de fide disp. 20. sect. 4. num. 27.* Trasmiera *de Denunciat. quæst. 6. cap. 1. nu. 4.* Quemadmodum etiam si Imperator, & Reges incidant in hæresim, sunt denundi, *cap. Vt officium, §. Denique de Hæret. in 6.* Sanctarell. Suarez, Eymer. Pegna, Carrer. Simanchus, Paramus, & Carena relati à Trasmiera *loco citato cap. 2. num. 6.* Baldell. *de fide, & infidelit. lib. 1. disp. 60. num. 29. vers. Quemadmodum num. 25.*

5 Nec possunt eximi à pœnis contra sic denunciatos inflictis, Baldell. *loc. cit. n. 25.*

6 Verum est, quod si casus accideret (quod Deus auertat) non possunt Inquisitores contra inferiores Regulos, & Duces procedere, nisi consulto Summo Pontifice, Suarez *loco cit.* Pegna *par. 3. comment. 80.* Carena *d. par. 2. tit. 9. num. 28.*

Imò non solent procedere contra Barones, nisi consulto Sanctissimo, vel Suprema, & Vniuersali Inquisitione.

Et quia quandoque Principes reddunt se suspectos, quod de eorum mandato eorum Ministri aliquod in Bulla conten-
7 tum delictum perpetrauerint, punitis Ministris, solet Sanctissimus monere eosdem Principes, vt consulant suis conscientijs, quod si temerario ausu ipsimet Principes manus violentas iniicerent in Inquisitores, tunc absque mora contra eosdem procedit Suprema &c. vt processit contra Principē &c. & secundum qualitatem delictorum pœnas imponit rigorosas, vel mitiores: Nam N. Baro, qui iniurijs affecerat Vicarium Sancti Officij, damnatus fuit in pœnam exilij à loco delicti, iniunctumque ei fuit, vt peteret veniam Vicario, eleemosynam quandam faceret, & alias pœnas subiret salutares, ac præstaret iuramentum, vt imposterum caueret à similibus, eique fuit Bulla specificè intimata; vt ex Decreto *sub die 20. Martij 1608.*

Sed an Bulla comprehendat Iudices, & Magistratus, qui ob tuendam eorum iurisdictionem aliquem prohibuerunt carcerari ab Inquisitore, vel carceratum mandauerunt eripi, vel vinctum à custodia extrahi.

DICO non licere Iudicibus secularibus, vel etiam Ecclesiasticis sub prætextu de-
8 fendendæ eorum iurisdictionis talia attentare contra Sanctissimum Sanctæ Inquisitionis Tribunal, sed debent recurrere ad Summum Pontificem, siue ad Supremam &c. nam quamuis quilibet Iudex possit suam tueri iurisdictionem, *l. 1. ff. Si quis Iusdicenti non obtemperauerit*, & ibi Doctores Canonistæ *in cap. 1. de offic. Deleg. cap. Ex par. de verbor. signific.* Bald. *in Margarita ver. Iudex* vbi, quod Iudex in aliquo Territorio potest defendere suam iurisdictionem, etiam ense, & bello, si subditus, vel alter subtrahit sibi exercitium iurisdictionis, quem sequitur Aufret. *in Clement. 1. de offic. Ordin. reg. 1. fallen. 15 in fine*, de Gouny *de immunit. Ecclesiast. quæst. 12. num. 2. vers. Baldus*.

Attamen hæc regula habet locum, quando proceditur inter Iudicem, & pri-
9 uatum, vt apparet ex Textu *in l. Si quis ex aliena ff. de Iudic.* Secùs si contentio iurisdictionis sit inter duos Iudices, quia tunc debet recurri ad Superiorem, *l. de iure ff. ad municip. & de incolis cap. Pastoralis de rescriptis*, Felin. *cap. Super litteris nu. 35. de rescriptis*, Valenzuela *cons. 200. num. 57.*

Si tamen casus acciderit (quod Deus auertat) puto huiusmodi Magistratus, &
10 Iudices non incidere in pœnas contentas in Bulla, quia talia non committunt in odium Sancti Officij, nec animo impediendi iurisdictionem Sancti Tribunalis, sed tuendi propriam iurisdictionem, & se defendendi: Nam communis est conclusio, quod sententia excommunicationis non habet locum, quando quis tuetur ius suum, Hostien. post Innocent. *in cap. 1. de concessione Præbend. in 6.* & ibi Io. Andr. *num. 3.* Anchar. *num. 1.* Archid. *num.* Butr *num. 15.* Gemin. *num. 11.* quos refert, & sequitur Nauarrus *in repetit. cap. Cum contingat, de rescriptis*.

Nullus enim possessor tenetur ius suum indefensum relinquere, l. *Illud*, vbi Glos. & Bartol. *ff. de petit. hæreditatis*, Nauarrus *loco citato in 7. causa nullitatis num. 7.*

Quod intelligendum est, si notorium esset, Inquisitorem sine iurisdictione pro-
11 cedere; Secùs si posset aliquo modo dubitari, quia tunc non est licitum tueri

iurisdictionem cum violentia, nam iuris præsumptio stat pro Iudice, quod iustè procedat, *l. 1. ff. de offic. Præfect. Prætor. l. seruo inuito*, §. *Cum Prætor. ff. ad Trebell. l. fin. ff. ne quid in loco publico, cap. Bonæ memoriæ 23. de offic. Delegat.* Farinaccius, qui alios *quæst. 32. num. 91.*

Et in terminis tenent Bald. *loco citato ver. Iudex*, Aufrer. *d. Clement. 15. in fine*, de Gonny *loco citato num. 2.* latè Narbona *ad leges Regias cap. 20. gloss. 18. num. 64. & 65.*

Cautè ergo legendus est Carena *d. par. 2. tit. 13. §. 19.* vbi simpliciter ait, compre-
12 hendi in Bulla Iudices, & Magistratus, quia secundum prædicta debet intelligi.

Nec casus Regentis à Ponte meruit allegari; declaratum enim fuit incidisse in pœnas in Bulla contentas, quia mandauit
13 mitti ad triremes loco carceris Notarium Sancti Officij, ex quo recusauit consignare processum fabricatum in Curia Archiepiscopali Neapolitana contra quendam Polygamum, quo casu, absque difficultate, pœnæ in Bulla contentæ locum habent.

Nec poterat excusari Regens, quod esset notorium, Curiam Archiepiscopalem nullam habere iurisdictionem contra Polygamum, quia imò contrarium erat notorium: Præterea modus à Regente habitus non erat aptus ad defendendam iurisdictionem secularem, sed fuit quædam represalia omni iure vetita.

Et ideo Regens agnouit delictum, veniam petiit, & fuit absolutus à censuris incursis per Nuncium Apostol. in propria Cappella, pluribus conuenientibus, secundùm Decretum fauctæ mem. Pauli Quinti.

Secundò animaduertendum est, quod ad hoc vt Bullæ, siue Constitutiones Apo-
14 stolicæ obligent, sufficit, quod sint publicatæ Romæ in acie Campi floræ, & per alia loca solita Vrbis; nec necesse est, quod in singulis Prouincijs publicentur, Abbas *in cap. 2. num. 71. de Constit. & in cap. Nouerit de sententia excommunic. in 6.* Cardinalis *in Prohem. Clement. §. Vniuersitatis num. 4.* Nauarrus *consi. 1. nu. 19. de Constit.* Gomez *ad Reg. Cancell. quæst. 2.* Bartol. & Baldus *in l. leges Sacratissimæ, de legibus lib. 4. cap. 15. num. 3.* Vasquez *in 2. 2. disp. 156. cap. 2.* Azor. *Instit. moral. lib. 5. cap. 5. quæst. 3. & cap. 12. quæst. 1. tom.* Granad. *in 1. 2. controuer. 7. tract. 3. par. 1. disp. 11. sect. 2. num. 17.* Duard. *in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 1. quæst. 1. num. 17.* Loua *in 1. 2. disp. 18. de legibus*, Basilius Ponce *de matrim. lib. 5. cap. 7. nu. 2.* Filiucc. *to. 2. tract. 21. cap. 11. num. 397.* Sayr. *in Claui Regia lib. 3. cap. 5. & 7.* Coriolan. *in Bulla Cœnæ, vbi de absolut. in fine*, Rodriguez *quæst. Regul. to. 1. quæst. 7. art. 3.* Malder. *2. 2. quæst. 90. art. 4. dub. 3.* Salas *de legibus disput. 12. sect. 2. num. 10.* Valentia *tom. 3. disput. 7. quæst. 3. punc. 5.* Palatios *in 3. sententiarum distinc. 3. quæst. 1.* Sotus *de instit. & iure lib. 1. quæst. 1.* Bertus *in explicatione Bullæ Clementis Octaui de largitione munerum*, Layman. *Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 3.* Villalobos. *in Summa tom. 1. tractat. 2. dub. 12. num. 5.* M. Anton. *lib. 1. resol. 122. casu. 1.* Molfes. *in Summa tom. 1. tract. 9. cap. 8. num. 38.* Siluester *ver. lex, quæst. 6.* Rossell. *eod. verb. num. 4. & nu. 11.* Plures ex nostris Farinacc. *in Repert. iudiciali quæst. 3. cap. 1. num. 17.* vbi *in verf. prima opinio* dicit, hanc seruari de consuetudine.

Nihilominus si constet, Bullam hanc in aliqua Prouincia, vel Ciuitate non fuis-
15 se publicatam, tunc excusantur qui committunt ea, quæ continentur in Bulla à pœnis in illa contentis, vt fuit resolutum *die 8. Aprilis 1604.*

Et ratio est, quia quamuis nonnulli Doctores teneant, Bullam Romæ solum-
16 modò publicatam non ligare, nisi etiam in Prouincijs publicetur, quos citat P. Diana *par. 1. tract. de legibus resolut. 8. verf. His tamen minimè suffragantibus, & par. 5. tract. 14. Miscell. 2. resolut. 25.* Farinacc. *loco citato.*

Secùs verò si de mente Pontificis non constet, vel constet de contraria: In casu
17 nostro constat, voluntatem B. Pij Pontificis fuisse, suam Constitutionem non obligare, nisi fuerit publicata in Prouincijs; iubet enim in ea, *vt vniuersi, & singuli Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & cæteri Ecclesiæ Prælati, per vniuers. Orbem constituti per se, & per alium, seu alios, præsentes litteras, aut earum exempla in suis quibuscunque Prouincijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, & locis solemniter illam faciant publicare*: Quo fit, vt non nisi post publicationem solemnem in Prouincijs voluerit prædictam Constitutionem ligare *argumento, cap. Cum infirmitas de Pœnitent. & remiss.* Vvigers, & Diana *locis citatis.*

Ad tollendam autem omnem dubitationem in particulari, solet Suprema, &c.
18 mandare Inquisitoribus, vt antequam Rei excarcerentur, intimetur illis Bulla prædicta; Doctis, & callentibus linguam latinam, prout iacet latino sermone; Indoctis verò idiomate Italico, Carena *d. tit. 13. §. 22. num. 25. verf. hodie.*

Sed an huiusmodi Bulla præsumatur publicata? Respondi in casu occurrenti
19 affirmatiuè, quia non est præsumendum, Prælatos dicto Pontificis audientes non fuisse in re tam graui, & tam magnæ considerationis; tùm etiam quia concurrit diuturnitas temporis, quæ inducit publicationis præsumptionem, Cephal. *consi. 35. num. 48. volum. 1.* Roland. *consi. 99. nu. 36.*

volum. 2. Farinacc. *in Repert. Iudic. qu.* 3. *cap.* 1. *num.* 8. Ideo si quis allegaret, Bullam non fuisse publicatam, deberet hoc probare ad pœnas euadendas.

Tertiò aduertendum est, Constitutionem hanc quamuis rigorosam, vtpote-
20 que imponat maiores pœnas, quàm faciat ius commune, iustissimam esse, vt dixit Simancha *de Cathol. tit.* 41. *num.* 41. *vers. Pius Quintus*, quia condita est fauore fidei, & ad publicam vtilitatem, Riccius *in punc. Bullæ decis.* 74. *par.* 1. *per totam*.

Et quia offendens Officiales, atrocissimum dicitur committere delictum, ideò
21 atrociter puniendum esse ait Textus *in l. Ait Prætor*, §. *vlt. ff. de iniurijs*, Salycetus *in l. non ideò minus, ff. de accusat.* Doctores *in cap. Cum illorum de sentent. excommunic.* Franc. Marc. *decis.* 34. *par.* 2. Menochius *de Arbitrar. cap.* 263. *num.* 5. Farinacc. *de delict. & pœnis quæst.* 17. *nu.* 37. latè Mastrill. *de Indulto, cap.* 36. *num.* 1. Strictam tamen recipit interpretationem Carena *d. tit.* 13. *num.* 5. & 6. Bordon. *loco citato num.* 2.

22 Ideò non potest extendi de persona ad personam, vt dixit post Riccium, & Caren. *loco citato*, Bordon. *loco citato*.

Et propterea in Curia Neapolitana teste Riccio *d. decis.* 74. fuit resolutum, non incidisse in pœnas in Bulla contentas,
23 mulierem quandam, quæ percusserat Clericum, qui indicauerat Cursori Sancti Officij, vbinam eius mater reperiretur, quæ debebat arrestari ob quædam sortilegia, de quibus fuerat denunciata: Et hanc decisionem sequitur Carena *loc. cit. nu.* 8.

Secundò, infertur pœnas Bullæ non habere locum in offendente Ministrum
24 Sancti Officij remotum ab officio, quia non dicitur inseruire Sancto Officio, vt Bulla requirit ex doctrina Romani *in l. Si quis in graui*, §. *de his, ff. ad Sillan.* quem sequitur Angelus *de Malef. in ver. Casum Sempronij colum.* 6. *vers. & diligenter*, de Franchis *decis.* 403. *num.* 7. & 8. Caball. *centur.* 2. *resolut.* 111. Bellon. *de potest. cor. quæ fiunt in contin. lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 5. Mastrill. *de Indult. cap.* 36. *num.* 11. *vers. Et licet*, Carena *loco citato num.* 16. Bordon. *loc. cit. num.* 10. *vers. Secunda pars*.

Quod crederem procedere, etiam quod offensa facta fuerit intuitu Sancti Officij;
25 Nam Bulla duo requirit: Alterum quod tantùm nefas in contemptum, & odium Sancti Officij fuerit: Alterum quod offensus sit actu Minister, Carena *loco cit. nu.* 18. Bordon. *loco citato num.* 10. *vers. Secunda pars*.

Et quamuis Carena, & Bordonus teneant contrarium, quando offensa facta
26 fuisset contemplatione officij iam dimissi, quia tunc offensum dicitur Sanctum Officium; Tamen aduertendum est, non sufficere verificare alterum de extremis, sed requiruntur ambo copulatiuè; Quemadmodum enim non intrat Bulla, si offendatur Minister actu inseruiens, sed non occasione Sancti Officij, vt benè probat Carena *loco citato*, §. 6. *num.* 23. Bordonus *loco citato nu.* 10. Farinacc. *quæst.* 182. *nu.* 8. *in fine*, Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 28. *nu.* 9. Et fuit pluries resolutum in Suprema, &c. præsertim *sub die* 10. . . . 1588.

Ità è contrario, si offendatur intuitu Sancti Officij, qui non est actu Minister, cum contrariorum eadem sit disciplina.

Ideò cum similis casus accidisset Neapoli, fuerat enim promulgatum Indultum generale, vt qui alterum ex delinquenti-
27 bus occidisset, seu cepisset, gratiaretur de delictis per eum commissis excepto delicto offensionis, vel resistentiæ factæ Gubernatoribus, Auditoribus, Aduocatis Fisci, & alijs Executoribus, & Ministris Iustitiæ: Et cum quidam Notarius, seu Cancellarius Regiæ Curiæ Ciuitatis Materæ fabricasset processum super homicidio contra Vespasianum Maluendi, finito officio, redditoque sindicatu post octo menses à die dimissionis officij, interfectus fuit à fratribus dicti Vespasiani, qui vt gauderent indulto, alium occiderunt delinquentem; Commissarius generalis contra delinquentes delegatus censuit, dictos fratres gaudere indulto; Sed relata causa ad Vicariam, magna illa Curia iudicauit contrarium: deuoluta causa ad Sacrum Consilium, & discussa acriter, resolutum fuit in fauorem Inquisitorum, vt apparet *ex decis.* 403. Vincentij de Franchis: In hac re tamen reliquit cogitandum, Mastrill. *de Indulto d. cap.* 36. *num.* 11. *vers. Et licet contrarium in fine*.

Sed ad dictam decisionem Vincentij de Franchis vide modernum Additionatorem Carolum Antonium de Luca, qui plures casus distinguit, post hæc scripta à me visum.

Accedit vltra tradita, quod statutum pœnale, & contra ius debet intelligi in
28 casu vero, non autem in casu ficto, Bartol. *in l.* 1. §. *Lex falcidia, ff. ad l. falcidiam*, & ibi Imol. *post num.* 8. Alexander *num.* 9. idem Bartolus *in l. Si quis pro emptore num.* 35. *ff. de vsucap.* & ibi Iason *num.* 170. Rouit. *super Pragmat.* 1. *de persecut. Malefact. num.* 23. Cum ergo offensus debeat verè, & actu esse Minister Sancti Officij, non sufficit ad hunc effectum, vt per fictionem iuris censeatur esse Minister.

Sed cum de tempore mei Assessoratus casus iste non acciderit, non habeo super hac controuersia decisionem Sacræ Congregationis.

Quod diximus de Ministro, qui dimisit officium, idem dicendum est de Inquisitore,

29 re, siue Ministro tantùm electo, antequam sui ministerij possessionem apprehendat, cum non dicatur esse actu Minister, licèt enim in gratiosis attendatur tempus datæ, *cap. Si eo tempore de rescriptis in 6.* Afflict. *decis. 253.* In concernentibus tamen iurisdictionem attenditur tempus præsentationis litterarum, & captæ possessionis, Bald. *in l. 1. C. vt lite penden.* & ibi Fulgosius Castren. *in l. 2. eodem tit.* cum aliis per Vincent. de Franchis *decis. 326. num. 2.* Caball. *resol.* 148. Nouar. *pragm. 2. de Abolitionibus nu. 63.* Mastrill. *de Indulto cap. 36. num. 23.*

Et hi omnes tenent gaudere indulto, qui occidit Officialem electum, quamuis
30 in indulto excipiatur offensio facta Officiali: Nam priuilegium concessum ratione officij requirit officium in actu, non autem in habitu tantùm, Paris de Puteo *de sindicat. in ver. Electio Officialium cap. 3.* Boer. *decis.* 150. Mastrill. qui alios *dicto cap. 36. num. 23. in fine*, & in terminis Bullæ tenet Carena *loco citato*, §. 5. *num.* 21. 22. & 23.

An autem qui offendit Familiarem, vel Crucesignatum Sancti Officij incidat in pœnas Bullæ, videtur resoluendum affir-
31 matiuè; Nam cum Bulla constituat offendentes Ministros Sancti Officij Reos læsæ maiestatis, in huiusmodi delictum incidit, qui offendit quemlibet hominem, cuius opera vtitur Princeps, Boss. *de crim. læsæ maiestatis num.* 38. Farinacc. *eodem tit. quæst.* 112. *num.* 53.

Et cum huiusmodi Crucesignati, & Familiares deputati sint in institutione S. Officii, vel ad denunciandos, vel capiendos
32 Hæreticos, vel ad comitandos Inquisitores, & quando fuerint ab Inquisitoribus requisiti, Pegna *par. 3. comment.* 105. *verf. Rursus*, Narbona *ad leges Regias lib.* 4. *tit.* 1. *l.* 20. *Glos.* 1. militare videntur Sacro Tribunali, ideo intrare potest dispositio, *l. Quisquis C. ad l. Iuliam Maiest.* ibi *Vel cuiuslibet postremò, qui nobiliter militat*, vbi Glossa *in ver. militat*, declarat, siue militet in militia armata, siue inermi, Farinaccius *loco citato num.* 51.

Cæterum licèt sciam, quandoque offendentes Familiares S. Officij fuisse ab Inquisitoribus punitos, præsertim in Ciui-
33 tate Anconæ, & Melitæ, in quibus viget consuetudo, quod familiares Sancti Officij gaudeant priuilegio Fori, siue Actores sint, siue Rei, quam consuetudinem sæpius canonizauit Sacra Congregatio, cum hoc casu sit attendenda, Carena *par.* 1. *tit.* 14. §. 5. *num.* 17. Carolus Maranta *respons.* 69. *num.* 33. *par.* 3. Et quoad Officiales Meliten. adsit Breue Clementis Octaui *sub die* 10. *Aprilis* 1601. tenoris infrascripti:

Dilectis Filijs, Magno Magistro, & Conuentui, Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani.

Clemens Papa Octauus.

Dilecti filij salutem, &c. Perlatum est ad Nos non sine graui animi nostri molestia, Franciscum Pantosa fratrem Militem istius Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, diabolico spiritu ductum, dilectum filium Magistrum Marium de Nicastro Spatarium, antiquum Familiarem Sanctissimæ Inquisitionis contra Hæreticam prauitatem Insulæ Meliten. verberibus, ac vulneribus affecisse, sed id grauiùs, ac molestiùs tulimus, quod cum dilectus filius Magister Fabritius Verallus in vtraque nostra Signaturæ Referendarius, & in eadem Insula Inquisitor, causam hanc tanquam ad Tribunal Sancti Officij pertinentem cognoscere vellet, Vos illum impedieritis.

Etenim cum pluries per Nos in Congregatione generali Inquisitionis resolutum fuerit, cognitionem similium causarum delictorum in personas Familiares officij Inquisitionis commissorum, ac ipsosmet in eosdem Familiares delinquentium ad Sancti Officij Tribunal pertinere, Vos pro vestra in Nos, & Apostolicam Sedem fide, & deuotione, non solùm prædictum Fabritium non impedire, verum etiam omne illi auxilium præstare debuissetis: Proinde Nos in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliysque grauioribus arbitrij nostri pœnis, per præsentes Vobis mandamus, vt huiusmodi causam tam contra prædict. Franciscum Pantosa, quàm alios quoscunque super verberibus, & vulneribus prædictis inquisitos, aut complices, prædicto Fabritio per eum cognoscendam, audiendam, & fine debito terminandam statim remittatis, & illi molestiam aliquam, vel impedimentum nullo modo inferatis: Quinimò, vt promptos, ac deuotos huius Apostolicæ Sedis filios decet, vestrum auxilium, & fauorem, prout opus fuerit, & ab ipso Fabritio fueritis requisiti in præmissis illi exhibeatis, non obstantibus quibuscunque Priuilegijs, Indultis, & exemptionibus Vobis, & vestri Hospitalis fratribus per Apostolicam Sedem quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, quæ Vobis, aut alijs quibuscunque contra ipsius Sanctissimæ Inquisitionis officij priuilegia, nullo modo suffragari posse decernimus, & declaramus. Dat. Romæ apud S. Petrum die 16. *Aprilis* 1601. *Anno Decimo.*

Non vidi tamen offendentes simplices Familiares Sancti Officij punitos pœnis
34 contentis in Bulla, sed solùm offendentes personas in dicta Bulla expressas, quæ licèt vtatur verbis *aliysque Ministris prædicti officij*, nomine tamen Ministrorum, solùm
35 veniunt Inquisitor, Vicarius, Cancellarius, siue Notarius, Fiscalis, Custos carcerum, satellites, siue Birruarij, si qui sunt

proprij Inquisitorum, Balivi, siue Cursores, sine quibus Tribunal consistere nequit; qui etiam gaudent priuilegio Fori; vt sæpiùs me existente Assessore resoluit Sacra Congregatio; & dicunt Simancha *de Cathol. cap.*41. *nu.*39. Taurellus apud Barbos. *Iuris Ecclesiast. vniuers. lib.* 1. *cap.* 39. §.4. *num.* 34. Narbona *ad leges Regias lib.*4.*tit* 1. *leg.*20.*Glos.*19.*n.*2.& videntur distinguere interFamiliares,& Ministros,Pegna *par.*3. *comment.*105. *vers. Rursus,* Param. *de origin. Inquisitionis lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. Simancha *d.c.*41.*nu.*27. Narbona *loco cit.* & in terminis Balivi latè *infra in causa Senen.sub n.*48.

Si tamen Familiares isti, dum comitantur Inquisitores, vel persequuntur Hære-
36 ticos, vel suspectos de hæresi, aut comitantur Carceratos de loco ad locum, offenderentur, crederem eos offendentes subiici pœnis in Bulla contentis,quia cum tunc sint in actuali ministerio, possunt appellari Ministri,quia non solùm in habitu, sed actu habent ministerium.

Quod dixi de Familiaribus, non puto habere locum in Consultoribus Supremæ, &c, qui stant, & assident coram San-
37 ctissimo, & Supremis Inquisitoribus,dum habentur Congregationes, & votum suum proferunt.

Hos enim tanquam Consiliarios Principis gaudere priuilegio, *l. Quisquis C. ad l. Iuliam maiest.* omnino dicendum est ad tradita per Farinacc. *d. quæst.*112. *num.*53.

Idem dicendum est de Consultoribus Ministri Supremæ Inquisitionis Neapoli
38 residentis, quia deseruiunt tanquam Vicarii Inquisitorum,cum recipiant denunciationes, examinent testes, & fabricent processus, & gaudent priuilegio Fori, vt fuit resolutum in Suprema,&c. *die* 17.*Maij* 1640. de quo priuilegio latè Marant. *dicto respons.* 69. vbi refert litteras à me conscriptas, licèt cum aliquibus mendis.

Cautè igitur legendi sunt Sperell. *decis.* 128. *num.* 81. & ab eo allegati, nempe Simancha *d. tit.* 41. *num.* 19. Farinaccius *quæst.* 182. §. 5. *num.* 8. Gratian. *discept. cap.*340.*nu.*33. Grafs. *de effect. Cleric. effec.*1. *num.* 156. Taurell. *loco citato*, P. Diana *par.* 4. *tract.* 1. *resolut.*42. asserentes, Fami-
39 liares Sancti Officij gaudere priuilegio Fori,quia loquuntur de Familiaribus Sancti Officij Hispaniarum iuxta concordiam initam inter Regem, & Familiares Inquisitionis Regnorum sibi subditorum, de qua plenè per Narbonam *ad leges Regias lib.* 4. *tit.* 1. *l.* 2. *Glos.* 1.

Non autem de Familiaribus Inquisitionum Italiæ,qui tantummodo(seclusa consuetudine,vt *supra* dictum) gaudent priuilegio deferendi arma, vt videbimus *infra*.

Et cum in Bulla dicatur, *Qui accusatorem, seu denunciatorem,seu testem in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum.*

Dubitatum fuit in vna Mediolanen. An Mulier quædam Sortilega, quæ propriis manibus,ac ope cuiusdam laici duas mulieres complices occiderat, timens ne
40 illam Sancto Officio denunciarent, incidisset in pœnas Bullæ. Resolutum fuit minimè incidisse, quia illæ mulieres, nec accusauerant, neque denunciauerant, vel euocatæ, aut productæ erant in testes, vndè cum deficeret vna ex his qualitatibus delicti tempore, Constitutio non poterat habere locum, Farinacc. *cons.*87. *num.*2. Riccius *d. decis.*74. *par.*1.

Nec fuit habitum in consideratione Prohemium Bullæ, quo innititur, Constitutionem fuisse conditam, ne Sanctum
41 Officium subuertatur, & ne Ministri in functionibus disturbentur: quia per huiusmodi delictum, nec mulier subuertit Sanctum Officium, cum nihil attentauerit aduersus Sacrum Tribunal, nec Ministris in suis functionibus impedimentum præstitit, ad Text. *in cap.* 2. *de supplen. neglig. Prælat. &* §.*Nec illorum magis, instit. de milit. testam.*

Sicut etiam resolutum fuit, non incidisse in pœnas Bullæ, qui vulnerauerat quendam, quem putabat fuisse contra eum examinatum in Sancto Officio, cum re vera, nec productus in testem,nec euocatus fuisset.

Item cum in Bulla dicatur:

Quique carcerem, aut aliam custodiam siue publicam, siue priuatam effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumue eripuerit, receperit, occultauerit, siue facultatem effugiendi dederit.

Quæsitum fuit, an nonnulli, qui procurarunt fugam mulieris eorum Amasiæ, nondùm tamèn captæ, vel carceratæ, in-
42 cidissent in pœnas Bullæ: & fuit negatiuè resolutum, quia verba illa, *capiendum prohibuerit*, debent intelligi de prohibitione dominatiua, vel violenta, iuxta illud, *Hospitio prohibemur Arenæ*, vt ex Decreto 18. *Septembris* 1608.

Nec obstant alia verba, *facultatem effugiendi dederit*,quia intelligenda sunt retento themate periodi, & sic referuntur ad captum ereptum, non autem ad eum, qui nondùm fuit captus.

Sed an, qui captum eripuerit, conuincatur ex dicto Satellitum Sancti Officij.
43 Respondendum est negatiuè, quia dictum Satellitum non reputatur integrum, Farinacc. *de Testibus, quæst.*56. *num.*370. & *quæst.*188. *num.*70.

44 Et quamuis Constitutiones Innocentii Quarti, Alexandri Quarti, & Clementis Sexti disponant, quod probis viris,qui debent allici ad capiendos Hæreticos,credatur in his, quæ ad eorum officium per-

tinent, de quibus Farinacc. *dicta qu.*188. *num.* 70.

Nihilominùs dictæ Constitutiones, vel non debent intelligi de huiusmodi vilibus
45 Satellitibus, sed de familiaribus Sancti Officij, qui sunt vt plurimùm viri nobiles, & qui olim eligebantur pro capiendis Hæreticis, & illis exterminandis, prout de Cursoribus Curiæ Archiepiscop. Neapolitanæ, qui sunt Clerici, & inter personas Ecclesiasticas connumerantur, & eorum officium vile non reputatur, dicunt Riccius *decis.*59. *par.*2. Guazzin. *defens.*1. *cap.* 37. *num.* 78. *versic. Ego autem puto*.

46 Et de Birruariis maioribus, præsertim habentibus Iurisdictionem, voluit Ioseph Ludou. *decis. Lucens.*1. *num.*1. 2. 3. & 4. qui loquitur de Baroncello Lucen. qui habet auctoritatem puniendi facinorosos forenses delinquentes, & Granut. *Theorem.* 19. *num.*11. Guazzin. *loco cit.* Riccius *decis.*1. *par.*4. qui tamen limitat in Birruario inferioris ordinis, hoc est, *Caporale di guardia*, vt ipse loquitur, Nouar. *quæstion. Forens. quæst.*16. *per totam*, vbi in fine mordet Farinaccium contrarium tenentem, qui etiã
47 limitando conclusionem in Baroncellis habentibus iurisdictionem, dicit; *Sed vtcumque sit Birruarij sunt, licèt Baroncelli, & Capitanei nuncupentur*, & propterea nunquam crederem esse testes omni exceptione maiores, quando deponerent, vel ad suam exonerationem, vel in causa propria.

Sed immeritò vir inter Criminalistas facile Princeps à Nouario insulsè reprobatur.

Negari enim non potest, quod tales Birruarij, quamuis Capitanei nominen-
48 tur, si tamen actu, vel habitu capiant Reos, officium vile non exerceant, secundum vniuersalem totius Orbis consuetudinem; & propterea, seclusa causa Fidei, in qua per particulares Constitutiones cautum est, quod eis plenè credatur, certè in alijs causis non sunt testes integræ fidei.

Præterea Farinaccius suum dictum restringit in Capitaneis deponentibus ad suam exonerationem, vel in causa propria, nam remittit se ad secundam ampliationem, in qua exemplificat in Birruariis deponentibus, se fuisse impeditos in executione facienda, vel fuisse verbaliter, vel realiter offensos: Nam primo casu, deponunt ad suam exonerationem, secun-
49 dò, in causa propria, in qua non admittuntur testes, etiam omni exceptione maiores; quemadmodum dicimus de Principe, & Papa, quibus non creditur, si dicant aliquem conspirasse contra eorum Personas, vel Statum; Doctores *in cap.* 1. *de probat.* Textus est *in Clement. Pastoralis, de re iudic.* Mohed. *decis* 4. *alias* 86. *de restit. spoliat.*

Et propterea hisce duobus casibus, & aliis, quæ pendent ex eorum officio, nulla eis est adhibenda fides, vt voluit idem Farinacc. in specie de Officialibus, qui sunt viri nobiles, & probi *dicta quæst* 188. *num.*71. Quicquid ergo dicat Nouarius, non est recedendum ab opinione Farinaccij.

50 Vel dictæ Constitutiones intelligendæ sunt, quando sumus in causis leuibus, secùs in grauioribus, cum recipiant interpretationem à iure communi, Farinacc. *loco citato num.*72.

51 At si cum dicto Satellitum Sancti Officij concurrant alia adminicula, & coniecturæ, non erit absurdum dicere, quod etiam in causis grauioribus plenè conuincant; vt fuit resolutum in Suprema *de anno* 1614. super casu, de quo meminit Farinacc. *loco citato num.*73.

Videnda est etiam magistralis Decisio Curię Archiepiscopalis Mediolanen. Cartharij 87. *per totam*.

Cauendum est pariter à Riccio *in Collect.* 646. dùm dicit, quod Cursores, siue *Scoppettelli* Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ plenam faciunt fidem, dùm deponunt inuenisse penes aliquem libros Hæreticorum, vel scripturas Negromanticas, quia quicquid fit in Curia illa, in qua non habentur Cursores, siuè *Scoppettelli* pro vilibus personis, quia à Supre-
52 ma, &c. in qua resident Cardinales, & Consultores, qui fuerunt Nuncij, vel Auditores Nunciaturæ in Ciuitate Neapolitana, & benè norunt, Cursores illos esse sæpissimè peiores, quàm sint Birruarij laici, non adhibetur illis fides, nisi quatenus adhibetur Birruarijs vilibus, & ordinarijs.

Crederem tamen, opinionem Nouarij, & Riccij habere locum, quando Capitanei, siue maiores Birruarij, vel *Scoppettelli* testimonium redderent coram extraneo Iudice in aliqua extranea causa; Non enim possunt repelli à testificando propter exceptionem vilitatis, & infamiæ, qua repelluntur alij Satellites, si verè in illo loco adest consuetudo, quod tales non habeantur pro vilibus; & sic credo habere locum *Decisionem primam* Lucen. Ludouici, Campegg. *de Testibus, reg.* 16. & Farinacc. *quæst.*56. *num.*391.

54 Quod tamen Romæ locum non haberet, quia licet ibi maior Baroncellus Gubernatoris habeat magnam auctoritatem, habetur tamen pro persona vili, & ideò potest repelli.

Cæterùm si huiusmodi Birruariis, vel Officialibus Sancti Officij deputatis ad ca-

55 ad capiendos Hæreticos resistatur, quia non ostendunt mandatum Inquisitoris, num intrent pœnæ Bullæ, negatiuè est resoluendum, quia potest illis hoc casu impunè resisti, Boss. *de Captura*, *num.* 93. Repertor. Inquisit. *ver. Captura*, *verf. Nota qualiter*, Carena *par.* 2. *tit.* 13. §.18.*n.*80. & est Textus clarus *in l. Probibitum*, *C. de Iure Fisci*, Farinacc. *quæst.*32. *num.*32. Decian. *tom.*1. *lib.*3. *cap.*4. *num.* 8. & 9.

Quod procedit, etiamsi Satellites dicant velle Reum capere pro causa Sancti
56 Officij, quia non est illis credendum, nisi ostendant mandatum: vt fuit resolutum in Sacra Congregatione *prima Iulij* 1593. & priùs *die* 20. *Februarij eiusdem Anni*, fuerat scriptum Inquisitori Bergomi contra N., qui Birruarios volentes eum carcerare nomine Sancti Officij, non esse procedendum in Sancto Officio, quia concludenter non probatur, ipsos dixisse velle eum carcerare nomine Sancti Officij; & hoc tanto magis, quia non ostenderunt mandatum Inquisitoris, & sic dicto ipsorum non tenebatur credere.

Et propterea non potui assentiri Decreto facto in Sacra Congregatione *de anno* 1663. *die* . . . . . quo dictum fuit,
57 damnandum esse in pœnam rigorosam quendam, qui restitit Birruarijs dicentibus, illum velle capere *per il Sant'Offizio*, quia non habebant mandatum, nec eidem illud ostenderunt, & quamuis illud non petierit, vt videtur velle Caualcan. *de Brachio Regio par.* 2. *num.* 44. Nihilominus ad instificandam resistentiam debebant illud ostendere Testibus, Boer. *decis.*170. *num.*2. Boss. *loco cit. num.* 95. Farinacc. *quæst.* 32. *num.*31. Baiard.ad Clar.*quæst.*29.*num.*3.

Nec satis est, quod habeant aliquod signum Officij, puta virgam, vt putauit Clarus §.*fin. quæst.*29. *num.*2.

Quia potest esse, quod virga ostendat eos esse Satellites, & tamen non habeant
58 mandatum ad aliquem capiendum, & ità reprobato Claro, tenet Farinaccius *dicta quæst.* 32. *num.* 31. qui tamen, dùm veriùs existimat, quod Satellites vtrumque habere debent, & mandatum Iudicis, & signa, fallitur, quia sufficit, quod habeant mandatum, licet careant insignibus.

Nam Iudex potest cuilibet priuato cap-
59 turam alicuius committere, imò, & ipsi parti offensæ, Cagnol. *l. Non est singulis num.* 6. *ff. de Reg. Iuris*, Clarus *quæst.* 28. *num.* 8. in terminis, Narbona *dicta l.* 20. *num.* 77. & 78.

Occasione autem verborum *perterrefacere*, quærit Carena, numquid quælibet perterrefactio sufficiat ad incurrendas pœnas dictæ Constitutionis, & refert opinionem Zanardi *in Summ. Diuin. Præcept. to.*1. *cap.* 5. *de fide*, *verf. Nota autem vnum*, qui
60 voluit perterrefactionem esse debere de re graui: Sed Zanardus, & cum eo Carena confundunt terminos.

Aliud enim est minis incutere timorem; aliud est terrere aliquem, unum primum refertur ad verba: secundũ ad facta, & quidẽ atrocia, Canonistæ *in cap.*1. *de offic. delegat.* nempe Abb.*num.*2.*in fin.* Butr.*nu.*5.Decius *num.*10. Felin.*num.*1. Berous *num.*10.& 17. Franciscus Costa Senensis *in repetit. nu.*51. Riminald. *in ead. repetit. num.*21.

Et licet Abbas *ibi* dicat, quod vnum pro alio ponitur, nihil allegando, Berous
61 tamen dicit, quod potest allegari Textus *in l.*3.*in fin.ff.quod metus causa*, quem pariter allegat Decius *loc.cit.*ibi *terrore verborum*, & Guidus Papa *dicto cap.*1.*num.*1. dicit, *propter minas terror infertur*.

In meo tamen Textu non habetur *terrore verborum*, sed *terrore verberum*.

Et ideo puto, quod Constitutio non loquatur de perterrefactione facta verbis, sed quæ fit factis, quia terrere, est quasi in terram prosternere, secundum Grammaticos, vt dicunt Berous, & Riminaldus *locis citatis*, ille *num.*10. iste *num.*22.

Neque obstat, quod ex minis inducatur terror, quia, vt benè respondit Decius,
62 potest esse, quod minæ non terreant, & propterea adiectum est, *dicto cap.* 1. *minis, & terroribus*: Et idem voluit Summus Pontifex *in cap. Constitutis il primo*, *de testibus*.

Accedit, quod verbum *perterrefacere*, adiectum est verbo *deijcere*, quod propriè
63 significat in terram proijcere, iuxta illud Virgilianum 8. *Aeneidos*.

Toto Genitor, quæ plurima Cœlo
Deijcit in terras.

& habetur *toto titulo de his, qui deiecerunt, vel offenderunt*; & adiectio fuit facta per dictionem *seu*, quæ stat declaratiuè, vt per Barbos. *dict.*363. *num.*7.

Meliùs ergò Carena *loco cit.*§.15.*num.*65. concludit, hanc perterrefactionem debere intelligi de factis, & non de verbis.

64 Verum tamen est, quod siue ex verbis, siue ex factis impedita remaneat Iurisdictio Sancti Officij cum effectu, non excusarem sic perterrefacientes à pœnis Bullæ, quia in materia turbatæ, seu impeditæ iurisdictionis attenditur effectus, & non qualitas minarum, vel minantis, Farinaccius *de crim. læsæ maiestat. quæst.* 113. *insp.* 10. *numer.* 55.

Sed post hæc scripta relatus fuit casus in Congregatione Sancti Officij coram Sanctissimo de quodam Blasphemo, qui denunciatus fuit, minatum fuisse, se velle occidere Testes contra illum examinatos in Sancto Tribunali: Dubitatum fuit, an iste casus esset comprehensus in Bulla.

Votum Consultorum fuerat, & quidem iustum, casum non esse comprehensum in Bulla, quia illa verba minatoria erant potiùs prolata per viam iactantiæ, & in publico, non autem animo offendendi,
65 quia ad nullum alium actum extraneum pro executione minarum deuenerat: Et ideo cum nullus secutus fuisset effectus, non intrare Bullam, hoc casu voluere Carena in terminis *par.2.tit.12.§.16.* quem sequitur Bordon. *in Tribunal. cap.29.nu.16. in fin.* Salelles *de materijs Tribunal. lib. 6. cap.8.reg.495.num.164.* vbi quod vt intrent pœnæ Bullæ, non sufficit actus merè internus, nec sola intentio violandi, sed requiritur conatus, & actus externus, qui sit proximus delicto.

Sed quia facta fuit difficultas in depositione testium, conclusum fuit damnandum in pœnam extraordinariam, nempe in pœnam Triremium per quinquennium, sed commutandam postea, vt inseruiret fabricæ Armamentarij, seu Arsenalis erecti in Ciuitate-vetula, Me tamen semper *contradicente*. Nam aliàs vidi, huiusmodi sic minantes expeditos fuisse cum monitionibus, & pœnitentijs salutaribus, cum intimatione Bullæ *Si de protegendis*; & quandoque addita fideiussione de non offendendo.

Cæterum quæ causæ excusent ab incursu harum pœnarum, dicendum est, primam causam esse, quando actiones,
66 quæ enumerantur in Bulla, non fiunt in odium, & contemptum Sancti Officij, sed ex alia aliqua causa, Farinacc. *qu.182. num. 80. in fin.* qui remittit se ad ea, quæ dixit *in eademmet quæstione nu.12.68.& 159.* vbi, quod fauens Hæreticis non propter hæresim, sed ex alia causa non incidit in pœnas contra Fautores Hæreticorum latas. Sic etiam defendens, & receptans Hæreticum non ex causa hæresis, sed ex alia causa, non incidit in pœnam contra defendentes, & receptantes latas, de quibus dicemus *infra*.

Et hanc opinionem tenet Sousa *in Aphorism. lib.1. cap.28. num. 9.* Carena *loco cit. §.6. num. 23.* exemplo eorum, qui offendunt Officiales Principis ex odio priuato, hi enim non incidunt in pœnam criminis læsæ maiestatis, Anan. *consil. 67.* Odd. *cons. 88. vol. 1.* Farinacc. *quæst. 112. num.150.* Bordon. *in Tribunal.cap.29.nu.10.* Et hæc opinio seruatur in praxi. Sic enim fuit resolutum *sub die 15.Septembris 1608.*

67 Vnde explodenda est opinio P. Scortiæ *ad Selectas,Epitome 106.Theorem.274.* quem sequitur P. Diana *par 4. tract. 7. resolut.13.* nempe etiamsi non in odium Sancti Officij formaliter actio damnata in Bulla fiat, nihilominus sic agens incidit in pœnas dictæ Bullæ, nisi per claras probationes docuerit, id non fecisse.

Nam hæc opinio est de directo contraria dispositioni dictæ Bullæ, & continuatæ praxi Sacri Tribunalis.

Etenim illa verba apposita in Bulla, *nisi per claras probationes docuerit, contrarium se fecisse*, non possunt intelligi de actu non gesto, quia non facere actum, non est contrarium facere actui, sed est non facere. Contrarietas enim est, quando in vno, & eodem facto sunt hincinde actiones repugnantes, verbi gratia, quod aliquis sit illegitimus, vel legitimus, furiosus, vel sanæ mentis, aliquam esse virginem, vel pollutam, vt dicit Gloss. *in Clement. Testibus de Testib.* & per eam Tuscus *litt.C, conclus. 1007. num.4.*

Quis enim dicat, Bullam voluisse coarctare Reum, qui fortassè percussit Testem euocatum ad probandum per claras probationes illum defendisse à percussionibus, in quo consistit contrarius actus percussionis.

Illud ergo verbum *contraria se fecisse*, debet intelligi de contraria qualitate à Bulla requisita, hoc est, non in odium Sancti Officij, sed ex odio priuato delictum perpetrasse, & hæc est praxis, & obseruantia interpretatiua illorum verborum Sacræ Congregationis.

Imò, etsi Fiscus Sancti Officij non probet hanc qualitatem, videlicet, delictum
68 perpetratum fuisse in odium Sancti Officij, non intrant pœnæ Constitutionis, tanquam deficiat qualitas iurisdictionem tribuens *ad notat. in cap. Si Clericus, de foro compet.* & *in cap.Romana, §.Contrahentes, de appellat.* Carena in terminis *§.6. num.28.*

Et propterea si quis offendat Inquisitorem, Testes, vel Aduocatum, nec Fiscus
69 probet, offendentem sciuisse illum esse talem, non intrant pœnæ Bullæ, vt sæpiùs fuit resolutum.

70 Huiusmodi tamen qualitas, & scientia probatur ex coniecturis, Farinacc. *qu.112. num.154.* Mastrill. *de Indulto cap.36.num.22.* Carena *loco cit.num.28. vers.Bene verum.*

Quibus ità probatis habet locum postea dispositio Bullæ, nempe, quod Reus excusari non potest, nisi per claras probationes docuerit contrarium se fecisse: Nam tunc transfertur onus probandi in Reum.

71 Claræ autem probationes in proposito dicuntur, quæ nituntur præsumptione iuris, siue hominis, Eugen. *cons.82. num.7. volum.1.* Carena *loco cit. §.7. num.31.*

Hæ tamen debent esse tales, vt contrarium necessariò inferant, Carena *loco cit. §.7. num.33. vers. Confutatur.*

Nec obstant, quæ longo sermone adducit Sesse *de Inhib. cap.30. §.1. à num. 18.* vbi conatur probare, quod Inquisitor

potest punire offendentes Officialem Sancti Officii, etiamquod ignorent, eum esse Officialem Sancti Officii, quia vera
72 est conclusio in his Officialibus, qui gaudent priuilegio fori.

Nam cum radicata sit iurisdictio Inquisitoris in persona offensa, non requiritur in offendente scientia, argumento Text. *in l. apud Labeonem, §.Seruum, ff.de Iniurijs*. At ità intelligenda sunt dicta à Sesse *loc.cit.* Quemadmodum dicimus de offendente Clericum ignorante eum esse Clericum: nam licet non incidat in excommunicationem, *cap.Si vero*, & ibi Gloss.1.Hostien. *num.*1. Abb. *nu.*1.*de sentent.excomm.* Berous *cons.*187. *num.*6. *vol.* 3. Couuarr. *cap. Alma Mater,par.*1.§.10.*num.*15. *de sentent.excomm.* Bellett. qui alios *disquis.Cleric. tit.de discipl. Cler.* §.2. *num.*14.

73 Potest tamen puniri ab Episcopo, quia attenditur euentus, non intentio, Bartol. *in l. Dinus num.* 2. *de Iniur.* Felin. *in cap.* 1. *extr. de Offic. Ordinarij*.

Sed an qui offendit Testem non euocatum, vel examinatum in causa hæresis formalis, sed tantummodo suspicionis hæresis, incidat in pœnas Bullæ.

Affirmatiuè est resoluendum, quia Bulla dicit, Testem in causa fidei productum, vel euocatum. Causa verò fidei illa est, quæ non solùm spectat ad hære-
74 sim formalem, sed etiam ad suspicionem hæresis, vt in terminis post Zanard. tenet Carena *loco cit.* §.17.*num.*63. vbi, quod ità resoluit Sacra Congregatio in personam cuiusdam Militis, qui blasphemum nomine Sancti Officii captum à Birruariorum manibus eripuerat, qui fuit condemnatus in pœnas in Bulla contentas, licet ex pietate fuerit illi pœna mortis commutata in pœnam Triremium per decennium.

Comprobatur hæc opinio, quia suspecti de hæresi priuantur immunitate Ecclesia-
75 stica, sicuti Hæretici formales, vt de antiquissima praxi Sancti Officii testatur Farinacc. *de Immunit. Eccles. in appendice cap.*13. *num.*175. Marius Italia *de Immunit. lib.*1.*cap.*5.§.6.*num.*140. qui allegat elegantem Textum *in L. Omnes, C. de Hæret.* vbi habentur hæc verba:

Hæreticorum vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint, deuiare.

Et tamen Bulla Gregorij Decimiquarti loquitur de hæresi, quæ secundum ali-
76 quos, debet intelligi de hæresi formali, non de suspicione hæresis, vt in puncto immunitatis voluit Gamba-curta *de Immunit. lib.* 5. *cap.*38. *num.* 4. Cuius tamen opinio reprobatur ab omnibus P. Diana *par.*4. *tract.*1. *de Immunit. resolut.* 51. vbi de Blasphemantibus hæreticaliter, qui non gaudent immunitate, Farinaccius *loco cit. num.* 175. Et ità pluries fuit resolutum in Suprema, & scriptum fuit *sub die* 10.*Iunij* 1638. Episcopo Meliten. posse Inquisitorem extrahere à loco immuni Hæreticos, vel de hæresi suspectos, certiorato tamen Episcopo vel ante, vel post extractionem.

77 Et facultas extrahendi à loco immuni non solùm Hæreticos, sed etiam suspectos de hæresi, fuit concessa Inquisitoribus à Ioanne XXII. in sua Constitutione *dat. Auenione Idibus Augusti, anno eius Pontificatus Primo*, hoc est *anno* 1316. quæ est *prima suarum Constitutionum in* Bullario *tom.* 1.

Confirmantur supradicta, quia Decretum Beati Pij Quinti, quo mandat, vt
78 Iudices seculares remittant ad Tribunal sanctæ Inquisitionis acta in causa hæresis, habet locum etiam in causa suspicionis hæresis, vt *supra* dictum est ex Sesse, & Carena.

An autem Testis, qui in causa Polygamiæ falsum deposuit, gaudeat immunita-
79 te Ecclesiastica: Affirmatiuè fuit resolutum in Suprema *sub die* 29. *Septembris* 1656.

Secunda causa excusationis est ignorantia, quæ potest dupliciter considerari,
80 vel ex eo quod Bulla non sit publicata, de quo diximus *supra*, vel an post publicationem liget etiam ignorantes.

Et hoc secundo casu, quamuis magis communis opinio sit, quod Constitutio Papæ, vel alterius Principis superiorem non recognoscentis perpetua liget etiam ignorantes, vt latè per Farinacc. *in fragment. verb. Bannimenta num.* 42. & *in verb. Constitutio num.* 696. Carena *loco cit.* §. 22. *nu.* 90. etiamsi agatur de pœna corporali, Farinacc. *dicto verb. Bannimenta num.*30. Carena *loco cit.*

Nihilominus quia Sacra Congregatio solet vti maxima pietate, admittit hanc excusationem in homine idiota, rustico, muliere, & similibus: vt fuit pluries resolutum, & præsertim in vna Meliten. coram san.mem. Alexandro Septimo *de anno* 1656.

Tertia causa excusationis est minor ætas. Nam licet in atrocibus lex non
81 succurrat ætati, & imprudentiæ, *l. Auxilium,* §. *In delictis, ff. de minoribus*, Gloss. *in l. Fere, ff. de Reg. Iur.* Nihilominus inconcussa est praxis in Sancto Officio, quod minores vigintiquinque annis mitiùs puniuntur arbitrio Sacræ Congregationis, vt testatur Pegna *par.*1. *comment.*13. latè Menoch *de arbitrar. cas.*329.*num.*12.

Quod procedit, quamuis effectus maior pro delicto in ætate minore commisso in iudicio vocaretur, Pegna *loco cit. in fin.*
82 qui dùm subiungit, quod minor, qui

propter ætatem minorem nullo modo pœnas dedit, effectus maior, non porest de eodem delicto puniri, intelligendus est, si aliàs minor durante ætate minori fuerit in iudicium vocatus, vel si vigore Statuti puniri nequear, vt declarat Tiraquellus *de pœnis temperand. caus.* 7. *num.* 8. Non autem si de eo tempore in iudicium non sit vocatus.

Et ità pluries fuit resolutum in Suprema &c. nempe minores ætate perpetrantes delicta in Bulla contenta, damnatos fuisse mitiori pœna, nempe Triremium, si ætatem viginti annorum excesserint.

83 Causæ minoris ætatis coniungitur ætas senilis, *dicta l. Fere*, Menoch. & Tiraquell. *loc. cit. & caus.* 8. *per tot.*

84 Quarta causa est sexus muliebris, *l. Sacrilegij pœnam, ff. ad l. Iuliam pecul. l. Si adulterium cum incestu*, §. *Stuprum*, §. *Fratres*, §. *Incestum*, *ff. ad l. Iul. de adult. l. Quisquis*, §. *Ad filias*, *C. ad l. Iuliam Maiest.* ibi: *Minor enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse cõfidimus* Baldus *l. Quicunque num.* 17. *C. de Seruis fugitiuis*, Tiraquell. *loc. cit. caus.* 9. Farinacc. *de pœnis temperand. qu.* 98. *caus.* 10.

Quod tamen non ità simpliciter intelligendum est, sed pro qualitate facti: nam si mulier Testes contra illam examinatos
85 in Sancto Officio mandaret occidi vel Inquisitorem, Episcopum, vel alium Sancti Officij ministrum veneno necasset, eam non excusarem à pœnis in Bulla contentis, si ea omnia in odium Sancti Officij perpetrasset. Et ideo hisce casibus (quos Deus auertat) pœnas non minuerem ob atrocitatem criminis, iuxta dicta per Farinace. *loco cit. num.* 15. vbi dicit, hanc diminutionem pœnæ, difficile fore in practica obtinere; & testatur, fuisse decapitatam in Vrbe quandam nobilissimam Matronam, quæ mandauerat occidi aliam mulierem, prout re vera occisa fuit. Et pariter fuisse laqueo suspensam aliam vilem mulierem, quæ veneno virum suum sustulerat.

Quinta causa erit consanguinitas, vel affinitas: nam si vxor è manibus Satelli-
86 tum Sancti Officij virum, vel filium eriperet, nulla alia secuta offensione, crederem esse excusandam à pœnis Bullæ, prout excusata fuit à Senatu Mediolani, vt refert Clarus *in praxi quæst.* 29. quem ad hunc propositum refert Carena *loco citato* §. 21. *num.* 88.

Et sic è conuerso fuisse à Suprema &c. resolutum, quod vir, qui percussit baculo
87 quendam, qui eius vxorem in Sancto Officio denunciauerat, deberet plecti tribus ictibus funis baculo pedibus alligato, & exilio à loco delicti, vt ex Decreto *sub die* 27. *Iunij* 1591. & in Sancto Officio Cremonæ condemnatus fuit ad Triremes per decennium quidam, qui baculo percusserat Testem, qui in Sancto Officio deposuerat contra eius fratrem: teste Carena *loco cit.* §. 24. *num.* 100.

Et in eodem Sancto Officio, non fuisse condemnatum in pœnas contentas in
88 Bulla, filium, qui è manibus Birruariorum Sancti Officij eripuerat patrem, sed in grauem extraordinariam, testatur idem Carena *loco cit. num.* 84.

Sexta causa est leuitas offensionis, quæ licet in rigore non minuat pœnas Bullæ,
89 solet tamen Suprema &c. commutare illas in pœnas Triremium ad tempus, vel etiam in perpetuum pro qualitate delicti, Carena *loco cit. num.* 100. *vers. Sic etiam*, vbi subiungit, quod quidam, qui perterrefecerunt Testes non secuto effectu, fuerunt expediti cum acri monitione, & intimatione Bullæ, Monald. *cons.* 66. *vol.* 2.

Scio tamen quendam, qui percusserat pugnis Satellites Sancti Officij, quia malè ei responderant dicenti, *che trattassero meglio quel Carcerato*; superueniente Vicario
90 Sancti Officij, & dicente, *questo si fà al Sant'Offizio?* ille respondit, *non sapeuo, che questo fosse carcerato del Sant'Offizio*, fuisse mulctatum pœna pecuniaria, & exilio à loco delicti, & iussum, quod peteret veniam, & absolutionem excommunicationis ab eodem Vicario, non obstante quod consignasset Carceratum Sancto Officio, qui aufugerat.

Quæ tamen resolutio fuit valde rigorosa, cum aliàs Suprema &c. *sub die* 10. *Septembris* 1588. rescripserit Inquisitori Alexandriæ, ne molestaret quendam, qui Fratrem Ioannem N. è manibus Satellitum Sancti Officij eripuerat, sola excusatione contenta, quod ille nesciebat dictum Fratrem Ioannem carceratum fuisse pro Sancto Officio.

Et memini *de anno* 1655. Equirem Veroam Bergomensem, qui quendam Religiosum detrusum in carceribus Episcopi Bergomensis ex causa Sancti Officij, è dictis carceribus extraxerat cum magna hominum manu, fuisse solummodo mulctatum exilio, & eius complices damnatos ad carceres arbitrio, quia nesciebant detineri pro Sancto Officio, sed putabant detineri pro causa ad Ordinarium spectante, non tamen fidei, redacto tamen Reo extracto in posse Sancti Officij.

Et *de anno* 1651. Secretarius Marchionis Canossæ, qui Fratrem Sebastianum Baldinum eripuerat è manibus Ministrorum Sancti Officij, dum in cimba per Padum veherent Ferrariam, fuit acriter tortus super qualitate, an verè sciret dictum Fratrem detineri ex causa Sancti Officij.

Plures aliæ causæ possunt adduci excu-

ſandi Reos à pœnis contentis in Bulla,
91 ſed enumeratæ ſunt frequentiores. Qui
autem plura videre cupit circa prædictam
Bullam, legat Carenam *toto tit. 13. par. 2.*
Bordonum *toto cap. 29.*

Sciant tamen Inquiſitores debere caſus
Bullæ referre Sacræ Congregationi, nec
92 poſſe damnare huiuſmodi Reos ea incon-
ſulta, vt fuit reſolutum *ſub die 30. Octobris*
1593. prout nec etiam pœnas Bullæ remit-
tere, vt pariter fuit reſolutum *ſub die* 12.
Auguſti 1600. quod etiam voluere Zanard.
par. 2. præcept. 1. cap. 5. §. 23. P. Diana *d. reſo-
lut. 13.* Carena *loco cit. §. 22. nu. 95.*

An autem huiuſmodi Rei debeant abiu-
rare, pendet ex eo, an in illis poſſit conſi-
derari aliqua hæreſis ſuſpicio: nam ſi ea
laborent, negent autem intentionem,
93 tunc torquentur ſuper ea, & ſi ſubſtinent,
indicitur abiuratio vel de leui, vel de ve-
hementi, iuxta gradum ſuſpicionis. Aliàs
ſi clarè pateat, eos non gratia hæreſis tuen-
dæ, vel Tribunalis Sancti Officij deſtruen-
di deliquiſſe, nulla debet dari tortura, nec
indici aliqua abiuratio, vt dicit poſt Fari-
nacc. *quæſt. 182. nu. 87.* Carena *loco cit. §. 23.
num. 99.*

94 Sed dubium eſſe poteſt, an excommu-
nicatio (de qua in Bulla) ſit reſeruata, itaut
debeat impetrari abſolutio à Sede Apo-
ſtolica: negant Filiucc. *quæſt. moral. tract. 14.
cap. 16. quæſt. 7. num. 72.* Bonacina *de Cenſur.
in ſpecie diſp. 2. quæſt. 2. punc. 13. num. 6.*

Affirmant Sayr. *de Cenſur. lib. 3. cap. 31.
nu. 7.* Scortia *in Select. Epicom. 106. Theorem.
278.* P. Diana *par. 4. tract. 7. reſolut. 13.* Ca-
rena *loco cit. §. 25. n. 143.* qui dicit, opinio-
nem Filiuccij eſſe valdè dubiam, Bordon.
dicto cap. 29. num. 33.

Sed non eſt recedendum ab opinione
Filiuccij, & Bonacinæ, quia ità ſentit Su-
prema &c. vt in Decreto *ſub die 12. Auguſti*
1600.

CAPVT XXIX.

ARGVMENTVM.

De Impedientibus Sanctum Officium indirectè. De Familia armata Inquiſitorum. Quinam ſint connumerandi inter Familiares Sancti Officij. Qui gaudeant Priuilegio Fori. De Priuilegio Familiarium Inquiſitionis Meliten: & quid poſſit circa illos Inquiſitor. A quibus oneribus ſint exempti Familiares Inquiſitorum. De Confratribus Societatis Sanctæ Crucis. An Ordinarij viſitare poſſint Oratoria dictorum Confratrum. Quænam Oratoria, & Hoſpitalia ſint ſub immediata Regis protectione.

SVMMARIVM.

1 *Impedientes Sanctum Officium indirectè, qui dicantur, & num. 121.*

2 *Magiſtratus quando dicatur impedire Sanctum Officium indirectè per editionem Statuti.*

3 *Statutum ſeculare in materia hæreſis nullum.*

4 *Statutum laicale non poteſt Inquiſitoribus impedire capturam Reorum, nec quod habeant Familiam armatam.*

5 *Inquiſitor poteſt habere Familiam armatam.*

6 *Familia armata Inquiſitorum in quibus conſiſtat, & num. 18. cum ſeq.*

7 *Et quæ arma poſſit deferre.*

8 *Familiares Sancti Officij poſſunt deferre arma etiam in locis non ſubiectis Inquiſitioni, cuius ſunt Officiales, & de ratione.*

9 *Et an poſſint deferre Archibuſettos, ſeu Pugiones breuioris menſuræ.*

Archibuſetti, & Pugiones breuioris menſuræ dicuntur arma proditoria.

10 *Familiares Sancti Officij geſtantes Archibuſettos, vel Pugiones breuioris menſuræ, an, & quomodo capi, vel impediri poſſint per Curiam ſecularem.*

Inquiſitor ſolus eſt Iudex ſuorum Familiarium, & Miniſtrorum circa abuſum, vel exceſſum in aſportatione armorum.

11 *Birruarij inuenientes de nocte hora intempeſtiua Familiares Sancti Officij cum armis, & ſine lumine, quid agant ſecundum* Pragmaticam Regiam.

12 *Inquiſitor permittere non debet, quod Familiares Sancti Officij moleſtentur per Iudices laicos ob delationem armorum.*

13 *Iudex laicus ſi declaret concedere liberationem Familiaris Sancti Officij cum armis inuenti ex gratia, an Inquiſitor debeat acquieſcere, & quid agere poſſit.*

14 *Familiaris Sancti Officij captus cum armis per Iudicem ſecularem quomodo reſtitui debeat Inquiſitori.*

Birruarij

15 *Birruarij Sancti Officij molestari non debent à Curia seculari ob delationem armorum.*

16 *Edictum Principis, vel Magistratus secularis prohibens armorum delationem an comprehendat Familiares, & Ministros Sancti Officij, & quid agendum si de illis faciat expressam mentionem, cum num. seq.*

18 *Ministri Sancti Officij qui dicantur.*

Notarius Sancti Officij an gaudeat priuilegio deferendi arma, & an ob id molestari possit à Curia seculari.

20 *Consultores Sancti Officij possunt habere Famulum, qui gestet omnia arma caeteris Familiaribus concessa.*

Quid si Dominum non comitetur.

21 *Consultores Sancti Officij Mediolani quot Famulos, & Familiares habere possint cum facultate gestandi arma.*

22 *Licentia gestandi arma Famulis Consultorum an sit concedenda ab ipsis Consultoribus, vel ab Inquisitore.*

23 *Consultores S. Officij non possunt loco Famulorum, vel Familiarium adhibere, vel consanguineos personas nobiles, qui gestet arma.*

24 *Arma deferentes ex priuilegio Sancti Officij an debeant secum portare litteras patentes, & an aliàs molestari possint, & quid facere debeant Birruarij ipsos armatos inuenientes sine litteris patentibus.*

25 *Familiaris S. Officij inuentus à Birruarijs cum armis, & litteris patentibus, si velint illum capere, an, & quando possit impunè resistere, & num. 28. cum seq.*

26 *Arma gestans cum licentia si inueniatur à Birruarijs, qui velint illum capere, an, & quando possit impunè resistere, & numero sequen.*

28 *Ius sibi dicere nemini licet propria authoritate, vbi potest facilè haberi recursus ad Superiorem.*

29 *Birruarij possunt capere sine mandato Iudicis repertum in flagranti, vel cum armis.*

Birruarij carcerantes Familiarem Sancti Officij ob delationem armorum grauiter puniendi, & de ratione, & quid si illum deferant ad Inquisitorem.

30 *Birruarij inuenientes hominem vilem, vel suspectum cum armis, qui ostendat litteras patentales Sancti Officij quid facere possint.*

31 *Familiares Sancti Officij inuentus cum armis in domo Meretricis, vel in publicis tripudijs, seu cauponis an possint capi per Curiam secularem.*

Arma asportari non possunt in locis prohibitis etiam cum licentia.

32 *Iudex militiæ cognoscere debet de crimine militari.*

33 *Abusus asportandi arma in locis prohibitis an possit excusari per consuetudinem.*

34 *Familiaris Sancti Officij abutens facultate gestandi arma priuatur litteris patentalibus Familiaritatis.*

35 *Inquisitor an debeat in litteris patentibus Familiaritatis excipere facultatem deferendi Archibusettos, & Stillettos, vel quomodo id prohibere debeat Familiaribus.*

36 *Inquisitor quos asciscere non debeat in Familiares Sancti Officij, & num. seq.*

37 *Priuilegium denegandum ei, qui illo obtento perniciosiorem se faciat aduersario.*

38 *Inquisitor quos debeat eligere in Familiares Sancti Officij.*

39 *Inquisitor non eligens in Familiares homines dignos dicitur abuti concessione portandi arma.*

40 *Minores vigintiquinque annis, & alienigenæ non admittuntur ad Familiaritatem Sancti Officij.*

41 *Familiares Sancti Officij qui sint in Regno Valentiæ.*

42 *Familiares Sancti Officij potentiores esse an deceat.*

Iuramentum præstandum à Potestatibus secularibus perpetuis, vel temporalibus de exterminandis Hæreticis.

Dominus temporalis non expurgans suam Terram ab Hæreticis excommunicatur.

43 *Neophytis an debeant assumi ad Familiaritatem Sancti Officij.*

Quid de Iudæis, & quatenus Iudæi illam obtineant, quibus gaudeant priuilegijs.

Familiares Sancti Officij Ancona gaudent priuilegio fori ex consuetudine.

44 *Familiaris Sancti Officij delinquens cum armis prohibitis an teneatur duplici pœna delicti, & armorum.*

45 *Familiares Sancti Officij an possint in eorum domibus retinere arma prohibita, Pistolettos scilicet, & tormenta breuioris mensuræ.*

46 *Familiares Sancti Officij non gaudentes priuilegio fori per quem Iudicem puniri debeant de armorum abusu.*

47 *Familiares Sancti Officij regulariter non gaudent priuilegio fori.*

48 *Familiares Sancti Officij subduntur priuatiuè iurisdictioni Inquisitoris si delinquant in officio.*

49 *Consultores Sancti Officij Neapolis sunt exempti à iurisdictione Ordinaria, & deseruiunt Ministro Supremæ &c. pro fabricandis processibus.*

50 *Familiares, & Consultores Sancti Officij Meliten. an, & quando gaudeant priuilegio fori, & num. 60. cum seq.*

51 *Inquisitor Melitæ an possit cognoscere num eius Familiares adimpleuerint praeceptum annuæ Communionis in Paschate.*

Familiares Sancti Officij Melitæ an teneantur in Paschate sumere Eucharistiam à proprio Parocho.

52 *Mancipia Familiarium Sancti Officij Melitæ quibus gaudeant priuilegijs, & numero 75. cum seqq.*

53 *Familiares Sancti Officij Melitæ an possint cogi ad retinendos equos pro defensione Insulæ ab Infidelibus.*

54 *Et an teneantur facere excubias in casu necessitatis.*

Familiares Sancti Officij tenentur facere excubias in casu necessitatis.

55 *Familiares Sancti Officij Melitæ immunes sunt ab oneribus impositis per Magnum Magistrum.*

56 *Memoriale Episcopi Meliten. propositum in Suprema &c.*

57 *Litteræ monitoriales pro rebus deperditis an possint concedi per Inquisitorem, vel spectent ad Episcopum Melitæ.*

58 *Et relaxatæ per Episcopum quando afficiant familiares Sancti Officij.*

Inquisitor Melitæ quomodo subscribere debeat litteras monitoriales pro rebus deperditis ab Episcopo relaxatas, & an pro illis possit adhibere cognitionem causæ, vel mercedem recipere.

59 *Familia Familiarium Sancti Officij Melitæ an subsit iurisdictioni Inquisitoris.*

62 *Familiares Sancti Officij Melitæ an gaudeant priuilegio fori in causa diuortij per vxorem intentata.*

63 *Quid vbi agitur de executione legatorum piorum.*

64 *Ministri, & Familiaris Sancti Officij Melitæ an, & quomodo subsint Commissario Fabricæ Sancti Petri.*

65 *Episcopus Melitæ an, & quomodo cogere possit Familiares Sancti Officij ad subijciendum se examini in suo Tribunali.*

66 *Inquisitor Melitæ vt Inquisitor an, & quando iurisdictionem habeat in Clericos, & Officiales Episcopi.*

67 *Cognitio offensionis Ministrorum, & Familiarium Sancti Officij Melitæ, ad quem spectet, & qua praxi sit terminanda.*

68 *Delictum commissum à Clerico cum Familiari Sancti Officij Melitæ an, & quando cognoscendum sit, vel ab Episcopo, vel ab Inquisitore.*

69 *Quid de inuentario faciendo à duobus hæredibus, quorum vnus sit Clericus, & alter Familiaris Sancti Officij.*

70 *Canonici Cathedrales Melitæ possunt assumi in Ministros, Consultores, & Familiares Sancti Officij.*

Quid de Parochis.

71 *Decretum Clementis Octaui memoratur, & refertur.*

72 *Inquisitor Melitæ in approbandis libris imprimendis obseruare tenetur regulas Indicis.*

73 *Et quando, ac quomodo curare debeat quod expeditiones Vrbis executioni demandentur.*

74 *Ac quomodo habere debeat Congregationes Sancti Officij.*

77 *Familiares Sancti Officij Melitæ an esse possint exercentes mercaturam mancipiorum.*

80 *Inquisitor Melitæ an, & quando debeat transmittere mancipia Inquisitionis ad pernoctandum in solitis carceribus.*

81 *Familiares Sancti Officij Melitæ recipi an possint Cappellani Mediæ-crucis, & cæteri de foro Magni Magistri.*

82 *Ministri Magni Magistri Melitæ, an, quando, & quomodo perquirere possint domos Familiarium Sancti Officij an in eis latitens delinquentes.*

83 *Familiares Sancti Officij Melitæ assumpti ad aliquod officium seculare, an possint se tueri exceptione exemptionis in sindicatu.*

84 *Familiares Sancti Officij an sint exempti à solutionibus onerum, & à muneribus publicis.*

85 *Et an teneantur contribuere triticum pro Abundantia.*

86 *Et an, & quando cogi possint ad seruitia militaria.*

87 *Familiares Sancti Officij non possunt capi pro repræsalijs, & de ratione num. seq.*

88 *Milites non possunt grauari pro repræsalijs.*

89 *Exempti tenentur exhibere coram Ordinario scripturam exemptionis.*

Copia matriculæ Familiarium Sancti Officij Hispaniæ danda an sit Prætori Ciuitatis.

90 *Matricula Familiarium Sancti Officij tradi non debet Iudici seculari, vel Ecclesiastico, & de ratione.*

Familiaris Sancti Officij offerens Iudici seculari suam Familiaritatem registrandam priuilegio priuandus.

91 *Cruce-signati qui sint, an dicuntur Familiares Sancti Officij, & quibus gaudeant priuilegijs.*

92 *Indulgentiæ Ministrorum Sancti Officij.*

93 *Cruce-signati quomodo absolui possint à casibus reseruatis.*

94 *Ordinarius potest visitare omnes Confraternitates siue Ordinaria, siue Apostolica auctoritate erectas.*

95 *Quid de erectis in Ecclesijs Regularium exemptorum.*

96 *Vel de Confraternitatibus exemptis.*

97 *Quid si Confraternitates exemptæ sint in Ecclesijs Prælatorum habentium iura Episcopalia.*

98 *Ordinarius an, & quando visitare possit Cappellas, & Altaria Confraternitatis exempta, & num. seq.*

100 *Visitatio Confraternitatum exemptarum competit Episcopo tanquam delegato non obstante consuetudine etiam immemorabili, Statuto, vel priuilegio.*

101 *Consuetudo quando impedire possit Episcopo visitationem Confraternitatis exemptæ, etiam tanquam Delegato.*

102 *Quid de priuilegio.*

103 *Ordinarius inhiberi non potest à visitando, virtute priuilegij, nisi priùs exhibeatur,*

& discutiatur.

104 *Priuilegium an, & in quibus casibus impedire possit visitationem Ordinario.*

105 *Episcopus non potest sine licentia Regum, visitare Hospitalia, & Confraternitates, quæ sunt immediatè sub Regia protectione, nec loca illis vnita.*

106 *Loca immediatè subiecta protectioni Regiæ, an, & quando subsint visitationi Ordinarij.*

107 *Visitatio circa respicientia cultum Diuinum priuatiuè spectat ad Episcopos, & de ratione.*

108 *Episcopus an possit visitare loca immediata protectionis Regiæ si Rex licentiam visitandi petitam denegauerit.*

109 *Ordinarius potest supplere negligentiam Regis, eiusque Ministrorum circa administrationem Hospitalium, & Confraternitatum Regiæ protectionis.*

110 *Protectio Regia non priuat Ordinarium sua iurisdictione nec quoad locum, nec quoad personam.*

111 *Licentia non potest negari quando est præstanda de iustitia.*

112 *Episcopus habet habitualem iurisdictionem in locis exemptis, & subiectis Regiæ protectioni.*

113 *Protectio Regia debet adesse de tempore fundationis, aliàs non suffragatur.*

114 *Protectio Regia, vt intret dispositio* Concil. cap. 8. *non verificatur in locis vbi Reges imperant tanquam Duces, Marchiones, Comites &c.*

115 *Quæstio super iure protectionis Regiæ cognoscenda per Iudicem Ecclesiasticum.*

116 *Episcopus visitare potest loca existentia sub immediata Regis protectione, donec de protectione constiterit.*

117 *Episcopus an, & quando possit visitare Confraternitates Cruce-signatorum, maximè erectas in Ecclesijs Regularium exemptorum, & num. 119.*

118 *Quid si constet illas nunquam visitasse.*

120 *Episcopus an, & quomodo possit cogere Confratres Cruce-signatos ad redditionem rationis.*

ABSOLVTA materia Bullæ *Si de protegendis*, reuertimur ad impedientes Sacrum Tribunal.

1 Indirectè ergo Sanctum Officium impeditur, quando quis non immediatè, & explicitè, sed per aliquod medium, & circuitum impedit, vel vtitur aliquo modo, ex quo impedimentum resultet, Eymer. *par.2. quæst.54. num.1. & 3.* & ibi Pegna *comm.79.* Farinacc. *d. quæst.182. nu.75. in fine.*

Et similiter hoc impedimentum potest præstari à Magistratu, vel à persona priuata. A Magistratu, si condat Statutum, quod nullus possit de aliquo crimine puniri ab alio, quam à Potestate, Gloss. *in cap. Statutum, il primo, ver. Indirectè extr. de Haret.*

2 Idem est, si fiat Statutum, quod nullus
alius, quam Potestas possit aliquem capere, vel capi facere; vel si Statuto caueatur quod nullus alius possit arma deferre, nisi sit de familia Potestatis, Farinaceius *d. quæst.182. num.75.*

Sed credo exempla huiusmodi indirecti
impedimenti per solum Statutum non
benè procedere, nisi sequatur actus posi-
3 tiuus impedimenti, quia tunc resoluitur
in impedimentum directum, ea ratione, quia Statuta condita à Principe seculari in hac materia, nullius sunt roboris, vel momenti, *cap. Statutum, il primo, de Haret. in 6.* & ibi Canonistæ, Locat. *ver. Domini temporales*, Repertor. *ver. Statutum*, Zanchin. *de Haret. cap.31.* & ibi Campeg. Eymer. *par.3. quæst.34.* & ibi Pegna *comment.83.* Farinacc. *quæst.182. num.76.* Fermosin. *in cap. Ecclesia Sancta Mariæ, quæst.5. num.42. de const.*

Nec possunt comprehendere, vel liga-
re Iudices Ecclesiasticos, & præsertim In-
4 quisitores, vndè illis non obstantibus poterunt procedere ad capturam Reorum, & habere familiam armatam: Si ergo Inquisitores non impediantur aliquo facto illius Statuti vigore, non potest dici, quod impediatur indirectè Sanctum Officium; Nam quod nullum est, nullum potest præstare impedimentũ ex iuribus vulgatis.

Cæterum quia de familia armata incidit sermo.

5 Certum est, Inquisitorem familiam
armatam habere posse, Clement. *2. de Haret.* Roias *eod. tit. par.2. num.432.* Pegna *par.3. comm.105.* Molin. *de Brachio seculari, cap.18, num.11.* Roland. *conf.37. num.9. colum.4.* P. Diana *par.4. tract.8. resolut. 31.* P. Diana *par.4. tract.8. resolut.31.* Barbosa *de potest. Episc. allegat.107. num.6.* Bouadill. *in Politica, lib.2. cap.17. num.88.* Farinacc. *quæst. 182. num. 91.* Carena *par. 1. tit. 14. §.1.* Sperell. *decis.128. à num.82.* Narbona *ad leges Regias, lib.4. tom.1. lege 20. nu.85.* Fermosin. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. quæst.58. num.25. & num. 31.* P. del Bene *de Offic. S. Inquisit. tom.2. dub. 195. sect. 39.* Daniel de Nobil. *in addit. ad disp.63. num. 9. & seqq.* vbi latè.

Huiusmodi autem familia armata, vel
consistit in Apparitoribus, vel Satellitibus,
6 vel in eis, qui assumuntur ad titulum Familiaris, qui aut viuunt expensis Inquisitorum, aut nihil habent ab eis, sed proprijs sumptibus debent comitari Inquisitores, associare carceratos, & alia facere, quæ spectant ad causarum Fidei executionem.

Et hi omnes, siue primi, siue secundi,

fiue tertij ordinis, gaudent priuilegio de-
7 ferendi, tàm de die, quàm de nocte, arma
omnia, quæ deferunt Officiales, Birrua-
rij, ac Miniſtri Curiæ ſecularis illarum
Ciuitatum, in quibus exercetur Sanctum
Officium, vti pluriès Suprema, &c. reſol-
uit, & decreuit, & præſertim *ſub die 3. Maij
1596. & 30. Iunij* 1610. *& 1. Auguſti* 1619.

Cumque huiuſmodi Priuilegium con-
ceſſum ſit eorum perſonis ratione Officij,
non ſolùm reſtringitur ad loca ſubiecta
8 Inquiſitioni, cuius ſunt Officiales, Mini-
ſtri, & familiares, ſed extenditur ad alia
loca extra iuriſdictionem prædictam exi-
ſtentia, ex *Reg. Priuilegium, de Reg. Iuris
in 6.* & ità pluries fuit reſolutum in Su-
prema, &c. de tempore mei Aſſeſſora-
tus, & præſertim *in vna Narnien.*

Et extat Epiſtola ſcripta Præſidenti Ro-
mandiolæ tenoris ſequentis.

*Copia di lettera ſcritta dalla S. Congregazione
del S. Offizio al Preſidente di Romagna
li 12. Agoſto 1595.*

*LI Croceſignati, e Famigliari del Sant'Of-
fizio della Santa Inquiſizione, per antichi
priuilegij delli Sommi Pontefici Romani, anno
ſempre goduto il priuilegio di poter portare
ogni ſorte di arme, etiam fuori dello Stato tem-
porale della Santa Chieſa, e queſto per li aiuti,
e fauori, che anno dato per il paſſato, e con-
tinuamente ſogliono dare alle coſe del Sant'Of-
fizio; ora eſſendoſi inteſo, che alcune volte li
Birri di Campagna in coteſta Prouincia, tro-
uando alcuni di detti Croceſignati, o famiglia-
ri del Sant'Offizio con le armi, anno ardire di
carcerarli, e ſe bene per quanto ne auuiſa il
R. P. Inquiſitore di Faenza, ſubito che V. S.
ne ha notitia, li fa liberare, nondimeno, perche
non conuiene, che chi ſerue al Sant'Offizio, e
dal Sant' Offizio ha licenza di portar armi, ſia
ad arbitrio delli Birri carcerato, & abbi quello
affronto. E perche ancora s'intende, che V. S.
non pare, che voglia, che li ſodetti Croceſi-
gnati, o Famigliari portino pugnale, ed archi-
buſcetti, o altre armi ſimili proibite dalli
Bandi, perciò ſe ne fece parola Giouedì proſ-
ſimo paſſato colla Santità di N. S. nella Con-
gregazione della Santa Inquiſizione, e Sua
Beatitudine mi ordinò, che in nome ſuo ſi ſcri-
ueſſe a V. S. come ſi fa con queſta, ch'ella fac-
ci oſſeruare li Priuilegij del Sant'Offizio, e non
permetta, che li detti Croceſignati, o Famiglia-
ri, ſiano fatti prigione, o moleſtati in qualſi-
uoglia modo per conto di portar armi di qual-
ſiuoglia ſorte, etiam pugnali, ed archibugi cor-
ti, o altre arme proibite; perilche V. S. ſarà
contenta di coſi ordinare, ſecondo la mente di
Sua Beatitudine a tutti gli Eſſecutori della
ſua Prouinzia, che non moleſtino in conto alcu-
no li ſudetti Croceſignati, e Famigliari per con-
to delle armi proibite come ſopra. Ne queſta
eſſendo per altro, a V. S. mi offero, &c.*

Sed quamuis, vt dixi, Miniſtri, & Fa-
miliares Sancti Officij poſſint ea omnia
9 arma deferre, quæ deferunt Curiæ ſecu-
laris Miniſtri, aduertendum tamen eſt,
quod ſæpius vetitum eſt à Sacra Congre-
gatione, ne deferant Archibuſettos bre-
uioris menſuræ, quos in aliquibus locis
vocant *Mazzagattos*; ſicuti vetitum etiam
fuit, ne deferant Pugiones breuioris
menſuræ, quos *Stillettos* appellant; vt ex
Decreto *ſub die 28. Ianuarij* 1599. & *de
anno* 1624. & 1645. & aliàs pluries.

Huiuſmodi enim arma ſunt proditoria,
vt ex pragmaticis Regijs benè probat idem
Fermoſinus *loco cit. num.37.* & 41.

Si tamen huiuſmodi Archibuſettos, vel
Pugiones geſtarent, nō poſſunt propterea
capi, & arreſtari à Curia ſeculari, ſed de-
10 bet hoc referri ad P. Inquiſitorem, vel
ad eum ſine dedecore duci, vt ab eo pu-
niatur. Inquiſitor enim ſolus Iudex eſt
ſuorum Miniſtrorum, & Familiarium, qui
abutuntur, & excedunt in aſportatione
armorum, vt latè probat Carena *par. 1.
tit.14. §. 4.* qui teſtatur ſe pluriès vidiſſe
Familiares Sancti Officij propter abuſum
armorum fuiſſe priuatos litteris patenti-
bus, familiaritatis, & demùm carceris
pœna mulctatos.

Fermoſinus *loco cit. num.43.* affert Prag-
maticam Regiam, qua cauetur, quod ſi
Alguaciles, ſiue Birruarij inueniant de no-
11 cte hora intempeſtiua familiares Sancti
Officij cum armis, & ſine lumine, qui
eis oſtendant litteras Patentes Domino-
rum Inquiſitorum, liberè eos abire per-
mittant; ſi autem non oſtenderint litteras
patentes Dominorum Inquiſitorum, tunc
illos ducant ad eoſdem Inquiſitores, vt
ab eis ſciant, an ſint, necne Familiares
Sancti Officij.

Quæ Pragmatica vtinam obſeruaretur
in Italia, & præſertim in Statu Eccleſia-
ſtico, in quo ob inſolentiam Birruario-
rum Familiares S.Officij peſſimè quando-
que tractantur.

Et propterea cum quidam Commiſſa-
rius Regius in Ciuitate Comi relaxaſſet
11 mandatum capiendi familiares Sancti Of-
ficij, qui geſtaſſent tormenta ænea rotata,
& Prætor eiuſdem Ciuitatis idem atten-
taſſet, Clemens Octauus, mandauit reſcri-
bi Inquiſitori Comen. ne in hac materia
permitteret aliquid innouari in præiudi-
cium Iuriſdictionis Sancti Officij, ſed ſtre-
nuè tueretur illius Priuilegia, vt ex De-
creto *ſub die 25. Februarij* 1599.

Cumque de *anno* 1600. Mediolani cap-
tus fuiſſet à Curia ſeculari Baroncellus,
ſiue Eques Sancti Officij inuentus cum
13 paruo Archibuſetto, & in actu liberatio-
nis Comeſtabilis Caſtellæ tunc temporis
Status Mediolani Gubernator declaraſſet,

liberationem ex gratia facere; Idem Clemens Octauus mandauit Inquisitori Mediolani, vt per Fiscalem Sancti Officij curaret fieri protestationem, quod illa liberatio nullo modo recipiebatur ex gratia, sed ex mera iustitia, ne iurisdictioni, & possessioni Sancti Officij præiudicium inferretur, & posset hoc trahi in exemplum, & omnia adnotarentur in actis Sancti Officij Mediolani cum litteris Sacræ Congregationis, vt ex Decreto *sub die 27. Aprilis eiusdem anni* 1600. Quod etiam rescriptum fuit *sub die 3. Octobris* 1624. occasione carcerationis cuiusdam Crucesignati cum armis inuenti.

Et cum *de anno* 1628. fuisset Cremonæ quidam Familiaris Sancti Officij captus à
14 Curia seculari, eo quia deferebat arma prohibita, fuit restitutus Inquisitori non ex gratia, sed ex iustitia propter Priuilegia tributa officio Sanctæ Inquisitionis, vt apparet ex litteris Inquisitoris *sub die 29. Nouembris* 1628.

Pariter scriptum fuit Inquisitori Cremonæ ne pateretur, Ludouicum Ferra-
15 rium executorem Sancti Officij molestari à Curia seculari ob delationem Archibusij cum rota, vt ex Decreto *die 15. Septembris* 1601.

Nec Edicta Principum, vel Magistratuum secularium, quibus prohibetur certorum armorum delatio comprehendunt Familiares, & Ministros Sancti Officij, Fermosin. *loco citato num.* 29. etsi quando inaduertenter in Edictis prędictis fiat mentio, Familiarium, & Ministrorum Sacri
16 Tribunalis, Suprema, &c. mandauit Inquisitori illius Ciuitatis, in qua fuit Edictum promulgatum, vt contrarium Edictum publicet, quo detur facultas Familiaribus Sancti Officij gestandi omnia arma à Magistratu, vel Principe seculari prohibita, vt ex Decreto *sub die 20. Augusti* 1615.

Et memorabile est exemplum Prætoris Senogalliæ, ac illius Cancellarij, qui quamuis in Edicto per eos publicato, quo pro-
17 hibebatur armorum delatio, mentionem non fecissent expressam de familiaribus Sancti Officij; Nihilominus cum in actu publicationis dicti Edicti Cancellarius de mandato Prætoris iussisset, vt Preco voce assereret, familiares Sancti Officij in Edicto præfato comprehendi, tam Prætor, quàm Cancellarius, & Preco fuerunt carcerati, sic iubente Sanctissimo glor. mem. Innocentio Decimo, & contrario Edicto familiares Sacri Tribunalis excepti, Prætor, & Cancellarius officio priuati, & ad illud imposterum exercendum inhabiles redditi, licèt posteà post breue tempus ex summa pietate Sanctissimi Pontificis in pristinum restituti, non tamen ad Magistratum in dicta Ciuitate Senogalliæ gerendum, vt hæc omnia constant *ex processu fabricato de anno* 1652.

Hoc autem priuilegio deferendi arma etiam prohibita multò magis gaudent Vicarij etiam foranei, Notarij, Cancellarij,
18 Fiscales, Scriptores, Substituti, Custodes carcerum, Cursores, Mandatarij, & cæteri, qui viuunt expensis Sacri Tribunalis, vel ab eo recipiunt salarium, huiusmodi enim sunt Ministri, sine quibus Sacrum Tribunal consistere nequit, Pegna *par. 3. comment.* 105. *vers. Rursus*.

Et propterea à Suprema, &c. expeditum fuit monitorium contra Pręto em Trium Plebium ad comparendum personaliter in Vrbe, quia condemnanerat Notarium Sancti Officij in pœnam triremium, & scutorum quingentorum ob retentionem tormentorum cum Rota.

Sed quia idem Prætor suum recognoscens errorem sententiam reuocauit, & cessauit à molestijs illatis dicto Notario, cessatum etiam est ab executione Monitorij, vt ex Decretis *die 7. Augusti, 2. Octobris, & 6. Nouembris* 1603.

Hoc eodem priuilegio gaudent Consultores, Aduocati, & Procuratores Reo-
19 rum, qui Sancto Officio inseruiunt, vt benè Pegna *loco citato*.

Et quia Consultores, vt plurimùm sunt viri togati, & ex Doctoribus Ciuitatum, in quibus resident Inquisitores, vel Vicarij
20 Sancti Officij, Suprema, &c. indulsit, vt singuli possent habere famulum, qui arma omnia familiaribus concessa gestare possit, vt dicit Pegna *loco citato*, & adest Decretum *sub die 12. Maij* 1625.

Quod etiam procedit, quamuis famulus non comitetur Dominum Consultorem, vt benè Pegna *loco citato*.

Et memini famulum cuiusdam Consultoris Sancti Officij Cæsenaten. captum fuisse cum paruo æneo tormento, dùm pro negocio eiusdem Consultoris Sabinianum pergeret, sed liberè dimissum, & gratis à Legato Romandiolæ tunc temporis Eminentissimo Cardinali Alexandro Vrsino, quamuis Inquisitor Fauentiæ voluisset illum defendere sub prętextu cuiusdam Decreti Sacræ Congregationis, quo, vt ipse dicebat, cauebatur, famulos Consultorum non posse gestare arma, nisi comitando suos Dominos, quod tamen Decretum non fuerat notificatum, nec erat, nec est in vsu, sed obseruatur doctrina Pegnæ *loco citato*, qua visa Cardinalis Legatus mandauit liberè dictum famulum dimitti.

21 Mediolani verò Consultores duos famulos armatos habere possunt, familiares vnum, & hoc est particulare priuilegium illius Ciuitatis.

22 His famulis non debet dari licentia ab ipsis Consultoribus, sed ab Inquisitore, vt fuit scriptum Inquisitori Mediolani *de mense Maij* 1616.

Decretum etiam fuit, ne Consultores, vel Familiares loco famulorum adhibeant
23 consanguineos, vel personas nobiles *sub die* 12. *Maij* 1625. in quo grauiter peccatur, & præsertim Bononiæ.

Sciant tamen omnes supradicti, & alij, qui gaudent priuilegio deferendi arma,
24 debere secum portare suas litteras patentes, aliàs possent impunè carcerari à satellitibus Curiæ secularis, si sint laici, & à satellitibus Curiæ Ecclesiasticæ, si sint Clerici, quia illis non est credendum asserentibus esse Familiares, vel Ministros S. Officij, vt fuit resolutum *sub die* 10. *Nouembris* 1605.

Sed melius facient Birruarij, si hos Familiares non deferentes litteras patentes, ducant ad Inquisitores, vt *supra* dictum est.

Sed an qui habet secum litteras patentes, & inuentus cum armis à Birruarijs, si velint illum capere, possit impunè illis resistere? Farinacc. *quæst.* 108. *num.* 122.
25 se remittit ad tradita per Decianum *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 63. Decianus verò quamuis alleget Marsil. *cons.* 103. *num.* 33. qui dicit, quod si quis licentiam haberet deferendi arma prohibita, & Familia Prætoris, vel Iudicis secularis illum capere vellet, & armis spoliare, nec licentiam illi ostensam curaret, tunc potest impunè resistere, vt in terminis de Familiaribus Inquisitionis tenet Narbona *dicta l.* 20. *Glos.* 18. *num.* 86.

Sed hoc non ità generaliter, sed cum temperamento accipiendum esse arbitra-
26 tus est Decianus, cuius meminit Bouadilla *politic. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 125. & 126. hoc est tunc licita sit resistentia, si ille, qui prohibita arma gestabat, licentiam ostendat, paratusque sit, simul cum Officialibus, & satellitibus ad Prætorem, vel Magistratum ire, idque satellites recusassent, vel si satellites motu proprio, & absque Iudicis mandato arma gestantem capere, vel armis spoliare vellent.

Quare Decianus consulit, quod isto casu capiendus, vel armis spoliandus interroget satellites, an hoc de mandato Iudicis, vel absque illo faciant; quod si ità
27 mandasse Iudicem profiteantur, obediat, & se ad Magistratum conferat suæ licentię vel priuilegij redditurus rationem, quod si absque mandato efficere dicant post exhibitam eis licentiam, & protestatione de ea facta, licitum sit resistere; Et hoc consilium salubre vocat Narbona *loco citato num.* 88. quamuis illi non arrideat, quod dicit Decianus, arma gestantem teneri acquiescere Birruarijs, si dicant mandatum Iudicis habere de illo capiendo, etiamsi illud non ostendant, cum vt *supra* dictum est non sit credendum Birruarijs.

Sed quicquid dicant Decianus, & Narbona, non puto licere Familiaribus Sancti Officij impunè resistere satellitibus, vel Curiæ secularis, vel Ecclesiasticæ illos ca-
28 pere ob delationem armorum volentibus, quia nemini licet propria auctoritate sibi Ius dicere, si possit facile haberi recursus ad Superiorem.

Nec tenentur Birruarij ostendere mandatum Iudicis de capiendo arma vetita
29 gestantem, quia iste est vnus de casibus, quibus possunt satellites aliquem capere sine mandato tanquam repertum in flagranti.

Sed tutiùs est, quod Familiaris cum licentia arma gestans vocet testes, vt protestetur coram eis, se litteras patentes familiaritatis Birruarijs ostendisse, si eum vinctum ad carceres trahere velint; Si enim ad Iudicem secularem, vel Ecclesiasticum eum ducant, vel quod peius est in carceres detrudant, vidi hisce casibus à Suprema, &c. Birruarios graui pœna mulctatos esse; Existimauit enim iniuriam fuisse illatam Familiari, & consequenter Sancto Officio.

Si verò, vt sæpius solet accidere, ducant Familiarem cum armis ad Inquisitorem, vel eius Vicarium, grauiter fuisse obiurgatos, eò quia litteras patentes parui fecerunt; Nam si Familiaris resistere vellet, posset, vel offendi, vel occidi à Birruarijs, vt accidit Cremonæ *de anno* 1596. in quadam resistentia, in qua Familiaris fuit occisus, & licèt satellites fuerint grauiter puniti, Familiaris non reuixit.

Vidi tamen excusatos Birruarios, si aliquem vilem hominem, vel suspectum
30 cum armis repertum in aliqua domo, vel apotheca retineant, & cum litteris patentibus ab illo exhibitis conuolent ad Inquisitorem, vt sciant ab ipso, an ille homo verè sit Familiaris Sancti Officij, vel in aliqua re ei inseruiat.

Nec Familiares possunt capi à Curia seculari, quamuis inueniantur cum armis prohibitis in domo alicuius meretricis,
31 seu cauponis, & in publicis tripudijs; Nam licèt isto casu abutantur vsu armorum, quæ non possunt etiam cum licentia asportari in huiusmodi locis, Angelus *in l. Qui dolo de vi public.* Paris. *de sindicat. in ver. Notarium Iudici num.* 8. Chrispold. *ad priuileg. milit. priuileg.* 8. *in princip.*

Nihilominus non possunt puniri, nec capi pro huiusmodi excessu, nisi ab Inqui-
32 sitoribus, & ab eorum familia; hoc enim est quasi militare crimen, quod debet cognosci à Iudice militiæ, *l.* 1. *C. de officio Magistr. milit. l. Eos, qui eodem tit. l.* 1. *C. de*

offic. Vicarij, Acaceius *de priuileg. milit. lib.* 2. *priuileg.* 5. *num.* 2. Fermosin. *cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ quæst.* 59. *num.* 88. *de Const.*

33 Sed hic abusus potest excusari à consuetudine, Parif. *conf.* 171. *num.* 19. *lib.* 4. Decian. *in prax. lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 60.

Et ideo in Prouincia Romandiolæ cum adsit consuetudo, quod Familiares, & alij inseruientes Sancto Officio gestent arma in tripudiis, & cauponis, non possunt, nec debent propter hoc molestari.

Pœna verò abusus armorum, si non sit coniuncta cum delicto, erit priuatio littera-
35 rum patentium familiaritatis *ad reg. Iudicis, C. de Iudicijs*, Decian. *d. cap.* 3. *nu.*62. Et iste est stylus Supremæ, &c.

Non debent tamen Inquisitores in litteris patentibus, quas concedunt, & tradunt Consultoribus, Familiaribus, & Ministris Sancti Officij excipere expressè de-
35 lationem Archibusettorum paruorum, vel Stillettorum, quia cum priuilegia Apostolica, quæ concesserunt Familiaribus, & Ministris, & Consultoribus Sancti Officij gestationem armorum sint amplissima, nullam patiuntur exceptionem, vel restrictionem circa genus armorum, sed illis ad aures significatur per eosdem Inquisitores in actu consignationis litterarum patentium, ne prædictos Archibusettos, & Stillettos deferant, neuè alia arma vetita in locis prohibitis, quia si secùs, non solùm priuabuntur officio, sed seuerè punientur.

Et propterea meo tempore fuit obiurgatus Inquisitor Bononiæ, qui huiusmodi exceptiones in litteris patentibus Familiarium apponebat.

Caueant autem Inquisitores, ne in Familiares asciscant eos, qui non sunt apti
36 ad inseruiendum Sancto Officio, vel propter suam nobilitatem nolunt comitari Inquisitorem, vel Carceratos, qui propter causas fidei vehuntur Romam. Nam expressè fuit hoc mandatum à Suprema, &c. *sub die* 4. *Ian.* 1594. *ex Clem.* 2. *in fin.* ibi; *Tales qui se conferant ad sua cum Inquisitoribus ipsis officia exequenda, de hæret.* Fermosin. *loco cit. num.* 27.

Pariter non debent admittere in numerum Familiarium, & Ministrorum Sancti
37 Officij viros scelestos, prauos, & peruersos, qui frequenter ad cædes, & alia facinora laxant nequiter manus suas, vt cautum fuit à Ioanne XXII. sua Constitutione *Exigit*, Dat. *Auenione anno* 1321. de qua per Pegnam *comm.* 105. quod etiam à iure communi statutum reperitur, ne scilicet dentur priuilegia ei, qui illo obtento perniciosiorem se aduersario faciat, vt inquit Textus *in l. qui cum vno*, §. *Non omnis*, *ff. de re milit.* Pegna *loco cit. vers. Tandem*, Fermosin. *loco cit. num.* 64.

Sed eligat viros prudentes, & laudabilis conuersationis, vt dicit Ioannes XXII. in *præfata* sua Constitutione, quietos, pacificos, fideles, & morigeratos, præsertim
38 in Ditionibus Principum secularium, ne conturbetur eorum Status, & Gubernium, vt ædificentur, non scandalizentur à Ministris, & Familiaribus Sanctissimi Tribunalis, sed potius ab eorum modestia inuitentur ad fauendum Sancto Officio, Narbona *d. lege* 20. *Gloss.* 4. *per totam.*

39 Aliàs diceretur abuti concessione portationis armorum, vt dicit Text. *in Clem.* 2. *de Hæret.* Farinacc. *quæst.* 182. §. 6. *nu.* 92. *&* 93. Fermosin. *loco cit. num.* 25. 26. *&* 27. *& num.* 65.

40 Non sunt etiam admittendi in Familiares minores annorum vigintiquinque, nec alienigenæ, Fermosin. *loco cit. num.* 65.

41 vbi *num.* 67. dicit, quod in Regno Valentiæ admittuntur Barones Domini Vassal-
42 lorum Proceres, ac Potentes, etiam contra Regiarum Pragmaticarum dispositionem, quia decet, vt Sanctum Tribunal constitutum ad causas fidei fouendas, repellendas hæreses, debellandos, ac persequendos inimicos Ecclesiæ Romanæ à nobilioribus Ministris, & Familiaribus adiuuetur: Etsi iubente Innocent. Tertio *in cap. Excommunicatus*, §. *Moneantur*, *& in* §. *Catholici, de Hæret.* Potestates seculares perpetuæ, vel temporales tenentur iurare, vniuersos Hæreticos ab Ecclesia damnatos pro viribus exterminare, & quod temporalis Dominus non expurgans Terram suam excommunicetur, quid mirum si Potentiores in Familiares Sancti Officij debeant eligi?

43 Quod autem Pegna asserit, Neophytos ex Paganismo, vel Iudaismo conuersos non facilè assumendos esse in Familiares Sancti Officij, quamuis ex causa aliud rectè fiat, multò magis debet habere locum in Iudæis, & ideo Sacra Consulta vehementer exarsit in Inquisitorem Ciuitatis Anconæ, qui vt præsuppositum fuerat Eminentissimis illis Patribus, assumpserat in Familiarem Sancti Officij quendam Hebræum, in quem pro delicto ab eo commisso volebat animaduertere, iuxta inueteratam illius Inquisitionis consuetudinem, qua Familiares Sancti Officij in eadem Ciuitate gaudent priuilegio fori actiuè, & passiuè. Sed re vera Iudæus ille non erat Familiaris Sancti Officij, sed illius opera vtebatur Inquisitor in pluribus negocijs, & causis ad Sacrum Tribunal spectantibus, sicuti faciunt alij Inquisitores earum Ciuitatum, in quibus moram trahunt Hebræi, & hic Romæ tam R. P. D. Assessor, quàm P. Commissarius dant litteras patentes nonnullis Hæbreis, non Familiaritatis, sed seruitij erga Sanctum

Officium, quæ litteræ patentes solent in leuibus illis suffragari, veluti quod de nocte, vel etiam de die, non gestent pileum coloris crocei; vehantur curru cum suis familiis extra Vrbem, & in similibus: Et possum testari, Me ab huiusmodi Hebræis habuisse plures noritias, quæ ab alijs haberi non poterant.

44 An autem si Familiaris cum armis prohibitis delinquat, teneatur duplici pœna delicti, & armorum, videndus est Farinac. *quæst.*108. *num.*166. *&* 168.

Quę dicta sunt de gestatione armorum, multo magis habent locum in retentione

45 armorum prohibitorum in domo, vt latissimè tuetur Familiares Sancti Officij, in quorum domibus reperti fuerunt Pistoletti, seu tormenta breuissimæ mensuræ, Fermosin. *loco cit. tota qu.*58.

46 Familiaris verò Sancti Officij, qui non gaudet priuilegio fori, si delinquat, punitur à suo Iudice, non autem ab Inquisitore propter abusum armorum, vt fuit pluries resolutum,& præsertim *anno* 1662. *in vna Eugubina*.

47 Regulariter autem Familiares Sancti Officii, quemadmodum & Consultores priuilegio fori non gaudent tam in causis criminalibus, quàm in ciuilibus, vt resoluit Suprema &c. *sub die* 29. *Ianuarij* 1625.

48 Dixi *regulariter*, quia si isti delinquant in officio subduntur priuatiuè iurisdictioni Inquisitoris, vt resolutum fuit *sub die* 27. *Februarij* 1631. Quod ex Campeggio dixit Decian. *lib.*5. *cap.*22. *num.*36. & ex ambobus Bouadill. *in Polit. lib.*2. *cap.*17. *nu.*127. Fermosin. *in cap.Ecclesia S.Mariæ, quæst.*59. *num.*87.

Et sic fuit scriptum per sequentes duas literas Encyclicas omnibus Inquisitoribus limitantes causas spectantes ad sanctam fidem, & ab ipsa dependentes, necnon fabricationem, & cognitionem illarum causarum Officialium, & Familiarium, qui in munere sibi demandato deliquissent.

Lettera circolare scritta a tutti gl'Inquisitori il primo Marzo 1631.

PRetendono alcuni Inquisitori di far le cause di Famigliari, & Offiziali del Sant'Offizio, ancorche non spettanti al Sant'Offizio, o sieno ciuili, o criminali, attiue, o passiue, fondandosi taluolta nella consuetudine. E perche si vede per isperienza quanto ciò renda odioso questo Sagro Tribunale, ha la Santità di Nostro Signore col parere di questi miei &c. ordinato, che io scriua, come fò, a V. R. ch'ella in dette cause non spettanti al Sant'Offizio, ancorche de Famigliari, & Offiziali, non se ne ingerisca, ma lasci liberamente fare a' suoi Giudici competenti, & Ordinarij; ed ella solo attendi a far quelle, che dee per ragione del Sant'Offizio, spettanti alla santa Fede, o dependenti da essa, conforme la disposizione de Sagri Canoni, e Costituzioni Apostoliche; non leuandole però la fabricazione, e cognizione di quelle cause degli Offiziali, e Famigliari, che in qualsiuoglia modo commettessero delitto nell'offizio commessole: In caso poi, ch'ella auesse ragioni, che la persuadessero a douer fare altramente di quanto le scriuo, ne dia qui auuiso colle ragioni, acciocchè si possino considerare, che occorrendo, se le commetterà quello dourà fare.

Altra lettera circolare scritta li 6. Giugno 1682. a tutti gl'Inquisitori dello Stato.

MOssasi la Santità di Nostro Signore dalli continoui ricorsi fatti quì dalle Communità dello Stato Ecclesiastico, hà risoluto Sua Beatitudine col parere di questi miei &c. che per sollieuo delle medesime molto grauate da' debiti, si sottomettino in auuenire cotesti Patentati priuilegiati del Sant'Offizio a tutti i pesi Communitatiui reali, de' quali sono stati per lo addietro esenti; non però a i personali. Onde se ne dà a V. R. questa notizia, perche ella communicandola a i sodetti suoi Patentati, ingiunga loro, che prontamente esiguiscano l'accennata risoluzione di Sua Santità, la quale vuole in oltre, che nelle cause criminali sì attiue, come passiue degli Offiziali del Santo Tribunale a questo non spettanti, non se ne ingerisca V. R. in conto veruno, ma ne lasci la cognizione a i loro Giudici competenti, ed Ordinarij, douendo ella attendere alle cause di Fede, e dependenti da essa, conforme la disposizione de Sagri Canoni, e Costituzioni Apostoliche, come anche a quelle de'detti suoi Offiziali, che delinquessero in qualunque maniera nell'Offizio loro commesso.

Ministri verò, sine quibus commodè exerceri non potest iurisdictio Sancti Officij, gaudent priuilegio fori etiamsi delinquerent extra officium, prout in casu Nuncij S. Inquisitionis Senen. fuit discussum in Suprema Sacra Congregatione, cui pro exclusione exemptionis fuit porrecta infrascripta Iuris allegatio.

Senen. Iurisdictionis.

COgnitio delicti à Nuncio Sanctæ Inquisitionis commissi per explosionem tormenti focarii, eo tempore, quo munus sibi demandatum non exercebat, est indubitatæ iurisdictionis Iudicis laici, proindeque Reus ad Tribunal Sancti Officij non est remittendus, sed in Carceribus laicis est retinendus, prout etiam in Hispania

pania practicatur, si de iurisdictione cum Inquisitoribus, orta sit controuersia, vt tradit Carleual. *de Iudic. disput.2. num.524. ad fin.*

Veritas huius propositionis patet, tùm quia ratione delicti quilibet, licet alienigena fit subditus Iudici, qui in loco delicti ius dicit, *l.* 1. *C. vbi de crimin. agi oport. cap. fin. de for.compet.* Conciol. *resolut.crim. verb.Forus, resolut.*1. *num.*1. Card. de Luca *de iurisdict. disc.*57. *num.* 2. tùm etiam quia vulgaris propositio, quod Rex fundat propriam iurisdictionem ad pœnas irrogandas singulis laicis, qui in Regno degunt, vt in indiuiduo huius controuersiæ post Aueudan. Solorzan. Ansald. Cutell. & alios, tradit Inquisitor Gonzal. *lib.* 1. *Decret. in repetit.cap.vlt.de offic.Archid. nu.*9. in tantùm, vt quicunque laicus præsumatur cum talis vnusquisque nascatur, vt fusè probat Cortiad. *decis.*13.*num.*8.

Hinc fit, vt non docto de positiua exemptione Rei, Inquisitor ab vlteriori petitione remissionis debet abstinere, Fontanell. *decis. Cathalon.* 329. *numer.* 19. *to.* 2. Gonzal. *supradicto num.* 9. & dixerat antea *num.* 3. §. *eandem*, Ciarlin. *controuers. cap.*120. *num.* 26. 27. *&* 28.

Aliter namque vim inferret, ac Regiam iurisdictionem perturbaret, Matth. Sanz. *de re crim. contr.*78.*num.*35. Solorzan. *de iur. Indiar. post plures lib.*3. *cap.* 24. *num.* 52. vbi quod in instructionibus, illis præcipitur ne iurisdictiones extendant ad causas in Schedulis non expressas, alias excommunicationem incurrant, de qua per solum Papam absoluantur.

Tantùm autem abest, quod exemptio Rei in his terminis substineatur, quin potius casus iste in corpore iuris Canonici non habeatur: nam quod attinet ad *Clement.* 2. §.*vlt. de Hæret.* ibi proponitur alter, quando scilicet Ministri Inquisitionis in officio delinquunt, vel ab alijs impediuntur, dum proprium munus exercent, prout aduertunt Gonzal. *vbi supra num.*5. *&* 12. Ansald. *de iurisd. par.*2. *cap.*6. *nu.*28. & concordantes adducit Inquisitor Fermosin. *de confiscat. bonorum in S. Offic. par.*2. *allegat.* 13. *num.* 6. vbi solidum hoc motiuum per contrariam consuetudinem, conantur euitare, Ciarlin. *dicto cap.* 120. *nu.* 26.27. *&* 28.

Quinimò quod excluso prorsùs Inquisitore solus laicus in nostris terminis procedat, tradiderunt Ansald. *de iurisd. par.*2. *tit.*11. *cap.*5.*num.*179. §.*vlt.* & latius *cap.*6. *num.*29. vbi quod in Dominio Serenissimi Ducis, Clementissimi Domini Nostri, secularis damnauit etiam pro simplici delatione armorum Familiares Inquisitoris, quem laudat Gonzal. *vbi supra num.* 12. §.*Alijs verò*, *post* Pont. *de matr.lib.*5.*cap.*12. §. *vnic. post num.* 12. & idipsum testatur Buoninsegnius Historicus Florent. *lib.* 3. dùm ait *de mense Februarij anni* 1344. per Excelsam Florentinam Rempublicam acriter fuisse damnatum Nuncium Inquisitoris pro simplici armorum delatione, cui tanquam approbato Historico venit deferendum, Rota *coram* Coccin. *decisione* 1867. *num.*36.37. *&* 38. & alibi passim.

Et reuera cum ius scriptum Inquisitoribus non suffragatur vix est, vt ad consuetudinem conuolent moribus, vel Principum priuilegijs, in quibus Prouincijs duntaxat inductam, à qua consuetudine, iuxta mediam quorumdam sententiam pendet huius quæstionis resolutio, vt videre est ex Narbon. *ad l.l.Regias, tit.*1. *de la Iurisdict. Real. l.*20. *concord. famil. S.Inquisit. glos.* 6. *num.* 6. cuius verba transcribit, & commendat Fontanell. *dicta decis.* 329. *num.* 20. vbi quod idem seruat Senatus Neapol. & cum hac distinctione procedit Aduocatus Fiscalis Sancti Officij, Carena *par.* 1. *tit. de famil. S. Offic. tit.* 14. *num.* 22. necnon Inquisitor Fermosin. *d. allegat.*13. *num.* 11. *in fin.* vbi, quod Inquisitores in Hispania hanc iurisdictionem acquisiuerunt ex longæua consuetudine; *& num.*12. *ad medium*, vbi quod hæc consuetudo fuit per Regem canonizata; *& num.* 30. quod vbi viget consuetudo legitimè præscripta Inquisitor non dicitur iurisdictionis vsurpator; *& num.* 58. vbi quod similis consuetudo fuit seruata in Hispania spatio 160. annorum, & vltra, Ciarlin. *dicto cap.* 120. *num.* 15. *&* 18. vbi ex professo Carenam amplectitur.

Cæterùm quod hæc eadem iurisdictio Inquisitoribus in Hispania tributa vtpotè à Regijs concordatis, & schedulis pendens tam in origine, quam in progressu merè laicalis sit reputanda, discusso ad partes articulo, firmat Pont. *de matrimon. lib.* 5. *cap.* 12. §. *vnic. à num.* 15. vbi quod Rex Catholicus in his, quæ concernunt delicta merè profana laicorum, modificat, vel suspendit iurisdictionem, quæ profectò non faceret, si non esset laicalis, itaut contrarium asserere crassissimam ignorantiam redoleat, quem sequitur Cutell. *ad l.Siculas*, §. *Constitutio Regis Martini, post cap.*21. *in dict. pro concord. inter Inqusit. & Officium Ordin. cap.* 1. *&* 2. aliique apud Cortiad. *decis.*30. *num.* 43. *in fin.* Baron. *de effect. minor. ætat. circa spiritual. effect.* 7. *num.* 103.

Et res extra difficultatem ponitur dùm grauissimi Doctores in Hispaniarum Regnis versati, testantur Inquisitores citra casus hæresis, in delictis eorum Familiarium, procedere solùm in vim Regij priuilegij, vt videre est ex Amat. *resolut.* 52. *num.*4. §.*Contrarium*, Fontanell.*d.decis.*329.

num. 17. Inquisitor Fermosinus ad extensionem propriæ iurisdictionis scribens, *d. allegat.* 13. *num.* 8. & 9. vbi quod Regis priuilegia hunc casum expresse non complectuntur; & *num.* 12. vbi quod Rex confirmauit consuetudines extensiuas iurisdictionis Inquisitorum; & *num.* 24. vbi quod à Rege absque Bullis Pontificum dimanauit; & *num.* 48. vbi quod semper recurrendum est ad Concordata; & *num.* 57. vbi quod sola voluntas Regis supplet rationem competentis iurisdictionis, quæ à priori per Inquisitores assignari non potest, Solorzan. *de iur. Indiar. lib.* 3. *cap.* 24. & 62. vbi quod proceditur iuxta Concordata Regum, quæ per extensum adducit Cortiad. *dicta decis.* 30. *num.* 43. *in fin.* post plures, quos longum foret transcribere Ansald. *de iurisdict. par.* 2. *tit.* 11. *cap.* 6. *num.* 10. & 17.

Quod euidenti ratione comprobatur nam si delinquant Familiares Inquisitorum in criminibus exceptis in Concordatis Hispaniæ, non dicuntur spoliari priuilegio fori Inquisitoris, eo quod illud nunquam fuerunt adepti in diminutionem laicalis iurisdictionis, cum priuatio supponat habitum, vt benè explicat Parexa *de edit. instr. lib.* 1. *tit.* 2. *resol.* 6. *num.* 87. 88. & 89. quem cum alijs laudat Cortiad. *d. decis.* 30. *num.* 43. *in fin.*

Et quod plus vrget, quamplures sunt casus delictorum non hæreticalium, quorum notionem idem Rex Catholicus sibi reseruauit, vt videre est ex Concordatis ex Doctoribus apud Carleual. *disp.* 2. *n.* 512. & 522. Cortiad. *dicta decisione* 30. *num.* 82. Gonzal. *vbi supra nu.* 12. *ad medium*, & *nu.* 13. Parexa *dicto tit.* 2. *resolut.* 6. *num.* 87. & *seqq.* Solorzan. *lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 60. & *seqq.* Fermosin. *d. allegat.* 13. *num.* 22. & *sequen.*

Eò libentiùs hæc omnia sunt recipienda, quia si Inquisitor huiusmodi delicta Familiarium cognosceret, plerumque euaderent impuniti, vt obseruat Ansald. *de iurisd. par.* 2. *d. tit.* 11. *cap.* 5. *num.* 65.

His iactis fundamentis tolluntur ea, quæ exaduerso solent allegari, quare, ne cum æquiuoco procedatur probari debet per Inquisitores iurisdictio in delictis Familiarium, non circa hæresim, vel huiusmodi, sed in merè profanis, qualis est casus controuersiæ, quod (circumspecta consuetudine, vel Regio priuilegio) fieri non poterit, cum huiusmodi iurisdictio sit merè laicalis, vt *superiùs* fuit insinuatum.

Quare non obstant Doctores, qui solent ad hunc effectum allegari, nam

Paramus ad hominem confutatur per Pont. *dicto* §. *vnico num.* 15. vbi quod turpissimè labitur.

P. Diana, qui Pontio, & Cutello non adhæret est minimæ auctoritatis, nam, vt ait Arias de Mes. *var. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 24. totus ferè est in probandis, quæ iurisdictioni Ecclesiæ magis fauent, & in proposito non placet Cortiad. *dicta decis.* 30. *num.* 43.

Narbona prosternitur per Cutell. quem laudat Fontanell. *dicta decis.* 329. *num.* 18. & non data contraria consuetudine fauore laicorum respondet, & concludit Fontanell. *num.* 20.

Gratian. examinatur per Ansald. *par.* 2. *tit.* 11. *cap.* 6. *per tot.*

Cæteris verò quampuribus ad trutinam positis per Cortiad. *d. decis.* 30. *num.* 43. idem non adhæret, & satisfacit.

Cauendum igitur est, nam plerique qui indistinctè pro Inquisitione scripserunt, vel tutantur propriam iurisdictionem, quales sunt Fermosin. & Gonzal. vel student extendere Ecclesiasticam iurisdictionem, vt de Spetello, quem Ecclesiæ immunitatis nimium zelatorem dicit, & admonet Card. de Luca *de iurisdict. disc.* 67. *num.* 5. Vel iuxta Concordata Hispaniarum loquuntur, vt patet ex Pont. *de matrim. vbi supra num.* 15. Carleual. *disput.* 2. *num.* 508. Caren. *de Offic. S. Inquisit. par.* 1. *tit.* 14. *nu.* 17. Ciarlin. *cap.* 120. *post nu.* 28. & 35. Solorzan. Fermosin. & Gonzal. locis ante *allegatis*. Quæ Concordata in Regnis Hispaniarum de vna ad aliam Prouinciam non extenduntur, Ciarlin. *dicto cap.* 120. *num.* 29. Ansald. *par.* 2. *tit.* 11. *cap.* 6. *nu.* 17. Gonzal. *ibidem num.* 6. & 12. *ad fin.*

Nec turbat replicatio, quod Summus Pontifex eximere valeat Officiales Inquisitionis à iurisdictione laicali, nam hoc cum grano salis est recipiendum, quatenus scilicet, materia spiritualis ob fidei incrementum id exigat, alioquin enim Summus Pontifex posset Reges subditis spoliare, quod Canonibus, Sanctis Patribus, & classicis Doctoribus repugnare latè explicat Gonzal. *vbi supra n.* 11. & 12. vbi quod tunc demùm res caret difficultate, quando accedit consensus Principis; quo casu idem Gonzal. admittit, Principem iurisdictionem concedere, quod pluribus medijs exornat, superuacanea tamen videtur inspectio, cum potestas ista (modo quo supra coarctata) non ostendatur ad actum reducta per Bullas, vel Canones, quibus laici in his terminis Inquisitoribus priuatiuè subiiciantur.

Fortiùs quia agitur de vilissimo Nuncio, in quo viget minor ratio priuilegij, quod in Hispania concedi nonimus, vel quia Officiales à Ministerio Sancti Officij non distrahantur, vel quia gratis inseruiant, vt obseruat Carleual. *dicta disput.* 2. *num.* 510. aliique *supra* laudati: Dum tamen in Nuncio non eligitur industria

personæ, neque ille gratis infertur, vt concludit Caren. *de Offic. S.Inquisit. par. 1. tract. 15. de Nunc. & Curs. S. Offic. §. vnico num. 2.*

Animaduersio, quod Familiares Episcoporum gaudeant priuilegio fori, ideoque idem dicendum sit in alijs Inquisitorum, propter æquiparationem inter illos inductam, non videtur tuta: tùm quia contrarium fuit ostensum in indiuiduo Inquisitorum, quibus additur Tondut. *de præuent. par. 1. cap. 29. num. 31.* vbi quod in Ciuitate Auenionen. Ditionis Pontificiæ, triginta annis contrarium vidit practicari. Tùm etiam quia post Concil. Trident. iuxta veriorem, & magis receptam sententiam, Familiares Episcoporum hoc iure non gaudent, vt post Scacc. Farinac. admonet Carleual. *disput. 2. num. 509. in fin.* Pereyra *de man. Reg. cap. 10. num. 13. ad fin.* Thesaur. iun. *quæst. forens. cap. 77. lib. 3.* & vnum pro multis allegare sat erit, Gonzal. *ad d. cap. vlt. de Offic. Archid. num. 3. & seqq.* vbi probat contrariam sententiam esse destitutam Textu, & ratione, ideoque spernendum esse numerum Doctorum inconsultò loquentium, cum præponderent fundamenta pro laicis militantia.

Quod difficultatem non patitur si pro laicis vigeat contraria consuetudo, vt ex Clar. & alijs prosequitur Pereyra *ibidem*, P. del Bene *de Immunit. cap. 4. dub. 15. num. 15. & 19.* Thesaur. iun. *dicto cap. 78.* Grass. *de effect. Cleric. effect. 1. num. 389.* Gonzal. *vbi supra*.

Quam in gratiam laicorum seruati Hetruria testatur Ansald. *de Iurisd. par. 2. tit. 11. cap. 5. num. 60.* quem sequitur Gonzal. *ibidem num. 3. & seqq.* qui de simili consuetudine Castiliana testatur Danz. *in pugn. DD. tit. de Cler. & famil. Cleric. nu. 21. 22. & 23.* vbi quod ità seruatur in Regno, Daniel de Nobil. *disput. 27. num. 13. ibique in addit. num. 2.* vbi de consuetudine Lucana Card. de Luca *de iurisdict. discurs. 67. num. 3.* vbi quod in pleris que Principatibus hæc consuetudo seruatur.

Hactenùs dicta Iuris allegatio.

Cui placeat audire responsionem, prout *infra*.

RESPONSIO.

NVncius Inquisitionis Senen. qui, vt supponitur, patrauit delictum extra munus sibi demandatum, vtì Minister Sancti Tribunalis est exemptus à iurisdictione laicali, ideoque non potest retineri in carceribus laicis, sed est remittendus ad Tribunal Inquisitionis, Simancha *de Cathol. Instit. tit. 41. rubr. de Ministr. nu. 19. & seqq.* Paramus *de orig. S. Inquisitionis lib. 3. quæst. 6. num. 27.* Roias *singul.* 101. P. del Bene *de Immunit. Eccles. par. 1. cap. 4. dubit. 14. num. 11. 12. & 13.*

Etenim eo ipso, quo laici sunt Ministri Inquisitionis mutant forum Regum, & Principum secularium, quia iurisdictio temporalis desinit mutatione personæ, vt egregiè notat Fermosinus *in allegat. fiscal. par. 2. allegat. 13. sub num. 24. & num. 47. in fine*, optimè Narbona *to. 2. in 3. parte Recopill. lib. 4. tit. 1. l. 20. Glos. 22. sub num. 25.*

Et quocunque loco deliquerint, subsunt Inquisitoribus, cum exemptio competat eorum personis ratione officij *ex reg. priuilegium 7. de regul. iur. in 6.* quam nouissimè illustrat Raymundus Nidus *ibid.*

Adeout si contentio sit super competentia iurisdictionis inter Iudicem Ecclesiasticum, & secularem, vt in præsenti casu, de iure cognitio competentiæ pertinet ad Ecclesiasticum, Ias. *in l. 2. Si quis in ius vocatus*, Butr. *in cap. Cæterum de Iudic. col. 3.* Couuar. *pract. capit. 33. numer. 1.* Guttier. *pract. lib. 1. quæst. 6. num. 2.* Valenzuela *cons. 42. num. 9.* plures adducit Barbosa *in Pastoral. allegat.* 106. cum aliis, & cum multis P. Diana *par. 7. tract. 10. resol. 5.*

Quod autem Ministri S. Inquisitionis sint exempti à Iudicibus secularibus etiam in delictis communibus extra officium commissis probatur pluribus rationibus.

Quandoquidem certum est, quod Inquisitores hæreticæ prauitatis possunt, & debent habere Ministros, & Officiales causa exercendi eorum officium, & ministerium, est Textus *in Clement. Nolentes 2. de Hæret. ad finem*, ibi, *nec Officiales nisi sibi necessarios habeant*, Ioannes Vigesimus secundus rescripto quodam incipiente, *Exigit ordinis vestri*, edito *anno Domini* 1321. Roland. à Valle *cons. 37. nu. 9. lib. 4.* Couuar. *lib. 2. Var. cap. vlt. in fine*, Decian. *in tract. crim. lib. 8. tit. de prohib. armorum, cap. 3. num. 19. to. 2.* Abbas *in cap. Significasti de officio Delegat.* Villadieg. *in tract. de Hæret. quæst. 11. num. 15.* Simancha *de Cathol. instit. tit. 41. num. 55.* Lucerna Inquisit. Bernard. Comens. *verb. Inquisitores.*

Quodque Inquisitores habent priuilegium, & exemptionem ab ordinaria iurisdictione tam Ecclesiastica, quàm seculari, vt colligitur ex Breue Alexandri Quarti, incipit *Ad Extirpandam* dato *anno* 1259. & ex Bullis Innocentij, Pij, Vrbani, Clementis Quarti, Alexandri Sexti, & Leonis Decimi, ibi, *à iurisdictione eximimus, & totaliter liberamus*, Roias *de Hæret. 2. par. tit. de priuileg. Inquisit. num.* 417. Eymeric. *in direct. par. 1. qu. 21.* vbi Pegna *comm. 7.*

Igitur inde fluit eorum Nuncios, Notarios, carcerum Custodes, & reliquos Inquisitionis Ministros, adeò necessarios esse, vt sine ipsis Inquisitorum munera

exerceri commodè non valeant, & ideò vnum corpus cum ipsis fiunt, & tam in criminalibus, quàm in ciuilibus, absque vlla limitatione gaudent eodem priuilegio fori, ac Inquisitores ex traditis à Mandos. *in tract. de priuileg. ad instar Glos.* 11. *num.* 72. tradit. Narbona *d. Gloss.* 22. *nu.* 15. Fermosin. *dicta allegat.* 13. *sub num.* 3. & faciunt iura *in l.* 2. §. 1. ibi *Potest illic habitare non solus, verum cum familia quoque sua, ff. de vsu, & habitatione, l. Medicos* 6. *l. vlt. C. de Professoribus, & Medic. lib.* 10. *l. Seruator* 4. ibi, *& homines eorum, &c. C. de dignitatibus lib.* 12. *cap. Licet de priuileg. lib.* 6. ibi *cum conceditur, &c.* optimè Fragos. *de regim. Reipubl. par.* 2. *lib.* 5. *disput.* 13. §. 10. *num.* 15.

Sicuti competit regulariter priuilegium illis Familiaribus, & domesticis, sine quibus Priuilegiatus commodè suo priuilegio vti non potest, vt docet Oldrad. *cons.* 11. incipit *thema tale est, & cons.* 293. *n.* 5. Io. Ant. Niger *in Extrauagante vnica num.* 93. *vers. Aduerte tamen de vita, & honestate Clericorum,* & ante eos Bartol. *in tract. represal. par.* 7. *quæst.* 7. *principali num.* 8. Bald. *in l.* 1. *C. de vxor. milit. & in Authentica habita C. ne filius pro patre,* Felin. *in cap.* 2. *colum.* 2. *vers. Tene istam conclusionem de foro competen.* Gratian. *discept. forens.* 233. *num.* 6. & 7. Thesaurus *decis.* 22.

Atque hinc est, quod per exemptionem Ecclesiæ Ministri eius quoque censentur exempti, *cap.* 1. *de priuileg. in* 6. Alberic. *in l. inter eos, ff. quibus causis maior.* Afflictus *in rubr. de Iudicibus*, Franchus *in proœmio* 6. *nu.* 11. *vol.* 3. *in glos. verbo Scholaribus*, Imol. *in Clement. vnic. num.* 9. *de reliq. & venerat. Sanctorum*, post Cyn. *in l. omnes, C. de Episc. & Cler.* & Bald. *in d. Authent. habita ne filius pro patre.*

Rationem reddit Anchar. *in proœmio* 6. *num.* 11. quia famuli sunt appendices Dominorum, quod etiam voluit Hostien. *in cap.* 1. *de Locat.*

Et propterea priuilegium eis quoque competit, Bartol. *in l. Iubemus*, §. *Sanè num.* 14. *C. de Sacros. Eccles.* Iason *in l. Error col.* 4. *C. de iuris, & facti ignorant.* Cassan. *in cathalog. Glor. Mundi par.* 7. *consid.* 49.

Et in puncto Nuncij, sine quo commodè iurisdictio Sancti Officij exerceri non potest, quod gaudeat priuilegio fori, etiam in delictis communibus, Formosin. *d. allegat.* 13. *sub num.* 21. Narbona *d. l.* 20. *num.* 19. & *est plena decis.* 36. *Regentis à Ponte signanter à num.* 7. *vsque ad num.* 11.

Quæ longè faciliùs militare videntur, quia dùm Inquisitoribus de iure concessum est, vt possint habere familiam armatam, *Clement.* 2. *de Hæret.* Roias *eodem tit. par.* 2. *num.* 422. Pegna *par.* 3. *comment.* 105. Molin. *de Brachio seculari cap.* 18. *n.* 11. Roland. *cons.* 37. *num.* 9. *colum.* 4. P. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 31. Barbosa *de potest. Episcopi allegat.* 107. *nu.* 6. Bouadill. *in polit. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 88. Farinaccius *qu.* 182. *num.* 91. *Caren. par.* 1. *tit.* 14. §. 1. Narbona *ad l. Reg. d. l.* 20. *num.* 85. Fermosin. *in cap. Eccles. Sanctæ Mariæ* 10. *quæst.* 58. *nu.* 25. & *num.* 31.

Consequens est, vt dicta Familia in quocunque casu contigibili, sit extra iurisdictionem secularem, aliàs enim, si aliis Iudicibus secularibus, & Ecclesiasticis, liceret eam incarcerare, punire, ac illius causam cognoscere, magna sequeretur iniuria, & ingens detrimentum in causis fidei, totaque auctoritas, & potestas, Inquisitorum euerteretur, ac nulla esset, tam præexcellens potestas, dignitas, ac iurisdictio, qua ipsi potiuntur, quia vti Pontificis delegati, non solùm vices eius gerunt, sed locum tenent, *cap. Si quis Episcopus* 2. *quæst.* 6. *cap. fin.* 93. *distinct.* Et sunt maiores quolibet Iudice ordinario, Textus *in l. ille, à quo*, §. *Tempestiuum, ff. ad Trebell. cap. Sanè lib.* 2. *cap. Significasti de officio Delegati, cap. Pastorali*, §. *Præterea vers. cum Delegatus de offic. Ordinarij.*

Quinimò Inquisitionis Ministri, & Faliares fruuntur maioribus prærogatiuis, exemptionibus, & priuilegijs, quàm familiares Episcoporum, vt fusè ostendit Roias *in tract. priuileg. Inquisitorum, & de singularibus fidei*, Ludouicus à Paramo *de orig. Inquisit. tit.* 1. *cap.* 4. *per tot.* Narbona *dicta l.* 20. *glos.* 22. *num.* 3.

Episcopi autem, qui tantundem iurisdictionem Ecclesiasticam habent, possunt liberè cognoscere causas suorum Familiarium, etiam in delictis communibus commissis extra officium, quamuis Familiares laici sint, & merè seculares existant, vt in terminis asserunt plurimi relati à P. Diana *par.* 3. *tract.* 1. *resol.* 12. *par.* 4. *tract.* 1. *resol.* 30. *par.* 5. *tract.* 1. *resol.* 1. & pro hac sententia notandi sunt, Barbos. *de offic. & potestate Episcopi par.* 3. *allegat.* 107. *num.* 11. Ricc. *in prax. fori Eccles. par.* 1. *resol.* 471. Bonacc. *in Bulla Cœnæ Domini disp.* 1. *quæst.* 16. *punc.* 3. *num.* 7. Squillant. *de priuileg. Cleric. cap.* 7. *num.* 54. Donat. Anton. de Marin. *quotid. resol. lib.* 5. *cap.* 217. *num.* 2. Gauant. *in man. Episcop. verb. forum Episcopi nu.* 31. Gratian. *decis.* 233. & *disceptat.* 340. P. del Bene *de immunit. d. cap.* 4. *dubit.* 15. & diligenter Canonistas, & alios colligit Fermosinus *d. allegat.* 13. *num.* 42.

Igitur si Episcopi cognitionem habeant suorum laicorum Familiarium, similiter etiam, & Inquisitores de suis Ministris, & Familiaribus laicis, quia sunt maiores Ordinarijs, valebunt cognoscere, vt ex argumento à simili latiùs ratiocinatur

Narbona *ad d. l. 20. num. 4.* Pegna *ad Directorium Inquisitorum par. 3. in quæst. 56. comment. 105. vers. Postremò in hac quæst. vsque ad finem*, Fermosinus *d. allegat. 13. num. 42.* Carena *par. 1. tit. 14. §. 5. num. 19. & 20.* Carleual. *de Iudicijs, lib. 1. tit. 1. disput. 2. quæst. 6. sect. 6. num. 509.*

Nec refert, quod ex aliquibus Doctoribus contra relatis, Familiares Episcoporum hoc iure non gaudent.

Etenim 67. Doctores solerti labore à P. Diana congesti *par. 6. tract. 2. resolut. 82.* magis communiter affirmant, famulos Episcoporum, etiam laicos gaudere priuilegio fori Ecclesiastici, de quorum numero sunt plures Hispani, nempe Rodericus à Auenna, Narbona, Torre-blanca, Villapand. Ambrosius Marellia, Bellug. & alii, & 24. Doctores ferè omnes Regios refert Carleual. nuper allegatus, quorum sententia apertissimè probatur ex *cap. fin. de offic. Archidian.*, *& Concil. Tolet. 3. in cap. Ecclesiarum Seruos 12. quæst. 2.* quos Textus malè Pereyr. Thesaur. Iun. & alij contra allegati eludunt, nam in primo omnes Episcoporum Familiares, absque personarum, aut causarum distinctione à iurisdictione seculari immunes declarantur, & in secundo licet id dicatur de Seruis perpetuis, Doctores tamen ex connexione materiæ ad fauorem familiæ Episcoporum eo vtuntur, idque comprobatum fuit ex pluribus declarationibus Sacræ Congregationis cum approbatione duorum Summorum Pontificum, nempe Pauli Quinti, & Vrbani Octaui, vt per Dianam *d. tract. 2. resol. 2 & 4.*

Vnde hodie à cordatis iuris nihil curandum est de Pereyra, Thesaur. Iun. Gonzal. & alijs; dùm Sacra Congregatio, Summique Pontifices ità Canones interpretati sunt. Pontificis enim proprium est Canones declarare, *cap. Cappellanus de fer.* Solorzan. *de iure Indiar. lib. 2. cap. 24. num. 40. tom. 1.*

Prædictis omnibus, quod nempe Inquisitores habent iurisdictionem in suos Ministros pro delictis extra officium commissis, accedit obseruantia, per quam ostenditur, quæ sit interpretatio vera, & iuri conformis, Honded. *consl. 92. num. 30. lib. 1.* Addens ad Ludouis. *decis. 84. num. 8.* Rota *decis. 574. num. 3. par. 1. diuersorum, & decis. 608. num. 2. par. 2. recent.*

Quoniam in quibuscunque Principatibus, & Regnis vbi sunt Inquisitores ipsi exercent iurisdictionem in suos Ministros, & Familiares pro delictis ab illis extra officium commissis, vt per Cutell. *ad leges Martin. in C. leg. secul. sub tit. de iurisd. in seculares*, Gratian. *discept. 340.* Carleual. *de Iudic. to. 1. disp. 2. sect. 6. quæst. 6.* Giurb. *cons. 96. num. 27. & seqq.* Cancer. *Var. 2. par. cap. 2. de iurisdictione ex nu. 33.* Narbona *ad d. l. 20. glos. 22.* Fermosinus *d. allegat. 43. & de for. compet. cap. Cum contingat. 13. quæst. 11.* quæ quidem iurisdictio est Apostolica, & Ecclesiastica, & non Regalis, seu laicalis, vt fusè, & luculenter ostendit Fermosin. *d. leg. 13. per tot.* & signanter *num. 5. 10. & 32.* Narbona *d. l. 20. glos. 22.* & alij relati per Cortiad. *decis. 30. num. 43.* quos longum est transcribere.

Idque clarè comprobatur, ex quo iurisdictio Inquisitorum in omnibus causis annexis fidei, vt sunt causæ Ministrorum, & Officialium Sancti Tribunalis est Apostolica, *cap. Per hoc, cap. Vt officium de Heret. in 6. cap. Ad abolendam in fine extra eodem*, Pegna *in 3. part. Directorij quæst. 4. comment. 43. & quæst. 21. comment. 70. vers. An ante hoc priuileg.* Zanchin. *in tract. de Heret. cap. 1.* Simancha *de Cathol. instit. tit. 25. & tit. 34.* Decian. *in tract. crim. par. 1. lib. 5. tit. de Inquisitione num. 2. 7. & 10.*

Nec obstat argumentum contrarium, quod scilicet dicta iurisdictio sit laicalis, ex quo in multis Regnis, & Principatibus adempta sit in nonnullis casibus Inquisitoribus iurisdictio in Ministros, & Familiares.

Quandoquidem non fuit ablata iurisdictio, sed modificata, eò quia excessiuus erat numerus Familiarium, quem oportuit ordinatione aliqua præfiniri, & ne homines spe impunitatis, & remissionis pœnæ, abuteretur priuilegio, grauissima perpetrando crimina, ideò aliqui casus particulares fuerunt excepti, vt notat Fermosinus *d. allegat. 13. num. 8. & num. 19.* & declarat Gonzal. *ad d. cap. fin. sub nu. 12. de offic. Archiadiac.*

Omnes enim abusus hac in re est contra intentionem Summi Pontificis notant ad rem, Saled. ad Bernard. Diazz. *cap. 150. à num. 23.* Carena *d. par. 1. tit. 15. §. 4.* Gonzal. *vbi supra.*

Benè autem poterit Summus Pontifex Officiales, & Ministros Sanctæ Inquisitionis etiamsi sint laici eximere à potestate laicali, nam licet Pontifex ad eximendum laicos à iurisdictione seculari non habeat dominium directum, vt plerique etiam inter Theologos docent, quod tamen affirmat inter alios Solorzan. *lib. 2. cap. 22. num. 17. to. 1.* habet saltem indirectum, & habitum ex iusta causa exercendum, & ideo ex iusta causa potest eximere laicos à potestate laicali, vt ad rem ponderat Fermosin. *dicta allegat. 13. num. 33.* Gonzal. cum pluribus *ad d. cap. fin. de offic. Archidiac. sub num. 11. vers. Dixi*, alios plures adducit Fermosin. *ad cap. Ecclesiæ S. Mariæ 10. de constit. sub num. 36.*

Iusta autem causa in nostro casu est, quod cum ministerium horum Officia-

lium, & Ministrorum Sancti Officii, sine quibus S. Tribunal consistere non potest, sit necessarium ad bonam, breuemque expeditionem causarum fidei ab eisque dependentium, si in suis causis ciuilibus, & criminalibus non possint gaudere priuilegio fori Inquisitionis, ex eo solo turbatur finis spiritualis, in quem ipsi assignati sunt, & etiam iusta causa est honor, & reuerentia dignitati Apostolici Delegati debita, quæ per carcerationem Ministrorum secutam de ordine laicorum, valde diminueretur in detrimentum Religionis. Summa autem est ratio, quæ pro Religione facit, *l. sunt personæ, ff. de relig. & sumpt. funer.* & ponderat Fermosin. *in d. alleg.* 13. *num.* 34. *&* 35. & ex pluribus Gonzal. *vbi supra.*

Hinc patet quale fundamentum fieri possit in auctoritate Ansaldi, Basilij Pontii, & Boninsegni in Historiis Florentinis, quoniam desumpto Gonzalez à Me *vbi proximè* allegato, qui solùm refert dictum Ansaldi, aliàs potiùs militat in castris nostris.

Ansald. *de iurisdict. par.* 2. *tit.* 11. *cap.* 5. *num.* 179. *& cap.*6. *num.* 29. nullum fundamentum discutit, quod faueat Inquisitoribus, & est infensissimus Ecclesiasticis, & Immunitati Ecclesiasticæ, vt doctissimè ostendit Sperell. *decis.* 582. *per tot.*

Vltra quod rationes per eum allegatæ non subsistunt, quia quod in Clementina *Nolentes, de Hæret.* expressè non dicatur, quod Inquisitores possint procedere, si eorum Ministri delinquant extra officium nihil facit ad rem, quia cum Inquisitoribus detur iurisdictio, quoad principale, & concedatur quod possint habere Ministros; iustum,& de iure est, vt eos habeant cum omni exemptione, & cæteris requisitis ad vsum suæ iurisdictionis, ex *l.* 2. *ff. de iurisdict. omn. Iudic. cap. Præterea, de offic. Deleg.* argumento eorum, quæ tradit Gurb. *ad consuetud. Messanen. cap.*6. *par.*1. *à num.* 13. Ant. Bellon. *consil.*1. Valenzuel. *cons.*62. *num.*7. *lib.* 1. Gratian. *to.* 5. *discept. cap.*920. *num.*2. *&* 3.

Alia ratio, quod delictorum punitio proprio Domino committatur decidetur à Gonzal. *dicto cap. fin. sub nu.* 18. *de officio Archidiac.* & quidem possunt Inquisitores esse Iudices in delictis suorum Familiarium,sicut Leo,& Anthemius fecerunt in suos cubicularios, *l.* 3. *C. de Præposit. sacr. Cubicul. lib.*12. & Zeno in Silentiarios *l.*4. *C. de Silentiar. eod. libro.*

Basilius Pontius *de matrim. lib.*5. *cap.*12. *§. vnic. post nu.* 42. repetit fundamenta pro iurisdictione regulanda in Familiares Inquisitorum scripta à Ioseph Mur, contra quæ fundamenta insurgit Narb. *ad dictam l.*20.*glos.*22. *à n.*43. *& seqq.* vbi validissimè ea singillatim confutat.

Et quamuis contra Narbonam multa congerat Cutell. *in comment.ad ll.Sicil.super Constitutionibus legis Martin.* post *cap.* 21. in discursu pro concordia inter Inquisitores, & Ordinarios.

Cutellum tamen refellit P. Diana *par.* 5. *resol.* 1. *tract.* 1. qui quicquid de eo scripserit Arias de Mesa *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 24. vti eruditissimus, & pijssimus, est Doctor maximæ auctoritatis, vt de eo scribit Paz. Iord. *to.* 1. *de re sacra lib.*4. *tit.* 1. *num.* 319. *in fine*, & in terminis nostris laudatur, & approbatur à Fermosino *dicta allegat.* 13. *num.* 32.

Exemplum autem allatum à Boninsignio Historico Florent. *lib.* 3. Nuncij scilicet Inquisitionis damnati à Republica Florentina *de anno* 1344. ob delationem armorum poterat omitti, quia legibus, & non exemplis venit iudicandum, *l. Eos, §. super his, C. de appellat. l. Seruus* 13. *ff. de stat. hominum*, Torre-blanc. *de iure spiritual. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 19.

Illis enim temporibus Respublica procedebat de facto, ac accidit in alio casu relato à Scipione Amirato Historico Florentino *lib.* 10. *anno* 1346. in quo cum Respublica voluerit perturbare iurisdictionem Inquisitionis, Inquisitor strictà se gerendo protulit excommunicationem in Priores, & interdictum in Vrbem, ob quod Respublica plura incommoda, & damna passa est,vt ex Villanio refert Spondan. *in suis Annalib. anno* 1345. *num.* 2.

Et sanè si vt ostendit Narbona *ad dictam l.* 20. *gloss.* 22. *à num.* 56. *vsque ad num.* 66. sunt plures casus, in quibus Inquisitores possunt omnimodam iurisdictionem in laicos exercere, esset res planè admirationis digna, si in delictis communibus ipsi deberent pati manibus ligatis, vt Iudices seculares contra proprios Ministros procederent, vnde cognitionem horum Ministrorum ad ipsos Inquisitores iure optimo pertinere, testis est omni exceptione maior, & alienus nota suspensionis, magnusque Carolus Quintus Imperator in litteris Prætorio Granatensi missis 15. *Iulij* 1518. ibi,

Los sus Criados, y Familiares de los Inquisidores del dicho partido algunos de vos otros es entrometteis à conoscer, e conoscies perteneciendo el conoscimiento dellos à los dichos Inquisidores à quien pertenece, el conoscimiento dellos.

Vt ad rem notat Fermosin. *in d.alleg.*13. *num.*4. & ità ex pluribus contra Iudices seculares concludit Ciarlin. *controu. forens. cap.* 120. *num.* 30. *&* 31.

Quare æquali fiducia speratur, quod spretis auctoritatibus Doctorum à S. Sede Apostolica damnatorum, vt Cutellus,

Ansald. & Peregr. eandem responsionem emittere dignetur potentissimus, ac pijssimus Cosmus Tertius Magnus Dux Hetruriæ sibi subiectæ, cuius maiores ità proni fuere in Sanctæ Inquisitionis Tribunal, vt in illius obsequium voluerint etiam amittere sibi coniunctos arctissima necessitudine, vt colligitur ex Io. Baptista Adriano in eius Historia *lib. 19. anni* 1566. *fol. mihi* 755. *littera B.* & ex Scipione Amirat. in Historia Florentina *par. 2. eodem anno lib. 35. fol. mihi* 542. *littera B*, & ex Spondan. *in annal. anni* 1566. *num.* 4.

Et hæc dicta sufficiant pro responsione ad allegationem Iuris exaduersò datam.

Consultores pariter Sancti Officij in Ciuitate Neapolis ideò sunt exempti à iu-
49 risdictione ordinaria, quia non sunt simpliciter Consultores, sed Ministri huius Supremæ, &c. quæ vtitur eorũ opera in fabricandis Processibus causarum Sancti Officij, vt decreuit Sacra Congregatio *sub die* 14. *Martij* 1640. & fuerunt super hac exemptione datæ litteræ ad Archiepiscopum Neapolitanum, quarum exemplar refertur à R. P. D. Episcopo Iuuenacen. *post votum* 69. *3. tom.* licèt minùs correctum.

Sunt enim huiusmodi Consultores Ministri, sine quibus commodè exerceri non potest iurisdictio Sancti Officij: ideò intrat *Decisio* 36. Ioan: Francisci à Ponte.

Item Familiares, & Consultores Inquisitionis Meliten. gaudent priuilegio Fori
50 in criminalibus tam actiuè, quàm passiuè: in ciuilibus verò vbi tantummodò sunt Rei non Actores, quicquid dixerit P. Salelles *lib.* 1. *cap.* 6. *reg.* 45. *num.* 50.

Nam cum quidam Inquisitor prætenderet, quod Familiares possent conuenire suos debitores coram ipso, Suprema, &c. ei rescripsit *sub die* 18. *Decembris* 1610. vt se retraheret ab huiusmodi prætensione, quæ resolutio confirmata fuit *sub die* 20. *Iulij* 1611.

Sicuti etiam Inquisitori Meliten. scriptum fuit *de anno* 1641. vt se retraheret ab
51 alia prætensione, quam habebat cognoscendi, an sui Familiares adimpleuissent præceptum annuæ Communionis in Paschate, & significatum ei fuit, Communionem generalem, quam faciebat in die Iouis Sancti non suffragari Familiaribus, Consultoribus, & Ministris Sancti Officij, quin tenerentur sumere Eucharistiam in Paschate à proprio Parocho.

Habent etiam Familiares Inquisitionis Meliten. plura alia priuilegia; Nam eorum mancipia gaudent priuilegio Fori, nec possunt à Magno Magistro auferri pro seruitio Triremium Religionis, vt fuit resolutum in Suprema, &c. reclamante Magno Magistro *sub die* 20. *Iulij* 1618. & *die* 21. *Augusti* 1631.

52 Debent tamen recludi in loco destinato à Magno Magistro qualibet nocte, vt fuit resolutum *die* 21. *Iunij* 1581. Sed plura de his mancipiis videbimus *infra*.

53 Secundò, non possunt cogi ad retinendos equos pro defensione Insulæ ab Infidelibus, vt fuit resolutum *sub die* 28. *Decembris* 1606.

54 Tenentur tamen excubias facere in magna necessitate, vt ex Decreto *sub die* 13. *Aprilis* 1600. Quod fuit extensum ad omnes Familiares aliarum Inquisitionum, vt *in vna Fanen. de anno* 1642.

55 Tertiò, sunt immunes ab oneribus, & impositionibus, quæ à Magno Magistro imponuntur, vt ex Decreto *die* 10. *Ianuarij* 1591.

Sed quia pro parte Episcopi Meliten. fuit consulta Sacra Congregatio super nonnullis dubijs vertentibus inter suum Tribunal, & Tribunal Inquisitionis, placet hic inserere Decreta super illis facta,

Feria iv. die 11. *Nouembris* 1643.

In Congregatione Sancti Officij habita, &c. coram Eminentissimis, & Reuerendissimis DD.
56 *Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus; Relato memoriali Reuerendissimi Domini Episcopi Meliten. & visa, & considerata scriptura, & informatione super contentis in dicto memoriali à R.P.D. Assessore exhibita tam in facto, quàm in iure, Sacra Congregatio respondit.*

Primò, non posse Inquisitorem Meliten. litteras monitoriales, quas significauit, appellan-
57 *tibus pro rebus deperditis, concedere, & expedire, sed concessionem, & expeditionem litterarum huiusmodi spectare ad Episcopum.*

Vt autem afficiant Familiares, & Ministros Inquisitionis, debere Inquisitorem iuxta soli-
58 *tum in calcem Monitorialium huiusmodi apponere hæc verba:* Afficiant etiam Familiares, Consultores, & Ministros Sanctæ Inquisitionis.

N. Inquisitor.

Nullam tamen occasione huiusmodi Decreti, vel causæ cognitionem adhibere posse, vel mercedem recipere, sed tam per ipsum Inquisitorem, quàm per eius Cancellarium, hæc omnia gratis expediri debere.

Secundò censuit, Familiares Sancti Officij Meliten. subesse iurisdictioni Inquisitoris, quo-
59 *ad eorum personas, & bona tantùm, non quoad reliquos de eorum familia:*

60 *Tertiò censuit, seruandum esse Decretum Sacræ Congregationis emanatum sub die* 4. *Decembris* 1641. tenoris infrascripti:

Inquisitor pro nunc non permittat, suos Familiares gaudere Priuilegio Fori, nisi in causis,

61 *in quibus sunt Rei; & si occurrat casus, in quo sint actores, & prætendant trahere Reum coram Inquisitore, consulatur priùs Sacra Congregatio pro recipiendis ab ea ordinibus opportunis.*

62 Aduertendum tamen est, quod *de anno 1653. die 23. Aprilis*, eadem Sacra Congregatio censuit, Familiarem, contra quem intentatum fuerat diuortium ab vxore, non gaudere priuilegio Fori.

Quartò censuit, Familiares prædictos non posse se tueri exceptione exemptionis si coram

63 *Episcopo conueniantur pro executione Legatorum piorum, dummodò causa coram Inquisitore non fuerit præuenta.*

Et sciendum est, aliàs Sanctissimum Papam Vrbanum, *sub die 18. Augusti 1639.*

64 resoluisse, Officiales, Ministros, & Familiares Sancti Officij Meliten. non gaudere priuilegio Fori in causis concernentibus interesse Fabricæ Sancti Petri, sed se obligatos esse respondere coram Commissario eiusdem Fabricæ, à quo si granatos se senserint, poterunt appellare ad Inquisitorem vti Iudicem delegatum.

65 *Quintò censuit, non posse Episcopum cogere Familiares prædictos ad subyciendum se examini in suo Tribunali absque licentia Inquisitoris, teneri tamen Inquisitorem licentiam prædictam semper concedere, ne ex defectu probationum Ius Partis pereat.*

66 *Sextò censuit, Inquisitorem Meliten. vti Inquisitorem non habere iurisdictionem in Clericos, & Officiales Episcopi, nisi in causis fidei, & dependentibus ab illis.*

67 *Septimò censuit, causas Clericorum, Equitum, & aliorum, qui offendunt Ministros, & Familiares Sancti Officij spectare priuatiuè ad Inquisitorem.*

Sed circa hoc Decretum aduertendum est, aliàs fuisse resolutum *sub die 1. Iulij 1615.* in huiusmodi causis non debere seruari solitum stylum Sancti Officii, sed dandam esse Reis copiam indiciorum, cum nominibus Testium, vt solet fieri in aliis Tribunalibus.

68 *Octauò censuit, si Clericus, & Familiaris Sancti Officij insimul delinquant, certiorandam esse Sacram Congregationem de delicto, & suis qualitatibus, & expectandum ab ea responsum: An Episcopus, An Inquisitor procedere debeat, an verò Clericus ab Episcopo, & Familiaris ab Inquisitore separatim puniri debeant.*

69 *Nonò, idem censuit in confectione inuentarij, quando hæredes sunt Clericus, & Familiaris, nisi Episcopus, & Inquisitor inter se conueniant.*

70 *Decimò censuit, Canonicos Cathedralis posse assumi in Consultores, Ministros, & Familiares Sancti Officij, non autem Parocos.*

71 *Vndecimò censuit, obseruandum esse Decretum sanctæ memoriæ Clementis Octaui emanatum in Congregatione Sancti Officij die 2. Augusti 1601.* tenoris sequentis:

72 *Sanctissimus mandauit, vt in approbandis libris imprimendis, Inquisitores obseruent regulas Indicis.*

Duodecimò censuit, Inquisitorem curare debere, si requiratur, vt Inhibitiones, & Cita-

73 *tiones Rotales, necnon Decreta, & Mandata Audit. Cam. debitæ mandentur executioni, non tamen vti Inquisitorem, sed vti Delegatum Apostolicum.*

74 *Decimotertiò censuit, per Inquisitorem habendas esse Congregationes Sancti Officij opportuno tempore, itaut Vicarius Episcopi ad illas accedere, illisque interesse possit.*

Circa verò mancipia Familiarium habentur infrascripta Decreta *sub die 24. Octobris 1635.* emanata.

75 *Pro Familiaribus, & Mancipijs Sanctæ Inquisitionis Meliten. relatis scripturis, & informationibus Romam transmissis ab Inquisitore Meliten. & à Magno Magistro; Eminentissimi auditis votis Dominorum Consultorum, decreuerunt vt infra:*

76 *Primò, quod Inquisitor procuret restitutionem Mancipij Matthiæ de Elia Familiaris Sancti Officij.* Fuerat enim carceratus à Ministris Magni Magistri, sub prætextu, quod esset in fuga, & prætendebat illud applicare Fisco Castellaniæ, contra dispositionem Textus *in l. Interdum, §. Serui, ff. de publican. & vectigal.*

77 *Secundò, quod imposterum non recipiantur in Familiares Sancti Officij exercentes mercaturam mancipiorum, & recepti cassentur à numero Familiarium, nisi se abstineant à mercatura prædicta.*

78 *Tertiò, mancipia Inquisitionis, eiusque Officialium, ac Familiarium ad seruitia necessaria prædictorum destinata gaudent priuilegio fori.*

79 *Quartò, Inquisitor præcipiat Familiaribus, vt transmittant sua mancipia ad pernoctandum in solitis carceribus, etsi in hoc delinquant tam Familiares, quàm mancipia puniantur ab Inquisitore pœnis arbitrarijs.*

80 *Quintò, Inquisitor transmittat mancipia Inquisitionis ad pernoctandum in solitis carceribus, quatenùs Magnus Magister eò transmittat etiam sua.*

81 Fuit etiam resolutum *sub die 6. Aprilis 1600.* quod Cappellani, Mediæ-crucis, & cæteri de foro Magni Magistri non recipiantur in Familiares, & hactenùs recepti amoneantur.

82 Et quod in casibus grauibus Inquisitor non impediat Ministros Magni Magistri perquirere domos Familiarium Sancti Officii cum interuentu Capitanei eiusdem Sancti Officij, an in eis latitent delinquentes, vt ex Decreto *sub die 7. Februarij 1625.*

83 Præterea si Familiares Sancti Officii assumantur ad aliquod officium, siue Gubernium

bernium à Principe, vel Magistratu seculari, non possunt se tueri exceptione exemptionis, ne pulsentur in syndicatu, vt ex Decreto *sub die 20. Nouembris 1630. in vna Meliten.* Familiares verò aliarum Inquisitionum non sunt exempti à solutione impositionum, & onerum, vt fuit resolutum *sub die 5. Iunij 1613.*

84 Et præsertim onerum Cameralium, nec à subministrandis suppellectilibus pro seruitio militum, vt ex Decreto *sub die 28. Iunij 1632.* Nec à muneribus publicis, vt Annonarij, siue Abundantiarij, & similium, vt ex *eodem* Decreto.

85 Nec à contributione tritici pro Annona, seu Abundantia, vt fuit resolutum *die 9. Nouembris 1629.*

Non sunt tamen cogendi ad seruitia militaria, nec ad lustrationem militum,
86 nisi adsit vrgens necessitas, & non sint occupati in seruitio Sacri Tribunalis, vt fuit resolutum *die 31. Augusti, 7. Septemb. 25. Maij, 15. Iunij 1617. & 7. Februarij 1618.* Nec possunt capi pro represalijs, vt *pluries* fuit resolutum.

87 Et cum *de anno 1656.* in Capitulis initis inter Reuerendam Cameram Apostolicam, & Thesaurarium Romandiolæ expressè cautum fuisset, quod Familiares, & Patentati Sancti Officij possent capi pro represalijs, & dicta Capitula sic expressa publicata fuissent; id ęgrè tulit Sacra Congregatio, & sanctæ memoriæ Alexander Septimus pro sua pietate mandauit, vt deleretur illud Capitulum à prothocollo Instrumenti Appaltus, & Inquisitor Fauentiæ aliud publicaret Edictum, quo vetaret, ne Familiares, & Officiales Sancti Officij caperentur pro repręsalijs, non obstante conuentione in dicto Instrumento, cui in hac parte derogabat.

88 Si enim Milites tam terrestris, quàm equestris militiæ non possunt repræsalijs grauari, *l. Stipendia, C. de execut. rei iudic. l. vlt. §. Sicut autem, ff. de muner. & honor.* Cohell. *ad Bullam de bono Regimine cap. 12. num. 79.*

Multò magis debent hoc priuilegio gaudere Familiares Sancti Officij veluti Milites Sacratæ Militiæ, & proprio ære militantes, *vt in cap. vnic. de Interdict. & damn. dato in 6.*

Cæterum etsi exempti teneantur exhibere coram Ordinario scripturam exemp-
89 tionis, *cap. Accepimus de fide Instrument., cap. Cum persona de priuileg. in 6.* Cocchier. *de iurisdictione in exemptos par. 1. quæst. 9. num. 11. & 12.*

Et iuxta Concordiam initam inter Regem Catholicum, & Familiares S. Officij Hispaniarum debeat dari copia matriculæ prædictorum Familiarium Prætori Ciuitatis, Narbona *d. l. 20. glos. 5.*

Nihilominus Suprema, &c. semper vetuit, ne huiusmodi matricula tradatur,
90 vel Iudici seculari, vel Ecclesiastico, ne Sacrum Tribunal hac seruitute prematur. Cum enim crebrò mutentur Familiares, onus graue esset Inquisitori, singuloquoque mutato, tradere notam illius Iudicibus prædictis; Ideò satis esse iudicauit, quod matricula remaneat penes Inquisitorem, & litteræ Patentes penes Familiares; Et si aliquando Familiaris sua spontè obtulerit notam suæ familiaritatis Iudici seculari, illamque penes illius acta petiit registrari, fuit illicò litteris, & priuilegijs Familiarium priuatus, vt ex Decreto *sub die 24. Februarij 1633.*

Inter Familiares etiam Sancti Officij connumerantur, sed impropriè Confratres Confraternitatum Sanctæ Crucis, vel
91 Sancti Petri Martyris, quos Crucesignatos appellant, qui tamen gaudent solummodò nonnullis priuilegijs, & gratijs spiritualibus, vt apparet ex Constitutione Clementis Septimi incipien. *Cum sicut Constit. 27. 1. tom. Bullar.* & ex Constitutione Pauli Quinti, *Cum inter cæteras die 29. Iulij 1615.*

Quibus priuilegijs, & indulgentijs gaudent etiam Inquisitores, Vicarij, Consul-
92 tores, ceterique Ministri, & Officiales Inquisitionis Hæreticæ prauitatis, etiam in dictis Confraternitatibus non descripti, vt apparet ex Bulla 1. Pauli Quinti *vers. Decernentes nostræ intentionis*, Carena *par. 1. tit. 14. §. 6.*

Qui quidem Crucesignati possunt absolui semel in vita à casibus reseruatis,
93 non obstante Decreto emanato à Congregatione Episcoporum, & Regularium, vt pluries fuit resolutum, nempe *30. Octobris, 20. Decembris 1601. 13. May 1604. & 27. Ianuarij 1615.*

Sæpius tamen ortæ fuerunt controuersiæ inter Ordinarios, & Inquisitores circa visitationem Oratoriorum dictarum Confraternitatum, & circa redditionem rationis redditum earundem.

Nam certum est, quod Ordinarius potest visitare omnes Confraternitates, siue
94 auctoritate Ordinaria, siue Apostolica sint erectæ, *Clementin. Quia contingit, de Religios. Domib.* cuius dispositionem innouat Sacrum Concilium Tridentinum *cap. 8. sess. 22. de reform.* Grass. *de effect. Cleric. effect. 1. num. 69.* Barbosa *de potestate Episc. allegat. 75. num. 33. & in remission. ad Concil. d. cap. 8. litttera T*, Ricciull. *lucubrat. Ecclesiast. lib. 4. cap. 16. num. 1.* Rubeus *de Testament. cap. 88. num. 180.*

95 Quæ conclusio procedit, quando Confraternitates sint erectæ in Ecclesijs Regularium exemptorum, Genuen. *in prax. cap. mihi 21.* Gratian. *discept. forens. 481.*

num. 23. Barbosa *loco cit. num.* 13. *&* 18. *& in Collectan. Apostol. decis. collect.* 207. *nu.* 31. Ricciull. *loco cit. num.* 3. Rubeus *d. cap.* 88. *num.* 183.

Secundò procedit, etiamsi dictæ Confraternitates exemptæ sint, quia Episco-
96 pus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus visitare poterit, *d. Clementin. Quia contingit*, Concil. *d. cap.* 8. Ricciull. *loco citato num.* 2.

Dupliciter autem limitatur prædicta Conclusio; & primò quando Confraternitates exemptæ sunt in Ecclesiis Præla-
97 torum, qui habent iura Episcopalia; nam tunc sufficit, quod visitatio facta sit per eundem Prælatum, nec Episcopus in ea se ingerere potest.

Secundò, Decretum Concilij habet locum quoad Personas, non autem quoad
98 Altaria, & Cappellas, quæ in dictis Ecclesiis sitæ sunt, Genuen. *loco cit.* Ciarlin. *lib.* 1. *controuers.* 65. *num.* 6. Aldan. *in Compend. Canon resolut. lib.* 2. *tit.* 8. dicens, ità fuisse decisum à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium *in vna Papien.* 22. *Augusti* 1615. *& in Terracinen.* 22. *Ianuarij* 1616. Barbosa *d. cap.* 8. *num.* 24. *& d. allegat.* 75. *num.* 13. Riccius *decis.* 209. *num.* 8. *par.* 4.

Sed ab his resolutionibus recessit postea eadem Sacra Congregatio, seu potius il-
99 las declarauit, vt habeant locum in his, quæ respiciunt administrationem Regularium, secus verò si tangant administrationem bonorum Confraternitatum, quia huius administrationis respectu possunt visitari Cappellæ, & Altaria, *vt in vna Oscen.* 2. *Octobris* 1626. & ex Sellio, Barbosa *d. cap.* 8. *& Collectan.* 207. *num.* 31.

100 Et hæc visitatio competit Ordinario, quacunque consuetudine etiam immemorabili, Priuilegio, aut Statuto non obstantibus, Concil. *d. cap.* 8. *in fin.* Ricciull. *loco citato num.* 4.

101 Sed quæ dicta sunt de consuetudine, intelligenda sunt de consuetudine introducta post Concilium sciente, & patienre Episcopo, Sellius *Selectar. cap.* 22. *num.* 31. vbi dicit, ità fuisse resolutum *in vna Limana* 19. *Septembris* 1625.

102 Respectu verò Priuilegij intelligenda, vt non obstet, quin Episcopus visitare possit, donec fuerit exhibitum Priuilegium & diligenter discussum, *cap. Cum persona*, vbi Canonistæ *de Priuileg. in* 6.

103 Et propterea non posse antea inhiberi Ordinario dixit Lancellott. *de Attentatis, par.* 2. *cap.* 20. *de attentatis post Inhibitionem, in præfat. num.* 111. Rota *in Toletana exemptionis*, coram Sanctissimo gloriosæ memoriæ Innocentio Decimo, *Registr. post* 3. *tom.* Tambur. *de Abbatibus, decis.* 53. *nu.* 2. vbi aliæ decisiones allegantur.

104 Si autem constaret de Priuilegio, illud non afficeret circa visitationem eorum, quæ pertinent ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem, vt cauetur *d. cap.* 8. Concil. Rota *d. decis.* 53. *num.* 4.

105 Hinc etsi Hospitalia, & Confraternitates, quæ sunt sub immediata Regum protectione ab Ordinario visitari non possint sine licentia eorundem Regum, vt disponitur *in dicto cap.* 8. Lara *de Anniuers. & Cappellan. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 49. Valasc. *consil.* 105. *num.* 62. Cabedo *de Patronatibus Regiæ Coronæ, cap.* 39. *num.* 3. *& cap.* 45. *num.* 5. Ceuall. *quæst.* 897. *&* 984. Barbosa qui alios *ad dicto cap.* 8. *numer.* 27. Vbi ex Stephano Vveyms rationem reddit, vel quia Tridentina Synodus satis videtur confidere curæ, & sollicitudini Regum, vel quia ob eorum excellentiam debent peculiari prærogatiua gaudere, *cap. fin. de offic. Delegat. in* 6. *cap. Ne aliqui de Priuileg. eod. lib.* Ricciull. *loco cit. num.* 7. Qui subdit, hoc procedere etiam respectu locorum vnitorum illis, quæ sunt sub immediata Regum protectione ex Nouario, & Riccio.

106 Fatendum tamen est in his, quæ spectant ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem, Diuinum cultum, & illius decentiam, subesse visitationi Ordinarij, Abb. *in cap. vlt. de censibus*, Paris. *cons.* 34. *lib.* 4. Gabriel Pereyra *de manu Regia, par.* 1. *cap.* 17. *num.* 12. Riccius *in praxi par.* 4. *resolut.* 164. Ricciull. *loco citato num.* 12. P. Dana *par.* 1. *tract. resolut.* 100. Barbosa *ad d. cap.* 8. *num.* 300.

107 Decretum enim Concilij habet locum circa opera, quæ ibi exercentur, & circa redditionem rationis eorum, quæ ibi administrantur, non autem in visitatione circa cultum Diuinum, quæ ad Episcopos priuatiuè spectat, quia est res spiritualis, & Ecclesiastica.

108 Sed si Episcopus petat licentiam à Rege visitandi ea loca, quia sibi constat malè res Hospitalis, & Confraternitatis administrari, & Rex illam neget, an nihilominus possit procedere ad visitationem.

Hanc quæstionē à nemine quod sciam, tactam vidi. Dicam quid sentiam.

109 Puto igitur, quod si verè constet Episcopo de mala administratione Hospitalis, vel Confraternitatis, tunc posse deuenire ad visitationem perita, & non obtenta licentia à Rege, ne scilicet protectio Regia damnosa sit Hospitalibus, & Confraternitatibus, & res eorum pessundentur; nàm data hac negligentia in Rege, seu in suis Ministris, potest suppleri ab Ordinario, Marta *de Iurisdictione, par.* 2. *cap.* 18. *num.* 5.

110 Non enim huiusmodi protectio pri-

nat Ordinarium sua iurisdictione, nec quoad locum, nec quoad personam, *cap. Recepimus, de privileg. cap. Ex parte, il secondo, eod. tit.* Gemin. *cons.*81. *num.*2. Natta *cons.*606. *num.*1. Gaill. *Observat.* 54. *num.*3. *lib.* 2. Cened. *Canon. quaestion. par.*1. *cap.*11. *lib.* 2. Gabriel. *cons.* 195. *numero* 1. & 2. Ricciull. *loco cit. num.*9. Mager. *de Advocat. armata, cap.* 10. *à num.* 407. *vsque ad* 480.

111 Cum ergo ratione ordinariæ potestatis, Episcopus possit visitare omnia loca pia suæ Diœcesis, & Concilium excipiat, quæ sub immediata protectione Regum sunt, hoc tamen addito, nisi de licentia ipsius Regis, licentia huiusmodi cum sit de iustitia præstanda à Rege, illi negari non poterit; ad tradita in simili per Garziam *de Benef. par.*3. *cap.* 2. *num.* 54. & 86. Salgad. *de Protectione Regia, par.*2. *cap.*15. *num.*27.

112 Et si absque iusta causa denegetur à Rege, Episcopus poterit vti sua ordinaria auctoritate, & semper data negligentia reassumere exercitium propriæ iurisdictionis, quam habet in habitu, vt magistraliter docet Abb. *in cap. Cum contingat, num.*18. & 19. *de Foro competenti*, Lotther. *de re. Benef. lib.*1. *quæst.*24. *nu.*17. Ricciull. *loco cit. num.*17. Garzias *de Benef. par.*1. *cap.*5. *num.*98.

113 Sciendum tamen est, quod ad hoc, vt Regia protectio operetur debet adesse de tempore fundationis, aliàs non suffragatur, Cavalcan. *de Brachio Regio, quæst.*9. *numero* 3. Io: Borcolten. *cons.*3. *nu.*99. Menoch. *consil.*721. Seraphin. *decis.*1025. Ricciull. *loco cit. num.*10.

114 Sciendum est secundò, quod dispositio Concilij *in d. cap.* 8. non comprehendit loca pia illarum Regionum, vel Ciuitatum, in quibus Reges imperant tanquam Duces, Marchiones, vel Comites, Gabriel. *tot. cons.*195. *lib.*2. Ricciull. *loco citato num.*11.

115 Sciendum est tertiò, quod si emergat quæstio super Iure Protectionis Regiæ, illius cognitio pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum, Barbosa *d. allegat.*75. *num.*20. Marta *de Iurisdictione, par.*2. *cap.*8. cum alijs per Ricciull. *loco cit. num.* 13.

116 Et donec constiterit de immediata Regis protectione, poterit Episcopus procedere ad visitationem, Cevall. *quæst.*897. *num.*985. Ricciull. *loco citato*.

117 Cum ergo Confraternitates Crucesignatorum, quamuis sint sub protectione Inquisitoris, subiaceant nihilominus iurisdictioni Ordinarii, illas Episcopus visitare poterit, etiamsi sitæ sint, vel erectæ in Ecclesiis; vel Fratrum Prædicatorum, vel Minorum Conuentualium, vt sæpissimè resoluit Sacra Congregatio, præsertim *sub die* 20. *Octobris* 1601. & 19. *Maij* 1612. & 6. *Maij* 1614. 17. *Iunij* 1615. & 19. *Aprilis* 1617.

118 Sed si constet, Episcopum non visitasse dictas Confraternitates, Sacra Congregatio rescripsit in hac materia, nihil innouari per Episcopum, vt ex Decreto *de Mense Octobris* 1588. 24. *Octobris* 1612. & 6. *Maij* 1614. 18. *Iunij eod. anno*, 17. *Iunij* 1615. 19. *Aprilis* 1617.

Quæ tamen resolutio maximam apud me habet difficultatem ex *superiùs* traditis; Nec Episcopus successori in hac materia præiudicium inferre potest.

119 Et licet alias scriptum fuerit Inquisitori Fauentiæ, ne permitteret Episcopum visitare dictam Confraternitatem, tanquam membrum Inquisitionis, attamen *sub die* 19. *Maij* 1612. Sacra Congregatio decreuit, Episcopum Fauentinum manutenendum esse in quasi possessione visitandi dictam Confraternitatem.

120 Quoverò ad redditionem computorum resolutum fuit, posse Episcopum cogere Confratres ad reddendam sibi rationem, cum interuentu tamen Inquisitoris, vt ex Decreto *sub die* 5. *Decembris* 1607. *confirmato sub die* 7. *Septembris* 1616. & 14. *Iunij* 1656.

121 Redeundo modò ad principalem materiam indirecti impedimenti, tunc infertur per priuatum, quando is retinet domi testem, ne examinetur, nam sic indirectè defendit Reum, & Iudicem contemnit, Farinacc. *quæst.*178. *num.*138. Caball. *cas.*43. *per tot.* Guazzin. *defens.*16. *numero* 4.

Vel si muneribus alliceret Iudicem, ne Reum puniret, Menoch. *de Arbitrarijs cas.*395. *num.*41. Duard. *ad Bullam Cænæ, can.*16. *quæst.*1. *num.*3. *vers. Deficit*.

Vel si quis subtraheret commeatum Inquisitori sub aliquo prætextu plausibili, ne posset procedere ad conficiendum Processum, dummodo revera hoc animo faceret, Duard. *Can.*8. *quæstione* 10. *numero* 17. & 18.

CAPVT XXX.

ARGVMENTVM.

De Receptatoribus Hæreticorum, & qui tales dicantur. Quas excusationes habeant Receptantes Hæreticos. An Receptans Hæreticum, non quatenus Hæreticus est, sed vt illi aliquam vtilitatem afferat, incidat in pœnas Receptantium Hæreticos. De pœnis Defensorum, & Receptantium Hæreticos. An pœnæ prædictæ extendantur ad filios. De Conuersantibus cum Hæreticis. De retinentibus libros prohibitos. An liceat eos propria auctoritate comburere. De Retinentibus Scripturas prohibitas. Transcribentibus. Componentibus. Asportantibus sine licentia libros Catholicorum. Conspurcantibus. Imprimentibus. An Princeps secularis possit deputare Reuisores librorum. De licentijs imprimendi. De Imaginibus non imprimendis cum Radijs, & Laureolis. De Visitatione Bibliothecarum, & Bibliopolarum. De Consignatione librorum prohibitorum Inquisitoribus. An Episcopus possit prohibere libros. Votum Assessoris circa hoc. Quid de Inquisitoribus, & Legatis à latere. De Legentibus, & Defendentibus libros Hæreticorum. De Laudantibus. Quid de Procurantibus apud Sedem Apostolicam, ne prohibeantur. De pœna Excommnnicationis contra retinentes, & legentes libros Hæreticorum. An comprehendat Episcopos, & Inquisitores. An excuset legentes paruitas materiæ. An lustrans oculis dicatur legere. An appellatione libri contineantur Conciones, Orationes, Epistola, & Quæstio. Quæ causæ excusent à retentione, & laceratione librorum prohibitorum. De libris Infidelium, & Iudæorum, Armenorum, & Græcorum, & aliorum Orientalium. Qui Ritus Græcorum sint tolerandi. De Legentibus libros Apocrifos, & qui dicantur Apocrifi. De Epistola, quæ asseritur scripta à Beata Virgine Maria ad Messanenses. De Legentibus libros Magorum. An Mandantes sibi legi libros Hæreticorum, incidant in Censuras. De eo, qui securus est non accipere nocumentum à lectura librorum prohibitorum, an possit eos legere absque incursu Censurarum. An possit allegari, Bullam in Cœna Domini non esse in aliquibus Prouincijs receptam. De Legentibus libros, vel scripturas ob hæresis suspicionem damnatas. An Retinentes libros obscænos, ab Inquisitoribus possint puniri. De eo, qui asserit libros vetitos per Edictum Inquisitoris posse retineri.

SVMMARIVM.

1 *Receptatores Hæreticorum sunt suspecti de hæresi.*
2 *Receptator Hæreticorum quis dicatur.*
3 *Receptator Hæreticorum dicitur tam publica, quàm priuata persona, quæ Hæreticum recipiat ne in manus Inquisitoris incidat.*
4 *Siue in propria, siue in aliena domo recipiat.*
5 *Verbum* Receptare, *quid significet, & numer. 7. cum sequen.*
6 *Receptator Hæreticorum an dicatur qui vnica tantùm vice Hæreticum in domo recipit, itaut pœnas Receptatorum incurrat, ac num. 9.*
8 *Pandectæ Florentinæ cæteris emendatiores.*
10 *Concilium Tarraconense declaratur.*
11 *Receptator Hæreticorum publicus, quando censeatur Reus defensionis Hæreticorum.*
12 *Receptator Hæreticorum punitur siue sit Catholicus, siue Hæreticus, Apostata, Iudæus, vel Infidelis, & de ratione.*

13 *Receptator an pœnas euitet si Hæreticum receptatus Ecclesiæ reconcilietur.*

14 *Quid si Hæreticum receptatum Curiæ indicet, & tradat, & numeris seqq.*
Receptans Bannitum vt illum Curiæ indicet, & tradat, præmium meretur, non pœnam.

18 *Receptans Hæreticum non denunciatum an incurrat pœnas Receptatorum.*

19 *Quid si Hæreticus post receptationem in manus iustitiæ deuenerit.*

20 *Pœna Receptantium Hæreticos an sit imposita secundario, & num. seqq.*

23 *Receptans Hæreticum ignoranter an pœnas incurrat.*

24 *Et qualis ignorantia requiratur ad hunc effectum.*

25 *Et an ignorantia præsumatur.*

26 *Fiscus tenetur probare scientiam receptantis Hæreticum.*
Receptans Hæreticum ignorantiam probat suo iuramento.

27 *Quid si Hæreticum notorium receptauerit.*

28 *Vel damnatum in contumaciam, cuius sententia contumacialis sit affixa.*

29 *Receptans Hæreticum quando ignorantia præsumpta tueri possit, non obstante quod sententia contumacialis contra Hæreticum receptantem sit affixa, & nu. seq.*

31 *Excusatio ignorantiæ non prodest receptatori Hæretici, qui receptauit consanguineum, vicinum, vel amicum.*

32 *Receptans Hæreticum violenter an pœnas incurrat.*

33 *Et quæ vis sufficiat ad hunc effectum.*

34 *Violentia an excuset receptatorem Hæretici in foro conscientiæ, & num. seq.*

35 *Voluntas tollitur per vim, & metum.*
Excommunicatio in foro conscientiæ non incurritur sine peccato mortali.

36 *Receptans Hæreticum non qua Hæreticus, sed ob aliam causam an pœnas incurrat.*

37 *Quid si receptet consanguineum, vel affinem.*

38 *Receptans consanguineum, vel affinem Hæreticum mitius punitur.*

39 *Et an sit attendenda ad hunc effectum ratio graduum consanguinitatis.*

40 *Quid de filio patrem, vxore virum, fratre fratrem receptantibus.*

41 *Consanguineus receptans consanguineum Hæreticum pœna ordinaria puniendus si de crimine participet.*

42 *Quid si adsit periculum peruersionis.*

43 *Vel receptet Hæreticum publicum, & notorium, ac hæresim palam disseminantem.*
Excessus vitij tollit iura sanguinis, & amicitiæ.

44 *Consanguineus receptans consanguineum Hæreticum causa lucri, vel pecuniarum, quando, & qualiter sit puniendus.*
Amicus receptans amicum Hæreticum an, quando, & quomodo pœnas incurrat, & num. seq. ac num. 47. cum seq.
Amicitia magna, & inueterata reputatur quædam fraternitas.

46 *Amor an excuset receptatorem Hæretici.*

49 *Causa receptandi Hæreticum in dubio, quæ præsumatur.*

50 *Receptans Hæreticum non qua Hæreticus, sed vt aliquam receptato afferat vtilitatem, puta vt mortem effugiat, an pœnas incurrat, & numeris seqq.*

53 *Persona alicui coniunctissima reputatur eadem cum ipso.*
Defensio coniuncto difficillimè denegatur.

54 *Occultatio Hæretici, ne incidat in hostes, vel latrones, ne capiatur à creditoribus, vel à Iudice propter aliud crimen quam hæresis an dicatur receptatio pœnis receptantium Hæreticos punibilis.*

55 *Receptatores Hæreticorum an, & quando dicantur Nautæ, Caupones, Stabularij illos admittentes in hospitio &c. & nu. seqq.*

58 *Fautores, & Defensores Hæreticorum ex alia causa, quam hæresis, an pœnas incurrant.*

59 *Fautores, Defensores, & Receptatores Hæreticorum, quas pœnas incurrant.*

60 *Excommunicatio Fautorum, Defensorum, & Receptatorum Hæreticorum.*

61 *Quid si postea sanctè inconstantes Hæreticum denuncient.*

62 *Vel si Hæreticus in manus Iudicis deuenerit.*

63 *Irregularitas an incurratur per Fautores, Defensores, & Receptatores Hæreticorum, & numeris seqq.*
Officium publicum intelligitur tam de temporali, quàm de Ecclesiastico.
Et an sub eis nomine includātur Ordines sacri.

64 *Ordo Ecclesiasticus dicitur honor.*

65 *Irregularitas an incurratur per Fautores, Defensores, & Receptatores Hæretici occultos.*

66 *Sepultura Ecclesiastica priuantur Fautores, Defensores, & Receptatores Hæreticorum, & num. 78.*
Nec pro illis licet orare, & num. 78.

67 *Priuatio beneficiorum incurritur per Fautores, Defensores, & Receptatores Hæreticorum:*
Et an fiant inhabiles ad alia obtinenda.

68 *Receptatores Hæreticorum an sint priuati beneficijs ipso iure, & num. seq.*

69 *Prout etiam Fautores, & Defensores.*

70 *Constitutio* Nicolai Tertij *contra Hæreticos, eorumque Fautores, Defensores, & Receptatores obseruanda, quamuis in Decretalibus non inserta.*

71 *Infamia incurritur per Fautores, Defensores, & Receptatores Hæreticorum.*

72 *Ac priuatio officiorum publicorum.*

73 *Et facultatis testandi tam actiuè, quàm passiuè.*

74 *Nec possunt ferre testimonium.*

75 *Et an, & quomodo bonis confiscentur.*
76 *Ac quomodo relegatione, vel alia arbitraria pœna puniantur.*
77 *Fautores, Defensores, & Receptatores Hæreticorum quando pœnas incurrant.*
79 *Filij Fautorum, Defensorum, & Receptatorum Hæreticorum, an, quando, & quas pœnas patiantur, & num. seq.*
82 *Conuersatio cum Hæreticis reddit suspectum de hæresi, & num. seq.*
84 *Seruitium præstantes Hæreticis sunt de hæresi suspecti.*
85 *Quid de negotiantibus cum Hæreticis.*
86 *De visitantibus Hæreticos.*
87 *De mittentibus illis munera.*
88 *Vel contrahentibus cum illis parentelam, vel confœderationem.*
89 *Quid in locis vbi impunè grassantur hæreses.*
90 *Conuersatio cum Hæreticis quando sit permissa.*
91 *Inquisitor an, & quomodo debeat obseruare Catholicos peragrantes, vel morantes in locis Hæreticorum, ac ab illis redeuntes.*
92 Concilium Salisburgen. *refertur.*
93 *Libros Hæreticorum retinentes sunt suspecti de hæresi.*
94 *Libri Hæreticorum sunt statim comburendi.*
95 *Sed an hodie liceat eos comburere propria authoritate, aut deferri debeant Ordinarijs, vel Inquisitoribus.*
Libri obsceni an retineri possint sine excommunicatione, & num. 417.
96 *Libros Hæreticorum retinens est suspectus de hæresi quamuis dicat eos non legisse.*
97 *Libri qui sint prohibiti.*
98 *Libri continentes sortilegia, vel incantationes si reperiantur apud aliquem, qui dicat eos non legisse, quæ sit praxis Sancti Officij, & num. 109.*
99 *Abiuratio, quæ sit imponenda retinentibus libros sortilegiorum, & incantationum, vel alias hæreticales, & num. 117.*
100 *Quid si reperiantur penès imperitum, & num. 108.*
101 *Suspicio vehemens hæresis quando oriatur ex retentione librorum prohibitorum.*
102 *Manuscripta retinentes quando sint suspecti de hæresi.*
Libri Hæreticorum sunt prohibiti quamuis contineant aliqua bona, & vtilia, & de ratione.
103 *Opera damnata an, & quando censeantur damnato Auctore, & num. 150.*
104 *Transcribens libros, vel scripturas Hæreticorum, an, & quando sit suspectus de hæresi, & numeris seqq.*
110 *Componens libros, vel scripturas hæresim continentes an, & quando censeatur verus Hæreticus, & num. seqq.*
112 *Auctor libri reprehendi non potest donec illi fuerit apposita vltima manus.*
113 *Auctor an, & quando reputari possis retinens librum hæreticalem sine nomine Auctoris, & de modo contra illum procedendi, & num. seqq.*
115 *Denunciatus quod protulerit, vel docuerit propositiones hæreticales, qua praxi sit expediendus.*
Abiuratio non nisi confitentibus imponitur.
116 *Suspicio quæ oritur ex retentione librorum prohibitorum an per torturam in totum euacuetur.*
118 *Libros Catholicos corrumpentes, vel hæreticis Dogmatibus commiscentes sunt suspecti de hæresi.*
119 *Asportatio librorum hæreticalium à Prouincijs hæreticis ad Catholicos, an, & quando inducat suspicionem hæresis, & numer. seqq.*
120 *Quid in Mulione, qui illos asportet in fasciculo inclusos.*
121 *Bibliopola libros ex Hæreticorum Prouincijs asportans, ac etiam vendens, an, & quando dicatur suspectus de hæresi.*
122 *Impressio librorum hæreticalium inducit suspicionem hæresis tam in imprimentibus, quàm in illis qui scienter impressioni cooperantur.*
123 *Libri imprimi non possunt sine diligenti examine Episcopi, & Inquisitoris.*
124 *Et quando non sint examinandi.*
125 *Examen libri imprimendi in quo consistat, & quomodo de eo constare debeat.*
126 *Licentia Superiorum, quando sufficiat quod enuncietur in libris imprimendis absque tenore approbationis.*
127 *Originalia librorum imprimendorum quomodo debeant conseruari.*
128 *Libri compositi in Vrbe imprimi an, & quomodo possint extra Statum Ecclesiasticum.*
Et vbi debeant conseruari eorum originalia.
129 *Princeps secularis an possit deputare Examinatores, siue Reuisores librorum imprimendorum.*
130 *Litteræ dedicatoriæ librorum aduertendæ per Reuisorem, & Inquisitorem, ne inconuenientibus titulis vtantur.*
131 *Catholici dedicare non possunt libros Principibus hæreticis.*
132 *Licentiæ imprimendi libros quomodo concedi, & subscribi debeant ab Episcopo, vel eius Vicario, & ab Inquisitore.*
133 *Quid de licentijs imprimendi Indulgentias, vel earum Summaria, & Breuia Apostolica.*
134 *Libri spectantes ad Tribunal Episcopi imprimi possunt cum eius solius licentia, & spectantes ad Tribunal Sancti Officij cum licentia solius Inquisitoris.*
135 *Quid de libris continentibus praxim, & modum procedendi in Sancto Officio contra Hæreticos.*

Imagines quomodo imprimi debeant.

136 *Licentia asportandi libros in Ciuitatem à quibus sit concedenda, & num. seq.*

138 *Naues an, quando, quomodo, & à quibus visitari debeant ne in dolijs, & sarcinis contineant libros prohibitos, & numeris seqq.*

139 *Quid de Nauibus transeuntibus ad alia loca Catholicorum.*

140 *Episcopi possunt visitare Bibliothecas suæ Diœcesis, & libros prohibitos ibi repertos consignare debet Inquisitoribus.*

141 *Quid vbi non sunt Inquisitores.*

Inquisitor ad quid cogere possit Bibliopolas.

142 *Libri prohibiti colligi possunt ab Episcopis, & eorum Vicarijs, qui illos collectos consignare tenentur Inquisitoribus.*

143 *Episcopus potest publicare Edictum contra retinentes libros prohibitos, eosque accipere.*

Sed an possit illos retinere penès se, vel suos Ministros, & quid de illis facere debeat.

Inquisitor an, & quando comburere possit libros prohibitos.

144 *Consignans libros prohibitos Episcopo, vel eius Vicario satisfacit Edicto Sancti Officij.*

145 *Libri quando deferri debeant ad Sanctum Officium.*

146 *Inquisitor quomodo permittere possit libros prohibitos.*

147 *Index librorum prohibitorum à quo possit publicari.*

Et ad quem spectet illorum correctio.

148 *Libri reprobi damnandi, & quales dicantur reprobi.*

149 *Ecclesia quibus modis libros damnare possit, & num. seq.*

Libri improbæ lectionis comparantur malis medicamentis, & venenis.

151 *Ecclesia primitiua prohibuit Fidelibus legere libros Paganorum, & Gentilium.*

152 *Papa libros damnare potest, & nu.154.*

153 *Etiam solus, & sine Concilio, & numero sequen.*

Papa solus potest infallibiliter, & irretractabiliter res fidei definire, & numero 160.

155 *Libri vulgari antiquitus non solebant sine approbatione Pontificis.*

156 *Concilium Apostolica auctoritate indictum, & conuocatum potest libros damnare.*

157 Concil. Tridentinum *iussit componi Indicem librorum damnatorum, & damnandorum.*

158 *Episcopus potest prohibere libros improbæ lectionis in sua Diœcesi.*

Episcopus in sua Diœcesi potest totum id, quod potest Papa in toto Orbe Christiano, exceptis eidem Papæ reseruatis, & num. 232. ac num.338. & 352.

159 *Episcopus quomodo debeat pascere subditos.*

160 *Episcopus an possit prohibere libros tractantes de Religione, eosque de hæresi notare.*

161 *Libri concernentes propositiones ab Ecclesia damnatas possunt per Episcopos subditis prohiberi etiam sub pœnis spiritualibus, & temporalibus.*

162 *Quid si contineant propositiones dubias, & ab Ecclesia non definitas.*

163 *Vel si contineant propositiones, & doctrinas periculosas.*

164 *Episcopus quos libros possit liberè prohibere, & num.170. cum seqq. ac num. 174. cum sequ.*

Princeps laicus an, & quot libros prohibere possit.

165 *Episcopus an possit in sua Diœcesi prohibere libros alibi impressos cum Superiorum licentia, & num. seqq.*

Opera Authorum mentales fœtus, & filij.

Filius legitimus per sententiam indicatus an, & quando talis vbique habendus sit, & num.182.

Sententia in causa status an, & quando faciat ius quoad omnes, & num.181.

166 *Episcopus an, & quando possit in sua Diœcesi prohibere librum alibi permissum, & signanter à Sacra Congregatione Indicis, & numeris sequent. ac numero 183. cum seqq.*

167 *Facultas prohibendi libros an per Regulas Indicis fuerit Episcopis tributa, vel excitata.*

168 *Episcopus non potest extendere iurisdictionem extra suam Diœcesim.*

169 *Episcopus an, & quando prohibere possit libros Ethnicorum ab Indice permissos.*

171 *Vsus ouorum, & lacticiniorum an, & vbi sit licitus in Vigilijs de præcepto, etiam stante contraria consuetudine, & numero sequen.*

Consuetudo ex deuotione indicta an obliget conscientias.

173 *Liber continens opiniones contra Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem an possit ab Episcopo prohiberi in sua Diœcesi.*

176 *Inquisitores habent iurisdictionem æqualem cum Episcopis circa prohibitionem librorum.*

177 *Legati à latere, & Nuncij cum facultate Legati à latere an, & quando possint libros prohibere.*

Legati à latere, & Nuncij cum eadem facultate, quam habeant potestatem.

178 *Differentia nulla est inter Legatos à latere, & Nuncios cum facultate Legati à latere.*

179 *Nuncij mere Oratores nullam habent Ordinariam iurisdictionem in eorum Prouincijs.*

Facultas

1 TERTIO præsumpti Inconstantes in Fide, sunt Receptatores Hæreticorum, hi enim sunt suspecti de hæresi, *cap. Inter sollicitudinem de Purgatione Canonica*. Locat. *in ver. Excommunicatio, num. 3. & ver. Pœna, num. 11. & ver. Suspicio, num. 3.* Repertorium *ver. Fautores*, Menoch. *de Arbitrar. cap. 374. num. 13. & præsumpt. 6. num. 19. lib. 5.* Eymer. *par. 2. qu. 51. num. 5.* & ibi Pegna *comm. 75.* Decian. *lib. 5. cap. 51. num. 84. & cap. 47. in fin. nu. 6.* Graff. *lib. 4. decis. cap. 18. num. 31.* Farinacc. *q. 182. num. 133.* Leo *Thesaur. Fori Ecclesiast. par. 3. cap. 37.* Duard. *ad Bullam, lib. 2. can. 1. q. 33. conclus. 2. num. 31.* Sanctarell *de Hæresi, c. 12. num. 3. conclus. 3.* Carena *par. 2. tit. 4. §. 5. num. 56.* Sousa *in Aphorism. lib. 1. cap. 23. num. 24.* P. del Bene *par. 1. de offic. Inquisit. dub. 26. Corollar. 1. num. 4.*

Receptator autem Hæreticorum propriè dicitur ille, qui in agro, in domo,
2 vel in alio loco receptaculum, & hospitium præstat ijs, quos nouit esse Hæreticos eo animo, vt manus Iudicis effugiant, Brun. *de Hæret. lib. 1. cap. 4.* Eymeric. *dicta quæst. 51. num. 2. vers. Aliquando, & num. 3.* & ibi Pegna *comm. 76. vers. Quidam autem in fin.* Suarez *de Fide, disp. 24. sect. 1. num. 7.* Carena *loco cit. num. 40. vers. Suarez*, Vgolin. *de censur. Pontific. reseruat. par. 2. Gloss. Receptatores in principio, num. 1. & §. 1. nu. 3.* Sanchez *ad precept. Decalog. lib. 2. cap. 10. num. 10. tom. 1.* Castro-palao *tom. 2. tract. 4. disp. 3. punc. 5. num. 4.* P. del Bene *loco citato num. 1.*

Siue sit priuata persona, siue publica, vtputa Gubernator, vel Princeps, qui re-
3 ceptat in sua Ciuitate, Prouincia, vel Regno Hæreticos, ne in manus Inquisitoris incidant, Paludan. *in 4. disputat. 13. qu. 3. art. 1. num. 13.* Vgolin. Suarez, & Sanchez *locis citatis*.

4 Et siuè in propria domo, siue in aliena fiat receptio, Paludan. & Sanchez *locis citatis*.

An autem, qui vnica vice receptat in domo Hæreticum, vt effugiat manus Inquisitoris dicatur Receptator Hæreticorum.

5 Dubiũ nascitur ex eo, quod non solùm secũdum Grammaticos verbum *receptare*, est verbum frequentatiuum, idest *frequenter recipere*, Alberic. *in Dictionar. ver. Receptare*, Fulcodius *quæst. 11.* & ibi Carena *num. 4.* Farinacc. *quæst. 182. num. 152.*

Sed etiam hoc videtur expressè Statutum in Concilio Tarraconensi, de quo per Pegnam *par. 2. fol. mihi 234. Director.* ibi:

6 *Receptatores sunt, qui scienter bis, vel vltra recipiunt Hæreticos, vel Inzabbattatos in domo sua, vel in alio loco suo.*

Receptaculum credimus esse domum, vel Hospitium, vbi Hæretici, vel Inzaabbattati bis, vel pluries conuenerunt ad prædicationem, vel lectionem, vel etiam vbi Hæretici, vel Inzabbatati pluries hospitantur.

7 Et quamuis Guido Fulcodius *d. qu. 11.* & alij velint, verbum *receptare*, debere explicari, idest *recipere, l. 1. & 2. ff. de Recept. l. Congruit. ff. de offic. Præsidis*.

Nihilominus nullam esse differentiam inter verbum *recipere*, & *receptare* eleganter voluit, Claud. Bertazzol. *ad consil. 98.* Bartholomæi Patris *littera A, versic. Primo itaque, lib. 1.* Paul. *lib. 5. Sentent. tit. 3.* ibi, *Receptatores latronum*.

Hinc propterea Gregor. Naloand. malè inscripsit in Pandectis titulum *de Receptatoribus*, sub *ver. Receptoribus*; Nam Pandectæ Florentinæ cæteris emendatiores
8 habent de *Receptatoribus*; Ideò *receptare*, denotare frequentem receptationis actum ex Terentio probat idem Claud. *loco cit.* & in terminis Eymeric. *d. quæst. 51.* Farinacc. *quæst. 133. num. 22.* Bertazzol. *consi. 100. num. 6.* optimè omnium Bauni *de Censur. tit. de excommunic. in Bulla Cœnæ, quæst. 1. pag. 298. vers. Prima est*; vbi rationem assignat, quod cum receptatio frequentiam connotet, in pœnis benignior interpretatio est facienda.

Sed quicquid sit respectu aliorum delinquentium in terminis iuris communis, certum est respectu Hæreticorum, semel tantum receptantem Hæreticum, vt manus Inquisitoris effugiat, receptatorem
9 dici, & pœnis Receptatorum subijci, Zanchin. *de Hæret. cap. 6. num. 1.* & ibi adden. Pegna *par. 2. comm. 76.* Suarez *d. disput. 24. sect. 1. num. 4.* Sanchez *d. lib. 2. cap. 10. num. 10.* Castro-palao *tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. num. 4.* Farinacc. *d. quæst. 182. num. 152.* Sousa *in Aphorism. lib. 7. cap. 23. num. 3.* Duard. *in Bulla Cœnæ, lib. 2. can. 1. quæst. 28. num. 3.* Sanctarell. *de Hæret. cap. 12. dub. vnic. num. 1.* Scortia *in select. Theorem. 420. vers. Excommunicatio tertio*, Caren. *par. 2. tit. 4. §. 5. num. 39. & ad qu. 11.* Fulcod. *num. 3.* Salelles *lib. 1. cap. 12. reg. 105. num. 275.* Baldell. *de Fide lib. 1. disp. 44. numero 7.* Fragos. *de Regimin. Reip. par. 2. lib. 1. disp. 3. §. 1. num. 27.* Pueron. *in Bullam Cœnæ cap. 1. num. 125.*

Non obstat Concilium Tarraconense, quia non videtur loqui de Receptantibus
10 Hæreticos ad eos occultandos, ne in manus Inquisitorum incidant, sed de simpliciter Receptantibus, ad effectum, vt ipsi Receptatores habeantur suspecti de hæresi, vt benè aduertit Campegg. ad Zanchin. *d. quæst. 6. in princ.* Claud. Bertazzol. *loco cit.* Fragos. *loco cit. num. 27. in princ.*

Quod autem dicit Fulcodius *ad qu. 11.* Receptatoris pœnam incurrere illum, qui non solùm clam, sed multò magis palam

receptauerit, quem sequuntur Carena, & Castro-palao *locis citatis*.

11 Potius ad reatum defensoris crederem posse trahi, si resistat Inquisitori; Nam Text. *in l. vltim. C. de his, qui latronem occultant*, loquitur de his, qui resistunt Præsidi, & auctoritati militari, vt benè considerat Fulcodius. Si non tam propriè recepent, quàm defendant personas Hæreticorum, ne in manus Inquisitorum incidant, Sanchez *d. cap. 10. n. 18.* Azor. *lib. 8. cap. 15. quæst. 16.* Sanctarell. *de Hæresi, cap. 12. dub. 3. num. 3.* Sousa *in Aphorism. lib. 1. cap. 24. nu. 2.* Castro-palao *par. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. num. 5.*

Non refert autem, an qui receptat, & occultat, sit Catholicus, an Hæreticus,

12 Apostata, Iudæus, vel Infidelis: Hi enim omnes possunt puniri ab Inquisitoribus, Simanch. *de Cathol. tit. 35. num. 11.* Squillac. *de fide Cathol. cap. 46. num. 1.* Pegna *d. comm. 76.* vbi refert Constitutionem Gregorij Decimitertij quoad Iudæos, Director. *dicto cap. 51. num. 83.* Azor. *dicto lib. 8. cap. 22.* Farinacc. *dicta quæst. 182. num. 66. & 157.* Sousa *lib. 1. cap. 23. num. 26.* Muta *ad Constit. Regni Siciliæ to. 2. cap. 108. conclus. 21. num. 8.* Carena *loco cit. §. 6. num. 61.* Baldell. *lib. 1. disput. 24. num. 10.* qui *num. 11.* subdit, hoc intelligendum esse non solùm de Iudæis, & Infidelibus temporali Ecclesiæ potestati subditis, vel Principum Christianorum, sed absolutè de omnibus, cum sic receptando Hæreticos delinquant in Ecclesiam, & ratione delicti subijciantur eius potestati, Anchar. *cons. 15.* Calderin. *cons. 2. de Iudæis*, Zabarell. *Clement. 2. §. 1. de Hæret.* Pegna *comm. 76. pag. 295.*

Nec pariter refert, si Hæreticus receptatus, fuerit post receptationem Ecclesiæ

13 reconciliatus, quia non per hoc receptans euadit pœnas Receptatorum, Afflict. *in Constit. Regni, de Hæret. & Patharen. rubr. 2. num. 18.* Carrer. *de Hæret. num. 173.* Decian. *dicto cap. 51. num. 75.* Farinacc. *d. quæst. 182. num. 153.*

An autem qui receptauit Hæreticum, sed illum Inquisitori indicauit, possit puniri pœnis Receptatorum.

Dicendum est, quod si receptauerit animo illum indicandi, & tradendi Cu-

14 riæ, non censetur Receptator, imò præmium meretur, vt de receptante Bannitum voluit Farinacc. *quæst. 133. num. 14.* licet *dicta quæst. 182. num. 155.* dicat simpliciter, receptantem scienter Hæreticum non euadere pœnas, quamuis postea illum Curiæ indicauerit.

15 Si autem illum receptauerit animo occultandi, sed Inconstans pœnitentia ductus illum reuelauit, certè pœnas fori exterioris, si non sit indicijs præuentus, tanquàm spontè Comparens euitabit, Sousa *dicto cap. 23. num. 10.* exemplo *l. 1. §. t. de Seruis fugitiuis*.

16 Cuius dispositio habet locum, etiam in causa hæresis ob priuilegium concessum spontè Comparentibus, quamuis sit specialis in casu Serui fugitiui, vt consulatur Dominis, Decian. *dicto cap. 51. nu. 78.*

Quod si Priuilegium hoc spontè Comparentis non haberet, pœnas non euitaret, quia pœnitentia, & inconstantia non tollit delictum, Decian. *loco cit.*

17 Pœnas verò fori interioris non euitabit, quia eo ipso quod receptauerit, & occultauerit Hæreticum, illas incurrit, Vgolin. *de Censur.* relat. à Duard. *in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 1. quæst. 18. nu. 18.* Sanctarell. qui alios *dicto cap. 12. dub. 1. num. 4.* P. del Bene *par. 1. dicta dubit. 26. Corollar. 1. numero 6.*

18 Et hæc omnia locùm habent, quamuis Hæreticus receptatus non fuerit denunciatus, Suarez *de Censur. disput. 21. sect. 2. num. 9.* Sanctarell. *cap. 10. num. 6.*

19 Et quamuis post receptationem Hæreticus deuenerit in manus Iustitiæ, Graff. *dicto cap. 18. num. 34.* Suarez *de fide disp. 24. sect. 1. num. 14.* Castro *de iusta Hæret. punit. lib. 1. cap. 17.* Sanctarell. *loco citato num. 4.* Card. de Lugo, qui benè explicat *de virt. fidei Diuinæ disput. 25. sect. 1. num. 7.* P. del Bene *loco cit. num. 7.*

Vnde cauendum est à Sanchez *dicto cap. 10. num. 9.* qui contrarium voluit ea

20 ratione, quia pœnæ contra Receptatores, præsertim excommunicationis, secundariò, & accessoriè imponuntur, principaliter verò contra Hæreticos, & pro sua opinione adducit Suarez *de Censur. disp. 21. sect. 2. num. 8.* & in hanc videtur inclinare Baldell. *de fide, & infidelit. disput. 43. num. 8.*

21 Cæterùm Suarez *de fide dicta disput. 24. sect. 1. num. 14.* contrariam opinionem tenet, & protestatur, se immeritò fuisse adductum pro sententia Sanchez. Hanc opinionem tenent Sayr. *de Censur. to. 1. lib. 3. cap. 5.* Card. de Lugo *loco cit.* Sanctarell *loco cit.*

22 Et ratio est, quia Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum in Bulla Cœnæ principaliter, non accessoriè, vel secundariò excommunicantur, Sayr. Sanctarell. & Baldell. *locis citatis*, P. del Bene *loco cit. sub num. 7.*

Multas tamen, Receptatores Hæreticorum aduersus huiusmodi pœnas, habent excusationes.

23 Et primò, si quis, quem receptat, ignorauerit esse Hæreticum, Archid. *in cap. Quicunque num. 3. de Hæret. in 6.* & ibi Io: Andr. *post num. 4.* Gloss. *in cap. Accusatus, §. Ille quoque, in ver. Non possit, eodem tit. in 6.* & ibi Monach. *num. 6.* Decian. *lib. 5. cap. 37.*

*num.*238. & *cap.*51. *num.*70. Eymer. *par.* 2. *quæst.*51. & ibi Pegna *comment.*76. Farinac. *dicta quæst.*182. §.9. *nu.*163. Alter. *de Censur. to.*1. *lib.*5.*disput.*2.*cap.*4. Sousa *in Aphorism. lib.*1. *cap.*23. *num.*13. Duard. *in Bulla Cœnæ lib.*2. *can.*1. *quæst.*28. *num.* 7. Sanctarell. *loco cit.* P. del Bene *par.* 1. *dub.* 26. *Corollar.* 1. *num.* 8.

24 Dummodò ignorantia sit probabilis, secùs si affectata, & crassa, quia isto casu Receptator non euaderet pœnas, Pegna *d. comment.* 76. Simaucha *de Cathol. tit.* 15. *num.*18. & *in Enchiridion.tit* 16.*num.*4. & 5. Sanctarell. *loco cit.num.*5. Duard. *loco citato num.* 8.

25 In dubio autem præsumitur in receptatore ignorantia, Farinacc. *dicta quæst.* 182. *num.*164. Sousa *in Aphorism.d.cap.*23. *nu.*21. Castro-palao *par.* 1. *tract.*4. *disput.*3. *pun.*5. *num.* 4.

26 Ideò Fiscus tenetur probate scientiam Receptantis, Simanch. *d.tit.*15. *num.*19. & *tit.*16. *num.*4. & 5. Pegna *dict.comment.* 76. Farinacc. *loco cit. num.* 164. Carena *par.* 2. *tit.*4.*num.*47. *vers. Dicendum.* Cum satis sit, quod Receptaror proprio iuramento ignorantiam probet, Simanch. *d. tit.*15. *nu.*19. Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 8. Pegna *d. comment.* 76. Sanctarell. *loco cit. num.* 6. Sousa *dicto cap.* 23. *num.* 21. Castro-palao *d. punct.*5. *num.*4.

27 Cessaret autem hæc excusatio ignorantiæ quando in loco receptationis notorium esset, receptatum esse Hæreticum, Pegna *d. comm.*76. Farinacc. *dicto num.*164. Sousa *dicto cap.*23.*num.*14. & Castro-palao *dicto punc.*5. *num.*4.

28 Cessaret pariter, quando Hæreticus fuisset damnatus in contumaciam, & sententia contumacialis publicè affixa, Pegna *d.comm.*76. Decian. *dicto cap.*51. *nu.*70. Farinacc. *dicto num.*164.

Quod tamen intellige, si receptatio
facta esset in loco, vbi sententia fuit affixa,
nam si, verbi gratia, sententia fuisset lata,
29 & affixa Mediolani, & Hæreticus fuisset
Neapoli receptatus, Receptator posset
tueri ignorantia præsumpta, Castro-palao
*dicto num.*4. Carena *loco cit. num.*49.

30 Imò, & in loco affixionis, seu denunciationis posset Receptator excusari propter ignorantiam, si de tempore Edicti non esset in ea Ciuitate, vel esset infirmus in lecto, negotijs proprijs occupatus, rusticus, idiota, simplex, Farinacc. *d.num.*164. Azor. *dicto cap.* 15. *quæst.* 8. Castro-palao *dicto num.*4. *in fin.*

31 Cessaret pariter excusatio ignorantiæ in consanguineo, vicino, vel Hæretici amico, Simanch. *dicto tit.* 15. *num.* 18. Sousa *dicto cap.* 23. *num.* 18. Carena *loco citato num.* 48.

32 Secunda causa excusationis erit violentia, hoc est, si per vim, & metum quis coactus fuit Hæreticum receptare, Simanch. *dicto tit.* 15. *num.* 17. Carrer. *de Heret. num.* 151. Decian. *cap.* 51. *num.* 71. Azor. *dicto cap.* 15. *quæst.* 5. Farinacc. *dicta quæst.*182.*num.*162. Fragos. *dicta disp.*3. §.1. *num.* 27.

33 Quæ conclusio habet locum, siue vis fuerit præcisa, siue non præcisa, Farinacc. & Fragos. *locis citatis.*

34 Sed an hæc excusatio prosit in foro conscientiæ: Negat Sanchez *dicto lib.* 2. *cap.*10. *num.*8. Baldell. *loco cit. num.*12. Farinacc. *dicto num.* 162. Castro-palao *dicto punc.*5. *nu.*13. Affirmant Grassius *d. cap.*18. *num.*33. Fragos. *loco cit. num.*27.

Non tamen recederem ab hac opinione
affirmatiua, cum enim vis, & metus tollant
voluntarium, nec quis in excommunica-
35 tionem incidat in foro conscientiæ, nisi
ob peccatum mortale, *cap. Nemo, cap. Nullus* 12. *quæst.* 3. nullus arguet de peccato
mortali receptantem Hæreticum ob vim,
& metum.

36 Tertia excusationis causa erit, si quis receptauerit Hæreticum, non quà Hæreticus, sed ob aliam causam, vt constat ex Bulla Martini Quinti *Inter cunctas*, editam *de anno* 1418 Nauarr. *in man.cap.*27.*num.*55. cum alijs per Farinacc. *d.quæst.*182.*nu.*159. Suarez *dicta disput.*24.*sect.*5.*num.*9. Zanard. *par.* 2. *præcept.* 1. *cap.* 8. Castro-palao *dicto punc.*5. *num.*9. Sousa *dicto cap.*23. *nu.*6. & 7. Sanctarell. *dicto cap.* 12. *dub. vnic. num.* 2. Carena *par.*2. *tit.* 4. §.5. *num.* 40. Layman. *lib.*2. *tract.*1. *cap.*14. *num.*5.

Ex hoc primò deducitur, Receptantes
consanguineos, & affines, quà tales sunt,
37 non autem quà Hæretici, excusari à ri-
gore pœnarum contra Hæreticorum Re-
ceptatores inflictarum, *l.* 2. *ff. de recept.* &
in terminis per Bullam Martini *supra citat.*
Pegna 2.*par. comm.*71. Alter. *de Censur. lib.*
5. *disput.*2. *cap.*4. Farinacc. *dicta quæst.*182.
num. 142. & 144. Bauni *de Censur. in Bulla
Cœnæ quæst.*1. *pag.*298. *vers. Tertia*, Fragos.
*de Regimin. Reipubl. par.*2. *lib.*1. *disp.*3. §.1.
num. 27. *vers. Requiritur etiam*, Carena *loco
citato num.* 42. P. del Bene *dub.*28. *par.* 1.
num. 1.

38 Dixi *à rigore pœnarum*, quia isti tales non euadunt omnem pœnam, sed mitiùs puniuntur, *dicta l.*2. *ff. de recept.* & in Bulla *prædicta* Martini dicitur, quod grauiter puniendi sunt, Locat. *ver. Defensores*, Repertor. *eòd. ver. vers.*1. & ibi Mandos. *vers. Receptat. littera C*, Calderin. Simancha, Campegg. Menoch. Pegna, & alij relati à Farinacc. *dicta quæst.* 182. *num.* 144. P. del Bene *loco cit. num.*6.

39 Et in hac pœna infligenda, habenda est ratio graduum consanguinitatis: nam qui proximiores gradu, receptato Hæretico

conuicti sunt, mitiùs puniri debent, Graff. *dicto cap.18. num. 35.* Farinacc. *loco citato numer. 144. in fin.* Carena *loco citato num. 43.*

Er propterea si filius receptauerit patrem Hæreticum, vxor virum, frater fratrem, vel puniendi non sunt, vel certè
40 leuissima pœna coercendi: nam etsi Hæretici sint isti, nihilominus iure naturæ coniunctissimi sunt, nec possunt, si persequantur, eos deferere, nisi prorsùs humanitatem exuerint, vt benè ratiocinatur Simanch. *de Cathol. tit.15. num. 21.* Pegna *par. 3. comm. 160. vers. Non autem*, vbi ex Albet. *in tractat. de Statut. par. 4. quæst. 7.* dicit, vxorem non teneri pœna Receptatorum; & ità fuisse iudicatum per Textum *in l. 1. C. de repud.* ibi, *Non mutet vxoris affectionem*, Gigas *de Crimine læsæ maiestatis lib.3.quæst.20.num.2.* Farinacc. *qu.133. num. 32.*

41 Quod procedit, nisi consanguinei receptantes participent in crimine, quia tunc ordinaria pœna puniendi sunt, Gand. *de malefic.tit.de furibus,& latronibus num.13.* Pegna *tit. 2. comment.81.* Fragos. *loco citato num. 27. vers. Hoc tamen.*

42 Vel nisi adsit periculum peruersionis, Farinaccius *d. quæst.182.nu.148.* Simancha *d.tit.15.* Pegna *par.3. comment.160.* Fragos. *loco citato num. 27.*

Vel nisi simus in Hæretico publico, vel notorio, & qui palam hæresim dissemina-
43 ret, vt plures alij in illam pertraherentur: Hoc enim casu iura sanguinis, & amicitiæ nulla esse censeri possunt, & tota coniunctio, siue animorum, siue corporum potest reputari dissoluta, vel saltem notabiliter diminuta, iuxta doctrinam Aristotelis 8. *Ethicorum cap. 7.*, & Diui Thomæ 2. 2. *quæst. 26. art. 10.* propter excessum vitij, vt dicit Baldell. *de fide lib.1. disp.43. num. 9. in fine, & num. 13.*

44 Vel denique nisi receptantes consanguineum id facerent lucri causa, vel pecuniarum, dummodo non essent ità pauperes, vt ex necessitate receptarent, vt ex multis docet Duard. *d. quæst. 29. num. 18.*

Quod dicimus de consanguineis, idem dicendum est de receptantibus amicos, dummodo amicitia non sit vulgaris, sed magna, & inueterata, quia in iure reputatur quædam fraternitas, *l. verum, ff. pro socio*, Iason. *in l. Quæ dotis, ff. solut. matrim.* Soccin. *consf. 263. num. 10. lib. 2.* Pegna *par. 2. comment. 81. vers. Nunquid*, Baldell. *loco cit. num. 10. vers. Et quod dicimus.*

45 Contrarium quod receptans amicum hæreticum, non excusetur, etiamsi amicitia sit inueterata, Carena *de Hæret. num. 172.* Carolus de Grass. *de effect. amicitiæ num. 64.*

46 Amore autem captos excusari, si recipiant Amantes hæreticos dixit post Tiraquellum Pegna *d. comment. 81.* Farinacc. *loco citato num. 146.*

47 Ideo non est audiendus Azor. *par. 1. lib. 8. cap. 15. rubr. de credentibus quæst. 3.* dum dixit in foro conscientiæ excusari receptantem sibi maximum amicum propter amicitiam, sed in foro externo tanquam excommunicatus, & in alias pœnas iuris prolapsus iudicandus est.

48 Quia etiam in foro externo excusandum esse, & quoad excommunicationem, & quoad minorationem aliarum pœnarum dixerunt, Pegna *d.comm. 81.* Simanc. *d. tit. 15. num. 20. & in Enchiridion. tit. 16. num. 8.* Fragos. *loco citato num. 27.*

An autem in dubio præsumatur, quem receptasse ex causa consanguinitatis, ami-
49 citiæ, amoris, vel potiùs hæresis, dicendum est, præsumptionem inclinare in causas prædictas, non autem in causam hæresis, Simancha *d. tit. 15. num. 21.* Farinacc. *loco citato num. 151.* Graff. *d.cap.18. nu.35.* Baldell. *loco citato num.11.* Sousa *d. cap.23. num. 9.* Sanctarell. *d.cap. 12. num. 2. in fine*, Duard. *in Bulla Cœnæ lib.2. can. 1.quæst. 29. num. 5.*

Sed magna dubitatio est, an qui receptat Hæreticum, non quà Hæreticus, & vt faueat hæresi, sed vt aliquam vtilitatem afferat receptato, puta, ne ad manus Curiæ deueniat, vel vt mortem, aut infamiam effugiat, incurrat excommunicationem latam in Bulla Cœnæ.

Negatiuam opinionem tenet Sanchez *d. cap. 10. num. 5.* qui pro sui opinione
50 allegat Aragon. Sotum, Nauarr. Suarez, Emanuel.Rodriq. quã etiam latè defendit Duard. *in Bulla d. quæst.29.* vbi dicit, hanc excommunicationem non incurri hoc casu, neque in foro interiori, neque exteriori, & hanc opinionem vocat probabilem propter auctoritatem Sanchez, Carena *par. 2. tit. 4. §. 5. num. 40. vers. Nihilominus*, addo Banni *loco superiùs citato pag. 298. & 299.* qui excusat filium, qui Patrem hæreticum ad mortem quæsitum, non vt talem præcisè, sed vt Pater est latebris, & perfugio receptat, in foro tantùm conscientiæ, non in foro exteriori, Fragos. *loco superiùs citato, num. 7. vers. Probabile tamen*, Lorca 2. 2. *quæst.11. art. 4.* Peyrinus *in priuileg. Minim. to.2.constit.9.* Pauli Quinti, Scortia *in select.Theorem. 9.epitom.27. vers. Receptatores*, Megala 3. *par. lib. 3. cap. 1. quæst. 2. num. 27.* Azor. *to. 1. lib. 8. cap. 15. qu.4.* quos refert Diana *p.4.trac.7. resol.21. vers. Verùm ergo*, vbi hanc opinionem probabiliorem vocat, & in hanc videtur inclinare, Trasmiera *de denunciat. quæst. 3. cap. 3. num. 6.*

51 Contrariam opinionem tenet Suarez *de fide disp. 24. sect. 2. num. 9.* vbi declarat locum

locum suum allegatum à Sanchez nempe *in tract. de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 18. Sayr. *de censur. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. Vgolin. quem citat Sanctarell. *dicto cap.* 12. *dub. vnic. num.* 7. Alter. *de censur. de excommunic. Bullæ lib.* 5. *cap.* 4. Layman. *in Summa lib.* 2. *tract.* 1. *quæst.* 14. *num.* 5. Baldell. *d. disp.* 43. *à nu.* 3. Card. de Lugo *d. disp.* 25. *à nu.* 8. Trasm. *loco citato*, qui vtramque opinionem vocat probabilem.

In hac controuersia non habeo resolutionem Sacræ Congregationis.

Cæterum assentior opinioni, quæ habet, quod consanguinei, amici, amantes,
52 qui receptant Hæreticum taliter, vt euadant manus Inquisitoris, in foro externo censeantur excommunicati, quia forum externum respicit ad solum factum celandi, & occultandi Reos, ne veniant in manus Iudicis, neque curat de intentione fauendi, vel non fauendi Hæreticis, dummodo constet de intentione immediatè, & proxima occultandi, & celandi, vt benè ratiocinatur Baldell. *loco citato num.* 3. *vers. Et deinde facit*, qui licèt extendat ad forum interiùs, in hoc tamen ei non assentior, idem tenet Azor. *d. quæst.* 3.

Si autem ageretur de personis coniunctissimis, puta Patris, filij, vxoris, vel
53 etiam fratris Receptatoribus, ne aliquis ex eis Hæreticis in manibus Inquisitoris incidat, crederem excusandos esse ab excommunicatione, etiam in foro exteriori, quia persona tam coniuncta alicui, quasi eadem cum ipso reputatur, quam non defendere, valdè difficile sit, vt voluit Simancha *d. tit.* 15. *num.* 21. Viuald. *in explic. Bullæ cap.* 1. *num.* 8. *vers. Ex quibus* Azor. *d. cap.* 15. *quæst.* 4. Layman. *loco cit. num.* 5. *vers. Receptator personæ coniunctissimæ*, Sousa *in exposit. Bullæ Cœnæ, cap.* 2. *disp.* 10. *num.* 3. *vers. Secunda conclusio* ratione *superiùs* allegata, quia receptantes, & receptati reputantur vna eadem persona propter coniunctionem, & sicut integrum est receptantibus, se ipsos occultare sine metu excommunicationis, sic etiam videtur dicendum de occultante Patrem, Matrem, Vxorem, vel è contra, atque ita non incurrent excommunicationem, si sibi inuicem auxilientur, ducti tantùm amore naturali ad occultandos prædictos, vt ab infamia, & morte liberentur, non autem vt eorum erroribus auxilium principaliter præstent, vt benè Fragos. *loco citato n.* 27. P. del Bene *d. dub.* 28. *per totum*, & præsertim *Corollar.* 2.

Secundò infertur, non subijci pœnis Receptatorum, qui receptant Hæreticum,
54 vt occulrent ab hostibus, vel à latronibus, ne occidatur à suo inimico, vel grauiter offendatur, ne capiatur à suis creditoribus, vel à Iudice propter causam criminalem ab hæresi diuersam, quia huiusmodi occultatio non est facta in gratiam hæresis, neuè vt ab Inquisitore occultetur Sousa *d. cap.* 23. *num.* 23. & in simili de fautore, Azor. *d. cap.* 15. *quæst.* 8. Sanctarell. *d. cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 19. Farinacc. *dicta quæst.* 182. *nu.* 12. Sanchez *d. cap.* 10. *nu.* 19. in terminis Baldell. *loco citato num.* 3.

Tertiò infertur, Nautas, Caupones, & Stabularios receptantes Hæreticos excu-
55 sari, quia ad eos non pertinet Aduentantium ad eorũ hospitia mores perscrutari, *l.* 1. *ff. de furt. aduersus Nautas, Caupones, & Stabularios*, Carrer. *de Hæret nu.* 168. Pegna *par.* 2. *comment.* 76. Decian. *lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 73. Azor. *d. cap.* 15. *quæst.* 8. Farinacc. *d. quæst.* 182. *num.* 161. Bauni *loco citato, vers. Secunda*, Fragos. *loco citato num.* 27. *vers. Quarto excusantur*.

Hæc autem excusatio non haberet locum, si huiusmodi personæ receptarent
56 Hæreticum, publicum, notorium, & denunciatum, vt volunt Pegna, Farinacc. Azorius, Decianus, Fragos. & alij *supra citati*.

Ratio est, quia isto casu non potest in illis præsumi ignorantia, Gloss. & Bart. *in l.* 1. §. 1. *ff. de receptat.*

Ideò sicuti non excusantur, si receptent eum, quem sciebant esse Hæreticum,
57 sic non debent excusari, quando ius in eis scientiam præsumit, Carer. *de Hæret. num.* 170. Decian. *d. cap.* 51. *num.* 73. Farinaccius, & Fragos. *locis citatis*, quos sequitur Carena *par.* 2. *tit.* 4. *num.* 50. Duardus *d. can.* 19. *quæst.* 28. *num.* 11. vbi reprobat Azorium contrarium tenentem, quem pariter reprobat Carena *loco citato*.

Quæ dicta sunt de receptantibus Hæreticos, vt tunc habeant locum, quando ex
58 causa hæresis, non autem ex alia receptant, procedunt in fautoribus, & defensoribus Hæreticorum, Angel. *in ver. Hæret. num.* 25. Siluester *eodem ver.* §. 1. Nauarr. Tolet. Vgolin. Azor. Sanchez, Graff. *relati* à Farinacc. *d. quæst.* 182. *num.* 12. & 168. Suarez, Card. de Lugo, Baldell. Fragos. & alij *supra citati*.

49 Sed quibus pœnis subijciantur fautores, defensores, & Receptatores Hæreticorum videndus est Textus *in cap. Excommunicamus*, §. *Credentes de Hæreticis*, quem per extensum ponit P. del Bene *par.* 1. *dub.* 32.

60 Dic primò præcipuam pœnam esse excommunicationis, quæ lata est à iure, vt *in cap. Sicut de Hæret.* vbi omnes Canonistæ *cap. Excommunicamus il primo*, §. *Credentes*, & ibi Doctores *de Hæret. cap. Nouerit de sentent. excommunic.*

Et à Constitutionibus Summorum Pontificum, nempe Innocentij Quarti, Nicolai Tertij, Martini Quinti, de quibus Fa-

rinaccius *d. quæst.* 182. §. 3. *num.* 38. & 39.
61 Necnon à Bulla in Cœna Domini,
Suarez *d. disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 14. & *de*
censur. disp. 21. *sect.* 2. *num.* 5. Azor. *dicto*
cap. 15. Sanchez *d. cap.* 10. plures refert
Baldell. *d. lib.* 1. *disp.* 43. *num.* 1. Trasmiera
de denunciat. qu. 3. *cap.* 3. *nu.* 3. quam pœnam
non euitabunt, etiam quod sanctè Inconstantes
post receptationem, Hæreticos
denuncient, vt post Vgolin. & Decianum
tenet Pater del Bene *dub.* 26. *Corollar.* 1.
num. 6.
62. Secundò habet locum, etiam quod
posteà Hæreticus in manus Iudicis deuenirer,
vt post Castrum, Suarez, & Graff.
tenet idem P. del Bene *loco citato num.* 7.
63. Secunda pœna est Irregularitatis, quam
incurrere fautores, defensores, & receptatores
Hæreticorum probatur *ex cap.* 2.
§. *Hæretici de Hæret. in* 6.
Nam ibi dicitur, huiusmodi esse inhabiles
ad omnia Beneficia, & officia publica;
sub nomine autem officij publici contineri
non solùm officia temporalia, sed
Ecclesiastica, voluere Suarez *de censur.*
disp. 43. *sect.* 2. *nu.* 5. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 25.
num. 7. Sanctarell. *de hæresi cap.* 25. *dub.* 1.
num. 4. P. Diana *par.* 4. *tract.* 2. *de Irregul.*
resol. 44. & hanc opinionem tenent plures
relati ab eodem Diana *loco citato*, Card.
de Lugo *d. disp.* 25. *sect.* 1. *num.* 19. Farinaccius
quæst. 192. *num.* 74.
Quamuis Turrianus, Hurtado, & alij
relati à Diana *eodem loco* teneant, non benè
in iure hanc sententiam fundari, quia sub
nomine officiorum publicorum non includuntur
ordines, vt dixere *supradicti*.
Sed non est recedendum à priori sententia,
tanquam communiori, quia
64 Ordo Ecclesiasticus etiam de iure ciuili
honor dicitur *cap.* 1. vbi Abbas *de oblig.*
ad ratiocinia *l. Officiales, C. de Episcop. &*
Clericis, cap. Admittuntur 54. *distinc.* Maiol.
de Irregular. lib. 3. *cap.* 1. *num.* 2. & *lib.* 2.
cap. 5. *num.* 17.
Et hæc pœna habet locum, quamuis
Fautores, Defensores, & Receptatores
65 Hæreticorum occulti sint, Toletus *in*
Summa lib. 1. *cap.* 69. *num.* 2. plures citat
Sanchez *d. cap.* 25. *num.* 7. Farinaccius *dicta*
quæst. 182. *num.* 74. Cardinalis de Lugo
loco citato.
Tertia pœna est Ecclesiasticæ sepulturæ
priuatio, & precum, & oblationum, cum
66 pro illis orare non liceat, *cap. Sicut extr.*
de Hæret. & ibi Gloss. Hostien. Anchar.
Butr. Abbas, Felinus, Zabarell. & cæteri
Canonistæ, *cap. Excommunicamus il primo*,
§. *Credentes eodem tit.* vbi etiam Canonistę,
Locat. Calderin. Zanchin. Carrer. Decian.
& Pegna *relati* à Farinacc. *d. quæst.* 182.
num. 49. Suarez *d. disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 15.
Card. de Lugo *loco citato sect.* 1. *num.* 20.

Quarta pœna est priuatio Beneficiorum,
si quæ habent, & inhabilitas ad alia obti-
67 nenda, vt de priuatione Textus est *in cap.*
Vt commissi, §. *Priuandi de Hæret. in* 6.
& de inhabilitate est Textus *in cap. Statutum*
il primo, eodem tit. in 6. & vtrobique
Canonistæ, *cap. Excommunicamus*, §. *Credentes*
de Hæret. & ita etiam statuerunt has
pœnas imponendo Innocentius Quartus,
Nicolaus Tertius, Paulus Quartus, late,
qui plures allegat. Farinacc. *quæst.* 189.
nu. 73. addo Suarez *d. disp.* 14. *sect.* 1. *nu.* 15.
Card. de Lugo *d. disp.* 25. *sect.* 1. *num.* 20.
Baldell. *loco citato, num.* 5. Sanctarell. *dicto*
cap. 33. *dub. vnic. num.* 5.
Sed difficultas est, an sint huiusmodi
Receptatores priuati Beneficiis ipso iure,
68 an verò sint priuandi per sententiam
Couuarr. Pegna, Sanchez relati à Sanctarell.
loco citato num. 5. *vers. Non desunt*,
Duard. *ad Bullam Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *qu.* 27.
nu. 21. tenent, non esse priuatos ipso iure,
sed priuandos.
69 Sed omnino tenendum est, priuatos esse
ipso iure obtentis, propter clara verba
Constitutionis Nicolai Tertij *editam nonis*
Martij 1240. incipien. *Nouerit Vniuersitas*,
in qua verbis expressis priuat ipso iure
Hæreticos Fautores, Defensores, & Receptatores
Beneficijs obtentis; & ad similia
voluit non admitti; Quam Constitutionem
si præfati Doctores vidissent, in
contrariam non iuissent sententiam, vt
benè Lottherius *de re Benefic. lib.* 3. *qu.* 28.
num. 36.
70 Quæ Constitutio, quamuis non sit inserta
in lib. 6. *Decretal.* Nihilominus debet
obseruari, vt dicit Sanctarell. *loco citato*
num. 5. *vers. Si dicas.*
71 Quinta pœna est infamia, Anan. *in cap.*
Excommunicamus il primo, §. *Credentes d.*
Hæret. Calderin. *de Hæret. rubr. de pœnis*
recept. num. 1. & idem statuitur in præfatis
Constitutionibus Innocentij Quarti, Clementis
Quarti, Alxādri Quarti, Pauli Quarti,
de quibus per Farinacc. *d. qu.* 182. *n.* 43.
72 Sexta est pœna illatiua ad quintam,
nempe priuatio omnium officiorum publicorum
d. §. *Credentes, vers. Si verò Clericus*,
& est Textus expressus *in cap. Quicunque*,
§. *Hæretici de Hæret. in* 6. & *in cap.*
Vt commissi, §. *Priuandi eodem tit. in* 6. & patet
ex Constitutionibus *supra citatis*, quibus
addendæ sunt Constitutiones Honorij
Quarti, & Martini Quinti, de quibus per
Farinaccium *d. quæst.* 182. *num.* 44.
73 Septima pœna est priuatio facultatis testandi
tam actiuè, quàm passiuè, *Auth.*
Credentes de Hæret. d. §. *Credentes*, & ibi
Canonistæ, quæ statuta fuit etiam in Constitut.
Innocentij Quarti, Clementis Quarti,
& Nicolai Tertij, de quibus per Farinaccium
loco citato num. 45. & 46. Fede-

ticus *in Constitut. Catharos*, §. *Credentes*.

74 Octaua pœna est, vt ad Testimoninm ferendum non admittantur, *d. Auth. Credentes, d. cap. Excommunicamus il primo*, §. *Credentes*, vbi Canonistæ, Farinacc. *loc. cit. num.* 47.

75 Nona pœna est, vt bona prædictorum debeantur Fisco, non quidem ipso iure, sed per sententiam, vt de veriori voluit post Decianum, & Canterum, Farinacc. *loco citato num.* 52.

76 Decima pœna est Relegationis, vel alia arbitraria, Federic. *in Constit. Patharenos*, Carrer. *de Haret. num.* 163. Pegna *par.* 2. *comment.* 76. Zanchin. *de Haret. cap.* 17. *num* 4. vbi de pœna Relegationis.

De arbitraria verò Menoch. *de Arbitrar. lib.* 2. *cap.* 548. *num.* 1. 2. & 4. Decianus *lib.* 5. *cap.* 52. *num.* 47. & de vtroque Farinaccius *quæst.* 182. *num.* 53. & 54.

Huiusmodi tamen pœnæ contra Contumacem non habent locum, nisi post-
77 quàm Fautor, Defensor, vel Receptator fuerit excommunicatus, & in excommunicatione perstiterit per annum, *vt in dicto* §. *Credentes*, Suarez *dicta disput.* 24. *sect.* 1. *num.* 15. Card. de Lugo *d. disput.* 25. *sect.* 1. *num.* 21. Farinacc. *dicta quæst.* 182. *num.* 39. P. del Bene *dub.* 33. *num.* 3. qui *num.* 5. limitat in priuatione sepulturæ Ecclesiasticæ,
78 & orationibus faciendis pro ijsdem, quia eo ipso quod constat, aliquem, receptando, fauendo, vel defendendo Hæreticum, decessisse, non debet inter Christianos accipere sepulturam, nec pro eo orari, quia in peccato mortali, & in excommunicatione decessit, allegat Constit. Innocentij Quarti *Nouerit*, esse apud Pegnam *in Directorio fol. mihi* 21.

An autem huiusmodi pœnæ extendantur ad filios eorum.

Dicendum est, quod aut Fautores, Defensores, & Receptatores fauent Hæ-
79 reticis qua Hæreticis, itaut veniant puniendi tanquam Hæretici, & tunc pœnæ prædictæ extenduntur ad eorum filios. Aut fauent, defendunt, vel receptant ex alia causa, & tunc quia solummodo sunt suspecti de hæresi, ad eorum filios pœnæ prædictæ non extenduntur; vt de pœna Irregularitatis dixit Sanchez *lib.* 2. *disp.* 25. Et de pœna Confiscationis dixit Farinacc. *dicta quæst.* 191. *num.* 13. Et de pœna priuationis paternæ hæreditatis idem Farinacc. *loco citato*. Et de pœna priuationis Beneficiorum idem Farinacc. *loco citato*, dùm *num.* 49. se remittit ad dicta per eum *num.* 13.

80 Sed si Contumaces per annum perstiterint in excommunicatione, & ab Inquisitore tanquam Hæretici essent condemnati, iuxta dispositionem Textus *in dicto cap. Excommunicamus, il primo*, §. *Credentes, de Haret.* & *in dicto cap. Vt Inquisitionis*, §. *Prohibemus, de Haret. in* 6. Farinacc. *quæst.* 182. *num.* 41. 60. & 136. crederem prædictas pœnas extendi ad eorum filios; ad tradita per Stephanum Benassaium *in sua Consultatione inserta in qu.* 190. Farinacc. *num.* 50. & 51.

Et hæc dicta sufficiant circa materiam Defensorum, Fautorum, & Receptan-
81 tinm Hæreticos, quod si quis de eis plura scire cupit, adeat Eymet. *in Director. par.* 2. *quæst.* 51. 52. & 53. & ibi Pegna *comm.* 76. 77. & 78. Farinacc. & Sanctarell. *locis sæpè citatis*, Sanchez, Suarez, Cardin. de Lugo, Baldell. Duard. Fragos. *locis citatis*, P. del Bene *loco cit. tot. dub.* 26. *cum suis Corollarijs*.

82 Quartò præsumpti Inconstantes in fide sunt conuersantes cum Hæreticis: hi enim sunt de hæresi suspecti, *cap. Inter sollicitudines, de purgat. Canon.* Concil. Tarraconen. *registr. per* Pegnam *par.* 2. *fol.* 234. *vers. Item quæritur*, Roias *singul.* 36. Repertor. Inquisit. *ver. Hæreticus, ver. Nota, & ver. Conuersatio*, & ibi Adden. *littera A, & E*, Iudiciale *ver. Credentes num.* 2. Simancha *de Cathol. tit.* 11. Farinacc. qui alios *q.* 182. *num.* 166.

83 Quæ conclusio habet locum non solùm in conuersatione personali, sed etiam in allocutione, & conuersatione per litteras, & Nuncios, Iudiciale *in ver. Credentes post num.* 2. & *in ver. Suspicio num.* 25. Pegna *par.* 2. *comm.* 81. Decian. *lib.* 5. *cap.* 41. *nu.* 12. vbi de Decreto Concilij Sardicen. Farin. *quæst.* 182. *num.* 168.

84 Et multo magis in seruientibus Hæreticis, Iudiciale *d. verb. Credentes*, Farinacc. *loco cit. num.* 169.

85 Pariter locum habet conclusio in negotiantibus cum Hæreticis, *cap. Sicut extra, de Haret.* & ibi omnes Canonistæ Farinac. *loco cit. num.* 171. vbi quod huiusmodi negotiantes incurrunt excommunicationẽ, & Ecclesiastica sepultura carere debent.

Sed an hi sint suspecti de hæresi pendet ex circumstantijs.

86 Idem dicendum est de visitantibus Hæreticos, quia præsumuntur Inconstantes in fide, Iudiciale *in dicto ver. Credentes post num.* 2. & *in ver. Fautores num.* 5. & *in ver. Suspicio nu.* 3. Repertor. *ver. Credentes, vers. Sed circa supradicta*, Calderin. & alij à Farinacc. *loco cit. num.* 173.

87 Mittentes quoque munera Hæreticis de hæresi sunt suspecti, & consequenter præsumpti Inconstantes in fide, Iudiciale *ver. Suspicio num.* 30. Eymer. *par.* 2. *quæst.* 56. *num.* 8. Farinacc. *loco cit. num.* 175.

88 Idem in contrahentibus parentelam, vel confederationem scienter cum Hæreticis, Iudiciale *ver. Suspicio num.* 20. Pegna *par.* 2. *comm.* 81. Farinacc. *loco cit. nu.* 176.

89 Fallit in locis, in quibus impunè grassantur hæreses, de quo cum plura *supra* dixerim, Lectorem ad ea remitto, P. del Bene *loco infer. citando num.* 12.

Fallit secundò, in conuersantibus cum Hæreticis ad bonum finem, vtputa, pro bono animarum suarum, si non sit periculum peruersionis, vel alterius mali, Tabien. *ver. Hæreticus num.* 4. Farinaccius
90 *num.* 179. quod certè non debet permitti hominibus, qui sunt simplices, naturæ fragiles, & Inconstantes, P.del Bene *dicta par.* 1. *dubit.* 153. *sect.* 1. *in Obiectionibus nu.* 5. Imò nec doctis, si potest exindè oriri scandalum, P.del Bene *loco cit.num.*6.

91 Notandum tamen est, quod non solùm Inquisitores debent obseruare Hæreticos, qui loca Catholicorum peragrant, vel etiam quandoque in eisdem locis moram trahunt per aliquod tempus, quomodo viuant, ne scilicet dogmatizent, vel dent scandalum, sed etiam Catholicos, qui à locis Hæreticorum redeunt, vt statutum fuit in Synodo Salisburgen. his verbis:

92 *Eos quoque obseruare debent Parochi, qui ex Hæreticorum locis, siue de hæresi suspectis veniunt, singulariter dicta, & facta animaduertant, & de eorum vitæ conuersatione, & ratione cognoscant, & si qua de ijs suspicio fuerit Ordinarium admoneant.*

Quæ verba referuntur à Pegna *dicto comment.* 82. & à Farinaccio *loco citato num.* 178.

93 Quintò, præsumpti Inconstantes in fide sunt, qui apud se retinent libros Hæreticorum, nam hi suspecti sunt de hæresi, Felin. *in cap.Si quis Episcopus, verf.in Gloss. fin. de Hæret.* Io: Andr. post Archid. *cap.*2. *num.* 4. & ibi Gemin. *nu.* 6. *de Hæret. in* 6. Repertor. *ver.Comburi*, vbi Mandos.*litt.B*, Simancha *de Cathol. tit.*38. *num.*24. & alij, Farinacc. *quæst.*180.*num.*8.*&* 9. P.del Bene *dub.*46. *num.*23.

94 Statim enim quod quis eos habuit, licet olim satis esset eos comburere, vt *in l.Damnato*, §. *Nec verò, C. de Hæret. l. Quicunque*, §. *Nulli*, *&* §.*Omnes verò, C. eodem*, vbi Butrigar. & Salycet. Simanch. *de Cathol. tit.*38. *num.*7. *&* 8. Farinacc.*quæst.*180. *num.* 1.

95 Hodie tamen non licet cuique propria auctoritate eos comburere, sed debet statim eos deferre Ordinarijs, vel Inquisitoribus locorum, vt ex Constitutione Iulij Tertij incipien. *Cum meditatio cordis*, de qua per Pegnam *par.* 2. *comment.* 3. & per Azor. *to.*1. *lib.*8. *cap.*16. *quæst.* 2. Consonat Decretum Pauli Quarti, de quo Campegg. ad Zanchin. *de Hæret. cap.* 17. Farinaccius *dicta quæst* 180.*num.*40. Sanctarell. *de Hæresi cap.* 13. *dub. vnic. num.* 16. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 56. Martin. del Rio *disquisit. magic. lib.*5. *sect.* 12. Barbos. *de potest. Episc. par.* 3. *allegat.* 90. & facit Constitutio Pij Quarti *edita anno* 1564. de qua Sanchez *loco cit.* Ricciull. *de iure personarum lib.* 5. *cap.*24. *per tot.* Dian. reprobans Pueron. *in Bulla Cœnæ* contrarium sentientem, *resol. moral. par.*10. *tract.*12. *&* 2. *Miscellan.resol.* 48. Bordon. *in Tribunal cap.*14. *num.*8. *qu.*3. vbi dicit, quod tales propria auctoritate comburentes cadunt in excommunicationem latam in Edictis Inquisitorum, quod intellige respectu librorum, quorum retentio prohibita est sub excommunicatione, secùs de libris, qui possunt retineri citra pœnam excommunicationis, vt sunt libri obscæni; latè P. del Bene *dubit.* 40. *petit.*3. *per tot.*

96 Et hæc suspicio, & præsumpta in fide Inconstantia habet locum, etiamsi retentor dicat eos non legisse, Decian. *lib.* 5. *cap.*37. *num.*55. *&* cap.46. *nu.*32. Farinacc. *dicta quæst.*180. *num.*20. P. del Bene *dub.*46. *num.* 23. & priùs *dubit.* 40. *num.* 2. qui plures.

Ideò inoleuit praxis in Sancto Officio, quod si apud aliquem reperiantur libri Hæreticorum, vel aliàs prohibiti continentes præsertim sortilegia, seu incanta-
97 tiones qualificatas, quorum retentio prohibita est per Bullam Ioannis XXII. *registr.* in Direct. Inquisit. *par.* 2. *quæst.* 43. *num.* 9. & nouissimè per Bullam Sixti Quinti, & per *Regulam* 8. Indicis, in qua prohibentur libri Geomantiæ, Hidromantiæ, Negromantiæ, Priomantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Neomantiæ, & Astrologiæ iudiciariæ, de quibus latè Martin.del Rio *dicto tract. lib.* 5. *sect.* 17. *rubr. de libris Magicis*, Binsfeldius *ad l. Cupa, C. de Malef. & Mathemat.* Azor. *Institut. moral. par.* 1. *lib.* 9. *cap.*36. *quæst.*5. Farinacc. qui alios *d. q.*180. *num.* 28.

Inoleuit inquam praxis, vt si ille apud quem reperiuntur huiusmodi libri dicat,
98 eos non legisse, nec vsum fuisse sortilegijs, vel incantationibus, torqueatur super vsu, complicibus, & intentione, & si sustineat, imponitur ei, vt abiuret de leui, non autem de vehementi, vt perperam dixit praxis Neapolitana *cap.* 84. *num.* 12. de qua per Farinacc. *dicta qu.* 180. *num.* 9. *in fine.*

Et optima quidem ratione, nam si quis fateatur, se vsum fuisse dictis sortilegijs,
99 vel incantationibus, & catholicè respondeat super intentione, indicitur ei solùm abiuratio de vehementi, vt notat Carena, *par.*2. *tit.*10. §.8. *num.*44. *verf.Si verò Inquisitor*, ergò ei, qui vsus non est prædictis incantationibus, debet imponi gradus inferior abiurationis, & ità seruatur in Hispania, vt dicit P. Diana *par.* 4. *tract.*7. *resolut.* 6. Suarez *de fide disput.* 24. *num.* 4. Castro-palao *tract.*4. *disput.*2. *punc.*10. §.4.

num. 6. Carena *loco cit.* §. 4. *num.* 27. *vers. Benè*.

Verum est, quod in imponenda abiurarione attenditur qualitas personæ libros retinentis, & librorum retentorum; Simanch. *de Cathol. tit.*38. *num.* 24. *& in Enchiridion. tit.*49. *num.* 4. Zanchin. *de Hæret. cap.* 7. Albertin. *de agnoscen. qu.* 28. *num.* 4. latè declarans, & magistraliter more suo Pegna *ad cap. Fraternitatis* 2. *par.* Director. *comm.*3 *fol.*97. alios Farinacc. *dicta qu.*180. *num.* 9. Carena *loco cit.* §.4.

100 Ideo si reperiantur libri prædicti penès imperitum, qui legere eos, nec intelligere queat, vel si apud hæredem, qui nondùm inuentarium rerum hæreditariarum confecit, & præsertim Bibliothecæ, si vir esset probatissimus, in quo nulla posset cadere suspicio, si libri continerent ea, quæ potiùs ad eruditionem, & historiam spectant, si reprehendenti, & monenti obtemperauerit, & Ordinario, vel illos Inquisitori præsentauerit statim ac prohibitos compererit, si sollicitè absolutionem peteret; cum hæc nullam, vel saltem leuissimam suspicionem præseferant, talis retentor nullatenus, vel leuiter tantummodo suspectus habendus erit, vt dicit idem Pegna *loco cit.* Carena *d.*§.4.

101 E contra, si quis studiosè penès se retinuerit, si inquirat, vnde tales libros habere possit, si ex partibus Hæreticorum curet sibi asportari, si paruipendeat, nec curet licentiam obtinere, si contendat absque licentia posse retineri, si absolutionem contemnat, certè in vehementem incidit suspicionem, vt benè Pegna, & Carena *locis citatis*.

102 Quod diximus de retentione librorum, idem dic de retentione scripturarum: Non enim refert, an huiusmodi sint Typis, an calamo exaratæ, Farinacc. *dicta quæst.* 180. *num.* 31. dummodò contineant hæreses, vel sortilegia.

Propterea librorum Hæreticorum retentio prohibita est, etiamsi contineant aliqua bona, & vtilia, Gloss. *in cap. Fraternitatis, verb. Cælestius, de Hæret. cap. Canones* 16. *distinct.* Nam periculum est, ne lateat anguis in herba; Pegna, & Binsfeld. relati à Farinacc. *quæst.*180. *nu*14.

103 Ideò damnato Auctore sunt eius opera quoque damnata, *l. Damnato, C. de Hæret. & in dicto cap. Fraternitatis, vers. Ad litteram*, & ibi Doctores, Farinacc. *quæst.*181.*nu.*22. Ricciull. *de iur. person. lib.*5. *cap.*23. *num.*1. eorumque opera quamuis bona, & catholica recipienda non sunt, nam quicquid sit de iure antiquo, iuxta Text. *in cap. Damnamus, de Summa Trinit. & fide Cathol.* hodie vigore Bullarum Iulij Tertij, Pij Quarti, & in Cœna Domini, illa etiam sunt damnata, nisi sint approbata ab Ecclesia, quia tunc in vim approbationis non censentur damnata, Pegna *par.* 2. *comment.* 3. Butr. *d. cap. Fraternitatis num.*3. Farinaccius *loco cit. num.*26. *&* 27.

104 Eadem suspicione laborabunt huiusmodi libros transcribentes, vel scripturas, Rimin. iun. *conf.*414. *num.*21. Pegna *par.*2. *comment.* 17. *vers. Sed quæ erit pœna*, Carena *loco citato* §. 6. Farinacc. *dicta quæst.* 180. *nu.* 18. qui declarat dictum Rimin. iun. *d. cons.* putantem tolli suspicionem in eum, qui postquam damnatos libros scripsit, eos non retinuit, non procedere, nisi post scriptionem libros combusserit, vel lacerauerit. Et benè, quia imò maior gradus suspicionis inest in eo, qui alijs scripta vetita communicat, vt ex Azor. Idem Farinacc. *loco citato*, & ità seruat praxis &c.

Sed consideranda est in hoc casu qualitas personæ transcribentis.

105 Si enim Scriptor sit ignarus, & penitùs ignoret quid scribat, si famulus iubente Domino transcribat, ignorans qualia ea sint, vel si sciat, & metu non audeat denunciare, si pretio conductus scribat, nesciens se praua dogmata scribere: si discipulus Magistro dictante, credat sanam doctrinam dictare.

106 Si verò quis sciens mala esse sibi transcribat, vt penès se retineat, vel alijs tradat ad pretium comparandum, sicuti dum hæc scriberem accidit Romæ in quodam Nobili ad paupertatem redacto, qui scripturas magicas, & sortilegas transcribebat, vt alijs venderet, qui tamen tortus super intentione, vsu, complicibus, cum substinuisset, asserendo solùm curiositatis causa se transcripsisse, fuit expeditus cum abiuratione de leui.

107 Et *de anno* 1592. 3. *Octobris* scriptum fuit Inquisitori Fauentiæ, vt relaxaret Sanctem Florentinum venditorem librorum, penès quem repertus fuerat liber, *de i due discorsi intitolati all' Italia*, attento quod erat persona idiota, & ex alia parte non suspecta.

108 Ideò non est adhærendum opinioni Carenæ *in par.* 2. *tit.* 10. §. 7. *num.*42. *vers. In casu*, qui dicit, quod si retentor librorum prohibitorum sit persona idiota, sit suspectus de leui, & de leui abiurare debet, nam nulla tali indicitur abiuratio.

109 Secundò, non est admittenda limitatio eiusdem Carenæ, quam applicat doctrinæ Genuensis *in praxi Archiepiscopatus Neapolitani cap.* 69. *num.* 12. vt scilicet retentor librorum Negromanticorum, vel qui continent sortilegia qualificata, non subijciatur torturæ super vsu, complicibus, & intentione, nisi adsit mala qualitas personæ, vel alia concurrant adminicula,

quia ex sola retentione harum scripturarum, quæ nec etiam ab homine bonæ famæ retineri possunt, oritur indicium ad torturam super vsu, complicibus, & intentione, & ità seruat Sacra Congregatio.

Posset autem locum habere opinio Carenæ in retinentibus libros Hæreticorum, si aliàs sint bonæ vitæ, & famæ, & maximè si contineant meram eruditionem, & non dogmata contra fidem, per ea quæ dicunt Arnald. Roland. Roias, Decian. & Pegna, relati à Farinacc. *dicta quæst.* 180. *num.* 48.

Et nunquam vidi procedere contra retentores horum librorum ex sola retentione.

110 Quod dictum est de transcribente, multo magis locum habet in componente librum, vel scripturam hæresibus refertam: Nam non solùm erit præsumptus in fide Inconstans, sed verus Hæreticus, Iudiciale *in ver. Hæreticus nu.* 22. Repertor. *in ver. Detegitur*, Simancha *in Enchiridion. tit.* 39. *num.* 2. Pegna *d. comment.* 2. *versic. Horum tamen*, & alij à Farinacc. *d. qu.* 180. *num.* 16.

111 Quod intellige, quando quis ex proposito librum composuit, & hæreses in eo contentas contra Catholicam fidem stabilire contendit, secùs si quasi aliud agens hæreticale, aliquod dictum proferat, quod potiùs ex ignorantia, quàm ex malitia prouenisse videatur, præsertim si tractaretur de dubio difficili, & obscuro, Mascard. Pegna, & Azor. à Farinacc. *loc. cit. num.* 17.

112 Secundò intellige, si libro, vel scripturæ sit vltima manus apposita, secùs si essemus in cartulis, vel commentario indigesto, imperfecto, & inemendato, & cui vltima manus non est imposita, quia semper possunt emendari, & antequàm compleantur, vel edantur, Auctor non debet reprehendi, & ad crimen vocari, vt ex D. Augustino, & Hieronymo benè probat Nauarr. *suo Magistrali consil.* 7. *de Hæret. per tot.*

Et memini aliàs in Suprema fuisse inquisitum quendam Religiosum, in cuius cella fuerunt reperta quædam scripta, in quibus conabatur ostendere, pollutionem voluntariam non esse intrinsecè malam, qui etsi fassus fuit hanc propositionem scripsisse, non tamen scripto vltimam manum adhibuisse, & voluisse illam emendare.

Sed quia reuera ex eius scriptis apparebat de suspicione eius prauæ intentionis, tortus super ea, quamuis substinuerit, fuit tamen damnatus ad Ergastulum per decennium, & ad abiurationem de vehementi.

113 Si autem penès aliquem reperiretur liber continens hæreticalia sine nomine Auctoris, tunc posset interrogari de Auctore, qui si Auctorem non nominaret, vel nominaret, sed verè nominatum Auctorem fuisse non constaret, haberetur retentor pro Auctore, Simanch. *in Enchiridion. tit.* 34. *num.* 4. Decian. *lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 26. qui subiungit, quod posset talis subijci torturæ, vt indicaret Auctorem, quod si nollet indicare, saltem à quo librum habuerit, vt possit elici veritas, non solùm iste haberetur pro suspecto, sed pro conuicto, & si nollet abiurare, condemnari deberet pro Hæretico, quod vltimum declaratur à Farinacc. *dicta qu.* 180. *num.* 21. vt procedat, si non fuit illata tortura, sed si fuit illata tortura, non potest cogi ad abiurandum.

114 Sed nullo modo admittenda sunt dicta Deciani, & Farinaccij, quia si ille, qui retinet librum continentem hæreses sine nomine Auctoris interrogetur, à quo nam habuerit librum illum, & ipse respondeat, se habuisse ab incognita persona, vel non recordari, à quo habuerit, vel vt solent Rei respondere, se illum inuenisse in aliquo hospitio, vel in via, vel recepisse ab aliquo, qui tamen mortuus est, tunc interrogatur super eius credulitate, seu intentione, & si càtholicè respondeat, subijcitur torturæ, in qua interrogatur, vt dicat veritatem, à quo librum illum receperit, & an crediderit, contenta in libro esse vera, & si sint scripta sortilega, interrogatur in tortura etiam super eorum vsu, & complicibus, & si substineat, expeditur cum abiuratione de leui.

115 Nec declaratio Farinaccij, quia quod is, qui substinet torturam, non debeat abiurare, non procedit nisi in denunciato, quod protulerit, vel docuerit aliquam propositionem hæreticalem. Is enim si sit conuictus non torquetur, sed tanquam negatiuus damnatur.

Si verò non sit conuictus, torturæ subijcitur pro qualitate indiciorum, & si substinet, dimittitur sine abiuratione, quia dùm negat factum, non est cur de eius intentione quæratur, super qua fundatur abiuratio.

Ideo inoleuit praxis in Suprema &c. vt solùm qui confitetur, abiuret.

116 At in casu retentionis librorum, vel scripturarum hæreticalium, illa sola retentio infert suspicionem, quæ in totum non euacuatur per torturam: Ideo si Reus non neget retentionem, quamuis neget credulitatem, vel vsum, remanet adhuc suspectus etiam illata tortura, ideo debet abiurare de leui, si illam substineat.

117 Si verò Retentor librorum Hæretico-

rum sine nomine Auctoris esset bonæ famæ, & aliunde constaret, fuisse compositos, & euulgatos ab alio, quàm à retentore, vt experientia docet, cum à partibus Hæreticorum in Italiam emandentur libelli, vt plurimùm sine nomine Auctoris, vel cum nomine ficto, tunc cessante suspicione, cessaret etiam abiuratio.

118 Idem dicendum est de corrumpentibus libros Catholicorum, & commiscentibus Catholicis doctrinis dogmata Hæretica, Menoch. *de arbitrar. cas.* 549. *num.* 5. Farinacc. *num.* 14. Carena *num.* 38.

119 Eadem suspicione notantur asportantes libros Hæreticorum à Prouincijs Hæreticis ad Catholicas, Pegna *par.* 2. *comm.* 17. *vers. Cæterum*, Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. *quæst.* 6. Farinacc. *loco cit. num.* 15. Carena *loco cit.* §. 6. *num.* 36.

120 Dummodo asportantes sciant, libros esse Hæreticorum; secùs si in fasciculis inclusos, vt solent Muliones, vel qui vulgò vocantur *Procacci*, Carena *loco cit.*

121 Cessaret etiam huiusmodi suspicio in Bibliopolis, qui libros ex Nundinis Francofurti, vel à Ciuitate Gebennæ, vel ex alijs Ciuitatibus, & locis Hæreticorum, nempe Hollandiæ, vel Germaniæ ad partes Catholicorum libros huiusmodi transferrent, vt illos venderent. Si tamen libri sint Auctorum modernorum, nec de hæresi notatorum, cum in illis partibus libri etiam Auctorum Catholicorum imprimantur: Secùs si libri essent Hæreticorum, iam damnatorum, vt Lutheri, Caluini, Marci Antonij de Dominis Archiepiscopi Spalaten. & similium; vel dùm transportantur, dignoscerentur esse Auctorum Hæreticorum, vel hæreses continere; & multò magis si occultè transportarent, vel transportari curarent, Azor. *loco cit. cap.* 17. *qu. vlt.*

122 Multò magis caderet suspicio in imprimentes libros Hæreticorum, vel impressioni scienter cooperantes, Sanctarell. *de Hæres. cap.* 13. *num.* 18. Barbosa *in cap. Fraternitatis, de Hæret. num.* 7. Carena *loco citato num.* 39. Farinaccius *dicta quæst.* 180. *num.* 19.

123 Et quia per dispositionem Concilij Lateranensis sub Leone Decimo *sess.* 10. & Concilij Tridentini *sess.* 4. prohibetur, ne libri imprimantur, nisi priùs per Episcopum, & Inquisitorem fuerint diligenter examinati: hinc solent oriri plures controuersiæ circa huiusmodi examinationem, & licentiam imprimendi concedendam, volui hic adnotare nonnulla Decreta Supremæ &c. in hac materia.

124 Et primò libri omnes imprimendi, semper sunt examinandi, nisi aliàs impressi, sint notissimi: sic fuit resolutum *sub die* 10. *Octobris* 1631.

125 In hac autem examinatione debent obseruari regulæ Indicis, vt Episcopi, & Inquisitores spectatæ pietatis, & doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, & integritate sibi polliceri queant, & nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, & fidelis populi vtilitatem: Et demùm, vt apponatur in libro tenor approbationis, nec sufficere, si dicatur *de licentia Superiorum*, vt fuit resolutum *sub die* 10. *Decembris* 1601.

126 Verum est, quod illa verba *de licentia Superiorum*, tolerantur in aliquibus libellis, & scripturis, quæ non indigent examinatione, vtporèquæ notoriè nihil praui continent, & in his sufficit licentia Episcopi, & Inquisitoris, vt fuit dictum *sub die* 14. *Februarij* 1607.

127 Originalia verò librorum imprimendorum debent asseruari Romæ in Archiuio Magistri Sacri Palatij; extra Vrbem apud Episcopum, vel Inquisitorem, iuxta Regulas Indicis: sed ex Decreto Supremæ apud solum Inquisitorem, vt dictum est *sub die* 4. *Iunij* 1592. *&* 31. *Iulij* 1593. *&* 9. *Maij* 1602. qui in Archiuio sui Tribunalis custodiri faciat, vt ex Decreto *sub die* 20. *Augusti* 1624.

128 Et cum san. mem. Vrbanus Octauus iusserit, vt qui in Vrbe componunt libros, non possint extra Statum Ecclesiasticum eos imprimi facere, nisi de licentia Magistri Sacri Palatij: Dubitatum fuit, an originale libri in Vrbe conscripti deberet remanere penès Episcopum, vel Inquisitorem loci impressionis. Et quamuis toto deinde tempore Pontificatus Vrbani obseruatum fuerit, vt sufficeret solà licentia Magistri Sacri Palatij, tempore tamen sanctæ mem. Innocentij Decimi decretum fuit, quod originale vnum deberet custodiri penès Magistrum Sacri Palatij, alterum penès Episcopum, vel Inquisitorem loci impressionis: de quo decreto oretenùs tamen per Pontificem lato, conquæsti sunt plures, qui componebant opera in Vrbe propter impensam transcriptionis duplicati originalis, & propterea nescio, an hodie hoc obseruetur.

129 Sed an Principes sæculares possint deputare Examinatores, siue Reuisores librorum imprimendorum Suprema &c. *sub die* 16. *Augusti* 1503. sic decreuit:

Librorum reuisio non spectat ad Dominos temporales?

Ideò Inquisitori Mediolani scriptum fuit, vt Gubernatorem dictæ Ciuitatis, qui Commissarium super reuisione librorum deputauerat, alloqueretur pro reuocatione deputati, & faceret diligentiam habendi copiam litterarum patentium

dicti Commissarij, illamque Romam mitteret, & quatenùs opus esset inhiberet dicto Commissario sub censuris, ne auderet se ingerere in materijs spectantibus ad Sanctum Officium.

130 Reuisores debent aduertere, & demum Inquisitores, ne Auctores in litteris dedicatorijs vtantur maioribus, & inconuenientibus titulis, quàm pro dignitatibus mereantur ij, quibus diriguntur, & dicantur, ex Decreto *die* 15. *Iulij* 1627.

131 Multò minùs debet permitti, vt Catholici dedicent libros Principibus hæreticis, seu alijs Ethorodoxis, vt *sæpius* fuit resolutum.

132 Licentiæ libros imprimendi dantur ab Episcopo, & Inquisitore, quas primò subscribit Episcopus, demum Inquisitor; Deficiente Episcopo Inquisitor primò, demum Vicarius Episcopi ex Decreto *die* 17. *Aprilis*, & 15. *Maij* 1692.

133 Licentias imprimendi Indulgentias, vel earum Summaria, ac Breuia Apostolica concedunt Ordinarij, non Inquisitores, vt fuit resolutum *sub die* 15. *Iunij* 1604.

134 Quæ spectant ad Tribunal Episcopi imprimi possunt cum eius sola licentia, & quæ ad Tribunal Sancti Officij cum sola licentia Inquisitoris; Sic fuit scriptum Inquisitori Mediolani *sub die*

135 Libri aliquo modo continentes praxim, & modum procedendi in Sancto Officio contra Hæreticos imprimi non possunt sine licentia Supremæ &c. Sic fuit resolutum *sub die* 28. *Nouembris* 1630. & resolutio notificata fuit Superioribus Regularium *die* 6. *Maij* 1631.

De Imaginibus verò imprimendis adsunt Decreta nouissima fel. record. Vrbani Octaui, de quibus omnibus per Bordonum *in Tribunal cap.* 15. *à num.* 26.

136 Libri non debent deferri in Ciuitatem, nec asportari, nisi de licentia Episcopi, vel Inquisitoris, ex Decreto *die* 30. *Nouembris* 1602. & 2. *Decembris* 1603.

137 Quod Decretum fuit emendatum *sub die* 31. *Ianuarij*, & 28. *Augusti*, & 11. *Decembris* 1619. vt non sufficiat sola licentia Episcopi, sed requiratur etiam licentia Inquisitoris.

138 Naues accedentes ad Portus visitent Inquisitores, vt videant diligenter, ne in dolijs, & farcinis in eis existentibus sint libri prohibiti, inuocato (si opus fuerit) auxilio Brachij secularis, ex Decreto *die* 23. *Ianuarij* 1593.

Vbi verò non sunt Inquisitores, onus hoc spectat ad Episcopos; Sic fuit dictum *die* 6. *Februarij* 1593.

139 Quod tamen intelligendum est de Nauibus, quarum mercimonia exonerantur, aliàs si vehant libros ad Portus, & loca Catholicorum, non debent Inquisitores, vel Episcopi ballas, vt aiunt, aperire, ac visitare, sed sinant illas transportare; Nam in locis Catholicorum, in quibus exonerantur, facienda erit visitatio; Sic scriptum fuit Vicario Sancti Officij Liburni commoranti.

140 Episcopi possunt visitare Bibliothecas in eorum Diœcesi existentes, libros tamen prohibitos in illis repertos debent consignare Inquisitori, ex Decreto *die* 28. *Nouembris* 1603.

141 Si tamen vbi sunt Episcopi, non adsit Inquisitor, debent Sacræ Congregationi notificare, & notulam tradere qualitatis librorum, & ab ea expectare responsum, quid de illis Episcopus agere debeat.

Inquisitor potest præcipere Bibliopolis, vt deferant notam librorum vendendorum, & vt in manibus eius præstent iuramentum de fideliter exercendo suo munere, vt fuit resolutum *sub die* 20. *Augusti* 1625.

142 Libros prohibitos possunt colligere Episcopi, & eorum Vicarij, sed collectos tenentur consignare Inquisitoribus, vt fuit pluries dictum, nempe 17. *Septembris* 1597. 23. *Ianuarij* 1598. 22. *Augusti*, & 18. *Octobris* 1601. & 13. *Martij* 1602.

143 *Et sub die* 22. *Martij* 1597. fuit scriptum Episcopo Laudi, quod licèt ipse iuxta regulas Indicis possit publicare Edictum contra retinentes libros prohibitos, & eos accipere, non tamen habet auctoritatem eos retinendi, vel retineri faciendi à suis Ministris; Et ideò si huiusmodi libri ad suum Tribunal deferantur, eos recipiat, sed demum consignet Inquisitori, vt tempore congruo cum vtriusque consensu comburantur.

Meo tamen tempore scriptum fuit Inquisitoribus, ne ad combustionem deueniant inconsulta Sacra Congregatione.

144 Consignans libros prohibitos Episcopo, vel eius Vicario satisfacit Edicto Sancti Officij, ex Decreto *sub die* 21. *Februarij* 1601.

145 Libri prohibiti absolutè, non autem suspensi, donec corrigantur, debent ad Sanctum Officium deferri; Sic fuit resolutum *sub die* 18. *Iunij* 1607.

146 Qui quidem possunt permitti ab Inquisitoribus cum solitis clausulis, ex Decreto *sub die* 5. *Iulij* 1608. & 21. *Maij* 1609. emanato.

147 Librorum prohibitorum Index potest publicari tam ab Episcopo, quàm ab Inquisitore; Ambo enim possunt illos recipere, & si corrigi possunt, corrigere, & sic correctos permittere, ex Decreto *die* 22. *Februarij* 1597.

Sed quia dum hæc scriberem prodierunt Neapoli quidam libri continentes plures propositiones contra Immunitatem

tem Ecclesiasticam, aliàs à Sacra Congregatione damnatas, Cardinalis Archiepiscopus suo Decreto illos prohibuit; Et quia nonnulli credebant Episcopos Italiæ non posse libros prohibere, consultus à san. mem. Innocentio Decimo super hoc dedi infrascriptum Votum:

Beatissime Pater.

148 IN Ecclesia Catholica semper fuit potestas prohibendi, & libros malè de Religione tractantes, & alios, qui possunt corrumpere disciplinam Ecclesiasticam, ac bonos mores. Assertio hæc est de fide, vt notat Suarez *de triplici virtute disput.20. sect.2. num.4.*

Et iure merito, quia in omni benè instituta Republica sancitæ leges sunt, libros parùm religiosè loquentes repudiandos, & extirpandos esse. Sic Plato *lib.7. de leg.* censuit; sic Athenienses libros Protagoræ, in quibus de Diuinitate malè sentiebat in concione igni tradiderunt, teste Cicer. *de Natura Deorum lib. 1.* & Lactantio Firmiano *in lib. de Ira Dei*. Sic libri Religionis Numæ Pompilij à Prætore in Senatum delati, quia leues quasdam sacrorum causas continebant, ex Patrum auctoritate cremati sunt, vt testatur Valerius Maximus *lib. 1. cap. 1.* Liuius quoque *lib. 39.* scribit, Vaticiniorum libros per Magistratus combustos esse. Ex quibus patet, sapientes homines iure quodam Gentium, vt susceptam quique Religionem tuerentur, reprobos libros damnasse.

Multò magis hoc debuit statui in Ecclesia, ne inexpiabiles Religiones in Rempublicam Christianam inducerentur, vt eruditè ratiocinatur Iacobus Simanch. *de Cathol. Instit. tit.38.*

Potest autem Ecclesia duplici modo, seu titulo in hac prohibitione procedere.

149 Primò per modum medicinæ, vt bono fidelium consulatur, aduertendo scilicet ab eis venenum, quod ex horum librorum lectione haurire possent. Vlpianus enim *in l.ex tert ff. familiæ Herciscundæ*, comparat libros improbæ lectionis malis medicamentis, & venenis.

150 Secundò modo per modum pœnæ, qua Auctor Hæreticus, siue aliàs profanus iustissimè plectitur, vt qui in doctrinæ abusu deliquit, in eadem doctrina puniatur, ablata ei potestate vllo modo docendi; ideò Gregorius Nonus, *in cap. Firmitatis, de Hæret.* statuit, damnato Hæretico, eius quoque libros censeri damnatos, quamuis de illis in sententia damnationis mentio facta non fuerit.

151 Prior autem modus efficacior est, cum extendatur etiam ad libros eorum, qui subditi Ecclesiæ non sint: & ità primitiua Ecclesia prohibuit, fideles libros Paganorum, & Gentilium legere, vt refert Clemens *lib. 1. Constit. Apostol. cap.7.* Suarez *loco cit.* Bellarmin. *controuers. tom.2. de Laicis, lib.3. cap.20. vers. Deinde*, Card. de Lugo *de virtute Fidei Diuinæ, disput.21. sect.2. num.26.*

Supposita ergo hac potestate in Ecclesia certum est illam residere:

152 Primò penès Summum Pontificem, tanquam illius Caput, & Supremum Pastorem Populi Christiani, cuius munus principale est, Christi oues pascere, idoneo, & non virulento pabulo doctrinæ, & separare pretiosum à vili; sic in puncto voluere Gerson. *tom.1. tract. de exam. Doctrinarum, 1. par. consid.1. 2. & 3.* P. Theophilus Raynaudus *in opusculo de bonis, & malis libris, partit.3. Erotem.2. num.465.*

153 Et quamuis idem Gerson putauerit, hanc potestatem non residere penes solum Pontificem, sed vna cum Concilio; eius tamen opinionem rectè improbat idem P. Theophilus *loco cit. nu.468.* optima ratione, quia ad solum Pontificem spectat potestas definiendi infallibiliter, & irretractabiliter res Fidei, vt tenent omnes Catholici, *in 2. 2. qu. 10.*

154 Soli ergo Pontifices vsi sunt hac potestate; sic Leo Magnus, *Epist.93. cap.15.* Sic Nicolaus *ad Consult. Bulgarorum, cap. 103.* vbi generaliter loquitur de libris noxiis, & blasphemis; sic cœteri Pontifices, qui Bullam in Cœna Domini promulgarunt, vsque ad hæc felicia tempora Pontificatus Sanctitatis Vestræ.

155 Imò, vt tradit Baronius *ad annum 496.* qui libros conscriptos vulgaturi erant, omni studio annitebantur, vt probarentur à Romano Pontifice, & quos libros ille prohiberi mandasset, haberentur pro noxiis, & omnino improbandis; sic D. Augustinus opus *contra duas epistolas Pelagianorum* Bonifacio Papæ examinandum, & emendandum direxit: sic opera sua Eulogius Patriarcha Alexandrinus ad Gregorium Magnum; sic D. Anselmus ad Vrbanum Secundum, libros *de Incarnatione*; sic Anastasius Bibliothecarius ad Nicolaum, *vitam* ab eo conscriptam *Sancti Ioannis Eleemosynarij*, & tunc fuisse morem Ecclesiæ testatur Marinus Papa *in Epistola ad Carolum Caluum*.

156 Secundò hac potestas prohibendi libros residet penès Concilium auctoritate Apostolica indictum, & conuocatum, ideò Concilium Nicænum iussit libros Arianorum igni tradi, vt refert Nicephorus *lib.8. cap.18.* Quinta Synodus damnauit Antimum, & eius libros. Sexta Trullana *Can. 63.* generaliter libros impios prohibuit, & Septima Synodus

capitulo tertio, comburi præcepit.

157 Concilium Carthaginense *Quartum*; libros Gentilium confixit, & in Concilio Constantiensi *sess.*8. *&* 15. legimus, libros Ioannis Hus, & Vviclef fuisse igni traditos, & nouissimè per Concilium Tridentinum iussum fuit componi Indicem librorum damnatorum, & damnandorum, *vt in sess.* 2. *&* 4. sub Pio Quarto.

158 Tertiò, potestas hæc residet in Episcopis, qui in eorum Diœcesibus possunt improbatæ lectiones libros prohibere ex ea ratione generali, quod Episcopus potest in sua Diœcesi totum id, quod potest Papa in toto Orbe Christiano, nisi specialiter sit Summo Pontifici reseruatum, Gambar. *de offic. Legati à latere, lib.*10. *numero* 466. *&* 476. Sanchez *de Matrim.lib.*1. *de sponsal. disp.*61. *num.*3. Moneta *de commutat. vlt. volunt. cap.*5. *num.*350.

159 Tùm etiam quia, cum ad Episcopum spectet pascere suos subditos, potest ideò prospicere, ne pascua sint noxia, aut veneno infecta; & ità in puncto tenent Gerson. *d. tract.*1. *de exam. doctrinar. par.*1. *consider.* 1. 2. *&* 3. P. Theophil. Raynaud. *de libris bonis, & malis partit.* 3. *Erotem.*2. *numero* 466.

Hanc autem potestatem non ademisse Summum Pontificem Episcopis clarius *infra* patebit.

160 Cæterum potestas Episcoporum prohibendi libros in eorum Diœcesibus, non est ità latè sumenda, vt assimiletur Summi Pontificis, vel Concilij Oecumenici: Nam si Episcopus vellet prohibere librum de Religione tractantem propositionibus in eo contentis non damnatis ab Ecclesia, & quasi coudere articulum Fidei, hoc facere non posset: quia causa Fidei cum sit toti Ecclesiæ communis non potest per vnius Ecclesiæ Pastorem definiri; sed debet decidi à Summo Pontifice, qui solus habet infallibilem potestatem iudicandi de Fide, & cui soli dictum fuit in persona Petri, *Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat Fides tua*; vt benè ex Alphonso de Castro *aduersus hæreses* ratiocinatur, idem Pater Theophil. *loco citato*.

161 Poterit ergo Episcopus prohibere libros continentes propositiones ab Ecclesia damnatas, & obligare subditos pœnis spiritualibus, & temporalibus, vt illis credant, tanquam definitis per Ecclesiæ caput.

162 Si verò liber contineret propositiones dubias adhuc ab Ecclesia non definitas, non debet Episcopus librum prohibere, donec definitionem à Summo Pontifice expostulauerit, & obtinuerit.

163 At si propositiones essent periculosæ, & Episcopus videret illas non cohærere cum definitionibus Ecclesiæ, vel accedere ad errores damnatos, posset, & prohibere librum, & monere suos subditos, ne assensum præberent huiusmodi doctrinis periculosis, saltem donec à Sede Apostolica aliud sit definitum vt concludit idem Theophil. Raynaudus *loco citato numero* 469.

164 Quoverò ad libros improbatæ lectionis, quorum lectio potest peruertere mores, vel disciplinam Ecclesiasticam, latiorem habent Episcopi potestatem: cum etiam Principes laici prohibere possint libros famosos, obscænos, & seditiosos, & alios huiusmodi, vt patet *ex d. l. cætera, ff. famil. Herciscund. l. vnica, cap. de famos. libell. l. lex Cornelia, §. Si quis librum, ff. de Iniur. l. ob carmen, ff. de Testib.* cum aliis per Ricciull. *de Iure personarum, lib.*5. *caput.*21. *num.*7. & melius *cap.* 22. *num.*2.

Sed quæstionis est, an Episcopus in sua Diœcesi possit prohibere librum impressum in Diœcesi aliena cum approbatione Ordinarij, vel Inquisitoris, vel Romæ cum licentia Magistri Sacri Palatij, vel permissum à Sacra Congregatione Indicis.

165 Et prima fronte potest dici, nullo modo licere Episcopo prohibere in sua Diœcesi librum ab Ordinario, & Inquisitore, siue Magistro Sacri Palatij approbatum, quia cum fuerint in illius impressione obseruata ea omnia, quæ statuta sunt in Concilio Lateranensi sub LeoneDecimo, in Concilio Tridentino, & in Regulis Indicis, poterit certè liber iste sic impressus vbique locorum vendi, & publicari: alias nimis damnosum, & iniuriosum esset Auctori, Impressoribus, & Bibliopolis, si cuiuscumque Episcopi censuram subire tenerentur, & quod semel quasi per sententiam definitum est, alterius arbitrio subiaceret; & de hoc conquesti sunt Impressores, & Bibliopolæ Veneti, quando fuerunt Regulæ Indicis publicatæ, quibus satisfactum fuit de mandato Clementis Octaui, qui regulas illas iussit publicari, vt *infra* videbimus.

Secundò, quia cum teste Synesio opera, quæ ab Auctoribus eduntur, sint veluti eorum mentales fœtus, ac filij: ideò sicuti si filius per sententiam legitimus iudicetur, sententia illa tanquam lata in causa status, debet vbique locorum seruari, cum faciat ius quoad omnes, *l.* 1. *§. fin. ff. de lib. agnoscend.* Alexander post multos, *in l. Sæpè, num.*60. *&* 61. *ff. de re iudic.* Peregr. *de fideicom. art.*53. *num.*44.

Ità in casu nostro, si semel ab vno Episcopo seruata forma à Iure præscripta liber tanquam partus legitimus, & genuinus approbetur, ab alio Episcopo infringi non debet.

166 His tamen non obstantibus in contrarium tenendum est, videlicèt, posse Episcopum prohibere in sua Diœcesi librum in aliena Diœcesi impressum cum licentia, & approbatione Ordinarij, & Inquisitoris, imò ab eadem Sacra Congregatione Indicis permissum, vt clarè apparet ex Regula Indicis 10. §. *Liberum*, vbi habentur hæc verba.

Liberum sit Episcopis, aut Inquisitoribus Generalibus, secundum facultatem quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur prohibere, si hoc in suis Regnis, aut Prouincijs, vel Diœcesibus expedire iudicauerint.

167 In quibus verbis notandnm est, Sacram Congregationem Indicis non tribuere nouam facultatem Episcopis prohibendi libros, etiam à Regulis Indicis permissos, sed excitare iurisdictionem, quam habent, vt etiam permissos prohibere possint, iuxta Tex. *in cap. licet de offic. Ordinar.* Iason. *l. Ius ciuile, num.2. ff. de Iustit. & Iure*, cum alijs per Barbosam *de potestate Episcopi, par.3. allegat.92. num.8.*

168 Patet ergo ex ista Regula, Episcopos habere potestatem ordinariam prohibendi libros etiam à Sacra Indicis Congregatione permissos, si ità in eorum Diœcesibus expedire iudicauerint, & sic multò magis posse prohibere libros ab vno, vel altero Episcopo permissos, & approbatos. Cum illa approbatio non extendatur de rigore vltra Diœcesim Episcopi approbantis, Rota *decis.165. par.4. diuers.*

169 Itaque cum à Regulis Indicis permittantur libri Ethnicorum propter sermonis elegantiam, quamuis obscena tractent: Si Episcopus viderit in sua Diœcesi huiusmodi libros bonos mores corrumpere, proculdubio poterit illos prohibere: Idem dicendum est de alijs in dictis Regulis permissis, qui multi sunt.

170 Fingamus, quod hodiernis temporibus, quibus inter Reges Catholicos bella grassantur Lutetiæ Parisiorum, vel Lugduni, cum approbatione Ordinarij impressus sit liber famosus contra Regem Hispaniarum, ex cuius lectura incitentur subditi ad seditiones; proculdubio licebit Ordinario Mediolanen. Neapolitano, siue Toletano illum prohibere.

Ità è contrario, si liber cudatur Matriti, Neapoli, vel Mediolani cum approbatione Ordinarij, & Inquisitoris, qui deroget famæ Regis Christianissimi, & sit aptus ciere turbas in Gallia, vtique ab Ordinarijs Galliæ poterit prohiberi.

Et hæc quoad mores.

171 Quouerò ad disciplinam Ecclesiasticam, non dubito, quin liber P. Zachariæ Pasqualigi, cui titulus *Praxis Ieiunij*, impressus Romæ cum approbatione Patris Mazzarini tunc temporis Magistri Sacri Palatij, possit prohiberi ab Ordinarijs Status Ecclesiastici in ea parte, in qua putat in Vigilijs de præcepto licitum esse vsum ouorum, & lacticiniorum, etiam stante consuetudine in contrarium, quia ea consuetudo indicta fuit, vt ipse dicit ex deuotione, non autem animo obligandi conscientias.

172 Nam hæc opinio est in Statu Ecclesiastico, scandalosa, & relaxatiua disciplinæ Ecclesiasticæ, quamuis in aliquibus Ciuitatibus Lombardiæ, in Gallia, Germania, & Hispania passim præualeat; & ità de facto Sacra Congregatio Sancti Officij mensibus elapsis iussit Inquisitoribus Veronę, & Taruisij, vt procurarent hanc opinionem à Concionatoribus è suggestu reprobari: & comedentes oua, & lacticinia in vigilijs de præcepto, pœnis Ecclesiasticis coerceri.

173 Pariter si imprimatur cum approbatione alicuius Ordinarij, & Inquisitoris liber, qui contineat aliquas opiniones contra libertatem, & Immunitatem Ecclesiasticam, quamuis opiniones illæ sint aliquorum Canonistarum antiquorum, qui nimium fauent iurisdictioni seculari; certè Episcopus, qui in sua Diœcesi videt huiusmodi librum dare ansam Iudicibus secularibus violandi libertatem Ecclesiasticam, & Rebellibus, & Contumacibus permanendi in eorum contumacia, poterit illum prohibere; sicut accidit de libris Marij Curtellij, *de Prisca, & recenti immunitate Ecclesiæ*, & Petri Gonzalez de Salzedo, *de lege Politica*, impressis Matriti cum approbatione Ordinarij Toletani, qui à nonnullis Episcopis Italiæ fuerunt proscripti, & demum à Sacra Congregatione Indicis.

174 Ritè ergo, & rectè Eminentissimus Card. Archiepiscopus Neapolitanus prohibuit suo peculiari Edicto *Tomum tertium Decisionum* Regentis San-felicis, *& secundum* Hectoris Capicij-latro, quia in illis continebantur plures propositiones contra libertatem Ecclesiasticam, quæ & Moniales Sanctæ Claræ in contumacia constantes reddebant, & scandalo erant viris pijs, & Catholicis.

Eadem ratione rectè inter libros prohibitos connumerauit librum, cui titulus, *Fiume del Terrestre Paradiso*, tanquam iniuriosum in Capuccinorum Religionem.

175 Denique vt afferamus exemplum in his, quæ ad fidem spectant: si in Gallia cum approbatione Ordinarij imprimatur liber, qui doceat, Summum Pontificem non posse definire res Fidei absque Concilio, vel Concilium esse supra Papam: opiniones, quæ vsque ad hæc tempora

in Regno illo à nonnullis Auctoribus diuulgatæ sunt, & vtinam imposterum non diuulgarentur etiam ab Episcopis, vel si quis in lucem daret librum, in quo doceret cum approbatione Ordinarij Iurisdictionem Episcoporum esse de iure Diuino: Proculdubio cum extra Regnum Galliæ opiniones istæ sint temerariæ, erroneæ, hæresi proximæ, & fortasse formaliter hæreticæ, poterunt Ordinarij Italiæ in Diœcesibus huiusmodi libros prohibere.

176 Quod dictum est de Episcopis, idem dicendū est de Inquisitoribus, quia in hoc æqualem habent potestatem, cum enim Hæreticos punire possint, & inter pœnas Hæreticorum sit eorum librorum prohibitio, vt dictum est, meritò tales libros prohibere poterunt, quod pro certo supponit Regula Indicis 10. *in §. supra relato*.

177 Imò idem sentiendum est de Legatis à latere, & de Nuncijs, cum huiusmodi facultate Legati à latere, quia isti in Prouincia, ad quam mittuntur, habent eandem potestatem, quam habent Episcopi illarum Prouinciarum, Anchar. *cap. fin. de Transact. num.* 1. Abb. *cap.* 1. *de offic. Legati*, cum alijs per Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *disp.* 28. *num.* 8. *& lib.* 8. *disp.* 9. *nu.* 25. *& ad Præcep. Decalog. lib.* 4. *cap.* 38. *num.* 3. & dixit Rota coram Caualerio *decis.* 15. *n.* 2. & fortasse maiorem, vt voluit Abb. *cap.* 1. *de offic. Ordinarij*, Rota *decis.* 1. *aliàs* 118. *de offic. Legati*, *in* 6. tenuit Lotther. *de re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 116. Rot. *decis.* 69. *par.* 13. *recent. num.* 5.

178 Nulla autem est differentia inter Legatos à latere, & Nuncios cum facultate Legati à latere, Dec. *cons.* 128. Villadieg. *de Legato, quæst.* 9. *num.* 2. Couarr. *practic. quæst. cap.* 36. cum alijs quos sciens omitto.

179 Nuncij verò, qui sunt meri Oratores, vt Nuncius Franciæ, vel meri Collectores, vt Nuncius Neapoli, huiusmodi facultatem sibi vendicare non possunt, quia ordinariam iurisdictionem non habent in Prouincia; perperam ergo Nuncius olim Neapoli prohibitionem librorum factam à Cardinali Archiepiscopo in Diœcesi Neapolitana, extendit ad totum Regnum Neapolitanum, in quo exceptis negocijs Cameralibus, nullam habet ordinariam iurisdictionem.

Non obstant in contrarium adducta.

180 Non primum, quia approbatio Episcopi, & Inquisitoris non egreditur proprium Territorium, vt dictum est, & quatenus egrederetur non tollit potestatem alteri Episcopo prohibendi librum approbatum, si ità in sua Diœcesi iudicauerit expedire.

Debet enim prospicere suis subditis, ne peruertantur; & ideò quando agitur de solo bono subditorum, non curatur de nota, & damnis, quæ indirectè possunt subsequi ex prohibitione Auctoribus, Impressoribus, & Bibliopolis, vt benè in proposito ratiocinatur Card. de Lugo *de virtute Fidei Diuinæ, disputat.* 21. *sectione* 2. *numero* 26.

181 Non obstat secundum, quia etsi sententia in causa Status faciat ius quoad omnes, hoc tamen procedit, si citati sint ij, de quorum interesse principaliter agitur, vt benè Peregr. *de fideicomm. loco citato*.

At in casu, de quo agitur, tractatur principaliter de interesse Episcoporum, qui tenentur pascere gregem: cum ergo ipsi non fuerint in approbatione libri auditi, dicta approbatio illis non præiudicat.

182 Præterea quando residet in arbitrio Superioris admittere sic legitimum indicatum, sententia super legitimitate non sufficit. Si enim quis vellet ingredi Religionem, in qua non admittuntur illegitimi, & produceret coram Superiore sententiam suæ legitimitatis, Superior non tenetur credere dictæ sententiæ, quæ non facit ius quoad eum, sed potest inuestigare, an ritè, & rectè lata sit, etsi viderit claudicare, potest sic iudicatum legitimum non admittere.

183 Cæterum crederem, saluo tamen Sanctitatis Vestræ sapientissimo iudicio, cui semper humillimè Me submitto, non ità passim, & pro arbitrio posse Episcopos, vel Inquisitores librum ab alio Ordinario, & Inquisitore, siue Magistro Sacri Palatij approbatum, in suis Diœcesibus prohibere, sed ex causa graui, notoria, & quæ prudentum iudicio sit probata.

184 Cum enim res soluantur eodemmet vinculo, quo ligantur, ideò sicuti in approbatione librorum debent Episcopi vti opera virorum spectatæ pietatis, & doctrinæ, de quorum fide, & integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei gloriam spectaturos, & fidelis populi vtilitatem, vt disponit Sacra Congregatio Indicis *tit. de Impress. libror.* §. 5.

Ità è conuerso, quando tractant de prohibendo libro præsertim approbato, qui habet pro se præsumptionem, debent in eius examine viros vt supra doctrina, & pietate, conspicuos adhibere.

185 Et hæc diligentia ille processus est, quem dicebam requiri à Sacra Congregatione Indicis, non quidem processus iudicialis, sed examen extraiudiciale, vt si Auctor, cuius liber iam approbatus contingeret prohiberi, prouocet ad San-

ditatem Vestram, Sacramque Congregationem Inquisitionis, vel Indicis possint Episcopi reddere rationem proscriptionis librorum ab eis factæ.

186 Hinc propterea Clemens Octauus, qui Regulas Indicis publicauit, vt conquæstionibus Impressorum, & Bibliopolarum Venetorum satisfaceret, iussit per Patriarcham, Nuncium, & Inquisitorem Venetiarum Regulam Indicis 10. *in* §. *Liberum*, prout sequitur declarari.

Intorno alla libertà, che vien concessa a' Vescoui, ed Inquisitori di poter proibire altri libri non espressi nell'Indice, si dichiara, che s'intende de' libri contrarij alla Religione, o con false, o con finte licenze stampati; e rarissime volte si darà il caso, ne si farà senza grauissima causa, e con participazione del Sant' Offizio.

Quæ declaratio authentica extat in actis huius Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis.

Cæterum circa prohibitionem librorum latè aliàs disserui in responsione ad Tractatum Fr. Pauli Seruitæ *de Origine Inquisitionis in Statu Venetorum.*

187 Eadem suspicione Inconstantię in fide laborant legentes libros Hæreticorum; Ea enim omnia, quæ de retinentibus dicta sunt, habent locum in legentibus, Simanch. *de Cathol. tit.* 15. *num.* 5. *& tit.* 18. *num.* 23. *&* 24. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *nu.* 18. Et ità expressè cauetur in Decreto Clementis Septimi, & in Constitutione Pij Quarti 24. *Martij* 1564. *Diuini Gregis*, registr. *ante* Indicem *librorum prohibitorum*, Nauarr. *consil.* 5. *de Hæret. num.* 1. Farinacc. qui alios *dicta quæst.* 180. *num.* 8.

188 Et propterea legentes etiam scripturas Hæreticorum siue impressas, siue manuscriptas Inconstantes in fide præsumuntur, Vgolin. *de Censur. par.* 2. *Glos. Ac eorundem libros num.* 2. Farinacc. *d. quæst.* 180. *num.* 30. *&* 31.

189 Defendentes pariter Hæreticorum libros reputantur præsumpti in fide Inconstantes, Duard. *ad Bullam Cœnæ can.* 1. *qu.* 55. *num.* 10. vbi quod tales contrahunt suspicionem hæresis vehementem, aut leuem, secundum qualitatem defensionis, & personarum. Quæ conclusio habet locum siue quis defendat publicè, siue priuatim, siue occultè, Suarez *de Censur. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 10. Duard. *loco cit. num.* 2.

190 Siue rationibus, siue armis, siue alio qaouis modo, ne huiusmodi libri ad manus Inquisitoris deueniant, Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 58. Duard. *loco cit. num.* 3. *&* 4. Farinacc. *quæst.* 180. *num.* 12. Sousa *d. cap.* 21. *num.* 32. *&* 35. Card. de Lugo *de virtute fidei Diuina disp.* 21. *sect.* 2. §. 3. *num.* 94.

191 Siue disputationis gratia illos defendat, quia verba Bullæ sunt generalia, ibi, *quouis quæsito colore*, Vgolin. & Viuald. *relati* à Sanchez *dicto cap.* 10. *nu.* 54. Duard. *loco cit. num.* 6. Bonacin. *de Censur. in Bulla disput.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 4. *num.* 2. Cardin. de Lugo *loco cit.*

192 Imò etsi ad quærendas rationes, quibus conuincantur hæreses, quod videtur mirabile, Sanchez *loco cit.* & alij, *vt supra*, Baldell. *de fide, & infidelit. disp.* 47. *nu.* 19.

193 Multò magis si quis componat Apologiam in eorundem librorum defensionem, Vgolin. Suarez, Sanchez, Bonacin. & Duard. *locis cit.* Quamuis Apologiam non ederet, sed occultè in suo cubiculo conficeret, & retineret, Suarez, & Baldell. *locis citatis.*

194 Imò sola laudatione libri quis redderet se suspectum Inconstantiæ in fide, Vgolin. Duard. *loc. cit.* Sousa *dicto cap.* 21. *num.* 34.

195 Dummodo tenderet ad librum defendendum, ne examinaretur, Sanchez, & Duard. *locis citatis.*

196 Sed si quis diceret tantummodò, se velle defendere, sed paratus ad pugnam non prouocaret contrarium volentes sustinere, an reddatur suspectus, negat Vgolin. Duard. & Baldell. *locis citatis.* Hoc tamen non placet Cardin. de Lugo *dicta disput.* 21. *num.* 99.

197 Cessaret etiam præsumpta Inconstantia in fide, si quod Catholicum est in libris Hæreticorum defendat, non vt contentum in prædictis libris, sed quà in se verum, & Catholicum est, Duard. *loco citato num.* 15.

198 An autem qui apud Sedem Apostolicam consulit, & procurat, ne huiusmodi libri nuper editi prohibeantur à Sacra Congregatione Indicis, vel à Sacra Congregatione Sancti Officij sint præsumpti Inconstantes in fide, Card. de Lugo *loco cit. num.* 100. dicit, hoc non posse fieri sine censura, posse tamen excusari, si quis interrogatus à Summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione responderet, posse ad tempus prohibitionem differri, ac illius libri in Indice appositionem.

199 Sed quicquid sit de interrogatis *vt supra*, vtique si quis priuatus instaret apud Sacram Congregationem, vel Summum Pontificem, ne liber continens hæreses prohiberetur, non video, cur iste non subijciatur pœnis contra defendentes libros Hæreticorum impositis; quia procurare, ne liber talis solita prohibitione notetur, hoc est verè defendere illum; Et sicuti Aduocatus, vel Procurator nulla præcedente licentia Hæretici personam defendere non possunt, ità etiam in hoc casu ratiocinandum videtur.

200 Duplici verò excommunicatione in-

nodantur retinentes, & legentes libros Hæreticorum: Et quidem grauior illa, est, quæ continetur in Bulla Cœnæ *in primo Canone Bulla*, ibi:

Aut eorundem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, vel quomodolibet defendentes ex quauis causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore.

Sanchez *ad præcept. lib. 2. cap. 10. nu. 20.* Vgolin. Duard. & alij, qui super dicta Bulla scripserunt, Farinacc. *quæst. 180. nu. 5.* Carena *par. 2. tit. 10. §. 1.* Sanctarell. *de hæresi cap. 13. dub. unic.* Barbos. *in cap. Fraternitatis num. 5. de Hæret.* vbi plures.

201 Altera verò excommunicatio est lata in Bulla Pij Quarti, *registr. ante* Indicem *librorum prohibitorum*, de qua Layman. *lib. 2. tract. 1. cap. 14.* Reginald. *in prax. lib. 3. cap. 17.* Lupus *in Edicto S. Officij par. 4. lib. 27. art. 1. vers. Altera.*

202 Huic ergò pœnæ subiacent omnes Christifideles siue masculi, siue fœminæ, siue laici, siue Clerici quacunque dignitate fulgeant, veluti Imperator, Reges, Principes, & Dynastæ, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinales; Duard. *ad Bullam d. Canon. 1. quæst. 35. num. 24.* vbi de Regibus, & Imperatore, de Cardinalibus, & Episcopis, Vgolin. *de Censur. par. 2. in Gloss. ac eorundem libros*, Farinacc. *dicta quæst. 180. nu. 11.* Castro-palao *par. 1. tract. 4. disp. 2. punc. 10. §. 3. num. 1.* Sanctarell. *dicto cap. 13. dub. vnic.* Card. de Lugo *d. disp. 21. sect. 2.* Suarez *disput. 21. de Censur. sect. 2. num. 26.*

203 Comprehendere etiam Inquisitores voluere Sanchez *d. cap. 10. num. 45.* Sanctarell. *loco cit. num. 14.* Ricciull. *de iure personarum lib. 5. cap. 25. num. 4.* Barbos. *allegat. 90. num. 8.* Carena *dicta par. 2. tit. 10. num. 13.*

204 Sed certè quoad Episcopos, & Inquisitores reputata fuit in Sacra Congregatione rigorosa nimis hæc opinio. Certum est enim, cum ad Episcopos spectat noscere, quæ sint bona pascua, & quæ noxia, vt possint pascere Gregem sibi creditum, vt notatur per Gloss. *in cap. Episcopus 37. distinct.* ideo debent legere libros Hæreticorum, vt granum excutiant à paleis, & vt zizaniam separent à frumento, zizaniamque, idest errores, damnent, damnatosque prædicent, & bonas sententias sibi retineant, Præposit. *dicto cap. Episcopus num. 5.*

Hinc in Concilio Carthaginen. 4. statutum fuerat, Episcopum debere legere libros Hæreticorum pro necessitate, & tempore:

Pro necessitate, quando necesse est aliquam hæresim impugnare, quod nequaquam benè fieri potest, nisi ipsi libri Hæreticorum legantur, & examinentur, vbi errant, & vbi impugnandi veniunt; vitium enim vitari non potest nisi cognitum; nisi enim Augustinus, & Isidorus legissent Hæreticorum dicta, non excitassent nos, eorum errores cauere, nec ipsi, nec alij Sancti scripsissent contra Hæreticos, nisi eorum dicta perlegissent.

Pro tempore verò, si hæresi vrgente, cum viderint Hæreticos pullulare contra Ecclesiam, & eam molestare, vt dicunt Vgo, Archid. & Turre-cremata *dicto cap. Episcopus num. 6.* Albert. *de agnoscend. qu. 28. num. 4. 5. 6. 7. & 8.*

205 Et propterea, quia infelicissimis his temporibus pullulant hæreses quotidiè, vt visum est in hæresi Iansseniana, & in Sectis, quas parturit Anglia, & Hæretici indesinenter oppugnant Ecclesiam, crederem Episcopos, saltem vbi prædictæ grassantur hæreses, non comprehendi in *Canone 1.* Bulla Cœnæ. Dixi in *Canone 1.* Bullæ Cœnæ, quia certum est, eos comprehendi in prohibitione emanata à Iulio Tertio in sua Constitutione *edita 3. Kalendas Maij 1550. Cum meditatio cordis, registr.* per Pegnam *in fine Director. pag. 148.* Necnon in Constitutione Pauli Quarti, de qua meminit Pius Quartus in sua Constitutione *edita de anno 1564. 24. Martij, Cum pro munere.*

206 Bullæ verò, sine Constitutiones Gregorii Decimiquinti *edita de anno 1623. 30. Decembris*, de qua Peyrin. *Constitut. 9.* Pauli Quinti, & Bariol. *in florib. Inquisit. inter Constitutiones Apostolicas.*

207 Et Vrbani Octaui *dat. 2. Aprilis 1631.* de qua P. Diana *par. 4. pag. 317.* & P. Bordon. *cap. 14. num. 25.* solùm videntur reuocare licentias legendi libros prohibitos, non tamen tollunt facultatem; quæ prouenit à iure ipsis Episcopis, vt *supra* visum est: Et propterea malè dicit P. Bordonus *loco cit. num. 29.* nullo iure probari, Episcopum ex officio posse legere libros prohibitos: non enim vidit dispositionem Concilij Carthaginen. *cap. 16.* registr. *in d. cap. Episcopus, 37. distinct.*

208 Quouero ad Inquisitores certum est in Bulla Iulij Tertij fuisse exceptos, ibi:

Dictis Inquisitoribus, & Commissarijs, vt præfertur exceptis.

Et propterea, nec etiam cadere in prohibitione Bullæ Cœnæ, voluere Pegna *par. 2. comm. 3.* Graff. *decis. par. 1. lib. 4. cap. 18. num. 45.* Duard. *d. Can. 1. quæst. 35. num. 34.* Farinacc. *d. quæst. 180. nu. 43.* Nald. *in Summ. ver. Bulla Cœnæ num. 11.* Carena *dicto tit. 10. num. 12.* Bonacin. *in Bulla Cœnæ to. 3. disp. 1. quæst. 2. pun. 4.* Zanard. *in Director. par. 2. cap. 17. num. 16.* Torre-blanc. *de Magia lib. 3. cap. 15. num. 27.* Sousa *in Bulla Cœnæ dis-*

put. 15. *num.* 5. P. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 46.

209 Appellatione autem Commissariorum veniunt Vicarij Generales, non verò Foranei, quia primi à Suprema vel eliguntur, vel confirmantur; secundi verò arbitrio Inquisitorum eliguntur, vel remouentur, Alter. *de Censur. lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 6. Carena *loco cit. num.* 14.

210 Sciendum tamen est, Inquisitores non posse procedere contra Episcopos retinentes, & legentes libros Hæreticorum inconsulta Sacra Congregatione, vt aduertit P. Diana *loco cit.* nec innitantur auctoritati Canteræ *in quaestion. crimin. cap.* 1. *de Haeret. num.* 64. qui dixit, Episcopum Conquen. fuisse anathematizatum ab Inquisitore Conquen. propter retentionem librorum Hæreticorum, quamuis diceret, eos retinere ex priuilegio Sedis Apostolicæ: Nam pessimè à prædictis Inquisitoribus factum fuit. In hac enim materia semper habenda est ratio qualitatis personæ, & eius dignitatis.

Quoucro ad Cardinales f. m. Clemens Decimus indulsit Cardinalibus Supremis Inquisitoribus, vt libros prohibitos cuiuscunque generis sint, legere possint, sic referente Eminentiss. D. Cardinali Casanata tunc S. Officij Assessore; & hanc licentiam impartitus est Sanctissimus ad tollendos scrupulos.

211 Ipsi verò Hæretici horum librorum compositores hæreticalia continentium, vel de Religione tractantium, dùm eos retinent, & legunt, comprehenduntur sub censura dicti canonis *primi*, Vgolin. *d. Gloss. Et eorum libros*, Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 37. Suarez *dicta disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 26. Card. de Lugo *dicta sect.* 2. *num.* 61. Duard. *loco cit. num.* 28.

212 Legere autem in proposito dicitur, qui librum legere inceperit, licèt Inconstans pœnitentia ductus legere desinat, Vgolin. *loco cit. num.* 1. *vers. Octauo*, Farinac. *dicta quaest.* 180. *num.* 13. Duard. *dicto cap.* 1. *par.* 3. *quaest.* 46. *in princ.* vbi refert, hanc opinionem tenuisse Toletum in quodam scripto *super Bulla Caena*, vt notat Sayr. *de Censur. in Bulla lib.* 3. *to.* 1. *cap.* 5. *nu.* 12.

213 Sed hæc quæstio pendet ab altera, an in hoc detur paruitas materiæ, quam dari communiter tenent Doctores, licet discrepent inter se, quænam dicatur in hac re paruitas materiæ, vt latè per P. Dianam *par.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 42. Card. de Lugo *dicta disp.* 21. *sect.* 2. §. 3. *num.* 82.

214 Hoc totum tamen arbitrio prudentis Confessarij pensandum, ne scilicet adhæreat laxiori opinioni, quam tenet Sanchez *dicto cap.* 10. *num.* 31. nempe paruitatem materiæ dici, quando quis legit folium libri chartæ maioris, multo minus opinioni Croussers *in Regula Sancti Francisci cap.* 7. *lect.* 5. *fol.* 552. asserentis, tantam partem libri legi oportere, quæ per se sumpta verè possit libri nomine censeri, cuius opinionem refellit Fagundez *ad praecept. Decalog. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. qui tamen residet in opinione Sanchez, eamque refellit etiam P. Diana *par.* 6. *tract.* 6. *resol.* 55. *vers. Sed haec opinio.*

Neque strictiori, quæ restringit paruitatem materiæ ad tres, vel quatuor lineas, vel ad summum ad decem, vt Merolla, Graff. & Castro-palao, *allegati* à Card. de Lugo *loco cit. num.* 82.

215 Sed media incedendum est attentis circumstantijs materiæ, libri, & lectoris, vt benè idem Card. de Lugo *d. nu.* 82. *in fin.*

216 Si quis autem legeret paucas lineas libri Hæretici, sciens in illis hæresim contineri, non excusaretur propter paruitatem materiæ, nec ei suffragaretur pœnitentia, Duard. *d. Can.* 1. *quaest.* 46. *num.* 4. Reginald. *to.* 1. *lib.* 9. *cap.* 14. *sect.* 3. *num.* 54. & in hanc opinionem speculatiuè propendit Card. de Lugo *loco cit. num.* 83.

217 Contrarium tamen sentiunt Merolla *to.* 1. *disp.* 1. *cap.* 2. *Corollar.* 7. *difficul.* 3. *nu.* 344. P. Diana *dicta resol.* 42. *vers. Sed hanc*, Card. de Lugo, qui dicit, vtramque opinionem esse probabilem, *loco cit. num.* 83.

218 Pariter non excusabitur propter paruitatem materiæ, qui legit prohemium libri, vel præfationem ad Lectorem, siue Indicem libri, quia plerumque in his explicatur mens Auctoris, Vgolin. *loco cit. num.* 9. *vers. Octauo*, Sanchez *dicto cap.* 10. *num.* 30. Suarez *disput.* 20. *sect.* 2. *num.* 20. Farinacc. *dicta quaest.* 180. *num.* 13. Sousa *in Bulla Caenae dicto cap.* 21. *num.* 14. Bonacin. *in dicta Bulla disp.* 1. *quaest.* 2. *punc.* 4. *num.* 21. *vers. Quarto*, Sanctarell. *dicto cap.* 13. *num.* 2. Card. de Lugo *disp.* 21. *sect.* 2. §. 1. *num.* 60. Sed de hac materia videndus est P. del Bene *disput.* 38. *petit.* 2.

219 Sed an qui oculis tantùm lustrat huiusmodi libros incidat in Bullæ Cœnæ excommunicationem, affirmatiuè resoluendum est, quia verè is dicitur legere etiam sine prolatione verborum, argumento Textus *in l.* 2. §. *Inspectio, ff. quemadmodum Testamenta aperiantur*; Et hanc opinionem tenent Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 41. Suarez *de fide disp.* 20, *sect.* 2. *num.* 18. Graff. *par.* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 45. Farinaccius *d. quaest.* 180. *num.* 5. Duard. *d. can.* 1. *qu.* 35. *num.* 31. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 11. Castro-palao *par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punc.* 10. §. 2. *num.* 2. Sanctarell. *d. cap.* 13. *num.* 6. Flauius Cherubinus *in Bulla* 82. Pij Quarti *Schol.* 2. Card. de Lugo *loco cit. num.* 72. P. del Bene *loco citato petit.* 3.

220 Et quamuis in Bulla Cœnæ dicatur de libris in plurali, nihilominus si quis re-

tineat, legat, defendat, imprimat vnicum librum continentem hæreses, & de Religione tractantem, subiacet excommunicationi dictæ Bullæ, Vgolinus *loco citato*, Farinacc. *quæst.* 180. *num.* 29. Duard. *in Bulla can.* 1. *quæst.* 53. *num.* 1. *& quæst.* 54. *num.* 16.

Imò, & partem libri in Bulla prohibiti, Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 9.

221 Et quamuis liber non esset editus, sed solùm manuscriptus, quia nihilominus ob periculum infectionis sub dispositione Bullæ comprehenditur, Vgolin. *loco cit. vers. Quarto*, Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 28. Suarez *loco citato num.* 10. Farinacc. *dicta quæst.* 180. *num.* 30. Sousa *in Aphorism. d. cap.* 21. *num.* 8. *& in Bulla Cœnæ disp.* 13. *num.* 5. Bonacina *loco citato*, Duard. *loco cit. quæst.* 35. *num.* 32. *& quæst.* 51. *num.* 19. *in fine*, Castro-palao *loco citato punc.* 10. §. 1. *num.* 1. Sanctarell. *loco citato nu.* 6. Cherubin. *Constit.* 77. Pij Quarti *Schol.* 1. Card. de Lugo *disp.* 21. *sect.* 2. §. 1. *num.* 39.

222 An autem appellatione libri contineantur ad effectum, de quo agitur, Oratio, Concio, Epistola, Quæstio alicuius Hæretici hæresim continens, affirmatiuam tenent Vgolin. *loco citato, vers. Nono*, Suarez *disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 10. Farinacc. *quæst.* 180. *num.* 31. Sanctarell. *loco citato num.* 11. Filiucc. *tract.* 16. *cap.* 2. *num.* 45. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 15. *num.* 3. *pag.* 200.

223 Negatiuam tenent Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 29. Duard. *loco citato, quæst.* 44. *nu.* 6. Sousa *d. cap.* 21. *num.* 29. Bonacina *loco cit. disp.* 2. *quæst.* 5. *punc.* 4. Card. de Lugo *loco citato num.* 38. qui dicit, in hoc attendendum esse communem vsum loquendi, an Concio, Quæstio, Epistola, Oratio, appellatione libri contineantur, Fragos. *de Regim. Reipubl. par.* 2. *lib.* 1. *disp.* 3. §. 1. *num.* 38.

224 Cui opinioni libenter me subscribo; nam licèt nonnulli voluerint, prohibitionē hanc esse potiùs fauorabilem, quàm odiosam, & pœnalem, cum sit lata in fauorem fidei, ob id extendendam, vt ratiocinatur Suarez *d. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 10. Sanctarell. *loco citato num.* 13.

Et in hoc casu concurrere rationem legis, quia magnum periculum imminere potest fidelibus ex lectura harum scripturarum, & eò quidem maius, quò latentiùs communicatur, vt dicit idem Suarez *nu.* 10. Baldell. *d. disp.* 45. *num.* 13.

225 Tùm quia Sacra Congregatio Concilij declarauit, sub prohibitone interpretandi Sacram Scripturam cadere interpretationem contra communem sensum Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum, siue sit inserta in volumine aliquo, siue in Epistola, siue in Concione, ità Suarez *loco citato*, Baldell. *loco citato*.

226 Addo cum Bordono *in Tribunali cap.* 14. quod etsi Legislator vsus sit nomine libri, hoc tamen fecit ob frequentiorem vsum hæresum in libris contentarum, non tamen censetur exclusisse Orationes, Conciones, Epistolas, & alia similia minus frequentia, *l. vnic. C. de rapt. Virgin.*

227 Attamen rationes parùm vrgere videntur; Nam ad primam, quod Bulla sit fauorabilis, & propterea possit extendi, vtpotè lata in fauorē fidei, respondet P. Baldell. fauorem hunc esse finem remotum, & secundarium, finem verò proximum ex propria materia, & obiecto, ex quo maximè desumitur species, & natura legis, esse odiosum, cum sit punitiuum, & illatiuum censurarum.

228 Nec secundum de periculo, quod potest insurgere etiam ex lectura Concionis, Epistolæ, &c. quia huic periculo occurritur per Bullam, in qua huiusmodi Conciones, & Epistolæ prohibentur sub pœna excommunicationis.

At excommunicatio lata in Bulla Cœnæ non ligat legentes huiusmodi Conciones, Epistolas, &c. sicuti non ligat legentes alias scripturas, quæ sub nomine librorum non continentur, etiam quod adsit periculum, veluti si quis legit Epigramma, vel carmen Italicum, vulgò dictum *Sonetto*.

229 Declaratio autem Sacræ Congregationis Concilii vim facere non videtur, quia non declarat; An appellatione libri contineatur Concio, vel Epistola, &c. Sed expressè prohibentur ab ea interpretationes Sacræ Scripturæ, siue insertæ sint in libris, siue quoquo modo scriptæ.

230 Et quamuis lex soleat adaptari ad ea, quæ frequentiùs accidunt, & non excludunt alia similia, nihilominus si possit dari diuersa ratio, ea non includuntur sub lege.

Diuersa autem ratio potest adaptari libris, & alijs scripturis priuatis, quia libri ad manus omnium deuenire possunt, & diutiùs asseruantur, vt inquit Baldell. *loco citato, quæst.* 44. *in fine*.

De hac quæstione videndus est P. del Bene *dub.* 37. *per totum*.

231 Plures autem causæ ab hac præsumpta in fide Inconstantia, & censura Bullæ excusant; Et primò si quis legitimam obtinuerit licentiam legendi libros Hæreticorum hæreses continentes, vel de Religione tractantes, Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 5. Card. de Lugo *d. disp.* 21. *sect.* 2. §. 3. *num.* 6.

232 Dixi *legitimam*, quia licèt antiquitùs possent Episcopi in eorum Diœcesibus facultatem, seu licentiam legendi prædictos libros, concedere, ea ratione, quod possit Episcopus in sua Diœcesi totum id, quod

potest

potest Summus Pontifex in toto Orbe, præterquam ea, quæ sibi idem Summus Pontifex reseruauit, Redoan. *de simonia mental. par. 1. cap. 24. num. 1.* Gambarus *de auctoritate Legati à latere lib. 10. num. 466. & 476.* Sanchez, qui plures citat *in tract. de matrim. lib. 1. disp. 61. num. 3.* Moneta *de commut. vltim. volunt. cap. 5. num. 350.*

233 Hanc tamen facultatem sibi demum reseruarunt Summi Pontifices, & per Bullam Cœnæ, & per alias Constitutiones particulares; Ideò Episcopi facultatem hanc ampliùs concedere non possunt, Nauarr. *conf. 1. de Constit. num. 75.* Pegna *par. 2. comment. 3. vers. Nunquid*, Martin. del Rio *disquis. Magic. lib. 5. sect. 17.* Bisfeld. *in l. culpa, C. de malefic. & Mathem. vers. Nec etiam Episcopi*, Azor. *Instit. moral. to. 1. lib. 8. cap. 16. qu. 7.* Sanchez *ad præcepta Decal. lib. 2. cap. 10. nu. 43.* Ricciull. *d. lib. 5. cap. 25. nu. 3.* Alzed. *de præexcellenti Episcoporum dignit. par. 2. cap. 6. nu. 75.* Barbosa *allegat. 90. nu. 7. par. 3. de potest. Episcop.*

234 Ex priuilegio tamen Papæ, vel Supremæ, &c. nonnulli Episcopi habuerunt quandoque facultatem concedendi licentias legendi libros Hæreticorum; Sic enim Cardinali de Harak *sub die 18. Maij 1623.* concessum fuit, vt illam concedere posset tresdecim personis sibi beneuisis; Et *sub die 1. Martij anni 1629.* concessum fuit, vt aliquibus personis eam impertiretur, quibus expedire censuerit, eam concedi posse.

235 Imò & quandoque concessa fuit Generali Societatis Iesu, vt habetur *in eius compendio tit. libri prohibiti §. 1.* Rodriquez *to. 2. quæst. Regul. quæst. 83. art. 3.* Peyrinus *ad Constit. 9.* Pauli Quinti *num. 10.*

236 Quæ tamen facultas demum fuit reuocata, vt dicit Portell. *in dub. Regul. ver. libri num. 3.* P. Lezana *in Summa par. 1. cap. 18. num. 96.* Carena *loco citato vers. Ex quibus Constitut.*

237 Ideò cauendum est à Peyrino *loco cit.* qui dixit, quod non obstante Bulla Gregerij Decimiquinti reuocante licentias, posse Generalem Ordinis Minorum cum consilio Collegarum concedere facultatem suis Fratribus legendi libros hæreticos ad oppugnandum, ex eo, quod Bulla Gregorij reuocat licentias particulares, non autem priuilegia Regularibus concessa; Nam sub nomine licentiæ continetur etiam priuilegium, vt benè in proposito dicit Bordonus *loco citato num. 34. 35. & 36.*

Quod si inspecta Bulla Gregorij adesset aliqua difficultas, in totum sublata est à Bulla Vrbani Octaui, & ità obseruatur; Nam Pater Generalis Societatis Iesu petit à Sacra Congregatione licentiam tenendi, & legendi libros.

238 Difficultas tamen esse posset circa Legatos à latere, & Nuncios Legati à latere facultatem habentes, nam cum in Bulla Cœnæ dicatur *sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes*, non videntur excludi Legati à latere, vel Nuncij tali facultate muniti, nam & isti appellatione Sedis Apostolicæ continentur, Gloss. marginal. *in cap. si Abbatem de elect. in 6.* & ibi Archidiac. & Eranch. Cardinalis *in Clement. 2. de Relig. Domib. in principio*, Graff. *lib. 4. cap. 27. num. 27.* Baldell. *dicta disp. 46. num. 22.*

239 Cæterum dicendum est, non posse Legatos de latere, nec Nuncios cum tali facultate post Bullas Gregorij Decimiquinti, & Vrbani Octaui concedere huiusmodi licentias, non quidem ea ratione, quam affert, P. Baldell. *d. disp. 46. nu. 23. in fine vers.*

Quod si concedatur licentia ab aliquo alio, qui forte veniat appellatione Sedis Apostolicæ, debet etiam approbari à Papa, alioquin non valet, cum in Bulla Cœnæ dicatur *sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ*, quia illa copula, &, cum ponatur in ijs, quæ sunt eiusdem potestatis, resoluitur in *vel*, & sic stat disiunctiuè, Oldrad. *conf. 186. num. 8.* Portoles *de consortibus cap. 1. num. 20.* Bursatt. *conf. 10. num. 20. vol. 1.* Thesaur. *decis. 189. num. 2.*

240 Sed quia verè omnibus sublata est facultas, & solùm delegata fuit Sacræ Congregationi Sancti Officij, ideò priuatiuè quoad omnes censetur ei delegata, Scaccia *de Iudic. lib. 1. cap. 12. num. 51.* Carena *part. 2. titul. 12. numer. 180. vers. Et licèt olim.*

241 Excipè tamen Sacram Congregationem Indicis, & Reuerendiss. Magistrum Sacri Palatij; Nam per particularia Diplomata illa potest concedere licentiam in toto Orbe Christiano, iste autem in Vrbe, & eius districtu.

DIXI *in Vrbe, & eius districtu*, quia licèt vterque Rodriquez, Nauarrus, Azorius, & Naldus relati à P. Thoma del Bene teneant, valere eius licentias etiam extra districtum Vrbis, cum licentia sit personalis, ideò sequatur personam quócunque vadat, Pasqual. ad Lauretum de Franch. *de licentia librorum prohibitorum num. 1578.*

Secundò, quia Magister Sacri Palatij habet hoc priuilegium à Pontifice, & propterea sicut Pontifex, habet auctoritatem concedendi licentias in toto Orbe, ità & qui habet ab eo priuilegium.

242 Tertiò, quia hoc priuilegium est iurisdictionis voluntariæ, sed iurisdictio voluntaria exerceri potest extra proprium Territorium, ergo; Et hanc opinionem tenent, vltra prædictos, Carena *in prax. par. 2. titul. 10. numer. 51.* Bordonus in

Tribunal. capit. 14. num. 43.

243 Sed huiusmodi opinio nullatenus est tenenda, nam contrarium affirmant Suarez *de legibus lib. 8. cap. 26. num. 8.* Portell. *in dubijs Regul. verb. librorum prohibitio nu. 4.* Add. ad Nauarrum *consil. 15. de priuileg. mihi* 6. vbi dicit, illud consilium non fuisse perfectum, nec eo casu censendum est, auctorem residere in opinione vltimo loco relata, quæ erat affirmatiua: Nam cum sententia negatiua sit probabilior, & tutior, forte si perfecisset consilium, adhæsisset opinioni negatiuæ.

Idem tenet Barbosa *de potestate Episcopi alleg. 90. num. 6.* vbi quod solùm in Curia, & non extra Curiam has licentias Magister Sacri Palatij concedit, Lezana *in Summa to. 4. ver. libri num. 28. vers. in Vrbe.*

244 Et ratio est, quia iurisdictio Magistri Sacri Palatij est annexa Territorio, ideò vltra districtum Vrbis non potest extendi, *l. fin. ff. de iurisdictione omnium Iudicum*, & propterea licentiam habens à Magistro Sacri Palatij ligatur Statutis alterius Territorij, Suarez *d. lib. 8. cap. 26. num. 7.*

245 Neque obstat, quòd licentia huiusmodi tanquam personalis personam comitetur quòcunque illa se transferat, quia priuilegium etiam personale cessat, quando concedentis priuilegium iurisdictio est coarctata intra fines Territorij.

246 Sicuti videmus de licentia data ab Episcopo Sacerdoti audiendi Confessiones, quæ licèt sit personalis, non extenditur tamen vltra Diœcesim Episcopi concedentis, quia eius iurisdictio limitata est ad suam Diœcesim, Suarez *loco citato nu. 8.* Portell. *loco citato num. 4. in fine.*

247 Non obstat secundum, quia etsi priuilegium Magistri Sacri Palatij emanet à Summo Pontifice, est tamen restrictum ad Vrbem, & ad eius districtum; Quemadmodum dicimus de priuilegio Legati à latere, quod etsi concessum sit à Pontifice, non extenditur vltra suam Prouinciam, *cap. Officij de offic. Legati in 6.* Suarez *loc. cit. num. 12.*

248 Tertium denique non obstat, quia etsi voluntaria iurisdictio possit exerceri extra Territorium, non potest tamen exerceri nisi in personas Territorij, & dum sunt in Territorio, vt notant Doctores *in cap. Nouit, de offic. Legati, & in l. fin. ff. de Iurisdict. omnium Iudicum.*

249 Ideò cauendum est à P. Thoma del Bene, qui *in tract. de offic. Sanctæ Inquisitionis par. 1. dub. 46. petit. 23. num. 9. & 10.* tenet contrariam opinionem; subiungens, quod habens licentiam legendi libros prohibitos, videlicet ab Inquisitoribus Siciliæ, & Lusitaniæ, possit legere in alijs locis, vel Regnis, vbi fuerint prohibiti.

250 Quia eius opinio quoad hoc est in indiuiduo reprobata à Suarez *d. cap. 26. num. 8.* & benè respondet ad rationes allegatas pro contraria opinione ab Azorio *Institut. moral. parte 1. libr. 5. capit. 23. quæst. 6.*

251 Nempe, quod qui habet licentiam peccata confitendi, potest confiteri extra Diœcesim, & Parochiam concedentis.

252 Et cui data est facultas dandi operam litteris, licet studere extra Diœcesim eius, qui concedit.

253 Et qui habet facultatem comedendi oua, & lacticinia in diebus prohibitis, potest ea vti extra Territorium concedentis: Vnde quando casus occurrerit, videndus est, quia more suo doctissimo distinguit, & resoluit.

254 Explodenda est etiam opinio Bordoni *d. cap. 14. num. 33. vers. Secundo in fine*, dicentis, quod delegatio huiusmodi facta ab Vrbano Octauo Congregationi Sancti Officij, debet intelligi de licentia librorum non contentorum in Bulla Cœnæ, quia clara sunt verba eiusdem Bullæ, ibi,

Ob hæresim, vel falsi Dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones Apostolicas, vel aliàs quomodolibet prohibitos.

Et ità obseruantia interpretata est, quia Suprema, &c. dat licentias legendi tam libros extra Bullam, quàm in Bulla contentos.

255 Hodie ergo solus Summus Pontifex, Suprema Sancti Officij, & Sacra Congregatio Indicis concedere possunt licentias legendi libros prohibitos, vt cauetur in Bullis Pij Quarti, Gregorij Decimiquinti, & Vrbani Octaui.

256 Summus Pontifex quidem liberè, & illimitatè, Sacræ verò Congregationes limitatè: Nam Suprema, &c. non solet concedere licentias generales, sed si petantur, rescribit *Exprimantur libri*, & hoc seruat præsertim in Italia.

257 Et quamuis extra Italiam concedat licentias Generales, has concedit de mandato speciali Summi Pontificis: Nam in Congregatione Sancti Officij, quæ habetur die Iouis, coram Sanctitate Sua leguntur supplices libelli illorum, qui illas petunt, & si Sanctissimus annuat, Eminentissimi Domini Cardinales Supremi Inquisitores Bullas, seu Breuia dictarum licentiarum subsignant, & expediunt.

258 Secundò non solet concedere licentias perpetuas, sed ad tempus, hoc est, ad triennium, quinquennium, vel decennium, quæ tamen facili negotio renouantur, & protrahuntur.

259 Tertiò excipit libros Caroli Molinæi peculiari Constitutione Clementis Octaui damnatos, licèt quandoque in Gallia sue-

rit data licentia probis viris legendi eius Glossam Parisiensem.

260 Quartò, opera Nicolai Macchiauelli, & libros Astrologiæ Iudiciariæ ex dicto Decreto sanctæ memoriæ Vrbani Octaui, quæ exceptio apponitur in omnibus licentijs etiam quæ conceduntur Missionariis ad partes Infidelium, Schismaticorum, & Hæreticorum.

261 Quintò apponitur clausula, quod explero tempore concessionis, libri prohibiti consignentur vel Episcopo, vel Inquisitori, vt ex Decreto *sub die* 11. *Februarij* 1623. Sed credo, quod hoc non obseruetur, cum ferè semper prorogentur licentiæ.

262 Sed hic annectere volui declarationem, quam fecit sanctæ memor. Vrbanus Octauus *die* 30.*Octobris* 1631. Quam refert P. del Bene *loco citato num.* 1.

Sanctissimus Dominus Noster declarauit, fuæ intentionis fuisse, & esse, vt in suo robore maneant omnes, & singulæ facultates Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium generalium Inquisitorum, tam quoscunque libros prohibitos impressos, vel manuscriptos, & quascunque scripturas similiter prohibitas legendi, & retinendi, quàm licentias, vt huiusmodi libri ab alijs legantur, & retineantur in Congregatione, vt moris est, concedendi.

Non intendit pariter Sanctitas Sua abrogare facultatem, quam circa huiusmodi licentias concedendas habet Sacra Congregatio Indicis librorum prohibitorum, necnon quæ Magistro Sacri Palatij à Sede Apostolica attributa reperitur, cum limitatione tamen, quæ à Sacra Congregatione Sancti Officij emanauit die 19. Ianuarij 1623.

Neque reuocare priuilegia Inquisitorum, & Commissariorum Hæreticæ prauitatis à Sancta Sede Apostolica deputatorum, neque quæ Consultoribus, & Officialibus huius Sanctæ, & Vniuersalis Inquisitionis à diuersis Summis Pontificibus concessa fuerunt, quæ denuò, quatenus opus sit, confirmat.

Nec etiam abolere licentias, huiusmodi libros prohibitos legendi, & retinendi, personis vltramontanis in locis, vbi hæreses impunè grassantur, degentibus, à Sede Apostolica hucusque concessas, quibus, personas prædictas, durante tempore concessionis vti posse voluit.

Excipit tamen Sanctitas Sua ab hac declaratione omnes, & quoscunque libros, qui contra Religionem Catholicam ex professò tractant; Necnon libros Nicolai Macchiauelli, & Caroli Molinæi, necnon eos, qui de Astrologia Iudiciaria principaliter, vel incidenter tractant, etiamsi illa, quæ in eis continentur, non certò euentura asserantur: Quos omnes libros, tam à personis prædictis, quàm alijs quibuscunque quamuis etiam Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, necnon Collegijs Ecclesiasticis, vel secularibus, Religionibus, Societatibus, Vniuersitatibus, Communitatibus, etiam speciali nota, & mentione dignis, quæ hic pro expressis haberi voluit, tam in Italia, quàm extra eam, etiam vbi hæreses impunè grassantur, & alibi vbicunque existentibus, legi, aut publicè, vel priuatim, etiam in Bibliothecis retineri omnino prohibet.

Statuitque Congregationibus, alijsque supradictis, necnon Apostolicæ Sedis Nuncijs, aut Legatis etiam de latere, vel quibuscunque alijs quacunque auctoritate, & facultate, etiam Sedis Apostolicæ suffultis, non licere huiusmodi licentias de cætero concedere, & hactenus ab eis concessas reuocat, & annullat, & nemini cuiuscunque dignitatis, aut conditionis sit, suffragari decernit.

Declarat insuper Sanctitas Sua in quacunque licentia quantumuis Generali, etiam à Sanctitate Sua, & à Sede Apostolica hactenus emanata, vel imposterum emananda, libros prædictos minimè comprehendi, neque illos prætextu cuiuscunque licentiæ, aut facultatis, legi, aut retineri posse, nisi in ea specialiter, & indiuiduò, ac nominatim exprimantur; Ipsaque licentia ab ipsamet Sanctitate Sua in Congregatione Sancti Officij, quæ coram ipsa habetur, concessa fuerit vel per litteras Sanctitatis Suæ in forma Breuis, vel Chirographum eius propria manu subscriptum appareat.

263 Hoc tamen Decretum, vt ingenuè fatear, in ea parte, in qua prohibetur concedi licentias, executioni non fuit demandatum; Nam tam à S. Congregatione Sancti Officij, quàm Indicis, imò à Magistro Sacri Palatii concessæ fuerunt semper licentiæ legendi libros prohibitos etiam de Religione principaliter tractantes varijs tam laicis, quàm Ecclesiasticis, iis præsertim, qui aduersus Hæreticos scribere velle asserebant; Sicuti etiam Episcopis, & alijs Canonistis, & Theologis insignioribus.

Verum est, quod nunquam, vel rarò à Sacra Congregatione Sancti Officij concessa fuit facultas tenendi, & legendi opera Nicolai Macchiauelli, Caroli Molinæi, & libros de Astrologia Iudiciaria tractantes, & si quandoque, solùm in foro conscientiæ concessa fuit nonnullis Nobilibus viris libros Nicolai Macchiauelli, nunquam tamen libros Caroli Molinæi, & de Astrologia tractantes.

Sed cum *de anno* 1666. fuisset reuocatum in dubium, an Decretum huiusmodi esset obseruandum, consulto Sanctissimo, Sanctitas Sua mandauit Assessori S. Officij, vt publicaret mentem Sanctitatis Suæ, vt obseruaretur,

264 Cæterum cum in Congregatione Supremæ, &c. orta esset difficultas, an Decretum hoc respectu lectionis, & retentionis librorum prohibitorum comprehenderet Cardinales Supremos Inquisitores.

265 Dixi Ego non comprehendere, quia Inquisitores generales non habent facultatem legendi, & retinendi libros prohibitos ex priuilegio, sed ratione muneris iniuncti, vt constat ex Bulla Pii Quarti 82. *Cum inter crimina 2. tom.* Bullarij.

266 Et propterea cum prohibitio non comprehendat eos, qui ratione muneris debent vti re prohibita, vt ex Iustiniano *Nouell.* 17. *de mandatis Principum*, §. *fin.* tenet Sextinus *de Regalibus lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 15. & per ea, quæ tradunt Farinaccius *quæst.* 108. *num.* 99. & per eum allegati, dicendum est, hoc Decretum non comprehendere Cardinales Supremos, & Generales Inquisitores.

267 Quando verò conceduntur licentiæ pro locis, in quibus impunè grassantur hæreses, non comprehenduntur Ducatus Bauariæ, nec Burgundiæ Comitatus, vt fuit resolutum *sub die* 17. *Aprilis*, & 15. *Maij* 1614.

268 Solet etiam Suprema, &c. concedere facultatem alicui Inquisitori impertiendi huiusmodi licentias; Sic eam concessit Cardinali Zappatæ Inquisitori maiori in Regnis Hispaniarum, vt viris piis, & doctis ad effectum confutandi hæreses, licentiam concederet retinendi, & legendi libros Hæreticorum ad certum tempus, iniuncto iis, vt ostendant eorum opera, & si in illis solidè, & doctè hæreses non confutent dictam licentiam adimat, & nullam declaret; Vt ex Decreto *die* 25. *Nouembris* 1627. Sed huiusmodi facultas, instante eodem Cardinale Zappata, fuit ei postea reuocata.

269 Nunciis etiam Sedis Apostolicæ Sanctissimus in Sacra Congregatione concedit quandoque facultatem concedendi licentiam personis doctis legendi libros prohibitos etiam Hæreticorum hæreses continentium, ad effectum illas confutandi; sic Nuncio apud Cæsarem; vt ex Decreto *sub die* 24. *Martij* 1629. Quæ facultas fuit extensa etiam ad effectum non confutandi, vt *sub die* 2. *Iunij* 1629.

Eadem concessa fuit Cardin. Melchiore Clessellio *sub die* 7. *Iunij* 1629.

270 Hic etiam in Vrbe, vel in Italia, quando quis petit licentiam legendi libros prohibitos Hæreticorum ad effectum illos confutandi, solet rescribi, vt ostendat, si quæ hactenus scripsit, & quæ in dies conscribit, alicui ex Cardinalibus, vel Qualificatoribus Supremę, vt videatur an expediat, vt opus prosequatur.

271 In Hispania, & Lusitania non solent concedi licentię legendi libros prohibitos, nisi viris doctissimis, & eruditissimis, & parcè quidem.

272 Et quamuis Inquisitores, & Episcopi vigore *reg.* 22. *Indicis* possent concedere licentiam legendi libros prohibitos de Religione non tractantes, & hęreses non continentes, Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 6. *qu.* 12. Alter. *de censur. disp.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. Fragos. *de Regim. Reipub. par.* 2. *lib.* 1. *disp.* 3. *nu.* 37. *verf. Et quamuis*; Hodie tamen stantibus Constitutionibus Apostolicis prędictis, nullatenus dicta facultate vti possunt.

273 Ideo vana est etiam hodie disputatio quæstionis, an Sede vacante possit Collegium Cardinalium concedere licentiam legendi libros prohibitos; De qua re Vgolin. *d. verf. Ac eorundem libros*, §. 1. *nu.* 1. *verf. Secundo*, Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 44. Suarez *d. sect.* 2. *num.* 17. Pueron. *in Bulla Cœnæ can.* 1. *num.* 197. Duard. *dicto can.* 1. *quæst.* 52. *num.* 4. Carena *d. tit.* 10. *num.* 9. Baldell. *disput.* 46. *num.* 21. Fragos. *loco cit. num.* 31. *verf. Quin potiùs*, Card. de Lugo *disp.* 21. *sect.* 2. §. 2. *num.* 71. Bordon. *in Tribunal d. cap.* 14. *num.* 33. *verf. Secundo*: Qui omnes asserunt nullo modo posse Sede vacante Collegium Cardinalium concedere licentiam legendi libros prohibitos, obstante etiam Textu *in cap. Vbi periculum de Elect. in* 6.

274 Et licèt aliqui ex supradictis Doctoribus teneant id non procedere, si maxima necessitas vrgeat, quam tamen moraliter non posse contingere asserit Card. de Lugo *loco citato*.

Hodie tamen post delegationem factam Congregationi Sancti Officij, cuius iurisdictio, licèt quoad Cardinales sileat, cum tamen ex speciali rescripto Summorum Pontificum penès P. Commissarium eiusdem Sacræ Congregationis resideat, non esset fortasse inconueniens dicere, quod ad illum spectaret huiusmodi licentiam concedere, si necessitas magna vrgeret.

275 Secunda excusatio est, si quis non scienter, sed ignoranter retinuerit, legerit, vel defenderit libros prædictos, Vgolin. à Sanchez *loco citato nu.* 37. Suarez *d. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 17. Duard. *quæst.* 51. *num.* 29. & *quæst.* 55. *num.* 10. Sousa *in Aphorism. d. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 23. Farinaccius *d. quæst.* 180. §. 1. *nu.* 45. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 2. *punc.* 4. *num.* 8. Sanctarell. *d. cap.* 13. *num.* 15. Cardinalis de Lugo *disp.* 21. *sect.* 2. §. 4. *num.* 10. Baldell. *dicta disp.* 46. *num.* 24.

276 Quod in tantum verum est, vt sufficiat, quod quis ignoret librum esse Auctoris Hæretici, licèt sciat continere hæresim, vel ex professo tractare de Religione, vel è contra; Sanchez *d. cap.* 10. *n.* 39. Baldell. & alii *supra citati*.

277 Si tamen quis sciret librum continere hæresim, vel de Religione tractare, & Auctorem esse hæreticum, licèt nomen Auctoris ignoraret, non excusaretur à

censura, Sanchez, Card. de Lugo, & Baldell. *locis citatis*.

278 Cęterum quæ ignorantia sufficiat non conueniunt inter se Doctores; sed cum hæc sit ignorantia facti, videtur excusare quando est probabilis iuxta Textus *in cap. Ignorantia, de reg. iuris in 6. l. Regula, ff. de iuris, & facti ignor.* cum alijs per Sanctarell. *d. cap.* 13. *num.* 15. & ità tenet Reginald. *in praxi lib.* 9. *num.* 254. Alter. *de censur. lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 6. *dub.* 4. *pag.* 471.

279 Suarez verò *disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 17. dicit, sufficere ignorantiam crassam, & supinam, dummodò non sit affectata, quia quādo lex imponit pœnam crimini scienter commisso ad eam euitandam, sufficit omnis verus defectus scientiæ, qualis ex ignorantia crassa, & supina dimanat, Suarez sequitur Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. *num.* 4. §. 3.

280 Affectata verò cum æquiparetur sciētiæ, *cap. Eos, qui de temp. ordinat. in* 6. vbi Gloss. *in ver. Scienter*, non excusat, vt ex multis P. Diana *par.* 3. *tract.* 6. *Miscell. resolut.* 7. *in princ.* Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 40.

281 At Sanchez sibi contrarius, vt dicit Card. de Lugo *loco cit. num.* 102. vel saltem vt dicit P. Diana *loco cit.* se retractans, & Inconstans *in d. cap.* 10. *n.* 38. sustinet, ignorantiam etiam affectatam excusare, dummodò non sit coniuncta cum magna temeritate; & eum sequuntur Bonacin. *loco cit. punc.* 4. *num.* 8. Filiucc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 7. *num.* 205. Et hanc non minus probabilem vocat P. Diana *d. resolut.* 7. & eam tenet Hurtad. *de Censur. in communi, diff.* 21. *num.* 92. quem refert P. Diana *par.* 5. *tract.* 9. *de Excommun. resolut.* 17. Castro-palao Inconstantiæ notatus à Card. de Lugo *loco cit. num.* 103. *tract.* 4. *disp.* 2. *punc.* 10. §. 2. *num.* 1.

282 Tu teneas, quod si ignorantia est solum affectata habeat locum opinio P. Sanchez, & sequacium; si autem affectatio coniuncta sit magnæ temeritati, tunc verior sit opinio Suarez, vt benè distinguit P. Baldell. *loco cit. num.* 25. *vers. Sed fortasse*, Card. de Lugo *loco cit. num.* 104.

283 Quando autem dicatur ignorantia solummodò affectata, & quando coniuncta magnæ temeritati declarat P. Baldell. *loco citato in fine*.

284 Tertia excusatio est, si liber, qui retinetur, legitur, vel defenditur, esset quidem Auctoris Hæretici, sed hæresim non contineret, vel de Religione ex professo tractaret, Auctor verò non esset Hæreticus, Sayr. *de Censur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 12. Layman. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. Bonacin. *disp.* 1. *Bullæ, quæst.* 2. *par.* 4. *proposit.* 2. Megalius *lib.* 3. *de Censur. quæst.* 3. *à num.* 34. Bordon. *d. cap.* 14. *num.* 57. Suarez, Sanchez, Card. de Lugo, Baldell. & alij *supra citati*, Bauni *in Bulla Cænæ, quæstione* 1. *pag.* 300.

285 Infertur primò, non includi in hac excommunicatione legentem, retinentem, vel defendentem libros Infidelium continentes errores contra Fidem, Vgolin. *loco cit. ver. Ac eorundem*, §. 1. *num.* 3. Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 22. Bonacin. *loco cit. num.* 21. §. 3. Layman. *d. cap.* 14. *num.* 3. Bordon. *d. cap.* 14. *num.* 68. Suarez *d. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 11. Baldell. *quæst.* 45. *num.* 15. Bauni *loco cit. vers. Quare qui libros*, Card. de Lugo *d. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 41. Qui benè declarat, hoc procedere in libro Infidelis nunquam baptizati, secùs si baptizatus apostatasset à Fide; nam & iste sub nomine Hæreticorum continetur; Sic Suarez *loco cit. num.* 11.

286 Quamuis ex nimia, assidua, indiscreta, & incauta librorum Infidelium lectione, præsertim si à teneris annis quis eorum lustrationi incumbat oriri hæreses, & errores, latissimè probat Alphonsf. de Castro *de Iusta, &c. lib.* 3. *cap.* 8. *per tot.* vbi in fine dicit, Philippum Melanctonem, & Erasmum Roterodamum à prædictis libris eorum hæreses habuisse, Pomponium Lætum, Domitium Calderinum, Codrum Vrceum à pueritia in libris Gentilium versatos in suspicionem hæresis incidisse; & propterea semper cautè legendi sunt, & quod rectè dixerint, tanquam ab iniustis possessoribus in nostrum vsum vindicandum, dixit Augustinus *lib.* 2. *de Doctrina Christiana, cap.* 40. & est Text. *in cap. Turbat, cum sequentibus* 37. *distinct.* Nicephor. *Histor. lib.* 10. *cap.* 26. Torre-blanca *in Epitome delict. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 21.

287 Idem dicendum est de legentibus libros Iudæorum, quia non cadunt sub censura Bullæ Cœnæ; sic ferè omnes Doctores supra citati, Fragos. *d. disp.* 3. *n.* 33. *vers. Excusantur*.

288 Hebræi enim quamuis sentiant contra Euangelium, non dicuntur propriè Hæretici, vt ex Farinacc. idem Fragos. *loco citato*.

289 Sed quia incidit sermo de libris Iudæorum sciendum est, Hebræos habere plures libros, in quibus deprauatur vetus sensus Scripturæ legis veteris, & continentur plures blasphemiæ, & contumeliæ contra Deum, Sanctissimam Trinitatem, Saluatorem Dominum Iesum Christum, eiusque Fidem, Gloriosam semper Virginem Mariam, Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, aliosque Sanctos Dei, Sanctissimam Crucem, Sacramenta nouæ legis, sacras Imagines, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sedem Apostolicam, & Christifideles, ac contra nuper ad Christi fidem conuersos, &

Neophytos, & tandem contra Religionem Catholicam, vt enarrat Clemens Octauus *sua Constitutione* 20. *Cum Hebræorum malitia*, *edita anno* 1593.

290 Sed inter cæteros, impium illum librum, quem *Thalmud* vocant, in quo plures hæreses scatent aduersus Diuinæ Maiestatis celsitudinem, Sanctos veteris Testamenti, legem Moysis, charitatem, & humanitatem, de quibus per Sixtum Senensem *in sua Bibliotheca lib.* 2. *post verb. Traditiones.*

291 Hæc autem vox *Thalmud* secundum Marquard. *de Iudæis*, 3. *par. cap.* 1. *nu.* 48. *vers. Qui tamen*, nil aliud significat, quam explicationem *Misni*, seu *Misnine* eorum, siue leges oretenus traditæ, quam ipsi appellabant secundam legem continentem traditiones Pharisæorum, quam Christus Dominus vocat *Fermentum Pharisæorum*, eo quod corrumpit intelligentiam Legis, & Prophetarum, quod etiam ex Rabinis docuit Iosephus de Voisin. *in prohemio Pugionis Fidei*, *pag. mihi* 58.

292 Secundum verò Decianum *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 3 est vox, quæ latinè reddita dici potest *Disciplina*, vel *Doctrina*: In eo libro collecta sunt omnia Decreta Magistrorum suorum, quos *Rabinos* vocant, & habentur omnes traditiones eorum, & Diuinarum, atque humanarum legum interpretationes, quibus nunc tota Iudæorum natio regitur. Innocentius Quartus *in sua Constitutione edita de anno* 1243. *Impia Iudæorum*, vocat *Thalmud* librum traditionum, qui magnus liber est apud Iudæos, excedens Textum Bibliæ in immensum, in quo sunt blasphemiæ in Deum, & Christum eius, ac Beatam Virginem, manifestæ intricabiles fabulæ, abusiones erroneæ, ac stultitiæ inauditæ, in quibus filios eorum nutriunt, & docent, vt eos auertant à cognitione veræ Fidei.

293 Voisin. *loco cit. pag.* 60. vocat *Thalmud Kabala*, quæ nihil aliud significat, quam concatenationem rerum creatarum cum causa prima, quæ tamen pars est ipsius *Thalmud*, vt ipse ait.

294 Corruptas fuisse traditiones antiquas in *Thalmud*, in odium Christianæ Religionis, certum est; Ipsam enim videbant per vniuersum Orbem regnare, & triumphare, Imperatoribus Christianam Fidem profitentibus, ipsis interim Iudæis exulantibus, & incerti vbique laris, sine Rege, sine lege, sine sacerdotio, sine sacrificio, sine Propheta, vt testatur idem Voisin. *loco cit. pag.* 65.

295 Duplex verò fuit *Thalmud*, alterum Hierosolymitanum, alterum Babilonicum nuncupatum.

296 De quo tempore fuerit vtrumque conditum, & euulgatum, & à quibus Auctoribus conscriptum, videndi sunt ex nostris Decian. *loco cit. num.* 3. Cherubinus *super Constit.* 20. Clementis Octaui, sed melius omnium Voisin. *in prohemio Pugionis Fidei*, *pag.* 57.

297 Ex quo igitur in d. *Thalmud* Hierosolymitano, & Babilonico, non tantum hæreses in vetus Testamentum, & legem Moysis, sed etiam blasphemiæ in Christum continebantur.

298 Primò Gregorius Nonus Summus Pontifex, *anno Domini* 1230. omnia dicta volumina flammis adiudicauit, vt testantur Hostien. & Io: Andreas *in cap. Quod super his de voto*, Felin. *in cap.* 1. *de Constit. num.* 78. Anchar. *in cap. Ea quæ*, *num.* 13. *vers. Sexto quæro*, *de reg. iur. in* 6. Decian. *loco cit. num.* 3. Marquard. *loco cit. num.* 2. Pegna *par.* 2. *comm.* 71. *littera C*, qui hanc historiam ex Bernardo Lutzemb *in Cathalogo Hæreticorum*, *ver. Iudæi* refert.

299 Successiuè Innocentius Quartus *sua Constitutione*, *Impia Iudæorum*, post approbatam combustionem dicti libri *Thalmud*, & aliorum librorum Iudaicæ perfidiæ factam à Cancellario Parisien. hortatur Regem Christianissimum, vt per totum suum Regnum mandet, & *Thalmud*, & alios libros Iudæorum reprobatos igne cremari.

300 Clemens Quartus, Honorius Quartus, Ioannes Vigesimussecundus, Iulius Tertius, siue Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Generalium Inquisitorum sub eodem Iulio Tertio, mandauit perquiri in domibus Hebræorum Vrbis omnes libros *Thalmud* appellatos, & per viros Hæbraicam linguam callentes reuolui, & omnia hæreticalia dogmata, quibus respersi reperientur, in vnum colligi, & adnotari, & per Theologos auditis Rabinis discuti, & examinari: Et quia inuenti sunt repleti blasphemiis contra Deum, legem Moysis, & aduersus naturæ, & honestatis leges, ea concedi, quæ humanæ aures audire perhorrescunt, Diuinum cultum Nenis, fabulis, & superstitionibus obuolui, & obscurari; in Iesum Christum, & ipsius Euangelium improperia, contumelias, & blasphemias irrogari; ideò demandatum fuit, illos in Acie Campi-floræ publicè comburi; & Principibus Christianis, & Inquisitoribus, vt eos in domibus Hebræorum inuentos publicè cremari faciant, nec permittant legi, imprimi, *vt in Decreto registr.* per Pegnam *inter litteras Apostolicas fol.* 154.

Idem Iulius Tertius *sua Constitutione* 24. *Cum sicut*, edita *anno* 1554. statuit, vt elapsis quatuor mensibus, à die notificationis, & intimationis dictæ Constitutionis, procedatur ad pœnas pecuniarias, confisca-

tionis bonorum, & etiam vltimi supplicij, contra Hæbreos retinentes huiusmodi libros, quod etiam statuit Paulus Quartus.

301 Gregorius verò Decimustertius sua Bulla, *Antiqua Iudæorum perfidia*, vetuit, ne Hebræi possint retinere libros hæreticos Thalmudicos, aut alios quomodolibet damnatos custodire, diuulgare, in quæcunque loca deferre, aut etiam ad operam suam accommodare, voluitque posse per Inquisitores hæreticæ prauitatis puniri.

302 Tandem Clemens Octauus *sua Constitutione* 20. innouauit supradictas Constitutiones, ac vetuit Hebræis: ne libros, & codices impios Thalmudicos sæpè damnatos vanissimos, Cabalisticos, atque alios nefarios à suis prædecessoribus prohibitos, & condemnatos, necnon opera, commentaria, tractatus, volumina, & scripta quæcunque, tam lingua Hæbraica, quàm quauis alia hactenùs conscripta, aut versa, edita, & impressa, & imposterum conscribenda, vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia tacitè, vel expresse hæreses, vel errores contra sacras veteris legis, & Testamenti scripturas, necnon contumelias, impietates, blasphemias contra Deum, Sanctissimam Trinitatem, Saluatorem Dominum Nostrum Iesum Christum, eiusque sanctam Christianam fidem, ac Beatissimam ipsius Genetricem semper Virginem MARIAM, Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, aliosque Sanctos Dei, Sanctissimam Crucem, Sacramenta nouæ legis, sacras Imagines, & Sanctam Catholicam Ecclesiam, Sedem Apostolicam, & contra Christifideles, præsertim Episcopos, Sacerdotes, & alias Ecclesiasticas personas, atque etiam contra nuper ad eiusdem Christifidem conuersos, & Neophytos, & aliàs contra Religionem Catholicam, vel in quibus etiam impudicæ, & obscenæ narrationes memorantur, etiam sub prætextu, quod expurgata fuerint, vel donec expurgentur, siue quod de nouo typis excusa fuerint mutatis nominibus, vel etiam sub obtentu, seu tolerantia, aut permissione, vt prætendunt, Secretarij, aut cuiusuis personæ Sacri Concilij Tridentini, aut Indicis librorum prohibitorum per Pium Quartum editi, vel cuiusuis Indulti Apostolici, aut licentiæ per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam Legatos, aut Cameram, seu Cameram Apostolicam, vel Nuncios, etiam cum potestate Legati à latere, aut locorum Ordinarios, seu Inquisitores hæreticæ prauitatis forsan quomodolibet concessæ, aut alio quæsito colore legere, habere, vel retinere, emere, vel vendere, aut euulgare vllo modo audeant, & præsumant.

303 Reuocat insuper omnes facultates, licentias, permissiones, indulta, tolerantias legendi, tenendi etiam ad tempus certum, vel incertum, vel ad effectum &c. vel sub similibus, & aliis prætextibus concessas Iudæis à Prædecessoribus suis, Sede Apostolica, Legatis etiam de latere, Nuncijs, Inquisitoribus, locorum Ordinarijs, vel quauis alia dignitate, etiam Cardinalatus fulgentibus, à Camerario, siue Camera Apostolica.

304 Inhibet, ne huiusmodi licentiæ concedantur, & mandat, vt prædictos libros intra decem dies Romæ Officio Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis; extra Vrbem, intra duos menses à die publicationis consignent locorum Ordinarijs, vel Inquisitoribus; & à prædictis nullo alio expectato Pontificis mandato, comburantur: Pœnas adijcit, tùm Iudæis, quàm quibusuis Typographis, Mercatoribus, & alijs Christifidelibus, amissionis librorum, confiscationis bonorum, & pœnas etiam temporales grauiores, & quoad Christianos excommunicationis maioris latæ sententiæ, eo ipso incurrendæ, & prout latiùs in dicta Constitutione.

Decreta verò, quæ habentur in Sacra Congregatione contra *Thalmud*, & libros Hebræorum sunt infrascripta:

305 *Die vltima Augusti, & 7. Septembris* 1553. Decretum, vt publicè in Acie Campi-floræ comburantur. Magister Sacri Palatij scribat ad Duces Venetiarum, Ferrariæ, Mantuæ, & Florentiæ, vt Brachium Inquisitoribus impertiantur pro combustione in eorum Dominijs prædictorum librorum. Et quod fiat Edictum contra illorum detentores sub pœna confiscationis bonorum, & quarta detur Delatori, qui tenebitur secretus.

Die 11. Martij Sanctissimus mandauit per omnes Terras auferre libros Hebræorum, præter Bibliam.

306 Cæterùm quia sæpè sæpiùs Hebræi instantiam fecerunt, vt eorum libri corrigerentur, Sacra Congregatio *die 13. Aprilis* 1591. rescripsit Nuncio Taurini, libros Hebræorum non debere expurgari ab Episcopis, vel Inquisitoribus, sed debent inquirere, an Hebræi illos habeant expurgatos; impossibile enim, & ridiculum esse, posse *Thalmud* expurgari, sicuti experimento visum est tempore Sixti Quinti, sed per spatium annorum quadringentorum semper fuisse igni traditum cum alijs Hebræorum libris hæresibus, & erroribus refertis, propterea significet Inquisitori Asten. vt libros Thalmudicos, & alios Hebræorum, si illos resperso erroribus, & hæresibus inueniat, igni tradat; & ità annuente Ducissa Sabaudiæ Infanta Hispaniarum executum fuit.

Die 5. Septembris 1592. scriptum fuit eidem Nuncio, Sanctissimum nolle Hebræos retinere alios libros, quàm Bibliam Sacram, eos tamen non molestet pro libris Grammaticalibus, conniueat, sed non permittat.

Die 26. Aprilis 1596. scriptum Inquisitoribus, quod mens Sanctissimi in nouo Indice non est, vt expurgari possint libri Thalmudici, sed quod damnati remaneant, prout alij libri Hebræorum.

307 *Die* 18. *Maij* 1596. significatum Inquisitori Montis-regalis, nunquam Sanctum Officium permisisse, libros Hebræorum expurgari, nisi ab ipsismet, absque auctoritate Sancti Officij, sed si inueniantur in illis blasphemiæ, sunt comburendi, & ipsi puniendi.

308 Et si quando Inquisitores consenserunt correctioni, vel libris expurgatis subscripserunt, fuerunt à Suprema acriter reprehensi, vt ex Decretis 7. *Iulij* 1596. 12. *Decembris* 1601. 7. *Martij* 1602. 4. *Februarij* 1610. 24. *Iulij* 1612. & 31. *Martij* 1621.

309 Iudæi retinentes libros prohibitos puniantur ab Inquisitoribus, iuxta Constitutionem Clementis Octaui *sub die* 28. *Iunij* 1600. Etiam cum confiscatione bonorum 22. *Martij* 1612. Et præcipuè *Thalmud*, qui corrigi non potest, 7. *Octobris* 1619.

Sed quia habeo instructionem in hac materia factam à doctissimo Viro Cardinali de Cremona, placuit illam huic meo tractatui inserere.

Al Sig. Cardinal Pallotto. Vienna.

310 D*Alla Santità di Nostro Signore, e da questi miei Illustrissimi è stata fatta risflessione in Congregazione del Sant'Offizio intorno à quanto V. S. gli auuisa, della licenza, e libertà, ch'anno li Giudei in coteste Parti circa i loro empij libri, e particolarmente del* Talmud, *che si legge nelle Sinagoghe pubblicamente, e si addottorano in esso i Rabini loro: E si come il negozio è grauissimo pel manifesto pericolo d'infezzione, che corre la purità della Religione Cristiana, così è paruto farle intendere quello, che co' matura consideratione si è stimato necessario per ouuiare a tanto male, e persuadere il rimedio à chi forse non conoscendo il danno, che ne può seguire, importunato da essi Ebrei lo volesse difendere, e non già per riscaldar punto l'animo di Sua M. Cesarea, la quale non riceue dalla propria Pietà, e sapere, se non stimolo di tener purgati i suoi Stati da sì pestifera contagione. Volendo adunque la Maestà Sua, come V. S. Illustrissima scriue, che si vbbidisca alla Bolla di Clemente Ottauo, di santa memoria, sopra detti libri proibiti, sarà necessario attendere prima con ogni studio alla soppressione del* Talmud, *i volumi del quale sono molti, come anco furono molt' i Rabini, che in diuersi tempi lo composero. E se bene (com'è opinione di alcuni) vi fu trà i primi Auttori, chi scrisse dottrina buona, e consentanea a' Misteri della nostra Cristiana Religione, nondimeno quelli, che dopo scrissero, lo corruppero, e continuando altri a scriuere, anno di maniera deprauato, e guasto ogni cosa, che in ciascheduno di essi volumi si contengono non solamente contumelie, e bestemmie esecrande contro Cristo Saluator Nostro, fauole, e bugie, in deprauazione del vero senso della Scrittura Sagra, ma eziandio precetti, & ordini contro le stesse leggi di Mosè, contro ogni ragione delle genti, e contro ogni legge di natura, la quale essi pure come vomini sono tenuti di osseruare: Che però molti Sommi Pontefici interdissero l'vso, e lezzione di così perniciosa dottrina a tutti gli Ebrei, come fecero molti Principi Cristiani in esecuzione de' comandamenti de' Pontefici, ancorane' Dominij loro, ordinando, che tutt' i libri Talmudici si raccogliessero in ogni parte della Cristianità, e si dassero al fuoco, come Gregorio Nono del 1230. Innocenzio Quarto del 1234. Clemente Quarto, Onorio Quarto, e Giouanni Vigesimosecondo. Ma dopo essendosi rauninata questa detestabile opera, e col benefizio delle Stampe sparsa per tutto il Mondo in numero quasi infinito, piacque a Giulio Terzo con nuouo Editto ordinare, che si douesse inquirere contro chi li tenesse, e legesse; e commandò l'anno 1553. che ne' giorni appunto, che gli Ebrei celebrauano la loro festa de' Tabernacoli, si abbruggiassero simili libri per tutte le Città d'Italia, come seguì. Paolo Quarto, col parere di questo Supremo Tribunale della Santa Inquisizione, fece lo stesso, e dichiarò, che tali volumi s'intendessero senz'altro compresi frà i dannati dalla Chiesa Catolica. E perchè s'intese, che in Cremona gli Ebrei aueano vna gran libraria, ed in essa molti volumi Talmudici, fù d'ordine di questo Tribunale visitata, e detti volumi abbruggiati in numero di dodici mila, ed altri dieci mila in Recanati, con altri Commentarij d'vn tale* Manahen nel Pentateuco *pieno di empietà Talmudiche. Gregorio Decimoterzo parimente ordinò, che dagl' Inquisidori si procedesse contro gl' Ebrei, che teneuano detti volumi, ma riuscendo tuttauia i capi di quest' Idra, Clemente Ottauo colla seuerità ben necessaria della sua Costituzione pronuncdde co' non puoco frutto a tanto disordine, interdicendo la lettura, e retenzione di detti volumi, non ammettendogli, ne anco sotto pretesto che fieno ispurgati, ma dannandogli assolutamente alle fiamme: la qual Costituzione, come in Italia è in verde osseruanza, così se fosse anco fuori per tutto osseruata, non aurebbeno questi perfidi, che machinar tanto in pregiudizio della Religion Cristiana, ed in corruttela de buoni costumi.*

De'

De' Principi secolari poi si sà il pio rigore di Ferdinando, e d'Isabella contro le persone, ed i libri Talmudici degli Ebrei, e molto auanti di loro quel che ne ordinò Enrico pur Rè di Spagna; e ciò che Carlo Quinto ancor giouane fece, rifiutando con generosa pietà quella gran quantità di oro, che gli offersero gli Ebrei della stessa Spagna.

Del 1553. nel Dominio Veneto per ordine di Benedetto Valerio, di Marco Centano, e di Francesco Longo Senatori, e Giudici del Tribunale della Bestemmia, ne furono dati al fuoco innumerabili volumi.

Del 1230. il Cancelliere di Parigi, ed i Dottori di Teologia, per ordine di Gregorio Nono, fauorendo, ed aiutando il Rè l'esecuzione, ne fecero in pubblica piazza abbruggiare quanti con isquisita diligenza ne furono ritrouati.

Del 1239. il Rè Lodouico il Santo, ne fece d'infiniti altri vn pubblico incendio.

Anzi la Costituzione di Giustino Imperadore contro i Giudei, e i loro scritti, viene dal Baronio, e da tutti non d'altri, che de i Talmudici intesa.

L'anno passato 1628. auendo Monsignor Nunzio appresso il Rè di Polonia auuta notizia, che gli Ebrei in Lublino auean stampato molti libri Talmudici, ne fece risentimento con Sua Maestà, e con altri Offiziali del Regno, acciocchè non solo fossero proibite dette stampe, e libri, ma gastigati gli stessi Ebrei, come si crede sia a quest'ora seguito, per la buona disposizione, ed intenzione, che ritruouò il Nunzio nel Rè, e ne' suoi Offiziali.

Ora che regna vn'Imperadore di singolar pietà, e zelo, si dee sperare, che sia per fare non solo il medesimo, immitando l'esempio di tanti Principi, e de' suoi maggiori stessi, ma di auuantaggio a benefizio della Cristianità, di estirpare in modo le radici, che ne' suoi Stati ereditarij, e dell'Impero non abbiano più a riprodurre così velenosi germogli.

E se alcuno con l'opinione di Pietro Galatino osasse affermare essere vtile il Talmud, e conuenire di trasferirlo in latino, leggerlo nelle scuole de' Cristiani, adducendo l'auttorità di Clemente Quinto, che nel Concilio Viennense ordinò, che in dette Scuole vi fossero Precettori periti della lingua Ebrea, e Caldea, i quali trasferissero in latino i libri de' Giudei, ed insegnassero la lor lingua. Dal che, dice il Galatino, si deduce, che non potendosi intendere tal'ordine de' libri Ebraici della Scrittura Diuina, essendo stati questi tante volte in latino tradotti, si ha necessariamente da intendere de i volumi Talmudici, non ancora in latino voltati: Si dourà rispondere, che il Canone di Clemente parla solo de' primi rudimenti, ed istruzzioni della lingua Ebrea, e Caldea, la quale deesi più tosto apprendere da quelli, che trà gli Ebrei anno scritto documenti Grammaticali, e Dittionarij Ebraici, e Caldei, che da quelli, ch'anno raccolto libri Talmudici, oue sono tante empietà, e bestemmie: Ne deesi prestar orecchio à chi proponesse d'ispurgarli, perche sono tutti artifizi di Ebrei ben conosciuti da Clemente Ottauo, che però vi aggiunge la clausula, che non si potessero leggere etiam sub prætextu, quod expurgati fuerint, vel donec expurgentur: Et alle pruoue, che in altri tempi se ne son fatte à questo fine, sono stati sempre giudicati tali volumi inespurgabili, tanto in ogni parte son pieni di errori, e di menzogne perniciosissime: E così anco si rispose a' giorni passati di ordine di Nostro Signore al Vescouo di Craconia intorno al Talmud stampato dagli Ebrei in quella Città, che ne ricercaua la permissione, con presupporre, che fossero ispurgati, con addurre l'auttorità del Galatino. Si dice di più a V.S. Illustrissima per sua informazione, che l'esperienza ha insegnato, che questi volumi tante volte dannati, e quasi estinti, sogliono risorgere per l'auaritia de' Ministri de' Principi, che vendono la licenza, e facoltà di poterli stampare, ed euulgare, non guardando gli Ebrei in ciò a spesa veruna, perlochè n'abbonda grandemente l'Asia, e l'Africa, oue sono di grandissimo impedimento alla conuersione de' popoli, come anco alla Grecia, ed in molti luoghi della Germania, fomentando in quello lo Scisma, ed in questa aprendo la strada ad vn mostruoso composto di Eresie nuoue, e vecchie, come anno fatto in Transiluania, e con tanto seguito, come V.S. Illustrissima pure scriue gl'Inzabbattati, ed Ebioniti; ed in Liuonia i Saducei. Ma al sicuro se tali Ministri mirassero più alla conseruazione Cristiana, ed al mantenimento temporale, e politico delle persone, e de' Stati de' loro Principi, che all'interesse proprio, non sarebbero senza dubbio sì fauoreuoli a questa perfida nazione, massime in materia de' libri Talmudici; poiche tra l'altre innumerabili imprecazioni, ed esecrazioni, che in tali libri si commanda, che facciano gli Ebrei al nome Cristiano, vi è questa in particolare, la quale V.S. Illustrissima con la solita sua prudenza potrà opportunamente insinuare, oue conosca il bisogno, che ogni Ebreo tre volte il giorno bestemmi la gente Cristiana, e preghi Iddio, che la confonda, ed estermini con i Rè, e Principi suoi, e facciano questo specialmente i Sacerdoti loro nelle Sinagoghe in odio di Giesù Nazareno. E se bene questi lor preghi, come fatti da chi non ha la vera fede, non sono esaudibili, sono però manifesto indizio della malignità dell'animo loro anelante all'esterminio de' Principi Cristiani, l'impero de' quali, secondo le leggi del Talmud, anno per più esecrabile, che quello d'altre genti, e stimano peccato molto più leggiero il seruire ad vn Principe Gentile, che ad vn Cristiano, se bene assolutamente, secondo la medesima dottrina Talmudica anno per massima, che non si debba vbbidire ad alcun Principe mortale, ma fare

ogni sforzo per iscuoterſi dal collo il giogo dell' imperio d'ogni Rè, e Principe, come anco di vſare ogni induſtria, e tentar ogni via per leuar la robba, e la vita a' Criſtiani, i quali, conforme al precetto Talmudico, ſono obligati a tenere per animali bruti, e trattarli come tali; e tanto nol fanno, in quanto non poſſono.

Dalla qualità adunque di queſti libri, e da quel che ne anno decretato i Sommi Pontefici, ed eſſeguito i Principi Criſtiani, ſi vede chiaramente, che non ſi debbono ammettere in modo alcuno le iſtanze, ed importunità di coteſti, ed altri Ebrei per le ſtampe d'eſſi libri; ne permettere, che ſi tengano, e leggano in pubblico, o in priuato, ma con ſomma diligenza ricercarli, e darli appunto quella pena del fuoco, che detti libri commandano, che ſi dia alli Sagroſanti Euangeli noſtri, da eſſi chiamati empietà riuelata, e peccato manifeſto; qual pena vogliono che ſi eſeguiſca, ancorche negli Euangeli ſi conteneſſe il Gran Nome di Dio, tenuto da loro in ſomma venerazione, eſſendo molto maggiore l'odio, ch'eſſi portano agli Euangeli noſtri, che la riuerenza, che profeſſano à sì Gran Nome.

In quanto poi agli altri libri de' Rabbini, de' quali il P. Sgambati deſidera notizia, e di ciò che ſi oſſerua quì in eſſecuzione dell'accennate Bolle, per ſapere quai libri ſieno vietati, e permeſſi agli Ebrei, affine di far oſſeruare il medeſimo negli Stati dell'Imperio, ed anco ereditarij della Maeſtà Ceſarea, dico a V.S. Illuſtriſſima, che altre volte ancora dagl'Inquiſidori è ſtata fatta ſimile iſtanza, e ſempre ſi è riſpoſto, che dalla lettura di eſſi ſi hà da giudicare, ſe ſono de' compreſi nella proibitione di Papa Clemente, ſenza eſſerſi voluto mai dar Catalogo de' permeſſi, e proibiti, non potendoſi aſſicurare ne anco de' loro libri, che contengono il Teſtamento vecchio, non che di quelli, che contengono le lor'orazioni, potendoui eſſere dentro de' mali. Gli altri libri poi de' Rabbini, ſe bene pare, che abbiano qualche puoco di deriuazione dal Talmud, contenendo qualche coſa degna di correzzione, ſi vſa nondimeno indulgenza, che s'iſpurghino, e correggano, e coſi iſpurgati, e corretti gli ritengano, conforme ad vn Breue fatto dallo ſteſſo Papa Clemente Ottauo a loro fauore dopo la pubblicazione di detta Bolla.

Ed ancorche nell' Indice de' libri proibiti nella ſeconda claſſe ſi proibiſcano i Commentari di molti loro Rabbini, vi è però vn Decreto di queſta Sagra Congregazione del 1596. col quale ſi dichiara, che s'intendano proibiti ſolamente quelli, che ſono ſtati deprauati dagli Eretici, e particolarmente da Corrado, e da Paolo Faggio, purche nel reſto ſieno iſpurgati, e corretti conforme il tenore della Bolla, nella quale biſogna inſiſtere ſempre, e ſeruirſene per regola certa.

Intorno poi alla correzzione ſi dee auuertire, che ſi come l'empietà, e beſtemmie ſono in modo naſcoſte in detti libri, che difficilmente ſi poſſono ſcorgere, da chi non è più che verſato nella lingua Ebrea, e non hà più che mediocre cognizione della loro ſottiliſſima malizia, coſi non hà voluto mai il Sant'Offizio deputarli Correttore alcuno, ancorche n'abbiano fatto ſpeſſe volte iſtanza; ma vuole, ch'eſſi ſteſſi, che ſono informati del male, che vi è dentro, gli emendino, e cancellino in modo, che non ſi poſſano leggere, ne penetrare: E quando ſi hà indizio della loro diſubbidienza, ſuole queſto Supremo Tribunale far perquirere diligentemente nelle Caſe, e Sinagoghe loro; e parendo per relazione de' Periti, che i libri in eſſe ritruouati ſieno corretti, ed iſpurgati conforme alla Coſtituzione di Clemente, gli ſi fanno reſtituire con tenerne nota, e con dichiarazione eſpreſſa, che non s'intendano per tal riſtituzione appruouati, potendoſi per la gran nequizia loro dubbitare, che non ſieno corretti abbaſtanza; il che dapoi ſcuoprendoſi non li ſuffragarebbe detta riſtituzione, come anco ſi procede contro di loro, com'è di ragione, quando contrauengono a detta Coſtituzione.

Ora, che V. S. Illuſtriſſima hà inteſo per mezzo di queſta il modo, che ſi tiene quì intorno a detti libri, per ſodisfare all'iſtanza del P. Sgambati, che hà poſto in conſiderazione di Sua Maeſtà l'eſſecuzione di detta Bolla di Clemente, reſta ſolo, ch'ella dal canto ſuo accompagni coll'opre gli vffizi di detto Padre, e faccia ogni sforzo, che detti Ebrei vbbidiſcano; e tenga perſuaſo il Padre a ſeguitar l'impreſa incominciata, dandogli ogni aiuto, ed indirizzo neceſſario, acciocchè ſi riduca al fine deſiderato, che è di eſtinguere la perniciofiſſima dottrina Talmudica, e di reprimere l'orgoglio di queſte dure ceruici, con fargli vbbidire puntualmente agli ordini di queſta Santa Sede, che tale è il ſenſo di Sua Beatitudine, e di queſta Sogra Congregazione, la quale ſi come hà commendato molto l'induſtria, e buon zelo moſtrato da detto Padre in principiare queſta ſanta opera, coſi ſpera d'auer da commendare anco la prudenza, e coſtanza del medeſimo in finirla, a gloria di Dio, e ſeruizio della noſtra Criſtiana Religione, e d'intendere da V.S. Illuſtriſſima quello che alla giornata ſi andrà intorno a ciò facendo. Di Roma li 23. Nouembre 1629.

311 Secundò infertur legentes, retinentes, & defendentes libros Armenorum, Græcorum, & ſimilium Orientalium, qui inter Schiſmaticos connumerantur, etiamſi de Religione tractent, non ſubijci cenſuræ in Bulla Cœnæ contentæ, Azor. *dicto lib.8. cap.76. quæſt.* 8. Sanchez *dicto cap.*10. *num.*27. Duard. *dicto can.*1. *quæſt.*49. *num.*2. Farinacc. *quæſt.*180. *num.* 10. Contrarium tenuere Suarez *dicta ſect.*2. *num.*12. Caſtropalao *tract.*4. *diſput.*2. *pun.*10. §.1. *num.*1.

312 Primam opinionem intellige, niſi in eorum libris continerentur hęreſes ab Eccleſia Catholica Latina damnatæ, tunc

enim quia huiusmodi Orientales essent formaliter Hæretici, eorum libri caderent sub censura Bullæ Cœnæ, Cardin. de Lugo *dicta disput. 21. sect. 2. num. 42. & 43.* qui vtramque opinionem putat probabilem, vel habere aliquid veri.

313 Inter hos autem libros Orientalium nonnulli sunt, qui continent ritus Ecclesiasticos, & isti vel sunt exarati à modernis Schismaticis, vel sunt editi ante Schisma, & creduntur antiqui, vel ab Apostolis, & Patribus antiquis deriuati, quales sunt plures Liturgiæ Æthyoporum, Græcorum, & aliorum, quæ habentur in Bibliotheca Patrum.

314 Primi cadunt sub censura Bullæ Cœnæ, quia hodie nulli sunt Schismatici, qui non sint Hæretici, cum ad minus negent Primatum, & Potestatem Summi Pontificis, & in illis quamplurimi errores contra fidem inueniuntur.

315 Quamuis Duard. *loco cit. num. 4. vers. Ad secundum*, dicat, Orientales non negare Summi Pontificis Primatum, sed asserere, Concilium legitimè congregatum habere maiorem auctoritatem quàm Papa, imò esse supra Papam, quæ opinio fuit Gersonis, & fortasse hodie à nonnullis Theologis Parisiensibus asseritur, & quamuis de hæresi non sit damnata, est tamen falsissima.

316 Secundo verò casu non subijci legentes tales libros censuræ latæ in Bulla Cœnæ, quia licet in illis irrepserint aliqui errores, retinentur tamen licitè, cum possint expurgari. Et tempore Pontificatus sanctæ memoriæ Vrbani Octaui instituta fuit Congregatio super expurgatione Euchologij Græcorum, in qua, & nonnulli ex Eminentissimis Cardinalibus, & alij eruditissimi Viri aderant, & Ego minimus omnium, tanquam Assessor S. Officij vnus eram ex illis.

317 Sed quia in Ritus Græcorum incidimus, sciendum est, Romanos Pontifices Græcorum ritus, & consuetudines, si non sint abusus nunquam improbasse, sed potiùs eorum obseruantiam suasisse, imò, & iussisse, vt patet ex Epistola prima Leonis Noni *ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, & Leonem Acridanum*, in qua conquæritur, Græcos ipsos non eandem moderationem Ecclesijs, & consuetudinibus Latinorum exhibuisse Constantinopoli, ibi:

Vt etenim fertur omnes Latinorum Basilicas penès Vos clausistis, Monachis, & Monasteria, & Altaria tulistis, donec vestris viuerent institutis: Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior, & clementior Vobis est: Siquidem cum intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur Monasteria, siue Ecclesiæ, nullum eorum adhùc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, siue sua consuetudine, quin potiùs suadetur, & admonetur.

318 Alexander Quartus *anno Domini* 1260. sua Constitutione, qua dissidia Græcorum, & Latinorum in Insula Cypri nixus est componere, & iura vnicuique decernere, mandauit Synodica Decreta, quæ Græcis quidem institutis Catholicæ fidei non repugnantibus, & à Græcis receptis Ecclesijs non aduersantur suscipere, & obseruare teneantur; quod testatur etiam Antonius Galutius *lib. de situ Hispaniæ*, ibi:

Cum Latini quidam ex his circumferaneis Mendicantibus Græcos persequerentur, & eogerent eos ex azymo, non ex fermentato pane complere Sacramentum, hi Sacerdotes post longas disputationes Romæ in pleno Collegio Principum Sacerdotum vicere, quem morem hucusque seruant, & Romanæ Ecclesiæ iussis nostrates omnes Catholici Græci parent.

319 Innocentius Quartus *ad Episcopum Tusculanum* Sedis Apostolicæ Legatum in Regno Cypri, hæc ait:

Verum quia nonnulli Græcorum iam dudum ad deuotionem Sedis Apostolicæ redeuntes, ei reuerenter obediunt, & intendunt expediri, vt mores, & ritus eorum quantum cum Deo possumus tolerantes ipsos in Ecclesiæ Romanæ obedientia perseuerantes, quanquam in his, quæ animæ periculum parerent, vel honestati Ecclesiæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Et nostrorum quoq; Patrum memoria, Gregorius Decimustertius idem statuit, vt in Collegio Græcorum Romæ ab eo erecto Ritus Græcus ab Alumnis adamussim obseruaretur.

320 Et Paulus Quintus declarauit nullam necessitatem velle imponere Ruthenis deferendi ritus Græcorum, vt in suo Diplomate *die* 10. *Decembris* exarato.

321 Ideo pluries Sacra Congregatio denegauit facultatem Ruthenis transeundi ad ritum Latinum, licet Italo-græcis huiusmodi dispensationem concesserit, ne Ritus Græcorum Sancta Sedes abolere videretur.

322 Imò sanctæ mem. Vrbanus Octauus in Statutis editis pro feliciori regimine Collegij Græcorum Vrbis Ritus Græcorum, ità voluit obseruari, vt Alumnos ritus Latini, inscijs Superioribus, vel etiam ex peculiari Sedis Apostolicæ dispensatione in Collegium admissos post susceptum iuramentum, etiam postquam è Collegio discesserint, ad Ritum Græcum obseruandum adstrinxerit, vt in dictis statutis *num.* 10.

323 Si cui etiam ex Alumnis specialiter indulserit Sedes Apostolica, vt non obstante iuramēto ad Ritum Ecclesię Latinę

transire possit, ad restitutionem omnium expensarum, quæ in eum alendo, & instruendo factæ sunt, nisi etiam super hoc dispensatum fuerit cum eo, condemnauit. Qui verò sine expressa dispensatione Ritum mutauerit, illos quibuscunque Officijs, & Beneficijs priuauit, & ad similia obtinenda inhabiles declarauit, mandauitque, vt Collegij Protector contra eos tanquam contra periurios procedat, *numer.* 11.

324 Præterea mandauit, vt Italo-græci iuramento præstent, nunquam acturos, postquam è Collegio egressi fuerint, vt ad Ritum latinum sibi transire liceat, *numer.* 15.

325 Item nonnisi de expressa Sedis Apostolicæ licentiæ Alumnis dicti Collegij ad vllum ex Regularibus Ordinibus ingressum dari prohibuit, *num.* 31.

326 Voluitque Ritum Græcum per omnia diligenter seruari, dùm sunt in Collegio: Latinum verò, quantum scandali, & eorum cum quibus conuersabuntur ratio postulabit, *num.* 69.

327 Imò nec voluit admitti ad Collegium prædictum Græcorum filios à Presbytero Latino baptizatos, etiamsi non suppeteret copia Græci Presbyteri.

328 Appellatione autem Ritus continentur non solùm ieiunia, & Missarum celebrandarum cœremoniæ, sed quicunque Officiorum recitandorum ordo, solemnitates, ac dies festi Iesu Christi, Immaculatæ semper Virginis Mariæ, ac Reliquiæ Sanctorum hoc, vel illo die, secundum Orientalis Ecclesiæ decreta, sacrarum vestium formæ, habitus Religiosorum, Sacramentorum administratio, mortuorum sepeliendorum modus, vitæ ratio à Sacr. Conciliorum, Patrumque canonibus constituta, mores, & consuetudines Ecclesiasticæ: & hos Ritus Alumnis Collegiorum Græcorum per Europam constitutorum seruandos proponit.

Ad tollendos tamen abusus, qui irrepserunt Innocentius Quartus *sua Constitutione edita de anno* 11. *sui Pontificatus*, & vt sedaret controuersias excitatas inter Archiepiscopum Nicosien. & eius Suffraganeos ex vna, & Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, statuit quænam sint in Ritibus eorum toleranda:

329 Et primò, statuit, *Vt Græci eiusdem Regni morem Ecclesiæ Romanæ teneant, & obseruent.*

Secundò, *Quod mos vngendi per totum baptizandorum corpus, si tolli absque scandalo non possit, toleretur.*

Tertiò, *Non referre, siue in aqua frigida, siue calida baptizent.*

Quartò, *Quod soli Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos.*

Quintò, *Quod singuli Episcopi in suis Ecclesijs in die Cœnæ Domini possint secundum formam Ecclesiæ Chrisma conficere ex balsamo, & oleo oliuarum. Toleretur autem antiquus ritus, vt Patriarcha cum Archiepiscopis, & Episcopis eius Suffraganeis Chrisma conficiat.*

Sextò, *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios pro satisfactione pœnitentiæ vnctio aliqua solummodo iniungatur.*

Septimò, *Infirmis verò iuxta verbum Iacobi Apostoli vnctio exhibeatur extrema.*

Octauò, *In appositione aquæ siue frigidæ, vel calidæ in Altaris sacrificio, suam si velint consuetudinem Græci sequantur, dummodo credant, & asserant, quod seruata Canonis forma conficiatur pariter de vtraque.*

Nonò, *Eucharistiam in Cœna Domini consecratam vsque ad annum prætextu Infirmorum, vt de illa videlicet ipsos communicent, non reseruent, liceat tamen eis pro Infirmis ipsius Corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longioris temporis spatio conseruare, ne per diuturnam ipsius reseruationem alteratis forsitan speciebus, reddatur minùs habile ad sumendum, licet veritas, & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec vlla vnquam diuturnitate, seu volubilitate temporis euanescat.*

Decimò, *In Celebratione solemnium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in Confectione, vel Consecratione formam verborum à Domino expressam, & traditam obseruent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittuntur.*

Vndecimò, *Sacerdotes dicant horas Canonicas more suo, sed Missam celebrare priusquam officium Matutinale compleuerint, non præsumant.*

Duodecimò, *Promouendi ad Sacerdotium, & Presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si præcipuè de horis Canonicis, & Missarum officijs secundum distinctionem temporum exequendis, sint sufficienter instructi, vt ad hæc nonnisi digni, & idonei admittantur.*

Decimotertiò, *Vnusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solùm, aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lineo candidum, & nitidum, & Altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis.*

Decimoquartò, *Mulieres ad Altare seruire non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.*

Decimoquintò, *De Ieiunio verò die Sabbati Quadragesimali tempore, quanquam honestius, & salubrius Græci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, vt nec vnico die ieiunium à se institutum violarent, teneant, & seruent pro libito morem suum.*

Decimosextò, *Sacerdotes coniugati, & alij, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos*

committitur, licitè, ac liberè possunt Parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam iniungere pro peccatis, quia cui licet, vel conceditur, quod est maius, competit nimirum, nec negare conuenit, quod est minus; Liberum tamen sit ipsis Episcopis viros alios idoneos Coadiutores, & Cooperantes habere in audiendis Confessionibus, & pœnitentijs iniungendis, & cæteris, quæ ad salutem animarum pertinent.

Decimoseptimò, *Ipsis, in his per eorum Diœceses absque Sacerdotum ipsorum præiudicio, & grauamine, licitum sit committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem Diœceses officium suum exequi per seipsos.*

Decimooctauo, *De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit peccatum mortale, non est aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarios, quàm adulteros à Regno Dei Apostolus asserat alienos.*

Decimononò, *Volumus, & expressè præcipimus, quod Episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, vel prætermisisse dicantur.* (Videndus Arcudius *de Concord. Eccles. Occidental. & Oriental. lib. 6. de Sacram. Ordin. cap. 9. per totum, & pag. 470. col. 2.*)

Vigesimò, *Mulier mortuo viro liberam habet facultatem nubendi cui vult in Domino: Secundas, tertias, & vlteriores nuptias Græci non reprehendant aliquatenùs, nec condemnent, sed potiùs illas approbent inter personas, quæ aliàs licitè ad inuicem matrimonio iungi possunt.*

Vigesimoprimò, *Secundo nubentes Presbyteri non benedicant.*

Vigesimosecundò, *Non præsumant matrimonium contrahere cum coniunctis in quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis: Illos verò, qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispensatiuè permittimus in sic contracto matrimonio permanere.*

Vigesimotertiò, *Locus, in quo post mortem animæ purgantur, ab ipsis etiam nomine Purgatorij vocetur.*

Vigesimoquartò, *Qui in peccato mortali decedit, apud Inferos perpetuo igne cruciatur.*

Vigesimoquintò, *Animæ verò paruulorum post Baptismi lauacrum, & adultorum in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad Patriam protinùs transuolant sempiternam.*

Vigesimosextò, *Ordinationes, & Instituta Regularia Sanctorum Patrum de vita, & statu Monachorum præcipit ab Abbatibus, & Monacis Græcis inuiolabiliter obseruari.*

Quoad vero ad Italos-græcos, quorum magna multitudo reperitur in Regno Siciliæ citra, & vltra Pharum, cum se exemptos ab Ordinariorum iurisdictione prætenderent, propriosque eiusdem nationis habere Prælatos, & Superiores, & propterea in diuersas hæreses, & nefarias opiniones, & absurda deliramenta prolaberentur, & præsertim;

Nullum esse defunctorum Purgatorium.

Summum Pontificem in eos aliquam iurisdictionem, vel auctoritatem habere negabant.

Indulgentias ab eo concessas damnabant.

Ecclesiasticas censuras, & sententias ab eo latas contemnebant.

Festiuitates Beatissimæ Virginis, Apostolorum; & aliorum Sanctorum Dei non obseruabant.

Eucharistiæ Sacramentum suis infantibus in Baptismo exhibebant.

Humata defunctorum corpora superstitione quadam impia, & barbarica à sepulchris eruebant, & igne cremabant.

Pius Quartus *sua Constitutione data anno* 1564. *die* 16. *Februarij*, eos potestati Ordinariæ subiecit, siue laici, siue Clerici, siue Monaci Sancti Basilij, siue alterius ordinis essent, firmis tamen remanentibus eorum Ritibus celebrandi in Diuinis.

Quam subiectionem è iure communi emanasse probat Textus *in cap. Quod translationem de tempor. Ordinat.* Facit etiam Textus *in cap. Quoniam, de offic. Ordin.*

Eorum verò Ritus non esse tolerandos in his, quæ generant periculum animarum, & Ecclesiasticæ derogant honestati, statuit Innocentius Tertius in Concilio Lateranensi, *vt in cap. fin. de Baptism.*

Hinc Clemens Octauus *anno* 1595. Episcopis Latinis, in quorum Diœcesibus morantur Italo-græci, instructionem misit, secundum quam debent omnino se gerere. Et primò:

Circa Sacramentum Baptismi.

Presbyteri Græci baptizatos Chrismate in fronte non consignent, & ideo ab ipsis in ordine Baptismi apud eorum Euchologium permittantur, quæ sequuntur post orationem, vbi habetur forma huius consignationis vsque ad verba, postea facit figuram circuli.

Circa Sacramentum Confirmationis.

Episcopi Latini infantes, seu alios baptizatos à Presbyteris Græcis de facto Chrismate in fronte consignatos confirment, & tutiùs videtur, vt cum cautela, sub conditione id faciant, vide-

licet: Si tu es Confirmatus, Ego te non confirmo; si non es confirmatus, Ego consigno te signo Cru ✝ cis, & confirmo te Chrismate salutis, in Nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii, & Spiritus ✝ Sancti: *Præsertim verò, cum verisimiliter dubitari possit, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati.*

Circa Sacramentum Eucharistiæ.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod pro Infirmis asseruatur singulis octo diebus, aut saltem quindecim renouetur: Non asseruetur idem Sacramentum toto anno, si tamen asseruatum fuerit saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus fundendi, vel etiam miscendi sacro Oleo, ac iterùm coquendi, vel aliàs exsiccandi species Sacramenti Sacræ Eucharistiæ feria quinta Cœnæ Domini, vt deinde illud asseruent.

Si Græci velint accipere Altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, benè erit, sin minus tolerentur eorum Thioni, *seu* Throni *super Altaria lapidea ponendi cum celebrant. Corporalia, vti Latini, habeant, nisi Thronis etiam pro Corporalibus vtantur.*

Circa Sacramentum Pœnitentiæ.

In casu necessitatis Presbyteri Græci possint Latinos absoluere: vtantur forma absolutionis in Generali Concilio Florentino præscripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam deprecatoriam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueuerunt.

Tollendus abusus vbi est, vt vir, atque vxor simul, & eodem tempore confiteantur.

Aqua ex Ritu Græco in die Epiphaniæ, vel prima die mensis benedicta conseruetur in Ecclesia, vt illa Fideles aspergant.

Circa Oleum Sanctum Cathecumenorum, & Infirmorum.

Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta præter Chrisma ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum huiusmodi Oleo ab eis in ipsa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri Ritu conficiantur, seu benedicantur; Chrisma verò quod nonnisi ab Episcopo etiam iuxta eorum Ritum benedici potest, cogantur accipere.

Prohibeantur verò ab Episcopis Græcis externis Schismaticis, seu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem non habentibus illud accipere, vel eo vti.

Circa Sacramentum Ordinis.

330 *Ordinati ab Episcopis Schismaticis aliàs ritè ordinati seruata debita forma recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.*

Proinde ordinati ab Episcopis Schismaticis correcti, vel emendati reconciliandi sunt, & absoluendi cum Pœnitentijs salutaribus, dummodò errores, vel saltem schisma Ordinatoris abiurauent in iudicio, vel publicè, vel secretò pro qualitate facti; In Ordinibus autem per eos aliàs ritè susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super Irregularitate huiusmodi occasione contracta, auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi Episcopi Schismatici, siue pro Ordinibus, siue pro alijs Sacramentis conferendis, sed detinendi quousquè S. Sedes Apostolica desuper consuletur, & responsum habeatur.

Græci sine litteris Dimissorijs Episcopi Latini Diœcesani ad sacros Ordines promoti suspensi sunt, & si sic suspensi in suis Ordinibus ministrauerint, efficiuntur Irregulares, sicut & Latini. Super huiusmodi autem, & similibus Irregularitatibus dispensandi facultatem à Sancta Sede Apostolica obtinere oportet.

Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in Baptismo Chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet, Nisi es confirmatus, *vt supra.*

Presbyteri vidui, siue vxoribus orbati, habitum deferant diuersum ab alijs.

Circa Sacramentum Matrimonij.

Curent Ordinarij locorum, vt Decretum Sacri Generalis Concilij Trident. de reformatione matrimonij *vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, & Parochijs Græcorum Albanensium euulgetur, & publicetur.*

Matrimonia inter coniuges Græcos dirimi, seu diuortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & si quæ de facto processerunt, nulla, & irrita declarent.

Maritus Latinus vxoris Græcę Ritum non sequatur, Latina vxor non sequatur Ritum mariti Græci, Græca verò vxor sequatur Ritum mariti Latini.

Quod si id fieri non possit, quisque coniugum in suo Ritu Catholico tamen manere permittatur; Proles sequatur Patris Ritum, nisi præualuerit Mater Latina.

Presbyter Græcus coniugatus ante sacrum Sacrificium, siue sacram Missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abstineat ab vxore.

Circa alia Dogmata.

331 *Græci credere tenentur Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter Latinos, aut necessitas postularet confitendi fidem Catholicam, quia tunc oporter etiam pronunciare.*

Nunquam Monacis Græcis, siue Gallo-græcis

animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia iusta causa.

Presbyteri seculares Graeci abiuratis schismate, & erroribus, atque in fide Catholica benè instructi, in Parochialibus, sine Curatis Ecclesijs Graecorum institui possunt.

Tolerandus est apud Graecos vsus earum die Sabathi, vbi sine scandalo fieri potest in locis tamen ipsorum, & inter eos tantùm.

Item tolerandum est, vt ad ieiunium eodem die Sabathi in Quadragesima, excepto vno Sabatho sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

In ieiunijs biduanis, vel triduanis, vel aliàs à Diaecesanis, vel in Iubilais à Summo Pontifice Romano indictis, dies Sabathi in eis comprehensus, vel praescriptus in alium diem pro Plebibus Graecis, & ipsis Diaecesanis Apostolica auctoritate à Sanctissimo D. Nostro Domino Clemente diuina prouidentia Papa Octauo permittitur commutari.

Si ipsi Graeci ad obseruationem ieiuniorum, & vigiliarum Latinae Ecclesiae induci possent, optimum esset, sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta, & feria sexta ieiunent.

Graeci existentes inter Latinos, dies festos de praecepto eiusdem Latinae Ecclesiae seruare teneantur.

Insuper idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, Romae habendum esse Episcopum Graecum Catholicum, qui Graecos Episcopis Latinis Italiae, & Insularum adiacentium subiectos, ab Episcopo Graeco ordinari volentes, cum illorum dimissorijs ad id tantùm concedendis, Ritu Graeco ordinet.

Item mandauit, vt ad maiorem instructionem Episcoporum Latinorum imprimantur cum hac ipsa decretali littera quadam Apostolicae ad Graecorum Ritus pertinentes, ac etiam professio Orthodoxae fidei à Graecis, qui ad vnitatem Sanctae Romanae Ecclesiae veniunt, facienda.

Has autem litteras Apostolicas habes apud Quarantam *in Summa Bullarij ver. Graecorum Ritus.*

Secundum quam instructionem, & litteras Apostolicas in dubiis occurrentibus Sacra Congregatio respondit.

332 Et cum quandoque Graeco-itali in Regno Siciliae commorantes conquesti fuerint, prohiberi ab Archiepiscopis Panhormi, Montis-regalis, & Episcopo Agrigentino, ne eorum Sacerdotes in Baptismo conferant Sacramentum Confirmationis, putantes id sibi licere vigore Breuium Leonis Decimi, Pauli Tertij, seu potiùs Clementis Septimi, & B. Pij Quinti. Quae Breuia refert ad litteram eruditissimus vir D. Leo Allatius *in suo tractatu de aetate, & Interstitijs in collatione Ordinum etiam apud Graecos seruandis pag.* 5. in quibus conceditur praedictis Graecis, vt Ritibus, Consuetudinibus proprijs vti possint iuxta sancita in Concilio Florentino sub Eugenio Quarto.

Nihilominus Suprema, &c. *de anno* 1606. mandauit obseruari instructionem circa Sacramentum Confirmationis, non obstante dicta Consuetudine.

333 Sed an verè iste fuerit abusus, qui irrepsit apud Graecos, vel Consuetudo tolerabilis, non est certum; Nam Fridericus Metius Episcopus Termularum *in suis litteris dat. Romae* 7. *idus Iulij anno* 1602. & ad Sacram Congregationem directis, dicit, hunc abusum habuisse originem à solemnibus Baptismis, qui fiebant in Ecclesiis Orientalibus in Sabathis Paschae, & Pentecostes; Multi enim iis temporibus ab Episcopis baptizabantur, confirmabantur, & sacra Communione reficiebantur; Inde factum, vt deinceps praetermissis huiusmodi Baptismis solemnibus ab Episcopis fieri solitis statis temporibus, dum pueri, & infantes baptizabantur à simplicibus Sacerdotibus, iidem Sacerdotes id sibi sumpserunt, vt baptizatos à se confirmarent ad instar Episcoporum; Imò irrepsisse secundum abusum, vt pueros etiam infantes sanctissimo Eucharistiae Sacramento reficerent adultorum instar, & sic duplex introductus est abusus à Sacerdotibus, qui eadem sibi, quae tantùm Episcopis licebant, nequiter vsurparunt.

Ideo ab Innocentio Primo in Epistola *ad Decentium* rescriptum fuit, baptizatos nonnisi à solis Episcopis Chrismate esse consignandos, vt habetur *in cap. Presbyteri de consecr. distinct.* 4. & hoc Decretum Innocentij refertur ab Isidoro *de Ecclesiasticis officijs cap. de Sabatho sancto Paschae*, & à Beda *in Actibus Apostolorum cap.* 3.

Certum est autem tempore Diui Chrisostomi solos Episcopos in Oriente confirmasse, vt ipsemet testatur *in Homilia* 18. *in Acta*, quem ad hunc propositum adducit eruditissimus Praesul Marta *in tractatu de Primatu Lugdunen. pag.* 490.

Et morem antiquissimum fuisse apud Graecos, vt solus Episcopus Chrismate confirmaret, voluit Georgius Maymodas *in paraphrasi ad Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia cap.* 5.

334 Idem statuit in specie Nicolaus Primus *in Epistola ad consultationem Bulgarorum*; Et cum Graeci de hoc conquererentur, respondit, quod alicubi concessum Presbyteris, vt baptizatos fronte lineant Chrismate ex magna causa sit dispensatum, in contrarium planè esse vsum ostendit, de qua responsione Baronius *annum Christi* 867. *num.* 64. Nicolai *anno* 10.

335 Pariter Innocentius Tertius cum L. Vicarium suum apud Constantinopolim constituisset, mandauit, vt Presbyteris

Latinis omnino prohiberet, ne Sacramentum Confirmationis conferrent, quod soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, neuè prætextu longissimæ consuetudinis sibi licitum esse credant, quia diuturnitas temporis peccata non minuit, sed augumentat, quæ tanto grauiora existunt, quanto infelicem animam diutiùs detinent alligatam.

Quæ ratio satis perpendenda est, ne attribuamus Consuetudini id, quod est abusus, & ne abusus demum in priuilegium transeat, vt benè Nicolaus Primus *epist*. 47.

Hoc iure vsi sunt Innocentius Quartus, & Clemens Octauus *in suis Constitutionibus, de quibus supra*.

336 Cæterum Petrus Arcudius *in tract. de concordia Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali lib. 2. de Confirmatione cap. 10. cum seq.* putat, & defendit, hunc non fuisse abusum, sed morem vetustissimum, & non irrepsisse tempore Schismatis, nec Græcos à Latinis vsque ad tempora Photij fuisse de hoc insimulatos.

337 Presbyteros verò non autoritate ordinaria, sed extraordinaria confirmare, eamque dispensationem à Summis Pontificibus per suos Patriarchas obtinuisse, vt *cap. 15. vers. dicere pag. mihi 96.* nititurque probare ex Dionysio *de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2.* ibi,

Si verò Episcopus absit, vel non baptizet, tunc Presbyter baptizat, & loco Episcopi etiam confirmat, *& lib. 5.* vbi ait, Presbyterum nunquam esse solitum baptizare sine vnguento.

Quem tamen locum licèt ex Pachimeris interpretatione vindicet, non carere tamen sua difficultate existimo per ea, quæ tradit Dionysius Carthusianus *super dicto loco Areopagitæ*, vbi de more Græcorum vngendi baptizatos in vertice, quin imò non solùm in vertice, sed per totum corpus baptizatos iniungi à Græcis patet ex Constitutione Innocentij Quarti *supra relata*.

338 Dispensasse etiam putat Arcudius Episcopos Græcos cum Presbyteris in tali administratione Sacramentorum ante reseruationem factam à Summo Pontifice, ex Regula Canonistarum, & Theologorum posse Episcopum in sua Diœcesi, quicquid potest Pontifex Summus in toto Orbe, exceptis ijs, quæ ad statum vniuersæ Ecclesiæ pertinent, & quæ specialiter sibi reseruauit, vt ex Abulen., Victoria, Soto, Gambar. Nicolao de Cusa, Vera-crux, Henriquez, Sanchez, & alijs *in cap. 15. pag. 96. colum. 2.*

Quamuis existimet Episcopos singillatim hanc dispensationem non concessisse, sed coniunctim tanquam pars maxima Ecclesiæ, Pontifice Summo à principio non corrigente, sed tolerante.

Cum & in Ecclesijs etiam Occidentalibus Episcopos in Synodis, seu Concilijs Prouincialibus dispensasse cum Presbyteris nonnulli velint, vt mox videbimus,

339 Secundò probat auctoritate Gregorij Magni *in epist. 26. lib. 3. ad Ianuarium Calaritanum Episcopum*, qui dispensat, vt Episcopis absentibus Presbyteri in Insula Sardiniæ etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere possint.

340 Qui locus, si credamus eruditissimo Marca *loco citato* hoc non conuincit, cum dicat, Gregorium potiùs ex speciali priuilegio concessisse, vt non in vertice, sed in fronte vngere ibidem Presbyteri possent baptizatos.

341 Meliùs ergo poterat Arcudius suam opinionem confirmare auctoritate Conciliorum, Toletan. 1. *cap. 20.* vbi habetur, Diaconum non Chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente verò non nisi ab ipso fuerit præceptum.

Et Regien. sub Sixto Tertio *anno* 438. vbi *cap. 4.* sic statuitur quoad Presbyteros.

342 *Vt in Ecclesia, in qua ordinatus fuerit consecrandi Virginem, sicut confirmandi Neophytum ius habeat.*

343 Arausicani 1. *anno* 441. *cap.* 1. Et Epaunensis *cap. 16.* ibi *statutum fuit, Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse voluerint, si desit Episcopus, à Presbyteris eum Chrismate, & benedictione posse consignari,* quæ adduccuntur à Marca *loco citato*, & à Bauni *de Sacramentis tract. 3. de Confirmatione quæst. 7.*

344 At P. Suarez *quæst. 72. art. 2. disp. 36.* tractans latè de Ministro Sacramenti Confirmationis dicit, apud Græcos nunquam fuisse consuetudinem introductam, vt Presbyteri ex facultate, seu Episcoporum dispensatione possent Chrisma ministrare; Nam si aliquando hoc ostenditur factum, eo tempore factum est, quo Presbyteri simul ordinabantur Episcopi; Quæ consuetudo ordinandi Presbyteros etiam in Episcopos orta est in primitiua Ecclesia, quæ tamen non longo tempore durauit; Respondetque ad Concilium Arausicanum *primum* in eo non haberi sermonem de Sacramento Confirmationis, sed de reconciliatione solemni, in qua inter alias cœremonias in aliquibus Regionibus, siue Prouincijs adhiberi solebat quædam vnctio, seu consignatio Chrismatis.

345 Quæ responsio adaptari etiam potest Concilio Epaunen. & ratio est, quia si dispositio prædictorum Conciliorum intelligenda esset de Sacramento Confirmationis, non esset limitanda ad solos Hæreticos, sed maiori ratione deberet extendi ad omnes fideles periculo mortis expositos.

Concilio

346 Concilio verò Toletano, in quo maiorem habuit difficultatem, respondet, ibi non tractari de vnctione Chrismatis in fronte, sed de cœremoniali vnctione, quæ in vertice fit, & confirmat Leo *epist. 86. aliàs 88.* & Damasus Papa *epistola 1.*

Nam olim nihil Presbytero agere licebat absque licentia Episcopi; Ideò nil mirum, si ei hæc vnctio etiam cœremonialis interdiceretur, ne illam exercere posset, nisi de licentia Episcopi, vel eo absente.

347 Sed quicquid sit de huiusmodi opinionibus an scilicet fuerit circa hoc Græcorum licitus mos, vel potiùs abusus: Certum est iuxta doctrinam Diui Thomæ *3. par. quæst. 72. art. 11. & in 4. distinct. 7.* quam cæteri Theologi amplectuntur, Summum Pontificem posse delegare Presbytero ministerium Sacramenti Confirmationis, & ex Canonistis idem tenent Nauarrus *in man. cap. 22. §. 8.* Couuar. *lib. 1. cap. 10. num. 7.* vbi reprobat opinionem Durandi, & Alphonsi de Castro, Presbyterum, nec etiam ex Pontificis delegatione huiusmodi Sacramentum ministrare posse.

348 Fundamentum conclusionis desumitur *ex cap. peruenit distinct. 95.* quod desumptum est à prædicta epistola Gregorij Papæ *ad Ianuarium Episcopum Calaritanum.*

349 Cui fundamento, licèt prædicti conentur varias afferre responsiones, de quibus per Suarez *loco citato* nihilominus videtur approbatum ab Eugenio Quarto in Concilio Florentino, vbi postquàm fuit dictum, Episcopum esse ministrum ordinarium huius Sacramenti, subditur, legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationali, & vrgente admodum causa per simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc fuisse administratum Confirmationis Sacramentum.

Et propterea cum nullibi reperiatur, Sedem Apostolicam super hoc dispensasse ante Concilium Florentinum, nisi in facto Gregorij, vtique dicendum est de prædicta dispensatione Concilium intelligere, vt notat Suarez *loco citato.*

350 Sed si vera sunt priuilegia Innocentij Sexti, & Ioannis Vigesimisecundi recollecta ab Emanuel Rodriquez, quibus indulgetur Fratribus Prædicatoribus, vt in Terris remotissimis à Sede Apostolica, ac Episcoporum magisterio carentibus, possint ministrare Sacramentum Confirmationis, vt dicit etiam P. Thomas à Iesu *in tract. de conuers. omnium Gent. lib. 12. ver. Confirmatio.*

Non potest dici, quod ante Concilium Florentinum, nullibi reperiatur, Sedem Apostolicam dispensasse.

351 Et propterea reiicienda est opinio doctissimi *Marca*, qui, vt *supra* dictum est, asseruit, ex epistola Gregorij non posse conuinci, Sedem Apostolicam super hoc dispensasse, cum ibi tractetur de vnctione cœremoniali, non de sacramentali, quia cum ibi Gregorius concedit dispensationem cum limitatione, vbi Episcopi desunt, non potest intelligi de vnctione cœremoniali, quæ facilè concedi potuisset etiam præsente Episcopo.

Præterea cum loquatur Gregorius de vnctione Chrismatis in fronte, non potest adaptari nisi Sacramento Confirmationis, cum hoc nomen proprium sit huiusmodi Sacramenti, & non legatur in Ecclesia, consignationem in fronte adiunctam esse cœremonijs Baptismi solemnis, vt benè Suarez *loco citato.*

Quod voluit etiam Fermosinus post hæc scripta visus *in loco infra dicendo.*

352 Suarez etiam reprobat Ledesmam putantem, posse huiusmodi dispensationem concedi ab ipsomet Episcopo, ea ratione, quia Episcopus potest in sua Diœcesi omnia, quæ potest Papa in toto Orbe, exceptis iis quæ sibi Pontifex reseruauit.

353 Nam certum est, multa posse Pontificem in Ecclesia ex plenitudine Potestatis, quæ non possunt Episcopi in suis Diœcesibus, non autem apparet, hanc facultatem sibi Pontifices reseruasse.

354 Eadem censura notandus Arcudius *loco citato*, dum voluit, saltem ab Episcopis in Synodo coadunatis posse talem concedi dispensationem.

Ideò dicendum est ad solùm Summum Pontificem spectare facultatem dispensandi in hac materia, & hoc ex plenitudine Potestatis, quam habet in Ecclesia, Diuus Thomas *d. quæst. 72. art. 11.* Palud. *dist. 7. quæst. 4.* Soto *eadem distinct. num. 20.* Suarez *loco citato*, Fragos. *de Regim. Reipub. par. 2. lib. 8. disp. 18. §. 7. sub num. 1.*

355 Quæ tamen non passim, sed suadente necessitate debet concedi, vt dicunt Graff. & Reginald. relati à Bauni *de Sacrament. loco citato* nempe in locis, in quibus adest Episcoporum penuria, vt in Regionibus longinquis, vt in Brasilia dispensauit Gregorius Decimustertius, & ante illum pro Indorum Regionibus Hadrianus Sextus, vt refert Arcudius *loco citato cap. 15. pag. 90.* hanc dispensationem concessit etiam Leo Decimus pro Indijs.

In nostris tamen Regionibus denegata fuit huiusmodi dispensatio Archiepiscopo Tarraconensi, qui eam petebat pro Sacerdotibus Insululæ Iuizæ, vt apparet in Registris Sacræ Congregationis.

Huiusmodi autem priuilegium si concedatur tanquam exorbitans, non potest extendi de persona ad personam, & parcè

de eo vtendum, vt dicit P. Thomas à Iesu *loco citato*, qui in Annotationibus addit, simplices Sacerdotes etiam in Indijs eo non fuisse vsos.

Cæterum post hæc scripta ad manus meas peruenerant opera Nicol. Rodriquez Fermosini, qui *in tract. 2. to. 2. de officijs, & Sacris Ecclesiæ, de Sacramento Confirmationis quæst. 7. 8. & 9.* latissimè de hac materia tractat, & sequendo eruditissimi viri Basilij Ponce de Leon doctrinam *in tract. de Sacramento Confirmationis par. 4. cap. 1. & seq.* procedit per viam nonnullarum conclusionum.

356 Nempe Ministrum ordinarium huius Sacramenti esse Eiscopum, & hanc sententiam esse de fide ex Suarez, & Lorino, eamque comprobat ex Concilijs, & Patribus, & Sacris Canonibus, & Doctorum auctoritatibus.

357 Secundò, quasdam fuisse antiquitùs in Ecclesia vnctiones practicatas, & inter illas, vt in casu necessitatis, absente Episcopo morituris Sacerdotes ministrarent in solatium animæ propter occasionem transitus mortis, vt quibus Sacramentum Confirmationis dari non poterat, sacra illi vnctione lenirentur, quas instituisse Siluestrum Papam: Ex qua conclusione respondet ipse ad Canones Concilij Arausitani *Primi*, Toletani, & ad alios Canones, qui in contrarium facere videntur.

358 Tertiò, posse simplicem Sacerdotem ex delegatione, & dispensatione Pontificia Sacramentum Confirmationis administrare, reprobata Scoti, Duran. Bonaenturæ, Gabriel, Maioris, Alphonsi de Castro, Gulielmi Estij contraria sententia, qui voluerunt, Papam minimè dispensare posse, vt simplex Sacerdos hoc Sacramentum ministrare possit.

359 Quartò, Diaconos, & alios Clericos non Presbyteros, nec etiam ex delegatione Summi Pontificis non posse Sacramentum Confirmationis administrare, quia deficit in illis caracter Ordinis presbyteralis, qui requiritur ex institutione Diuina pro Ministro legitimo huius Sacramenti, & hanc esse communem Theologorum opinionem, vt per multos, quos ipse allegat, & per Salagud *de Sacramento Confirmationis num. 25.* dicit, reprobatum esse errorem eorum, qui affirmabant Diaconum esse inter proprios huius Sacramenti Ministros, quod ex nostris voluit Barbos. *de potestat. Episcopi allegat. 30. num. 4.* Propterea non esse ferendos Abbatem, & Innocentium, qui *in cap. Quanto de Consuetud.* & Glos. *in cap. Manus de Consecr. distinct. 5.* existimant ex mandato Papæ quemlibet Clericum posse conferre Ordinem, & Sacramentum, quod haber.

360 Quintò, Abbates ex priuilegio Sedi Apostolicæ, & de consensu Ordinarijs posse conferre hoc Sacramentum Confirmationis, Barbos. *de potest. Episc. alleg. 30. n. 5.*

361 Sextò, soli Summo Pontifici competere priuatiuè potestatem dispensandi cum Presbyteris, vt queant ministrare Sacramentum Confirmationis, de qua quæstione videndus est Basilius Ponce *de hoc Sacramento par. 4.* Diana *par. 8. tract. 1. resolut. 5.* latissimè Verricellus *de Apostolicis Missionibus tit. 6. quæst. 130. sect. 1. 2. & 3.*

362 Septimò, non posse Summum Pontificem dispensare, vt simplex Sacerdos consecret sanctum Chrisma pro Sacramento Confirmationis: Quicquid dixerint citati à Diana *par. 8. tract. 1. resol. 12. vers. Nota etiam.*

363 Octauò, Pontificis dispensationem sine causa factam, esse validam, vt probatur ex Diana *loco citato resolut. 6.*

364 Nonò, Pontificem solummodò electum, non consecratum posse huiusmodi dispensationem concedere, vt aduersus Paludanum tenent relati à Diana *loco cit. resolut. 3. vers. Primo quæro.*

365 Decimò, facultatem dispensandi concessam à Summo Pontifice ex causa, non cessare causa deficiente, nec etiam morte Pontificis expirare, ex eodem Diana, Præposito, Henriquez, & Suarez.

366 Vndecimò, nec etiam Consuetudine posse introduci, vt simplex Sacerdos possit ministrare Sacramentum Confirmationis, vt *in cap. Quanto de Consuetud.*

367 Duodecimò, Consuetudine Græcorum licitè introductum fuisse, vt simplex Sacerdos huiusmodi Sacramentum ministraret, de qua latissimè Basilius Ponce *de Sacramento Confirmationis cap. 5. per. tot.* & per alios ab eodem Fermosino *in citata quæst. 9. nu. 13.* de qua tamen *supra* diximus.

Placet hic addere aliqua Decreta Sacræ Congreg. circa Ritus Græcorum, & primò.

Circa Sacramentum Baptismi.

368 Græci etsi in conferendo Baptismo faciant trinam aspersionem, dùm dicunt, *In nomine Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiri✝tus Sancti, Amen,* non sunt propterea molestandi, *die 19. Decembris 1613.*

Græcorum vxores Latinæ, quamuis more Græco baptizatæ sint, iuxta instructionem Clementis Octaui debent retinere Ritum Latinum, si in reliquis latinè viuunt, *26. Nouembris 1626.*

Quoad Sacramentum Confirmationis.

369 Sacra Congregatio nunquam voluit recedere à dispositis in Constitutione Innocentij Quarti, & Instructione Clementis Octaui: Cum enim Græco-itali Regni Siciliæ conquesti fuissent apud Sacram Congregationem prohiberi ab Ar-

chiepiscopis Panormi, & Montis-regalis, & ab Episcopo Agrigentino, ne Sacerdotes in Baptismo conferant Sacramentum Confirmationis, imò cum Archiepiscopus Montis-regalis scripsisset dubitare, ne Populus Græcus ad seditionem commoueretur, si declararetur, eorum Sacerdotes non habere facultatem administrandi Samentum Confirmationis: Sacra Congregatio respondit *sub die 29. Martij 1601.* Referentibus Cardinalibus Sanctæ Seuerinæ, & Bellarmino, obseruandam esse omnino instructionem Clementis Octaui. Grauem enim abusum esse, quod simplices Sacerdotes audeant diuum Sacramentum administrare, non tamen declarare Græcos, qui iam obierunt, decessisse absque eo Sacramento.

Insuper decreuit, Christianos à Presbyteris confirmatos, ab Episcopis debere iterum confirmari sub conditione.

Nescitur enim, an iste vsus introductus inter Græcos commorantes in Sicilia, quod scilicet Presbyteri Chrisma ministrent, ortum habuerit à Sede Apostolica, sed quatenus licentiam ab ea habuerint, renocatam fuisse per Constitutionem Innocentij Quarti.

Sed an in nouo Orbe, & in Partibus Infidelium præsertim, vbi feruet persecutio, statim post Baptismum ante vsum rationis infantes sint confirmandi, videndus est plenè P. Verricell. *de Sacris Mission. tit. 7. de Sacramento Confirmationis quæst. 126. per totam.*

Circa Sacramentum Eucharistiæ.

370 Quia Græci Corcyræ, & illarum partium ob carentiam tritici consecrabant in pane hordeaceo, Archiepiscopo fuit scriptum, vt toleret omnino hunc abusum, & prohiberet impofterum consecrari in pane hordeaceo, & fideles illum adorare, *sub die 29. Octobris 1629.*

Item quia in Italia Græci sumebant Communionem sub vtraque specie, scriptum fuit Ordinarijs vtriusque Siciliæ, & Episcopo Mileti, vt in suis Diœcesibus hoc prohibeant, *die 4. Septembris 1603.*

Sed quia plures ex dictis conquesti fuere, dictum fuit, quod suauiter eos disponant ad illam recipiendam sub vna specie nempe panis *die 28. Iulij 1605.*

Circa Sacramentum Pœnitentiæ.

371 Cum Episcopus Corcyren. significasset Sacræ Congregationi, Sacerdotes Græcos suæ Diœcesis absoluere Pœnitentes his verbis:

Gratia Sancti Spiritus per meam humilitatem habeat absolutum, & liberatum.

Vel hisce alijs:

Beatissime Rex per me humilem indignum seruum tuum remitte seruo tuo.

Sacra Congregatio respondit *die 19. Decembris 1613.* esse tolerandos, si absoluant Pœnitentes forma consueta ab Ecclesia Orientali.

De qua latè per Arcudium *lib. 4. de Sacramento Pænitentiæ cap. 3. & 4.*

Græcis degentibus Liburni non administrent Presbyteri Latini Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, nisi de licentia Archiepiscopi Pisani, *die 7. Martij* 1626.

Græci Catholici in defectum Sacerdotum Græcorum possunt secundum Ritum Latinum confiteri sacramentaliter, & Sacram Eucharistiam sumere, *3. Decembris* 1626.

372 Sed an Sacerdotes Græci, & Armeni, aliiq; Orientales possint absoluere eorum subditos à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, attento quod in Patriarchatibus Orientalibus non est in vsu casuum reseruatio. Hanc quæstionem P. Verricellus *tract. de Apostol. Mission. tit. 9. de Pænitentia quæst. 153.* dicit, fuisse disputatam Romæ *die 4. Iulij 1631.* in Congregatione particulari super dubiis Missionariorum Orientis in Palatio Eminentissimi Pamphilij, postea Innocentij Decimi glor. memoriæ, cui vnacum dicto Eminentissimo interfuerunt P. Nicolaus Riccardus Magister Sacri Palatii, P. Horatius Iustinianus Oratorij Sancti Philippi Nerij, qui demùm euectus fuit ad Cardinalatum, & P. Thomas de Afflictis Theatinus, & dicit, negatiuam opinionem tenuisse P. Iustinianum, affirmatiuam verò Patres Riccardum, & de Afflictis, sed non dicit, quid fuerit resolutum, ipse verò adhæret opinioni affirmatiuæ.

373 Sed hæc quæstio pendet ab ea, an Græci Orientales teneantur Canonicis Latinorum Constitutionibus, de qua videndus est Azor. *to. 1. Instit. moral. lib. 5. cap. 11. vers. Septimo quæritur*, Salas *de Legibus disput. 14. de legib. sect. 15.* Baldell. *to. 1. de lege lib. 5. disput. 41. num. 2.* Verricell. *quæst. 84. per totam.*

Disputat pariter idem P. Verricellus *quæst. 154.* an Regularis Latinus confiteatur validè Sacerdoti Græco extra necessitatem. Et *quæst 155.* an in Diœcesi, vbi permixti sint Latini cum Græcis, & est duplex Episcopus Latinus, & Græcus, possit secularis Latinus extra necessitatem confiteri Sacerdoti Græco approbato ab Episcopo Græco.

In prima quæstione affirmatiuam tenet opinionem. In secunda verò negatiuam, & vide per eum.

Circa Sacramentum Extremæ Vnctionis.

Nihil inueni in Sancto Officio, benè scio in Congregatione Euchologij multa dubia fuisse circa illud excitata, & decisa, sed tot labores periere.

Circa Sacramentum Ordinis.

374 Græci ad Ordines sacros promouendi debent Romam accedere, vt promoueantur ab Episcopo ad hoc deputato, & de hoc certiorentur Episcopi Neapolitani Regni, & Siciliæ *die 18. Iulij & 1. Augusti 1613.*

Et sæpiùs fuit denegata licentia Græcis petentibus ordinari vel in Regno Neapolitano, vel Siciliæ, licet mei Assessoratus tempore pluries fuit dispensatum, vt possint ordinari ab Episcopo Græco Catholico Sacræ Congregationi noto, & in Regno Siciliæ commoranti.

Scriptum etiam fuit Ordinarijs, vt inuigilent circa obseruantiam Constitutionis Beati Pij Quinti, qua cauetur, ne Presbyteri Græci Latino more, neve Latini Ritu Græco Missas, & alia Diuina Officia celebrent, *die 4. Iulij 1624.*

Græci Orientales Missas non celebrent nisi habeant septem Ordines, & sint ordinati ab Episcopo Græco communionem cum Sede Apostolica habente.

Qui ex quatuor Ordinibus Minoribus Lectoratum tantùm accepit, non admittitur ad celebrationem Missæ, nisi accipiat alios Ordines Minores, cũ ex Constitutione Innocentij Quarti caueatur, quod Episcopi Græci imposterum septem Ordines, secundum morem Ecclesiæ Romanæ, conferant, *die 31. Octobris 1613.*

Græci Episcopi non possunt in Diœcesibus aliorum Episcoporum exercere Pontificalia, nisi de expressa licentia Sedis Apostolicæ: Et facto priùs verbo in Congregatione Sancti Officij coram Sanctissimo, ità fuit scriptum Episcopis Neapolitani Regni, & Siciliæ, *die 4. Octobris 1613.*

Non est permittendum, quod Græci orent pro Episcopo Schismatico eorum Ordinatore; sed debent orare pro Summo Pontifice, & eorum legitimo Episcopo; pro Schismaticis tantùm orandum est, vt conuertantur, *die 19. Decembris 1613.*

Græcus adscriptus seruitio Ecclesiæ Græcæ, quæ fuit redacta ad Ritum Latinum, dispensatur à Sanctissimo, vt possit ei inseruire iuxta Ritum Latinum, adiecta conditione, vt non possit ampliùs redire ad Ritum Græcorum, *die 4. Iulij 1613.*

Græci insufficientes in litteris, sicuti & Latini non sunt promouendi, promoti verò suspendendi, *die 10. Septembris 1613.*

Græcis non licet curam animarum Latinarum gerere, nec munus Parochi exercere, *eodem die, & anno.*

Nullus Latinus potest in Presbyterum ordinari iuxta Ritum Græcum, etiamsi vellet ordinari intuitu Ecclesiæ Græcæ, cui inseruit, fuerunt tamen sic Ordinati in Diœcesi Messanen. tolerati, vt pax inter Græcos, & Latinos seruaretur, *die 10. Septembris 1613.*

Natus ex vtroque parente Latino promoueri non potest animo celebrandi more Græcorum, *10. Decembris 1613.*

Græcus ordinatus ab Episcopo Schismatico scienter, debet dispensari super Irregularitate, & recipi præuia fidei professione, *die 3. Aprilis 1614.* Si verò ignoranter, recipitur sola fidei professione, *7. Septembris 1622.*

Archiepiscopus Corcyræ consuluit Sacram Congregationem, an Græcus nobilis possit suscipere Ordines ab Episcopo Schismatico, vel potius ab Episcopo Latino, & sic Ordinatus ministrare Ritu Græco; Sanctissimus mandauit ei rescribi, vt ipse illi conferret Ordines, prout confert Latinis suis subditis, indulsitque, vt celebraret Ritu Græco, *16. Decembris 1621.*

Diuerso autem Ritu vtuntur Græci à Latinis in collatione Ordinis Presbyeratus; Nàm Græci sola manus impositione conferunt Sacerdotium, Card. de Lugo *de Sacramentis disput. 2. sect. 5. num. 5.* vbi hæc ait:

Hodie Episcopi Græci Catholici Romæ dùm Presbyteros ordinant sciente, & consentiente Summo Pontifice, Me præsente, non per Calicis, & Patenæ porrectionem id faciunt, sed per manus impositionem super caput Ordinandi, dicente Episcopo: Diuina Gratia promouet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum.

De quo Verricell. *quæst. 168. sect. 3.* qui *sect. 4.* latissimè confutat Ioannem Baptistam Catumsyritum *in Concordia vtriusque Ecclesiæ tract. 1. accus. 63. & accus. 90. Elech. 15.* putantem, materiam Ordinis Sacerdotalis in Ecclesia Græca esse traditionem Panis Eucharistici, ac Vini consecrati, cum hac forma:

Accipe Panem hunc, & effice Corpus Christi; Vinum autem, quod est in hoc Calice effice Sanguinem Christi.

Sed de doctrina suspecta Catumsyriti fuit aliàs actum in Suprema &c. & ille semper fuit Romæ retentus, ne Græcos inficeret suis malè sonantibus propositionibus.

Sed an Episcopus Græcus Ritu Latino & è contra, Episcopus Latinus Ritu Græco validè conferant sacros Ordines, videndus est latè disputans P. Verricellus

dicto tract. de Apostol. Mission. quæst. 168. per totam.

Circa Sacramentum Matrimonij.

375 Græcus coniugem Latinam habens, non potest, nec debet illam ad suum Ritum trahere, licet hoc coniux Latinus benignè, & non violenter facere possit, quod si renuerit, viuat vnusquisque secundùm suum Ritum, *die 25. Augusti* 1595.

Græcorum filij, qui patrem Græcum, matrem Latinam habent, & more Latinorum in reliquis viuunt, sed vt patribus obsequantur, an possit eis permitti, vt sumant Eucharistiam secundùm Ritum Græcorum, est Decretum in Instructione edita per fel. record. Clementem Octauum per illa verba: *Proles sequatur patris Ritum, nisi præualuerit mater Latina.*

Et propterea cum in educatione liberorum prædictorum videatur matrem præualuisse, deberent filij seruare Ritum Latinum etiam in sumenda Eucharistia, ad quod sunt persuadendi patres, non cogendi, sicut filij, si velint viuere Ritu Græco, dummodò sit probatus ab Ecclesia, non sunt impediendi: secùs si velint partim Græcè, partim Latinè viuere, *die 12. Nouembris* 1626.

Græcorum vxores, quamuis ipsorum more baptizatæ iuxta Instructionem Clementis Octaui, debent retinere Ritum Latinum, si in reliquis Latinè viuant, vt conformentur proprijs maritis, *die 26. Nouembris* 1626.

Græca vxor Presbyteri mortuo viro dispensatur, vt cum alio contrahere possit, non tamen Presbytero, non obstante consuetudine, quod Relicta Presbyteri alteri nubere non possit, *die 7. Ianuarij* 1621.

Pluries tamen fuit denegata dispensatio Presbyteris Græcis ducendi secundam vxorem mortua prima.

Circa alia Dogmata.

376 Græcis habitantibus inter Latinos non permittatur esus carnium die Sabathi: Si verò habitent in Villis, & Terris separatis à Latinis, non prohibetur illis esus carnium iuxta eorum Ritum, *die 25. Augusti* 1595.

Græci Liburni commorantes comedebant publicè carnes die Sabathi: Sanctissimus mandauit scribi Archiepiscopo Pisarum, vt quibus opus fuerit prohibeat, ne Græcis carnes subministrent die Sabathi, & eisdem Græcis sub grauissimis pœnis præcipiat, vt ab esu carnium diebus ab Ecclesia Romana vetitis abstineant, *die 31. Augusti* 1628.

Die 30. Ianuarij 1593. scriptum fuit Inquisitori Fauentiæ occasione Militum Albanensium, qui prætendebantur carnes in illis partibus comedisse diebus Veneris, & Sabathi, & eos carcerauerat, de ordine Sanctissimi, vt illos excarceraret, imponendo illis pœnitentias salutares, & prohibendo, ne ampliùs in tales errores inciderent, licet enim in Terris, & domibus eorum permittatur, quod possint comedere carnes die Sabathi, excepta Quadragesima, non tamen hoc facere possunt in alijs Partibus propter scandalum, iuxta doctrinam Diui Pauli: *Si propter escam scandalizatus fuerit propter me, non manducabo carnes in æternum.*

Sed post hęc scripta habui à Reuerend. Domino de Vecchis viro doctissimo, & eruditissimo Sacræ Congregationis Concilij à Secretis infrascripta:

Illustrissimi, e Reuerendissimi Signori.

377 L'*Arciuescouo di Monreale hà nella sua Diocese vna Terra abitata da' Greci Albanesi, ed occorrendo alcuni dubbi nel loro gouerno, supplica le Signorie Vostre Illustrissime, che gli sieno risoluti:*

Primo, *Se può consagrare vna Chiesa fabbricata per essercitarui il Rito Greco, massime che i Greci si seruono del Trono colle reliquie in luogo della consagrazione dell'Altare, o Altaretto, e di Corporale.*

Secondo, *Nell' Istruzzione stampata si ordina, che i Preti Greci non Cresimino: Si ribellarà tutto il popolo se si dichiara, che i loro Preti non anno questa facoltà di Cresimare, della quale sono stati anticamente in possesso; nè possono sentire, che i loro antepassati Cresimati da' Preti Greci siano morti senza Cresima.*

Terzo, *Nella medesima Istruzzione si comanda, che i Greci viuendo fra' Latini sieno obbligati ad osseruare le feste di precetto della Chiesa Latina. Dicono, ch'essendo la Terra quasi tutta abitata da loro, non viuono fra' Latini, ma che i Latini viuono fra di loro; e che però non son' obbligati altrimenti per ragione dello scandalo all'osseruanza delle feste Latine, massime auendo essi più feste, che non anno i Latini: E che se bene di questo punto si fa menzione nella parte proemiale del Breue di Pio Quarto, nella dispositiua però non si ordina cos' alcuna.*

Quarto, *Si desidera sapere qual sia l'abito de' Preti Greci, alli quali sono morte le loro mogli.*

Quinto, *Nell'istessa Istruzzione*, Circa Sacramentum Confirmationis, *ibi*, Et tutius videtur, *Non potendo i Preti Greci Cresimare, pare, che non occorra vsare questa cau-*

tela, e che però si douriano leuare quelle due parole, præsertim verò, *acciocchè la cautela seruisse solo in quel caso*, cum verisimiliter.

Sesto, *Presupposto la dottrina* del Sagro Concilio di Trento al cap. 4. & al can. 4. della sessione 12. *si dubbita, se si dee tolerare alli Greci il communicare i loro Infanti, massime leggendosi nel Breue di Pio Quarto* Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum suis Infantibus in Baptismo exhibentes, *se bene i miei non lo miuistrano nel Battesimo, ma solo vsano darlo nella feria quinta della Cena del Signore.*

Settimo, *Nella Bolla di Pio Quinto si dispone, che i Preti Greci non possino celebrare alla Latina; ne i Latini alla Greca, si dubbita se i Preti Latini possino celebrare alla Latina nelle Chiese Greche, e li Preti Greci alla Greca nelle Chiese Latine.*

RISPOSTA.

Ad primum. *Può il Vescouo Latino consagrare le Chiese fabbricate per essercitarui il Rito Greco, e così si è fatto in Roma nella Chiesa di Sant'Atanasio.*

Ad secundum. *Conuiene per ogni modo osseruare l'Istruzzione stampata, perche è troppo grande abuso, che i Preti ardischino Cresimare, quando non ci manca il Vescouo, che dia questo Sagramento, ne però si dichiara, che l'antepassati de questi Greci sieno morti senza Cresima.*

Ad tertium. *Non può essere senza scandalo, che i Greci nella Prouincia de' Latini non seruino le feste di precetto appresso i Latini: E se bene Pio Quarto nella dispositiua non ordina questo in particolare, l'ordina in genere, mentre dichiara, che i Greci ne' Paesi de' Latini anno da esser gouernati da' Vescoui Latini, ed osseruare i lor' ordini intorno al culto Diuino: Sicchè deono i Greci abbitanti nella Diocese di Monreale osseruar le feste, che sono di precetto in detta Diocese. Ne si potranno lamentare di essere obbligati a celebrare troppe feste, se vorranno celebrar le feste de' Santi Apostoli in quei giorni, ne' quali le celebrano i Latini.*

Ad quartum. *Purche portino abito Ecclesiastico, e distinto dall'abito de' coniugati, puoco importa qual sia.*

Ad quintum. *Quelli che sono Cresimati da Preti Greci, si deono Cresimare dal Vescouo* sub conditione; *perche non sappiamo, se l'vsanza introdotta fra' Greci di Sicilia, che i Preti diano la Cresima, abbia auuto origine dalla Sede Apostolica: ne siamo certi, se la licenza datagli dal Sommo Pontefice sia stata abrogata per la Costituzione d' Innocenzio Quarto.*

Ad sextum. *E bene istruire i Greci, che sarebbeno meglio, se non dassero la Santa Communione a' fanciulli, che non anno l'vso di ragione, ma se non si acquietano, si può tolerare il Rito loro, massime che il Sagro Concilio non riprruona l'vso degli antichi, ma insegna non essere necessario.*

Ad septimum. *Se bene non è lecito a' Latini celebrare col Rito Greco, ne a' Greci col Rito Latino, nondimeno è lecito a' Latini celebrare nelle Chiese de' Greci Cattolici, ed a' Greci nelle Chiese de' Latini; e di questo ci sono esempi antichi, e moderni.*

Die 28. Martij 1601. *Ità duximus respondendum* Iulius Antonius Episcopus Cardinalis Prænestinus Sancta Seuerina *de mandato Sanctissimi Domini Nostri.*

Ità respondemus Robertus Cardinalis Bellarminus *tit. Sanctæ Mariæ in Via.*

Græci Agrigentinæ Diœcesis petunt non cogi ad obseruanda festa Latinorum, sed rescribitur, vt seruent Instructionem Clementis Octaui, *sub die 20. Ianuarij* 1621.

Græcis, qui petunt dispensari, vt ad Ritum Latinorum transire possint, conceditur, cum clausula, *quod ampliùs ad Ritum Græcum redire non possint*; ità *die* 1. *Februarij* 1633.

Plura de Græcis, Armenis, & Orientalibus videnda sunt penès eundem P. Verricellum *d. tract. de Mission. à qu.30. per multas, & sparsim per totum tractatum.*

378 Quartò infertur, legentes libros Apochryphos Hæresim non continentes, non incidere in censuram Bullæ Cęnæ, Duard. *ad Bullam lib.2. can.1. quæst.35. vers. Quinta conclusio.*

379 Ex Theologis autem Bellarminus *lib.1. de Verbo Dei, cap.20. per tot. to.1.* Gretserus *in defensione Bellarmini tom. 1. lib. 1. cap. 20.* Canus *de locis Theol. lib.11. cap.6. post med. vers. Tertia regula,* Posseuinus *in apparatu sacro to.1. ver. Apochryphi, fol.*117. Grauina *de Cathol. præscript. lib. 4. de Verbo Dei controuersia 3. speciali, cap. Conclusio Catholica fol. mihi* 192. Bruccard. *in suo Decreto cap.* 22. Baron. *tom. 1. Annal. anno Christi* 44. *num.* 48.

380 Solùm hic adnotare volui, reprobari communiter Gloss. *in cap. Canones distin. 16. in ver. Apochryphi*, quæ voluit, Apochryphos libros eos esse, qui non habent certum Auctorem; sicut idem ait Addeus *ad dictum cap. Sancta Romana Ecclesia, dicta distinct.* 15.

Quia si esset verum dictum Glossæ, multi libri sacri essent Apochryphi, vt liber *Iudicum, Ruth, Iob, Primus Machabæorum*, & permulti alij, quorum Auctores ignorantur, quod tamen abhorret ab vsu loquendi Ecclesiæ. Quis enim dixerit li-

brum Canonicum esse Apochryphum, & ideò Glossam repudiant Bellarminus *loco cit. vers. Quod autem*, Couuarr. *loco citato*, dicens, Glossam errasse ex ignorantia Græcæ linguæ, Grauina *loco cit. vers. Quidam dicunt*, Gretserus *loco cit. vers. Quando igitur*, Acunha *dicto cap. Canones num. 5*.

381 Cauendum est etiam ab Alberico *in Dictionario in ver. Apochryphum*, qui, vt dicit Caluinus *in Lexicon* profligatæ Barbariei secutus auctoritatem, ait, *Apochryphum* dixi ab ἀπὸ, idest *de*, & κρυφὸς, hoc est, *secreto*: Vnde liber Apochryphus secretus, occultus, quia eius Auctor ignoratur, nam confunditur ex *supradictis*.

382 Certum tamen est in hac materia Ecclesiasticos Scriptores non semper eodem modo hanc vocem vsurpare: Interdùm enim vocant scripturas Apochryphas eas, quæ, non est certum, an sint canonicæ, & Diuinæ, etiamsi satis constet, nullos in eis errores inueniri: Sic D. Hieronymus *in prohemio Galeato* vult, eos omnes libros, qui non sunt in canone, inter Apochryphos numerandos esse.

383 Interdum autem vocant Apochryphos libros illos, qui errores admixtos habent: sic vtitur hac voce Origenes *homil. 1. in Cantic.* D. Hieronymus *in Epist. ad Latam de Instit. Filiæ*, D. Augustinus *lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23.* vbi ait, *Sicut multa sub nominibus Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab Hæreticis ponuntur, quæ omnia sub nomine Apochryphorum auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt*; & hanc significationem videtur sequi Gelasius *in d. cap. Sancta*; Eos enim vocat Apochryphos, qui sunt editi ab Auctoribus Hæreticis, vel saltem suspectis, de quibus omnibus per Bellarmin. Couuarr. & Grauin. *locis citatis*.

384 Cæterum quia Gelasius inter Scripturas Apochryphas recenset Epistolam Saluatoris Nostri *ad Abagarum Regem*, cuius tamen meminuerunt Eusebius *lib. 1. Histor. cap. 13.* Nicephorus *lib. 2. cap. 7.* Euagr. *lib. 4. cap. 27.* de quibus Couuarr. *dicto cap. 17.* Eius etiam meminit Theodorus Studita *in Epistola ad Paschalem Papam*, vt habetur *in Codice Vatic. post Epistolam Hormisdæ Papæ*, & ante istos Ephrem Diaconus Edissenus eo opusculo, quod dicitur *Testamentum Ephrem*, Baron. latè *ad annum 31. à num. 58.* Grauina *loco citato, vers. Responsa à Iesu ad Abagarum Regem*, Acunha *loco cit. nu. 107.*

Quæri potest, quid sentiendum de Epistola Beatæ Mariæ Virginis, quæ dicitur scripta ad Ciues Ciuitatis Messanæ.

385 In Suprema &c. fuit super hoc latè disputatum *de anno 1598.* & *sub die 30. Iulij eiusdem anni* fuit resolutum, eam inter Scripturas Apochryphas numerari.

Ideò cum *de anno 1606. die 4. Ianuarij* fuisset impressa, fuit mandatum, quod exemplaria impressa colligerentur, & imposterum imprimi prohiberetur.

386 Qui autem cupit videre, quàm Apochrypha, & mendax sit historia de Epistola Beatæ Mariæ Virginis ad Messanenses, adeat Roccum Pyrrum *in sua notitia Sicilìensium Ecclesiarum, notitia secunda Ecclesiæ Messanen. à pag. 234. vsque ad pag. 254. & in fine voluminis pag. 484.* affert Decretum Sacræ Congregationis Indicis, editum *die 14. Aprilis 1633.* quo prohibetur liber, cui titulus, *Epistola Beatæ Virginis Mariæ ad Messanen. veritas vindicata*; Auctore P. Melchiorre Inconser è Societate Iesu, licet in eo Decreto permittatur *coniectatio eiusdem Epistolæ* eodem P. Melchiorre Auctore.

387 Sed quid de Laminis, seu libris plumbeis Granatensibus? Sunt quidem illi tam circa dogmata in eis contenta, quàm circa Historiam pluribus referti erroribus, etsi eos defendere, & aliquibus obiectionibus respondere conatus sit Gregor. Lopez Madera *in suo peculiari tractatu*, quem mutuo dedi N. Qualificatori in Congregatione Laminarum, & dum repetere volui illum à Me non habuisse negauit: Vide quam periculosum sit mutuò dare libros, præsertim quorum exemplaria rara sunt.

Super prædictis autem Laminis plumbeis, seu libris Granatensibus non minùs longa, quàm matura habita discussione per Eminentissimos Cardinales Generales Inquisitores in pluribus Congregationibus, Meque interueniente; relatisque votis Sanctissimo D. N. Innocentio Vndecimo, Sanctitas Sua deuenit ad illorum, omniumque in eis contentorum prohibitionem, prout ex tenore Breuis, quod non abs re huc transcribere visum fuit.

INNOCENTIVS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD circumspectam Romani Pontificis, cui gregis sui custodiam commisit Altissimus, noscitur prouidentiam pertinere, vt quæ Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei veritatem perniciosis dogmatibus, fictitijsque reuelationibus, & fabulosis narrationibus corrumpere valerent, ea Apostolici censura iudicij configere, & à Christifidelium oculis, mentibusque procul amouere studeat, ne animas pretioso Saluatoris, & Domini Nostri Iesu Christi Sanguine redemptas, pestifera tabe inficiant, & in æternæ damnationis periculum adducant. Cum itaque dudùm in cauernis cuiusdam montis, & alibi propè Ciuitatem Granaten. repertæ fuerint quadam laminæ plumbeæ, ac membrana, seu charta Arabico sermone, atque charactere exarata, in quibus ex Arabico in La-

tinum idioma fideliter versis, seu translatis, repertum est contineri libros infrascriptos, videlicet: Liber fundamentorum Fidei: Liber de essentia veneranda: Liber ordinationis Missæ Iacobi Apostoli: Oratio, & Defensiuum Iacobi filij Samechi Zebedei Apostoli ad omnes aduersitates: Liber Beatissimi Apostoli Iacobi filij Samechi Zebedei de prædicatione Apostolorum: Planctus Petri Apostoli Vicarij: Liber rerum præclarè gestarum Domini Nostri Iesu, & miraculorum eius, & Matris eius Mariæ Sanctæ Virginis: Liber Historiæ certificationis Euangelij: Liber donorum præmij: Liber mysteriorum magnorum: Liber colloquij S. Mariæ Virginis: Liber Sententiarum circa Fidem: Liber Historiæ Sigilli Salomonis: Liber assequibilium Diuinæ potentiæ: De natura Angeli, & eius potentia: Liber relationis doni, domus pacis, & tormenti, domus vindictæ: Liber rerum præclaræ gestarum Iacobi Apostoli, & miraculorum eius: Pars Secunda libri rerum præclaræ gestarum Iacobi Apostoli. *Nos eorundem librorum, ac membranæ, seu chartarum, in eisque contentorum discussionem nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica deputatis specialiter commisimus. Qui mandatis nostris obsequen. auditis Qualificatoribus, Theologis, & in pluribus Congregationibus maturè discussis varijs propositionibus, tam quoad dogmata, quàm quoad Historiam Ecclesiasticam, excerptis ex libris supradictis iuxta illorum versionem, seu translationem communiter approbatā per interpretes à fel. rec. Innocentio Papa X. prædecessore Nostro deputatos, collatisque eisdem propositionibus etiam cum versionibus aliàs in Hispania factis, & ad Sedem prædictam transmissis, vnanimi consensu censuerunt, si Nobis placeret, deueniendum esse ad prohibitionem, & damnationem dictorum librorum, omniumque in laminis plumbeis, & membrana, seu chartis prædictis contentorum: cum falsò tribuantur Beatissimæ Virgini Mariæ, & Sancto Apostolo Iacobo maiori, aut ipso dictante eius discipulis Thesiphoni, & Cecilio, imò sint pura figmenta humana, in perniciem Catholicæ Fidei composita, & respectiuè contineant hæreses, atque errores ab Ecclesia Catholica damnatos, ac aduersentur litteræ Sacræ Scripturæ, & expositioni Sanctorum Patrum, & vsui Ecclesiæ; quin etiam plura redoleant Mahometismum, nec parùm inducere videantur fideles ad Sectam Mahometi, è cuius Alcorano, & alijs Mahometanorum impurissimis libris non modica illorum pars agnoscitur transcripta. Itaque Catholicæ Fidei conseruationi, ac omnium Christifidelium curæ Nostræ diuinitùs commissorum Animarum saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, prouidere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & maturè deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis pleuitudine, laminas plumbeas prædictas, cum membrana, seu chartis supra descriptis, & libros ex illis versos supradictos, ac in eis contenta quæcunque, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ac pro damnatis, & reprobatis perpetuò haberi debere decernimus. Ac proinde omnibus, & singulis Christifidelibus, cuiuscumque status, & conditionis sint, ne earundem laminarum, & membranæ, seu chartarum, & ex eis versorum librorum huiusmodi exemplaria, seu copias legere, aut penès se retinere audeant, quouis modo, seu præsumant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cuius absolutionem nemo à quoquam, nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo constitutus) valeat obtinere, prohibemus, & interdicimus, volentes, & Apostolica auctoritate mandantes, vt quicumque exemplaria, seu copias huiusmodi penès se habuerit, illas, & illa statim atque præsentes litteræ ei innotuerint locorum Ordinarijs, vel hæreticæ prauitatis Inquisitoribus auctoritate Apostolica deputatis tradere, atque consignare teneatur, qui illicò cuncta comburant. Insuper omnibus Concionatoribus, Lectoribus, & Professoribus Sacræ Theologiæ, ac Expositoribus Sacrarum litterarum sub pari excommunicationis pœna interdicimus similiter & prohibemus, ne vllo tempore, vel quouis prætextu audeant, aut præsumant in concionibus, lectionibus, vel scriptis, vti auctoritate, vel testimonio dictarum laminarum, membranæ, seu chartarum vt supra descriptarum, aut eas in quibusuis actibus allegare, nisi ad confutandum, reprobandum, & damnandum falsam doctrinam, falsasque reuelationes in eis contentas. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem eædem præsentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare. Volumus pariter, & auctoritate prædicta decernimus, vt illæ ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi-floræ de Vrbe, per aliquem ex Cursoribus Nostris, vt moris est, publicentur, illarumque exempla, ibidem affixa relinquantur, itaut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt perinde afficiant, ac si vnicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: vtque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides tam in iudicio, quàm extrà illud vbique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI. Martij 1682. Pontificatus Nostri Anno Sexto.*

I. G. Slusius.

388 Quintò infertur, legentes libros Magorum, seu Negromanticorum non comprehendi hac censura Bullæ Cœnæ, si eorum Auctores non sunt Hæretici, licèt in illis doceatur adoratio Dæmonis, apostatare à Fide, & similia, quæ sunt contra Fidem Catholicam, sic Duard. *in Bulla Cœnæ, d. quæst.45. conclus.4. num.15.* Sousa *in explic. Bullæ, cap.2. respons.13. num. 15.* Bonacin. *in Bulla, disp.1. quæst.2. punc.4. num.4.* Card. de Lugo *de virtute Fidei Diuinæ, disp.21. sect.2.* Viuald. *in Bulla exemption.1. num.13.* Alter. *de Censuris, tom. 1. lib.5. disp.2. cap.7.* P. Diana *par. 1. tract. de Bulla Cruciatæ, resolut.30. vers. Sed de his magicis*, Mendo *in Bulla Cruciatæ, disputatione 25. cap. 4. num. 54.* Torre-blanca *Iuris spiritualis lib. 13. cap. 18. numero 38.* Qui tamen putat, quod si contineant Dæmonum incantationes, non posse legi citra incursum in cẽsuram Bullæ, quod tamen est contra communem opinionem.

Qui autem sint libri Magici, & Negromantici, videndus est Martin. del Rio *disquis. Magic. in margine ad Proloquium, 1. pag. lib.2. cap.3. & multis alijs in locis.*

389 In Sancto Officio frequentes sunt libri Magici, qui inscribuntur, *Clauicula Salomonis*; cum enim Salomon, vt fertur, scripsisset Incantationes, quibus morbi curantur, & Dæmones pelluntur, vt scribit Ioseph *lib.8. Antiquit. cap.2.* Ex verbis Ioseph, perditi homines occasionem acceperunt tribuendi Salomoni hunc perniciosissimum librum, vt benè Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast. Testamenti Veteris, de Salomonis Regis sapientia, pagina mihi 6. col.1.*

Pariter libri Petri de Abano, Cecchi Asculani, Cornelij Agrippæ, isti, *vt dixi*, sunt frequentiores in Sancto Officio.

390 Quid autem sibi velit hoc nomen *Clauicula Salomonis*, nihil aliud præsefert, nisi Clauis, qua aperiuntur secreta Magica ad omnes effectus, nempè ad amorem, odium, ad inueniendos thesauros, & similia: Continet etiam artem notoriam ad similitudinem illius, quæ Salomoni indita est, & per hanc artem sine vllo labore, sine Præceptore, aut studio, omnium Diuinarum, humanarumque rerum cognitio breuissimo temporis spatio pollicetur, Alberghin. *in Manual. Qualificator. cap.18. sess.3. num.1.*

391 Idem dicendum est de libris Hydromantiæ, Geomantiæ, Æromantiæ, & similibus, in quibus continentur auguria, auspicia, veneficia, sortilegia, incantationes, & pars illius Astrologiæ iudiciariæ, quæ de futuris contingentibus tractat, & prædicit, Graff. Azor. Vgolin. Sayr. Alter. citati à Fragosi *de Regim. Reip. disput.3. par.2. lib.1. §. 1. num.35.*

392 Sed difficultas est, An si libri huiusmodi sint compositi ab Hæreticis, Suarez *de Fide, disp.20. sect.2. num.16. in fin.* putat, eos legentes non excusari ab hac censura, quia liber censendus est *de Religione tractare*, siue per se contineat sacram doctrinam, siue sit exponendo Sacram Scripturam, siue Scholasticam doctrinam, siue Conciones, vel casus conscientiæ, siue alia, quæ ad cultum Dei, & Sanctorum, vel ad salutem animarum spectat; ità è contrario eiusdem materiæ censet libros de Superstitionibus, vel Magicis artibus tractantes, quia Religioni aduersantur: Quare prohibitis libris de Religione tractantibus, prohibentur quoque qui tractant de vitijs Religioni contrarijs, vt dicit etiam Cardin. de Lugo *loco citato num.53.* Suarez sequitur Baldell. *de Fide disp.46. num.6. lib.1.*

Contrarium videntur tenere Sousa *in explicatione Bulla Cœnæ, cap.2. disput. 13. num.5.* Bonacin. *tom.3. disp.1. qu.2. punc.4. num.4.* Card. de Lugo *loco cit. num.53.*

393 Qui tamen distinguit, quod aut Hæretici in libris Superstitionum, eas tradunt, quasi virtus ex illis Superstitionibus sit ex Deo, tunc intrat censura, quia tunc videntur tractare de Religione, vendentes falsam Religionem pro Religione vera.

Aut tractant de Superstitionibus, & Magia, quatenus à Dæmone descendunt, tunc quia non intendunt Religionem vendere, sed Superstitionem, non intrat censura.

394 Sed cum Negromantici in foro exteriori præsumantur Hæretici, & tanquam Hæretici puniantur, ex Farinacc. *qu.181. num.36.* putat Duard. *ad Bullam Cœnæ, lib.2. can.1. qu.45. nu.16. vers. Benè verum*; legentes hos libros excommunicationem Bullę vidẽtur contrahere, nisi certò scirent Auctorem librorum non esse Hæreticum.

Quarta excusatio est, si quis non legit, sed prædictorum librorum audit lectionem, dummodò ipse non mandauerit, vel non rogauerit, quod ei legantur, Sayr. *Thesaur. lib.3. tom.1. cap.5. num.12. in explicat. 1. Can. Bullæ*, Azor. *to.1. lib.8. cap.16. quæst.4.* Graff *par.1. decis. lib.4. cap.18. n.45.* Fragos. *loco cit. num.3. vers. Quia verò*, Suarez *d. sect.1. nu.19.* Reginald. *in praxi lib.9. num.251.* Layman. *lib.2. tract. 1. cap. 15. num.6.* Alter. *de Censur. lib.3. disp.2. in Bulla, cap.6. §.2. dub.1.* Baldell. *dicta quæst.46. num.15. vers. Atque.*

Contrarium, etiam quod quis mandauerit sibi legi libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes excusetur ab hac censura, voluere Vgolin. *de Censur. Papæ reseruat. par.2. cap.1.* Sanchez *d. cap. 10. num. 18.* Bonacin. *d. disp.2. quæst.5. punc.4. num.11.* Filiuc.

tract.16. cap.1. num.45. Duard. *ad Bullam, lib.2. can.1. quæst.48. num.5.* Card. de Lugo *loco cit. num. 72.* qui vnacum Duard. respondet contrarijs obiectionibus. Idem tenet Fragos. *loco citato num. 32. vers. Qui verò.*

396 Incurreret tamen hæc censuram, si quis audiens ab alio legi, ipse notaret in repertorio, vel libro, aut schedulis, vt de hæresibus, vel alijs materijs de Religione in dictis libris contentis memoriam haberet, quia tunc tanquam Transcriptor subijceretur excommunicationi, dummodò sit pars notabilis libri; sic Cardin. de Lugo *d. disp.21. num.37.*

397 Famulos tamen, qui de mandato Domini legeret librum vt *supra*, non euadit censuram, Portell. *ad dubia Regular. ver. Libri prohibiti, num.11.* Sanctarell. *de Hæres. cap.13. dub. vnic. num.8.* Scortia *Epitom. 166. Theorem. 410.* Diana *in Bulla Cœnæ, resolut.32. in fin.* Fragos. *loco citato vers. Porrò famuli legentes.*

398 Nisi aliquo metu graui compulsus legeret, vel nisi quod legeret, non intelligeret, Sanchez *dicto cap.10. num.49.* Castro-palao, Duard. & Diana relati à Cardin. de Lugo *d. disp.21. num.79. & 80.* vbi addit Filiuccium, Hurtado, & Suarez.

399 Sed an ille, qui securus est nocumentum non accipere à lectura librorum Hæreticorum possit eos legere absque incursu censurarum: Quæstionem hanc examinat P. Diana *tom.6. tract.6. quæst.49.* & latiùs eam reassumit *tom.11. resolut.1. tract.1. aduersus Caramuelem*; & vtroque loco tenet negatiuam opinionem.

Plures autem ex nostris adhærent opinioni affirmatiuæ, nempè Felin. *in cap. Si quis Episcopus, in fin. de Hæret.* Albert. *de Agnoscend. quæst.28. num.4. & 5.* Decian. *tract. crimin. lib.5. cap.35. num.21. cap.46. nu.26. & 27.* Mascard. *de probat. concl.862.* Carena *par.2. tit.10. §.5.*

Negatiuam verò tenent communiter Theologi, nempè Suarez *de Fide, disp.20. sect.2. num.1.* Tolet. *lib.1. cap.19.* Sanchez *d. cap.10. num.53.* Azor. *tom.1. lib.8. cap.16. quæst.6.* Coninch. *de Fide, disp.18. dub.11, num.180.* Hurtad. *2. 2. disp.76. §.307.* Cardin. de Lugo *de Fide, disp.21. n.63.* Ouiedo *de Fide, controuers.12. num.42.* Pellizar. *in Man. Regul. tom.2. tract.6. cap.5. num.30.* Castro-palao *tom.1. tract.4. disp.2. punc.10. §.2. num.8.* Tamburin. *in Decalog. lib.2. cap.1. §. 7. nu.41.* Baldell. *d. disp. 46. nu.8.* alios refert P. Diana *d. resolut. 1.* & Caramuel. *in Theolog. fundamental. Romæ impressa fundament. 17. quæst.2.* vbi latè.

400 Quæstio hæc pendet ab ea, an cessante ratione legis in particulari, cesset quoque eius obligatio, de qua latissimè per dictum Caramuelem *loco cit.* Cuius opinio placet Mihi in hac materia, nempè, quod si casus sit talis, vt maius bonum Fidei, & Ecclesiæ sit, quod hæc lex non obliget, in eo casu posse legi libros Hæreticorum continentes hæreses, & de Religione tractantes.

Non enim quilibet debet sibi fidere, vt credat esse securum à periculo, quod imminet ex lectione librorum huiusmodi; Nam etiam Salomon cecidit, quia securitatem sibi finxit, quando accepit sibi vxores alienigenas, & infideles, quæ paulatim eius cor emollierunt, & auerterunt à lege Domini.

Sanctus Petrus Martyr, ex assidua cum Hæreticis disputatione ad Fidei propagationem, sensit se tentatum circa Fidem, & opportunè ad Diuinum auxilium implorandum recurrit.

Proponunt enim Hæretici dulciter venenum eorum doctrinæ, & plausibilibus argumentis, & exemplis conantur docere verisimilia leuiora aliqua dogmata, quæ non leuiter Fidei Catholicæ fundamenta labefactant, vnde ab his insidijs omnes cauere debent.

401 Hinc propterea plausibilis etiam viris alioquin doctis visus fuit liber *Historia Concilij Tridentini*, nomine Petri Soauis Polani Typis editus, in quo tot hæreses scatent, sed melle linitæ, & tot iniuriæ contra Summos Pontifices, & Sanctam Sedem Apostolicam leguntur, quæ ab hostibus eiusdem Sanctæ Sedis pronis auribus acceptæ fuerunt, cum putent homines, malignitati quandam speciem libertatis inesse.

402 Sed tandem Deo fauente, ab eruditissimo, & Religiosissimo, itidemque Nobilissimo P. Sfortia Pallauicino è Societate Iesu, illius Auctoris, & Historiæ mendacia, vera, & politissima Historia Concilii Tridentini eiusdem (dùm hæc scriberem Typis Romæ excusa, & à Me de mandato f. mem. Alexandri Septimi, reuisa, & approbata) sic aperta, & proscripta sunt, vt Polani opus, & memoria abolita, & sepulta remaneant, tanto & maiori S. Sedis Apostolicæ honore, quanta iam fuerat audacia diuulgatum à maleuolis, Historiam Polani non esse responsi capacem, & vulnus ab eo illatum, & Sacro Concilio, & Pontificiæ auctoritati esse prorsus insanabile; sed Deus, qui Ecclesiæ suæ semper assistit, non ei defuit in re tàm necessaria: Dum autem hæc transcriberem idem P. Sfortia magno Sacri Collegii decore, ad Purpuram fuit euectus.

403 Quinta excusatio erit, si legantur huiusmodi libri in illis Regionibus, in quibus Bulla Cœnæ non est vsu recepta.

Sed horrer animus, dum video, non

solùm Scriptores laicos parùm timoratæ conscientiæ, sed etiam Ecclesiasticos, & Religiosos temerè asserere in nonnullis Prouincijs Catholicis, Bullam in Cœna Domini non esse vsu receptam; & quod peius est iudicio meo, dum docere audent solùm in aliquibus Capitulis, non autem in omnibus esse receptam, inter quos Salgad. *de Protect. Regia, par. 1. cap. 1. prælud. 5. num. 321. & de retent. Bullarum par. 1. cap. 2. num. 114.* Dùm conatur defendere damnatam illam praxim recurrendi per viam violentiæ ad Iudices seculares, & retinendi Bullas Apostolicas inquit in Regnis Hispaniarum quoad illa Capitula, Bullam Cœnæ non fuisse vsu receptam, contra quem insurgit, licèt eiusdem farinæ homo, Gonzalez *de lege Politica, lib. 2. cap. 5. num. 290.*

404 Pessimè verò quidam Auctor Neapolitanus in tractatu *de Contrabanuis Clericorum*, à Sacra Congregatione Indicis proscripto in eam prorupit audaciam, vt dicat; In Regno Neapolitano Sanctæ Romanæ Ecclesiæ feudo Bullam in Cœna Domini non fuisse vsu receptam, nec publicatam: Totum enim contrarium apparet ex Consultationibus, & litteris directis ad Regem Catholicum Philippum Secundum à Duce de Alcalà Pro-rege Neapolis *de anno* 1567. videlicet, Bullam hanc fuisse non solum in Ciuitate Neapolis, sed per totum Regnum publicatam, imò fuisse monitum Pro-regem ab eodem Philippo, vt niteretur iurisdictionem Ecclesiasticam conseruare, vt ipse posset animo quieto permanere, neue incurreret in censuras latas in eadem Bulla.

405 Et quamuis vanis sub prætextibus, & præsertim quod fuisset publicata sine Regio Exequatur, plures emersissent controuersiæ, & violentiæ de facto ab eodem Pro-rege emanatæ, & à Collaterali Consilio, contra quas Beatus Pius Quintus, sacris interdicti legibus agere constituerat, eisque Ciuitatem affecisset, nisi pietate Philippi Regis, omnes sopitę fuissent: Is enim vti filius obsequentissimus Sanctæ Matris Ecclesię mandauit, vt ab illis omnibus controuersijs Pro-rex, & Collaterale Consilium desisterent, & publicationi dictę Bullæ acquiescerent, quod etiam in instructione data Marchioni de las Nauas Romam misso *de anno* 1578. vt ageret cum Pontifice Gregorio XIII. super moderatione nonnullarum clausularum in dicta Bulla contentarum, fassus est dicendo; In omnibus suis Regnis Bullam Cœnæ fuisse publicatam, & acceptatam.

Et Ego qui per triennium exercui officium Auditoratus Nunciaturæ Neapolis sub fel. rec. Vrbani Octaui Pontificatu, testor acceptationem, & eius vsum in prædicta Ciuitate, & Regno.

406 A Theologis autem, nempè à Sanchez, à Becano, quos refert Diana *in Bulla Cruciatę, resolut. 35.* à Putheano 2. 2. *quæst. 11. art. 4. dub. 2.* Filiucc. *to. 1. tract. 11. cap. 1. quæst. 5. num. 11.* Valer. *different. ver. Peccatum, differen. 30. num. 3.* Licet summę auctoritatis viris cauendum est, dum inquiunt, in nonnullis Prouincijs Catholicis Bullam Cœnæ non fuisse receptam.

407 Nam cum penès Pontificem Summum sit potestas condendi leges, quam potestatem à Christo immediatè habuit, & non à Populo, huius potestatis vigore leges ad bonum Ecclesiæ spectantes condere, & promulgare potest, & Christifideles omnes obligare, absq; eo, quod requiratur eorum acceptatio, & consensus, vt docet Gloss. *in cap. In istis, distinct. 4.* Alphons. de Castro *de Lege pænal. cap. 1.* Medina t. 2. *quæst. 90. art. 3.* Sot. *de Iust. & iur. qu. 1. art. 3.* & alii communiter Coriolan. *de casib. reseruat. tit. vlt. de Absolut. à censur. Bullæ Cœnæ dub. 11.*

408 Et propterea contra Constitutiones Apostolicas promulgatas, non posse dari de non vsu voluit, Bald. *in cap. fin. num. 4. de treg. & pace*, Felin. *cap. 2. num. 6 eod. tit.* Couuarr. *variar. lib. 2. cap. 16. num. 6. vers. 5.* Puth. *decis. 1. in fin. lib. 1.* Caualer. *decis. 77. num. 3. & 85. num. 2. & 98. num. 7. & 11. num. 1.* & aliàs sæpius Rota, *vt in Maioricen. Indultorum*, 11. *Aprilis* 1639. coram Merlino, quæ non habetur in eius impressis, sed est registrata à P. Diana *post par. 6. suarum Resolutionum, pag. 325.* confirmata *die 27. Iunij 1639. in eius impressis decis. 814.*

409 Ea potissima ratione, quia Papa habet auctoritatem immediatè à Deo, absque alia dependentia, & consensu subditorum, & ideò non exigitur pro earum firmitate, quod populi recipiendo illas admittant, sed statim atque à Papa promulgatæ sunt, & innotuerunt, etiamsi in singulis Prouincijs non sint publicatæ, vim habent, & obligant, Præposit. *in cap. Istis, §. Leges, num. 3. vers. Nisi dato consensu Papæ, distinc. 4.* Archid. *in cap. Leges promulgantur, eadem distinct. & in cap. Cum de Benef. circa finem, de Prabend. in 6.* & ibi Franch. *num. 4.* Nauar. *consf. 1. num. 19. lib. 1. in fin. de Constitut.* omnium clarius, Suarez *de Legibus, lib. 4. cap. 16. num. 2.* Rota *in d. Maioricen. Indultorum, 11. Aprilis* 1639. in qua aliæ Decisiones allegantur, Baldell. *de Legibus, lib. 5. disp. 18. num. 1. par. 4. & 5.* Diana *Resol. moral. par. 5. tract. 14. Miscellan. 2. resol. 25.* & idem firmauit Rota *in d. decis. 814.* coram Merlin. latissimè Verricell. *de Apostolicis Missionibus*, post hæc scripta visus *tit. 51. de Legibus, quæst. 76.*

Et ideò contrariam sententiam, nem-

pè quod lex Pontificia non obliget, nisi fuerit acceptata, erroneam vocat Sayr. *de Claui Regia*, Suarez *loco cit. num. 2. in medio*. Latè P. Iuniperus à Drepano *in sua pro iuris Pontificij defensione, disp.6. quæst.2. cap.2. & seqq.*

410 Meritò ex his reijcienda est opinio Carenæ *par.2. tit.*10. §. 5. *in fin.* sequentis sententiam Sanchez, & Becani, dum voluit non esse excommunicatos legentes libros Hæreticorum, vt *supra* in locis, vbi Bulla Cœnæ non est publicata, vel vsu recepta, præsertim cum quotannis Romæ publicetur magna populi frequentia adstante ex omnibus Mundi partibus, habeatque Decretum irritans, quod operatur, vt de non vsu dari non possit, Merlin. *d. decis.*814. *in fine*.

411 Et ex his rationibus Cardin. de Lugo *loco sæpius citato*, dicit, se non videre, quomodo si qui in Gallia, Germania, & Anglia legant huiusmodi libros possint excusari ab hac censura; Idem voluit Portell. *in dub. Regular. ver. Libri prohibiti, num.*10. vbi ait, nec etiam Episcopum posse licentiam legendi eos concedere, quod est intelligendum in illis locis.

412 Et certè Galli, Germani, & Angli timoratæ conscientiæ, quotidie à Sanctissimo D.N. in Congregatione Sancti Officij, quę habetur coram Sanctitate Sua petunt, & obtinent licentiam legendi prædictos libros, cum clausula, *exceptis libris de Astrologia iudiciaria tractantibus, Nicolai Macchiauelli, & Caroli Molinæi operibus*.

Et dum hæc transcriberem de mandato san. mem. Alexandri Septimi, fuit à Qualificatoribus Sancti Officij qualificata infrascripta propositio:

413 *Bulla, quæ promulgatur in Cœna Domini, non est in Belgio vsu recepta iuxta probabilem multorum opinionem*: & omnes Qualificatores, nemine excepto censuerunt, hanc propositionem esse falsam, temerariam, erroneam, auctoritati Summi Pontificis iniuriosam, & sternentem viam ad schisma, vt ex Decreto *sub die* 20. *Septembris* 1657. Cui qualificationi Ego tanquam vnus ex Supremis, & Generalibus Inquisitoribus interfui.

414 Pariter Inconstantes præsumpti in Fide sunt, qui retinent, legunt cuiuscumque Auctoris libros, vel scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata: Nam contra tales potest tanquam suspectos de hæresi inquiri, & procedi ex Constitutione Pij Quarti, *in sua Bulla registrata ante* Indicem *librorum prohibitorum*, in qua legentes, & retinentes huiusmodi libros excommunicatione plectit, & alijs pœnis à Sede Apostolica, vel Sacris Canonibus inflictis, Tolet. *in Summ. in Bulla Cœnæ, nu.*25. Azor. *d. lib.* 8. *cap.*16. *quæst.*5. Vgolin. *de Censur. Pontif. reseruat. par.2. cap.1. in ver. Ac eorum libros, num.*1. Sayr. *de Censur. lib.*3. *cap.*5. *num.*15. Card. de Lugo *loco citato num.* 108.

415 Hæc tamen censura non est reseruata Summo Pontifici, sed potest tolli à quocumque Confessario, vt dicunt prædicti, Fragos. *d. disp.*3. *num.*34. Graff. *par.1. decis. lib.*4. *cap.*18. *num.*40. Coriolan. *in explicat. Bulla Cœnæ Domini, pag.*857. Lupus *ad Edictum Sancti Officij, par.*4. *lib.*25. *versic. Alterum*.

416 Quæ Inconstantia extenditur etiam ad retinentes libros Astrologiæ iudiciarię, Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantię, Piromantiæ, Oromantiæ, Chiromantię, Neomantiæ, sine in quibus continentur Sortilegia, Veneficia, Auguria, Auspicia, Incantationes, & Sortes, de quibus *in Reg.* 4. Indicis, & in Bullis Ioannis XXII. *Constit.*13. *in Bullario, par.* 1. & Sixti Quinti *contra Astrologos* confirmata, & extensa à fel. rec. Vrbano Octauo, de quibus *infra* agetur.

417 Non tamen erunt præsumpti Inconstantes in Fide, qui libros obscęnos, & contra bonos mores retinent, & legunt, quamuis enim isti possint puniri ab Ordinarijs, non tamen laborant suspicione hæresis, nec sunt subiecti excommunicationi, vt constat ex d. Bulla Pij Quarti, Lupus *ad Edictum, d. par.*4. *lib.*25. *diffic.*1. Sousa *in Aphorism. lib.*1. *cap.*21. *num.*45.

418 Cæterum an huiusmodi libros retinentes, & legentes possint ab Inquisitore puniri, affirmat Carena *par.* 2. *tit.* 10. §. 2. *num.* 19. affertque litteras Sacræ Congregationis datas *die* 6. *Februarij* 1627. quod etiam voluit Sousa *in Aphoris. lib.*1. *cap.*21. *num.* 46. si prohibiti sint ab Inquisitoribus in eorum Edictis, Lupus *ad Edictum par.*4. *lib.*25. *art.*3. *diffic. vnic. ad finem*.

419 Sed hæc opinio in praxi non est recepta, quia nunquam vidi retinentes huiusmodi libros, illosque legentes fuisse vocatos ad Sanctum Officium, nisi fortassè vnacum prædictis libris obscænis retineret quis alios libros de hæresi suspectos, vel Hæreticos, vt dicemus *infra* de Blasphemis.

Litteræ autem Sacræ Congregationis potiùs ad terrorem conscriptæ sunt, quàm vt executioni mandentur; Et propterea scio fuisse amotum à Vicariatu Sancti Officij Cæsenæ Religiosum Dominicanum, qui carceribus Sancti Officij mancipauit quemdam adolescentem nobilem ob retentionem nonnullorum librorum prohibitorum, & in specie *Relationum* Boteri.

420 Carena autem non loquitur consequenter, nam *ead. par. tit.* 10. §. 10. *num.*60.

dicit, Retinentes libros obscænos non esse denunciandos Sancto Officio; Nam si possint puniri ab Inquisitoribus vigore Edicti ab illis publicati, vt habetur in litteris Sacræ Congregationis, ergo debent etiam denunciari, vt melius ratiocinatur Tramiera *de Denuntiat. quæst. 4. cap. 8. nu. 3. vers. Quod amplia.*

421 Si autem quis assereret, libros per Edictum Inquisitoris prohibitos retineri, & legi posse, si non contineant doctrinam fidei contrariam, aut sacræ doctrinæ, vti assertor propositionis scandalosæ, & temerariæ esset grauiter puniendus ab Inquisitoribus, Turrian. *in select. disput. par. 1. in censura propositionum cens. 4. dubit. 17.* vbi addit, talem Assertorem esse Sancto Officio denunciandum, quem sequitur Carena *dicta par. 2. tit. 10. §. 2. in fin.*

422 Quod intellige, si Inquisitor prohiberet in suo Edicto libros contentos in *Regulis* Indicis, non autem si proprio Marte prohiberet librum, qui non caderet sub eius iurisdictione, ne scandalum parere posset, & assertio esset de huiusmodi libris.

423 Et si Pœnitens in futurum libros prædictos legere, vel retinere vellet, non esset in foro pœnitentiali absoluendus, Sayr. *de Censur. lib. 3. num. 12.* Farinacc. *qu. 180. §. 1. num. 33.* Mascard. *3. de Probat. tom. 1. conclus. 862.* Homobonus qui alios *de Excommun. Ecclesiast. tract. 7. cap. 2. quæst. 13.* Lupus *d. lib. 25. distinct. 4. art. 4.*

424 Nec censetur præsumptus in Fide Inconstans, qui retineret, vel legeret libros prohibitos, donec corrigantur; hi enim non sunt denunciandi, vt tenet Lupus *par. 4. lib. 25. art. 3. diff. vnic. vers. Primum in fine.*

Quod intellige, nisi tales libri continerent aliquas propositiones de hæresi suspectas, quia antequam corrigantur, cadunt sub prohibitione Bullæ Pij Quarti.

CAPVT XXXI.

ARGVMENTVM.

De proferentibus Blasphemias Hæreticales. Quæ sit Blasphemia Hæreticalis. Quando delictum Blasphemiæ possit cognosci à Iudicibus secularibus. An Inquisitores possint cognoscere de Blasphemijs non Hæreticalibus. An Iudices seculares possint punire percutientes, & conspurcantes sacras Imagines. An Iudæi talia perpetrantes possint puniri ab Inquisitoribus. An Iudæus copulam carnalem habens cum Christiana possit puniri ab Inquisitoribus. Quibus casibus Iudæi puniantur ab Inquisitoribus. An Iudæi possint construere nouas Synagogas. Quæ à Sacra Congregatione denegantur Iudæis. Quomodo in Sancto Officio procedatur contra proferentes Blasphemias Hæreticales. Qui dicatur Blasphemus consuetudinarius. Quæ causæ excusent à pœna Blasphemantes.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemi suspecti in fide, & num. 11.*
2 *Blasphemia redolet hæresim, & infidelitatem in se continet.*
3 *Blasphemi æquiparantur Hæreticis, & numer. 11.*
4 *Blasphemia hæreticalis quæ sit, & num. 41.*
5 *Inquisitores an in delicto Blasphemiæ procedant priuatiuè quoad Iudices laicos, & nn. seqq. ac num. 9. cum seqq. & num. 28. ac num. 76. & num. 82. cum seq.*
6 *Delictum Blasphemiæ an, & quando sit mixti fori, & nn. seqq. & num. 40.*
7 *Præuentio inter Iudicem Ecclesiasticum, & secularem an, & quando detur in crimine Blasphemiæ, & num. seqq.*
8 *Blasphemia hæreticalis per quem Iudicem cognosci, & puniri debeat.*
12 *Cognitio hæresis spectat ad solum Iudicem Ecclesiasticum, & Inquisitorem.*
13 *Quid de suspicione Hæresis, vel Blasphemia.*
14 *Blasphemia hæreticalis prolata ex impatientia, vel passione, non autem ex infidelitate an possit cognosci per Iudicem laicum, & num. seqq.*
15 *Blasphemi an, & quantum excusentur ex impatientia, passione, ebrietate, & similibus.*
Iurisdictio Iudicis Ecclesiastici oritur eo ipso quod quis facit, aut dicit hæreticalia.
Verba hæreticalia an prolata fuerint serio, vel ex impatientia, passione; aut ioco indicare

artes puniuntur ab Ordinario.

126 *Iudæi non possunt eorum sepulchris apponere epitaphia, & posita amouentur.*

Iudæi petentes in eorum sepulchris affigere posse nomina, cognomina, & patriam defunctorum non obtinent.

127 *Priuilegia Cardinalis Camerarij, vt Iudæi mederi possint Christianis, & eisdem vti pro suis necessitatibus, & commoditatibus reuocata per Summos Pontifices.*

128 *Iudæi an possint acquirere, & possidere stabilia, & num. seq.*

129 *Quid iure pignoris, vel simplicis detentionis.*

130 *Iudæi arceantur ab omnibus officijs publicis; nec possunt esse Iudices, vel Telonarij.*

131 *Et an conducere possint gabellas, vel redditus Principum secularium, & numeris sequentibus.*

134 *Gratia specialis trahi non potest in consequentiam.*

136 *Iudæi coguntur in Sancto Officio subministrare alimenta, & expensas pro filijs Neophytis ad fidem conuersis.*

137 *Blasphemi an, & quando sint vocandi ad Sanctum Officium, siue per capturam, siue per citationem.*

138 *Inquisitor an, & quomodo capturam Blasphemi personæ qualificatæ, possit decernere.*

141 *Pœna Blasphemiæ hodie est arbitraria, & an possit extendi vsque ad mortem.*

142 *Et quomodo sit regulandum arbitrium.*

Et quæ sit contra eos pœna exemplaris.

143 *Iudæi Blasphemi quomodo puniantur.*

144 *Blasphemi nobiles, vel Clerici, quomodo puniri debeant.*

145 *Blasphemi exemplaris pœna.*

146 *Blasphemi consuetudinarij magis puniendi, & quæ sit eorum pœna.*

147 *Blasphemi consuetudinarij qui dicantur, & num. 153.*

Consuetudo delinquendi ex bino actu deducitur.

148 *Frequenter fieri dicitur, quod fit bis.*

149 *Energumeni, & laborantes morbo caduco si frequenter cadant, non possunt ordinari, neque in ordine ministrare.*

150 *Et quando dicantur frequenter cadere.*

151 *Clericus exercens vitium nefandum debet deponi.*

Et quando dicatur illud exercere.

152 *Blasphemi consuetudinarij vnico ex actu an dici possint.*

153 *Quid si blasphemauerint bis.*

154 *Consuetudo blasphemandi an probetur per testes singulares.*

155 *Blasphemi quibus ex causis excusari possint.*

Et an, & quando excusari possint ob iram, vel ebrietatem.

156 *Quid si allegent lubricitatem linguæ, vel per iocum blasphemiam protulisse.*

157 *Scriptor blasphemiæ allegans id fecisse ad probandum calamum ax ioco an excusetur.*

158 *Minor Blasphemus, an, & quando excusetur à pœna.*

159 *Blasphemi pœnitentes statìm post prolatam blasphemiam, veniam à Deo petentes, & pectus percutientes an, & quando excusentur à pœna.*

160 *Ludus illius occasione blasphemantibus interdicendus, & sub qua pœna.*

Blasphemi an possint allegare exceptiones contra testes.

1 SEXTO præsumpti Inconstantes in fide sunt, qui proferunt Blasphemias hæreticales, hi enim sunt suspecti in fide, *cap. Vt Inquisitionis officium, de Hæreticis in 6.* Eymer. *in Director. quæst. 41. num. 5.* & ibi Pegna *comment. 66. vers. Cæterum in fine*, Locat. *in ver. Blasphemia nu. 5.* Zanard. *in Summa par. 2. cap. 64. vers. Si verò*, Carena *par. 2. tit. 7. §. 4.* Genuen. *in prax. Neapolit. cap. 18.* Bordon. *in Tribunal. cap. 26. nu. 16.* Alberghinus *in Man. cap. 16. numer. 14.*, Farinaccius *de delict. & pœn. quæst. 20. nu. 4.* Thesaurus *fori Eccles. par. 2. cap. 16. nu. 30.* Lazar. *de Blasphemia cap. 6. nu. 8. & cap. 12. num. 38. & 39.* Trasmiera *de denunciat. qu. 4. cap. 6.* Sesse *decis. 469. num. 17.*

Habet enim Blasphemia hæreticalis quandam cum hæresi affinitatem, & con-
2 nexionem, vt dicit Alphonsus de Castro *de iusta Hæretic. punit. lib. 1. cap. 12.* Pegna *d. comment. 66. vers. Hæc distinctio*, & valdè redolere hæresim, & habere in se grauitatem Infidelitatis ex D.Thoma 2. 2. *qu. 13. art. 3.* dixit Lotther. *de re Benefic. tom. 2. lib. 3. quæst. 28. num. 105. & 108.*

3 Nil mirum propterea, si includat & ipsa hæresis suspicionem, cum sic blasphemans Hæretico æquiparetur, Decian. *tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 4.*

Blasphemia verò hereticalis est illa, quæ significat, & continet errorem contra fi-
4 dem prolata per verbum modi indicatiui, Roias *de Hæret. 2. part. assert. 12. num. 170. & 171.* Salzedo de Diaz *cap. 110. vers. Et quia, sæpissimè* Suarez *de Religione tom. 1. tract. 3. lib. 1. cap. 5. num. 7. & 8.* cum alijs per Sanchez *ad Decalog. lib. 2. cap. 52. n. 36.* Duard. *ad Bullam Cænæ lib. 2. can. 1. qu. 22. num. 29.* Sanctarell. *de hæres. cap. 8. dub. 1. num. 2.* cum alijs à Carena *loco citato*, §. 2. Bordon. *loco citato num. 5.*

5 Hoc autem delictum propriè cadit sub Iudicio Inquisitorum, & quidem priuatiuè quoad Iudices laicos, sicut dixi in vna Florentina in voto, quod sequitur.

6 DELICTVM Blasphemiæ cognosci posse, & puniri à Iudice Ecclesiastico, & seculari, quia mixti fori indubitati iuris est, *cap. 2.*

cap. 2. de Maledicis, & ibi Abbas nu. 1. Felin. in cap. Cum sit generale de foro competenti, Calderin. consf. 2. de Iudicijs, Couuar. de pact. par. 1. §. 7. num. 12. vers. Crimen autem, Menochius de Arbitrar. cas. 319. num. 16. Auendano de exequend. mandat. par. 2. cap. 5. num. 11. & 12. Marta de iurisdictione par. 2. cap. 13. Salzedo ad Diaz cap. 113. Farinacc. quæst. 8. num. 127. vers. Et quia, Decianus to. 1. lib. 4. cap. 10. 12. limit. & to. 2. lib. 6. cap. 4. per totum, Guazzin. ad Defens. defens. 1. cap. 11. num. 5. Barbosa de potest. Episcopi allegat. 51. num. 93. Sanchez ad præcepta Decalogi lib. 2. cap. 32. nu. 37. in fine, Sperell. decis. 134. num. 9. Lazar. de Blasphemia quæst. 6. num. 3.

7 Itaut locus sit præuentioni inter hos Iudices, Decian. d. cap. 10. num. 4. Carleual. de Iudic. to. 1. tit. 1. disp. 2. quæst. 7. sect. 1. num. 771. Adden. ad Rouit. super Pragmat. in rubr. de Blasphemia littera A.

Ab hac regula tamen excipiuntur Blasphemiæ hæreticales; Earum enim cogni-
8 tio, & punitio spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, & Inquisitorem Hæreticæ prauitatis, d. cap. Vt Inquisitionis, de Hæret. in 6. cap. Accusatus, §. Sanè eodem tit. Eymeric. in Director. 3. par. quæst. 42. num. 2. & ibi Pegna comment. 66. vers. Quantum, Alphons. de Castro de iusta Hæret. punit. lib. 1. cap. 12. Simancha de Cathol. cap. 8. Squillac. de fide Cathol. cap. 16. Repertor. ver. Blasphemus, Iudiciale ver. Blasphemi num. 2. Roias de Hæret. par. 2. asser. 12. num. 168. Tolet. Instruct. Sacerd. lib. 4. cap. 13. Sayr. in Thesaur. to. 2. lib. 5. cap. 13. Costa de ignorant. inspect. 17. num. 10. Marcell. Vulp. in prax. Eccles. cap. 41. num. 47. Couuar. loco citato, §. 7. num. 12. vers. Crimen autem, Albertin. de agnoscend. quæst. 6. num. 24. & quæst. 22. num. 63. & quæst. 27. num. 36. Bannes 2. 2. quæst. 13. art. 1. in fine, Azor. Instit. moral. lib. 9. cap. 28. quæst. 5. to. 1. Sanctarellus de hæresi tit. de Blasphem. cap. 8. dub. 1. Leo Thesaurus fori Eccles. par. 2. cap. 16. nu. 30. Salzedo ad Diaz cap. 113. Barbosa de potest. Episc. alleg. 51. nu. 49. Carena d. §. 3. nu. 13. Sanchez d. cap. 32. num. 37. latè Carthar. decis. fori Archiep. Mediolan. 35. num. 1.

Et in tantum vera est limitatio, vt cognitio, & punitio Blasphemiarum hære-
9 ticalium spectet ad Iudicem Ecclesiasticum, & Inquisitorem, priuatiuè quoad Iudicem secularem, Albertin. de agnoscend. d. quæst. 6. num. 24. & 25. Scaccia de Iudic. lib. 1. cap. 12. num. 56. Sanchez d. cap. 32. num. 27. itaut cesset præuentio, Rouit. loco citato, littera A.

Imò Iudex Ecclesiasticus potest inhibere Iudici seculari, ne de illis cognoscat, Sanchez d. cap. 32. num. 37. Sanctarell dicto cap. 8. dub. 1. num. 2. Baldell. de fide lib. 1. disp. 36. num. 11. Capo-blanc. de potestate Baronum, par. 1. pragmat. 8. nu. 96. Carena loco citato d. tit. 7. §. 3. Bordon. in Tribunal. cap. 26. quæst. 20. num. 33. Salelles de mater. Tribunal. Sancti Officij to. 1. cap. 18. reg. 139. num. 64. vbi dicit, quod spatio triginta sex annorum, quo exercuit munus Consultoris Sancti Officij vidit, Inquisitores tantùm procedere contra eos, qui protulerunt Blasphemias hæreticales, & ità testatur esse vsu receptum, Barbosa d. allegat. 51. num. 89. Zanard. in Director. par 2. cap. 64. vers. Quarto nota, Alberghin. in Manu. cap. 16. num. 13. Sousa in Aphorism. cap. 19. num. 16. P. Diana 4. par. tract. 7. resolut. 8. vbi alios.

Et hanc opinionem non solùm tenent illi, qui benè de potestate Ecclesiastica
10 sentiunt, sed etiam illi, qui illam maximè insectati sunt, veluti Ceuallos de cognitione per viam violentiæ quæst. 85. num. 1. Sesse decis. 469. num. 1. & in fine, Bobadill. in Politica to. 1. cap. 17. num. 77. Ansaldus de Iurisdictione par. 4. tit. 9. cap. 2. num. 87. Cutell. de Immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 39. Pereyra de manu Regia to. 2. cap. 56. nu. 25. vers. Quare videtur.

Ratio est in promptu: Cum enim proferens Blasphemias hæreticales, vel sit
11 Hæreticus, vel suspectus de hæresi, cap. Vt Inquisitionis officium, de Hæret. in 6. capit. Accusatus, §. Sanè eodem tit. Eymer. par. 2. quæst. 41. & ibi Pegna Iudiciale Inquisitor. ver. Blasphemia nu. 3. & omnes supra citati, Carena d. tit. 7. §. 4. Alberghin. loco citato num. 14. Sousa d. cap. 19. num. 17. Ricciull. de personis in statu reprobo lib. 1. cap. 20. num. 2.

12 Sicuti de hæresi cognoscit solus Iudex Ecclesiasticus, vel Inquisitor, cap. Vt Inquisitionis, §. Prohibemus, de Hæret. in 6. Farinaccius de hæresi quæst. 188. num. 153.

13 Ità de suspicione hæresis, cap. Accusatus, §. Sanè eodem tit. in 6. Glossa communiter recepta in Clement. Nolentes de Hæret. Io. Andreas Gemin. & communiter Doctores in cap. Ne aliqui de Hæret. in 6. cum alijs per Paramum de origine Inquisitionis lib. 3. quæst. 10. num. 97. Carena in prax. par. 2. tit. 15. §. 4. num. 11. vers. Probatur conclusio, & meliùs eadem par. tit. 11. nu. 17. in fine, in puncto Blasphemiæ, Castro de iusta Hæret. punit. lib. 1. cap. 12. fol. mihi 67. vers. Ac eum omnis.

14 Qui tamen dum subiungit, quod Iudex laicus potest esse Iudex contra proferentes Blasphemias hæreticales, si constet, non ex infidelitate, sed ex impatientia, vel passione illas protulisse, & eum sequitur Corduba Quæstion. lib. 1. quæst. 17. §. 15. notab. 4. vers. In cuius examinatione.

15 Non est audiendus, cum hæc opinio falsa sit, & in specie reprobatur à Sanctarello d. cap. 8. dub. 1. num. 2. & P. Diana

par. 4. tract. 7. resolut. 8. & quidem optima ratione; Nam impatientia, passio, ebrietas, & similia possunt quidem excusare à totalitate pœnæ, vt notant Canonistæ *in cap. 2. de Maledicis*, Caball. *resolut.* 296. *num.* 33. San-felicius *decis.* 369. *num.* 12. sed non auferre iurisdictionem à Iudice Ecclesiastico, vt benè considerat Iudiciale *in ver. Blasphemia, vers. Nec prodest*, Diaz *in prax. crim. canon. ver. Blasphemia*, Crispold. *in cas. militar. cas.* 4. *num.* 12.

Eo enim ipso quod quis hæreticalia facit, aut dicit, subiicitur iurisdictioni Iudicis Ecclesiastici, & Inquisitorum, ad quos spectat iudicare, an verba fuerint ex impatientia, vel passione, vel ioco, siue seriò prolata, Pegna ad Eymer. *par. 3. tit. de form. examin. Test. comm.* 17. Villad. *de Haret. quæst.* 8. *nu.* 6. Io. Lupus *in allegat. Haret.* §. 4. *ad finem*, quos allegat, & sequitur Farinacc. *de hæresi quæst.* 179. *num.* 48. *vers. Contrarium*, Crispold. *loco citato num.* 14.

16 Quod indicium, siue exploratio fit mediante tortura, Simancha *de Cathol. cap.* 65. *num.* 52. *& cap.* 13. *num.* 17. *&* 19. *& in Enchiridion. violatæ Religionis tit.* 29. *rub. de Confess. num.* 10. *& tit.* 52. cum aliis per Sanctarell. *de Blasphemia cap.* 8. *dub.* 2. *nu.* 4. Farinacc. *quæst.* 179. *nu.* 56. *&* 57. Ricciull. *de statu reprobo lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 3.

Quam si Blasphemi subsistant, vel aliàs probent eorum rectam intentionem, non
17 euitant tamen pœnam extraordinariam, vt voluit post Zabarell. Calderin. & alios Sanctarellus *loco citato*, & reprobatis Villadiego, & Deciano dicentibus, pœnam hanc non posse imponi ab Inquisitore, sed ab Ordinario imponendam, Farinaccius *quæst.* 179. *num.* 48. Sanctarell. *loco cit. nu.* 3. Carena *d. par.* 2. *tit.* 7. §. 6. *num.* 30. vbi de veriori, & communiori sententia.

Propterea quod dicitur in Instructione Hispalen. *cap.* 4. quod in Blasphemiis prolatis calore iracundiæ non se intromittunt Inquisitores, intelligendum est de Blasphemiis non hæreticalibus, vt dixit Roias *de Haret. par.* 2. *num.* 172. *in fine*, & in his terminis intelligendam esse doctrinam Albertini *de agnoscend. quæst.* 27. *num.* 18. & Facchinei *cons.* 41. voluit idem Crispold. *d. cas.* 4. *num.* 11. *vers. Ego verò*.

Non obstat, quod Inquisitores non possint procedere contra proferentes Blas-
18 phemias in Deum, & Sanctos, nisi priùs moniti non desistant blasphemare, vt dicit Afflictus *d. Constit. Neapolit. lib.* 1. *de Haret. & Pataren. rub.* 1. *num.* 54. quem sequitur Carrer. *de Haret. num.* 93. Decian. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. Marta *de iurisdictione par.* 2. *cap.* 13. *num.* 10. *&* 11.

Quia opinio hæc vera non est, quatenus intelligatur de Blasphemiis hæreticalibus;
19 Certum est enim, non requiri monitionem, & pertinaciam, vt taliter blasphemantes subiiciantur iudicio Inquisitorum, Turrianus 2. 2. *tit. de fide disp.* 38. *dub.* 3. Fagundez *in præcep. Eccles. præcep.* 2. *lib.* 6. *cap.* 4. *nu.* 12. Lazar. *de Blasphemia qu.* 12. *num.* 38. Trasmiera *de correct. Fratr. qu.* 10. *sect.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. *vers. His tamen non obstante, & vtr. de Blasphemijs hæreticalibus*.

20 Secundò, quia Blasphemus monitus, etiamsi non desistat, non debet reputari Hæreticus, dummodo non afferat, non esse peccatum blasphemare, vt benè declarat Decian. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 22. & ipso non relato Farinacc. *d. quæst.* 178. *num.* 76.

Tertiò, quia Blasphemus monitus etiamsi non desistat, non reputatur suspectus de
21 hæresi, si Blasphemiæ sui natura non sunt hæreticales, vt declarando Afflictum, & alios *supra citatos*, tenet Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *præsumpt.* 6. *num.* 29. quem videtur sequi Farinacc. *loco citato ad finem*, dicens, Menochium accuratiùs locutum fuisse, & nunquam vidi practicatum in Sancto Officio, quod Blasphemans non hæreticaliter, si monitus non desistat blasphemare, puniatur ab Inquisitoribus,
22 quemadmodum nec punitur ille, qui excommunicatus licèt monitus insordescit in excommunicatione simplici, & non lata ob causam hæresis, vt voluit Pegna ad Eymeric. *par.* 2. *quæst.* 47. *comment.* 72. Scaccia *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 98. *num.* 36. cum alijs per Carenam *par.* 2. *tit.* 8. §. 4. *num.* 18. Fermosin. post hæc scripta impress. & visus *de Iudic. & foro competen. ad cap.* 1. *quæst.* 33.

23 Minus obstat, quod à nonnullis Tribunalibus laicorum fuerint damnati Blasphemi hæreticales, vt per Viu. *decis.* 388. *lib.* 2. vbi de proferente *Potta di Dio*, qui fuit damnatus à Regia Audientia ad triremes per quadriennium, *& decis.* 275. *eodem libro*, vbi de eo, qui dixerat, *Non lo potrai fare Domine Dio*, qui fuit ab eadem Audientia damnatus in exilium.

Et per Merlinum Pignattellum *lib.* 1. *cap.* 97. *controuers.* vbi, quod quidam Blasphemus damnatus fuit in pœnam perforationis linguæ iuxta Regiam Pragmaticam; Et per Clarum §. *Blasphemia*, vbi quod Senatus damnauit quosdam ad triremes propter atroces blasphemias, & per Gasparum Anton. Thesaurum *quæstion. forens. lib.* 1. *quæst.* 78. vbi quod ille, qui protulit blasphemiam, *Al dispetto di Dio*, fuit condemnatus ad petendam veniam in Ecclesia; Et quidam alius propter atrocem blasphemiam fuit damnatus ad triremes perforata lingua, clauo, & in Ciuitate Florentiæ, & in toto Ducatu Etruriæ seruari dicit Caball. *resolut.* 296. *num.* 32.

Quia vnico verbo potest responderi quoad Blasphemos hæreticales, potiùs de

24 facto, quàm de iure laicos processisse, & absque vlla iurisdictione de crimine cognouisse, & pœnis huiusmodi Blasphemos mulctasse; Cum in re spirituali nullam habeant iurisdictionem, & peccent grauiter, in illis se intromittendo, Sayr. *in Claui Regia lib.12. cap. 7. nu. 6. in princip.* Carthar. *de Immunit. num.* 56.

Sed deueniendo ad Doctores Thesaur. Clar. Merlin. & Caball. loquuntur de Blasphemijs non hæreticalibes, prout est
25 illa *Al dispetto di Dio*, quæ licèt in Sancto Officio habeatur pro hæreticali, Lazar. *de Blasphem. quæst. 6. num.* 10. Diana *par. 4. tract. 7. de pœnis delict. resolut. 8. vers. Sed aduersus*.

26 Nihilominus à pluribus Doctoribus, & signanter à Suarez *de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 8.* Roias *de Hæret. par. 2. num. 170.* Sanchez, & alijs citatis per Dianam *dicta resolut. 8. vers. Sed ponam hic*, Carena *d. §.3.* excusatur ab hæresi, & non habetur pro hæreticali: Imò Add. ad Clar. apertè dicunt, Blasphemias hæreticales ad Inquisitores spectare.

Dùm autem Merlinus Pignattellus dixit, blasphemantes hæreticaliter puniri pœna mortis, melius dixisset puniri pœnis in Constitutionibus Pontificijs contentis, quia Statuta, & Leges laicorum quoad pœnam non seruantur in crimine hæresis, nisi sint confirmatæ à sacris Canonibus, Scaccia *de Iudic. lib. 1. capit. 92. num. 37.* Farinacc. *quæst. 185. num.* 105.

Viuius verò, & cæteri Doctores Neapolitani loquuntur secundùm antiquum abusum; Nam hodie qui proferunt blas-
27 phemias hæreticales remittuntur à Prorege, seu Consilio Collaterali ad Iudicem Ecclesiasticum, vt dicit Capo-blanc. *de Auctoritate Baronum to. 1. pragm. 8. par. 1. num.96.* Thor. *in compend. decis. Neapolit. to. 3. vers. Blasphemans nomen Domini*, vbi dicit, à Duce de Abba Prorege fuisse extractum à triremibus Regijs quendam, qui protulerat Blasphemias hæreticales, & remissum, ac consignatum Cardinali Boncompagno Archiepiscopo, Carena *d. §. 3. num. 13. in fine*, & ipsemet Viuius *decis. 388. in fine*, dicit, proferentes blasphemias hæreticales puniriri ab Inquisitoribus.

Idem dixerunt Nouar. *Summ. Bullar. to. 1. tit. de Blasphemia num. 9.* Danza *de Pugna Doctorum to.3. tit. de Blasphemia cap.7. num.6.* qui secundùm hanc distinctionem de blasphemiijs simplicibus, & hæreticalibus intelligendus est, dum asserit in Regno Neapolitano cognitionem huius delicti ad solum laicum pertinere, de quo modò non disputo.

Et hodie sine difficultate ità obseruari debet, cum Suprema, &c. pluries resol-
28 uerit, Blasphemos hæreticales puniri priuatiuè ad Iudices laicos in Sancto Officio, vt *sub die 7. Septembris* 1611. & teneri Iudices seculares sub anathemate mittere denunciationes. seu querelas ad Sacrum Tribunal, vt ex Decreto *die 15. Septembris* 1627.

Quare non est admittenda cautela, qua vtuntur nonnulli Iudices seculares, dum remittunt huiusmodi Blasphemos ad Cu-
29 riam Ecclesiasticam, nempe, quod si dicta Curia non inuenerit Blasphemum maiori pœna dignum, qua fuit mulctatus à Curia seculari, debeat remitti ad eosdem; quia cum sententia Iudicis laici fuerit nulla ex defectu iurisdictionis, de ea à Iudice Ecclesiastico non est habenda ratio; sed ex processu de nouo per Iudicem Ecclesiasticum inchoando, metienda est pœna.

Pro Coronide addendum est, quod quando nonnulli Doctores dicunt, cognitionem Blasphemiæ hæreticalis spectare ad Inquisitores etiam priuatiuè quoad Iu-
30 dicem ordinarium Ecclesiasticum, debent intelligi de Inquisitoribus Hispaniarum, quia ex priuilegio Apostolico auocata fuit ab Episcopis, & alijs Ordinarijs causarum hæresis, & illius suspicionis cognitio, & commissa priuatiuè Inquisitoribus.

ET quia antequam typis hoc opus ederetur, Iudices Vicariæ Neapolis insurrexerunt cum prætensione, quod Blasphemi hæreticales deberent remitti ad Iudicem Ecclesiasticum, vt purgata per ipsum suspicione hæresis, deberent ad eos remitti, vt pœnis à Iure, & Pragmaticis Regni statutis illos punirent: aduersus eos scripsi, & dedi aliud Votum: *Hactenus de Voto in causa Florentina*.

Redeundo ad semitam relictam parumper dico, quod quamuis Carena *d. §.3.n.17.* asserat, per Constitutionem Iulij Secundi quæ registratur à Lottherio *de re Benefic. lib. 3. quæst. 28. num.* 111. & in Bullar. *Constit. 35. eiusdem Pontificis* datam esse Su-
31 premis, & Vniuersalibus Inquisitoribus facultatem cognoscendi de omnibus Blasphemijs in Deum, Beatam Virginem Mariam, & Sanctos, quæ facultas per Decretum Pauli Quarti *sub die 17. Octobris* 1555. fuit extensa ad Inquisitores Status Ecclesiastici, quod non benè aduertentes ad Bullam Iulij Tertij, Sanctarell. *tract. de hæresi tit. de Blasphem. cap.8. dub.1. in princip.* voluit, omnes Inquisitores esse Iudices Blasphemiarum etiam non hæreticalium, cuius opinionem improbat Salell. *to. 1. de mater. Tribunal. cap. 18. reg. 139. num.* 66.

Nihilominus obseruantia subsecuta interpretata est Constitutionem prędictam
32 de solis Blasphemijs hæreticalibus esse

intelligendam; Et ſic etiam fuit reſolutum in Suprema &c. *ſub die 7. Septembris* 1611.

Si autem cum Blaſphemia ſimplici eſſet
coniuncta aliqua blaſphemia hæreticalis,
33 tunc ratione connexitatis Inquiſitores de
vtraque poſſent cognoſcere; Sic enim
pluries fuit reſolutum in Sacra Congregatione, vt teſtatur Carena *loco citato*, §. 8. *num.* 45.

34 Multò magis cadunt ſub iudicio Inquiſitorum Blaſphemiæ, quæ habent connexionem cum hæreſi, Albertin. *de agnoſcend. quæſt.* 22. *num.* 63. Caſtro *de iuſta Hæreticorum punit. lib.* 1. *cap.* 12. *in fine*, Roias *de Hæret. par.* 2. *aſſert.* 12. *num.* 165. Lazar. *quæſt.* 7. *num.* 10. Carena *loco cit. num.* 44.

35 Idem dicendum eſt de Blaſphemijs hæreticalibus prolatis ſub conditione, Roias *de Hæret. d. par.* 2. *num.* 137. Lazar. *quæſt.* 7. *num.* 44. Carena *loco citato num.* 43. *verſ. Secundo*, Alberghin. *cap.* 16. *num.* 8.

Rationem aſſignat Roias, & cum eo Carena, quia in actu conditionali adeſt voluntas de præſenti.

Quæ ratio non habet locum in conditione de præterito, nam illa voluntas de
præſenti non habet ex ſe firmitatem, ſed
36 pendet à veritate rei, quæ realiter extitit;
Et propterea impoſſibile eſt, quod talis habeat animum blaſphemandi, vt ratiocinatur, licèt obſcurè Carena *loco citato* §. 9. *num.* 50. *verſ. Sed neque hæc ratio*; Et per hunc modum differre à Blaſphemia prolata ſub conditione de futuro, qui potiùs aſſertorius eſt ad veritatem indicandam, vt dicit Mazucchellus *de caſibus reſeruatis diſp.* 2. *cap.* 16. *quæſt.* 3. *num.* 48.

37 Blaſphemiæ ſub conditione de futuro ſunt: *Poſſim renegare Deum, ſi te non percutiam*; *Deus non eſt Deus, ſi non facit hoc miraculum*; vel *Deus iniuſtus eſt, ſi talem non caſtigat*.

38 De præterito autem; *Renego Deum, ſi dies externa non præteryt*; vel *Poſſim renegare Deum, ſi hoc non feci*, & verè fecit, Canter. *in quæſt. crimin. de Blaſphem. nu.* 3. Sanchez *d. cap.* 32. *num.* 24. Mazucchell. *d. cap.* 16. *num.* 29. Bordon. *in Tribunal. cap.* 26. *qu.* 5. *num.* 10. & 11.

Quod autem ſubiungit Carena, quod
Blaſphemiæ de præterito prolatæ conti-
39 nent verba temeraria, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiua, ac vti talia eſſe ſubiecta iuriſdictioni Inquiſitorum, non eſt tutum in praxi, quia licèt proferentes propoſitiones temerarias, ſcandaloſas, & piarum aurium offenſiuas, poſſint puniri ab Inquiſitoribus, quia dant occaſionem errandi, vel malè de fide ſentiendi, vt dicit Caſtro *de iuſta Hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 3. Alberghin. *cap.* 12. *num.* 11. & 12. Saura *in Voto Platonis cap.* 6. *verſ. Propoſitio*.

Hoc locum habere non poteſt in Blaſ-
phemia, quæ non ſit verè hæreticalis, vel
40 hæreſi proxima, & connexa, ex qua poſſit oriri hæreſis ſuſpicio; Nam quantumuis ſit grauis, atrox, ſcandaloſa, & piarum aurium offenſiua, non cadit ſub iuriſdictione Inquiſitorum, ſed eſt mixti fori, vt dicit Saura *loco citato, verſ. Propoſitio blaſphema*.

41 Quæ autem ſint Blaſphemiæ hæreticales, latè numerantur à modernis, nempe à Lazario *de Blaſphem. quæſt.* 7. *à num.* 5. & *quæſt.* 12. *num.* 25. à Triſiniera *de denunciat. quæſt.* 4. *cap.* 6. à Lupo *in Edicto Sancti Officij par.* 4. *lib.* 23. à Bordon. *in Tribun. cap.* 26. Alberghin. *in man. cap.* 16. Salell. *de mater. Sancti Tribunal. lib.* 1. *cap.* 18. *Reg.* 139. Carena *par.* 2. *tit.* 7. §. 8. à Franciſco de Magiſtris *in Sylua Eccleſiaſtica to.* 2. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 18.

42 Dicam ſolummodo hodie amplius non eſſe dubitandum, quin proferens impia illa verba, *Al diſpetto di Dio*, proferat Blaſphemiam hæreticalem, cum in Suprema, &c. ſemper habita fuerit pro hæreticali; Quidquid dixerit Suarez *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. Roias *de hæret. par.* 2. *num.* 170. Sanchez *dicto cap.* 32. *numer.* 26. aſſerentes non eſſe hæreticalem Blaſphemiam, eò quia dicta verba proferuntur per modum imprecationis, optando Deo diſplicentiam, vel tedium de tali re, non autem ſignificant, aliquid poſſe fieri contra efficacem Dei voluntatem; Nam iſtorum opinio quicquid ſit in foro pœnitentiali, in quo ſi Blaſphemus ità interpretetur dictam Blaſphemiam, fortaſsè dici poteſt non habendam eſſe pro hæreticali, cum pœnitenti credatur, tam pro ſe, quàm contra ſe, Lupus, & Bordon. *locis citatis*, Mazucchell. *loco citato num.* 22. *in fine*. Reijcitur à multis, quos allegat Diana *d. reſol.* 8. *verſ. Sed aduerſus*, quibus addo Salell. *reg.* 139. *num.* 95. Ricciull. *de perſon. in ſtat. reprob. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 15. & 18. Bordon. *in Tribunal. loco citato*.

43 Et ratio eſt, quia illo modo loquendi derogatur potentiæ Dei, quia communis ſenſus illorum verborum eſt, etiamſi Deus ſua omnipotentia nolit, Salell. Bordonus, Diana, & alij *ſupra citati*.

44 Ideo multo magis cauendum eſt à Bald. *conſ.* 476. *lib.* 3. Angel. *in l. his verbis, ff. de hæredibus inſtit.* Alex. ad Bartol. *in l. apud Labeonem*, §. *Ait Prætor, ff. de iniur.* Felinus *in probem. Decret. num.* 11. eos enim reprobaut Maſcard. *de probat. lib.* 1. *concluſ.* 194. *num.* 3. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *caſ.* 275. Azor. *to.* 1. *lib.* 11. *cap.* 3. *quæſt.* 2. & alij relati à Diana *loco citato*, Salell. *loco citato num.* 97.

45 Quoad Blaſphemiam *Puttana di Dio*, in Suprema, & non fuit habita in totum pro

hæreticali, vt testatur Cardinalis Scaglia *in sua praxi in tit. de Bestemmiatori capit.* 9. Et habetur ex pluribus Decretis, nempe *sub die* 30. *Martij.* 1606. *&* 20. *Iunij* 1628. in quo fuit latiùs dictum, Sanctum Officium non procedere pro hac sola blasphemia, cum talia verba possint intelligi de meretrice Deo conuersa, Peyrin. *ad Constit. Pauli Quinti* 9. Lupus *d. par.* 4. *lib.* 3. *diff.* 4. Sed denunciationes debere recipi, & conseruari ad effectum, vt si talis blasphemans proferat aliquam aliam Blasphemiam hæreticalem, possit pro vtraque puniri.

46 Cæterum instante sæpius P. Vincentio de Pretis Sanctæ, & Vniuersalis Inquisitionis Commissario, vt qualificaretur, fuit qualificata tanquam hæreticalis, vt ex Decreto *die* 14. *Octobris* 1654.

Quæ qualificatio mihi non arrisit, quia non facilè immutandæ sunt opiniones, quæ fuerunt longo tempore obseruatæ in Sancto Officio, & præsertim in hac Suprema, &c. ne in Sacro Tribunali notetur Inconstantia, quæ maximè est vitanda in Supremis Tribunalibus, vt videbimus in tractatu *de Inconstantia iudiciali*, præsertim in hac materia, quia vt plurimùm proferentes Blasphemiam, *Puttana di Dio*, illam proferunt quodam impio, sed vsitato modo loquendi, absque vlla intentione derogandi puritati Dei, vel saltem possunt intelligere de meretrice Deo conuersa, vt docent Peyrinus *ad Constit.* Pauli Quinti 9. Lupus *d. par.* 4. *lib.* 3. *diff.* 4.

Secus autem esset (horret calamus scri-
bere) quādo impius quis diceret, S. Mariam
Magdelanam fuisse Christi meretricem,
47 tunc enim talis Blasphemiam hanc profe-
rens diceretur hæreticaliter blasphemare;
Huic enim non potest dari interpretatio,
de qua per Peyrinum, & Lupum *locis citat.*

48 Neque obstat, quod dicit Catena, quod si Blasphemia *Potto di Dio*, habeatur pro hæreticali, quod etiam voluit Riccius *in prax Blasphemia criminis par.* 3. *resolut.* 45. *num.* 8. licèt contrarium sentiant relati à Barbosa *de potest. Episcopi par.* 3. *alleg.* 51. *num.* 91. non videt, quare etiam illa *Puttana, &c.* non sit hæreticalis.

49 Quia *Potta di Dio* est Blasphemia hæreticalis, ex quo tribuit Deo membrum fœmineum, & facit Deum fœminam, Bordonus *loco citato nu.* 8. *vers. quarto: Puttana* verò *di Dio*, tribuit Deo quod potest esse iuxta intelligentiam supradictam.

Si verò hæc Blasphemia proferatur erga
Beatam Virginem, dicendo *Puttana della*
50 *Vergine Maria*, certè erit Blasphemia hæ-
reticalis, quia derogat puritati Beatissimæ
Virginis, vt tenent Riccius *in praxi fori*
Ecclesiastici decis. 671. Ricciull. *loco citato*,
& cap. 10. *num.* 27. Carthar. *decis.* 2. *nu.* 30.

51 Quod verum est etiam, si quis dicat tantummodo, *Puttana della Vergine, della Madonna, di Nostra Donna*, nam iste erit Reus Blasphemiæ hæreticalis, saltem vt subijciatur foro Inquisitoris, & ab eo possit interrogari, quia ex vsitato modo loquendi verba supradicta intelliguntur de Beatissima Virgine, Plot. *de Blasphemia num.* 13. Lazar. *eod. tract. quest.* 3. *num.* 38. Bellochius *de Casib. reseruat. par.* 2 *quest.* 12. *num.* 6. *& seq.* Catena *loco cit. tit.* 7. §. 8. *n.* 43. Bordonus *in Tribun. cap.* 26 *num.* 8. Mazucchellus *de Casib. reseruat. disp.* 2. *capit.* 16. *num.* 32.

52 An autem blasphemia, *Potta della Vergine Maria*, sit hæreticalis, videtur resoluendum affirmatiuè ex doctrina Baldi *in l. Accusationem* 3. *vol. C. qui accusare non possunt*, qui dicit, quod iurare per membra pudibunda Christi, species hæresis est, quod idem voluit Decian. extendens ad iurantes per membra pudenda Mariæ Virginis, vel Sanctorum *dicto lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 11.

53 Cæterum dicendum est nullo modo huiusmodi verba præseferre blasphemiam hæreticalem, sed benè maximum conuicium contra Beatam Virginem Mariam, non enim ei attribuitur membrum, quod non habet, sed turpiter nominatur, quo casu licet blasphemia sit atrox, vt dicit Boer. *decis.* 301. Nihilominus non est censenda hæreticalis; non enim repugnat iis, quæ tenemur credere, nec fidei confessioni opponitur, Barbos. *d. alleg.* 51. *nu.* 91. qui tamen fallitur in aliquibus blasphemiis ab eo *allegatis*.

54 Maius dubium est, si dicatur *Potta di S. Pietro, Potta di S. Paolo*, vel alicuius alterius Sancti: Nam videtur par ratio militare in hac, quàm in ea, *Potta di Dio*, cum tribuatur Sanctis sexus fœmineus, ideò videtur sapere hæresim.

Sed iudicio meo non est censenda hæ-
reticalis, nam non militat eadem ratio,
quæ militat in ea, *Potta di Dio*, quia in hac
55 non solùm tribuitur sexus fœmineus
Deo, sed membrum, quod non habet,
nec habere potest.

At in illa solùm tribuitur per modum conuicij membrum fœmineum alicui Sancto, quod reputatur blasphemia atrox, sed non hæreticalis, Caietan. 2.2 *quæst.* 13. *art.* 1. Sanctarell. *de Blasphem. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 21. *in fin.*

56 Blasphemia hæreticalis erit dicere, *Dio Cornuto*, vt habetur *in Praxi* Cardinalis Scagliæ *cap.* 9. Trasmiera *de Denunciat. quæst.* 4. *cap.* 6. *num.* 5. *vers. Idem est si diceret.*

57 Idem censendum est, si quis diceret, *S. Gioseffo Cornuto*, quia ex communi vsu loquendi, *Cornuto* dicitur ille, cuius vxor

est adultera, modo cum sit de fide, Sacratissimam Virginem Mariam Sancti Ioséphi vxorem semper virginem fuisse, hæc blasphemia tanquam resultans contra puritatem Virginis erit hæreticalis.

58 Aduertendum tamen est, quod licet ex Decreto Pauli Quarti, confirmato per Constitutionem Clementis Octaui, 3. *Februarij* 1603. negantes virginitatem Beatæ Virginis, Sanctissimam Trinitatem, Diuinitatem Domini Nostri Iesu Christi, eius conceptionem de Spiritu Sancto, acerbissimam crucis mortem, debeant haberi pro Relapsis, ac etiam pro prima vice tradi brachio seculari: Decretum tamen, & Constitutio intelligenda sunt, si assertiuè, & per modum propositionis, non autem blasphemiæ proferantur, dummodò blasphemans prædicta, interrogatus super intentione, non fateatur credidisse, Beatam Virginem non fuisse virginem, vel alia supradicta mysteria nostræ fidei vera non fuisse. Qui autem profert hæc verba, *Santo Diauolo*, non punitur in Sancto Officio, vt ex Decreto 7. *Septembris* 1605.

59 Præterea inter blasphemas hæreticales connumerantur ij, qui conculcant, percutiunt, seu conspurcant sacras Imagines.

60 Licet enim blasphemia consistat propriè in verbis, & non in factis, Suarez *tom.*1. *de Religione tract.*3. *lib.*1. *cap.*4. *num.*4. & 5. Sanchez *dicto cap.*32. *num.*5.

61 A multis tamen Doctoribus huiusmodi factum appellatur blasphemia, Alphons. de Castro *de Iusta Haeret. punit. lib.*1. *cap.*12. Cordub *in quæstion. lib.*1. *quæst.*17. §.15. *nu.*1. Bordon. *dicto cap.* 26. *num.*27. Menoch. *de Arbitrar. cas.*376. *num.* 1. Trasmiera *de Denunciat. quæst.*4. *cap.*6. *num.*4. & 13. Lazar. *de Blasphem. quæst.* 1. *num.* 32. Iulius Carthar. *decis.*2. *num.* 11.

Et non est dubium, quod tales sacrilegi, & blasphemi dicuntur præsumpti In-

62 constantes in fide, quia reddunt se vehementer suspectos de hæresi, Simanch. *de Cathol. tit.* 33. *num.* 18. Farinacc. *de Hæresi quæst.*178. *à num.*53. Zanard. *in Summ. cap.*64. Carena 7. *par. tit.*7. §.7. *num.*38. Trasmier. *loco cit. in fin.* Bordon. *loco cit. num.* 22. Alberghin. *cap.*28. *num.*4. Sousa *in Aphorism. lib.*2. *cap.*42. *num.* 14. Carthar. *dicta decis.*2. *num.* 43. Franciscus de Magistris *in Sylua Ecclesiastica to.*2. *lib.*2. *num.*16.

63 Cæterùm quia sæpè sæpiùs laici Iudices prætendunt de huiusmodi delicto cognoscere, videndum est, an huiusmodi delictum verè cadat sub eorum iurisdictione.

In hac controuersia tres inuenio Doctorum opiniones.

64 Prima est Marsilii *in l. ex Senatus Consulto num.* 3. *ff. ad l. Corneliam, de Sicarijs*, quem sequitur Boer. *decis.* 301. *num.* 18. & inter modernos Caball. *resol.*91. *num.*8. dicentis spectare ad Iudicem laicum.

65 Plures adducunt rationes, sed ad hanc vnam videntur restringi, quod cum delictum hoc debeat puniri pœna mortis, iuxta Text. *in l. vnic. C. Nemini licere Signum Saluat.* & per ea, quæ latè prosequitur Carthar. *dicta decis.*2. *num.*18.

66 Sed cum hæc pœna non possit imponi à Iudice Ecclesiastico, *cap. in Archiepiscop. de Raptor. cap. Clericus, cap. Sententiam sanguinis, extr. ne Cleric. vel Monac.* Simanch. *de Cathol. tit.*33. *num.* 19.

67 Meritò tam horrendum crimen debet puniri à Iudice seculari, Caball. *dicta resolut.*91. *num.*12.

68 Secunda sententia est, Anchar. *in cons.* 15. *prope fin.* Marsil. *in prax.* §. *Et quia nu.*25. Decian. *lib.*4. *cap.*26. *nu.*1. & 2. Simanchæ *dicto tit.* 33. *num.* 17. Farinacc. *in addit. ad quæst.* 20. *num.* 68. dicentium esse mixti fori.

69 Ratio huius opinionis esse potest, quia cum hoc delictum secundùm aliquos ex sui natura non sit hæreticale, licet atrox, & grauissimum, Paulus Grinald. *de sortil. quæst.* 10. *num.* 12. Torre-blanc. *de Magia lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 17. Vetitumque sit tam à lege ciuili, quàm canonica, Abb. *in cap. Cum sit generale num.* 1. *de foro compet.* Marta *de Iurisdictione par.*2. *cap.*15. *num.*2.

70 Ideò ab vtroque Iudice puniri potest tanquam mixti fori, Nauarr. *in cap. Nouit num.*13. *de Iudic. not.*6. *num.* 40. Ansald. *de Iurisdict. cap. vnic. Qualiter causæ mixti fori cognoscantur.*

71 Tertia opinio est verior, & in practica seruanda, cognitionem huiusmodi delicti spectare ad Iudicem fidei, siue Episcopum, siue Inquisitorē priuatiuè ad Iudicem laicum, quam opinionem tenuit in indiuiduo Azeued. *ad leges Regias, lib.*1. *tit.*1. *leg* 3. vbi cum condemnatus fuisset quidam Granatensis à Iudice seculari in pœnam capitis, eo quia percusserat Imaginem Beatæ Mariæ Virginis, interposita per Reum appellatione ad Consilium Regium, idem Consilium mandauit remitti percussorem ad Inquisitores, & eius opinionem sequitur *praxis Neapolit. cap.* 18. *num.*12. Lazar. *de Blasphem. quæst.*6. *num.*14. P.Diana *par.*4. *tract.*7. *cap.*9. Carena *par.*2. *tit.*7. §.7. *num.*39. latè Carthar. *dicta decis.*2. *nu.*1. Bordon. *in Sacro Tribun. cap.*36. *nu.*23. Franciscus de Magistris *loco cit. sub num.*16. *vers. Et quod.*

72 Ratio est in promptu, quia vel hoc est in se factū hæreticale, vt latè voluit Carthar. *loco cit. num.*37. & 38. vbi plura de cultu sacrarum Imaginum, vel saltem ex tali facto oritur vehemens hæresis suspicio, vt voluere Alphonsus de Castro *de Iusta*

Haeret. punit. lib.1. cap.15. ad fin. Simanch. *dicto cap.33. & in Enchiridion. tit.10. num.1.* Muscatell. *in prax. de crimine laesae maiestatis Diuinae num. 22. & de Blasphemia num. 36.* Azeued. *loco cit.* Sousa *in Aphorism. lib. 2. cap. 42. num. 14.* Sesse *decis.448. num. 19.* Martin. del Rio *disquis. Magic. lib.5. sect.16. §.Sacerdotes,* P.Diana *d. resolut. 9.* Carthar. Carena, & Bordon. *locis citatis,* Salelles *reg.139. num.109.*

73 Qui enim deturpat, dirumpit, conculcat, vel percutit Imagines Sacras, habet intellectum deprauatum, cum non possit moueri ab obiecto, quod non est tale, vt possit ad hoc allicere voluntatem, nec mouetur à seipso secundùm carnem suam operante, quoniam humana natura simpliciter non habet ad huiusmodi opera aliquam inclinationem; Consequens est igitur, vt ab intellectu deprauato motam voluntatem credamus, itaut voluntas tale opus non voluisset, nisi intellectus illi vel bonum persuasisset, vel quamuis malum cognitum, peruersa voluntas ei se applicauisset, vt benè ratiocinatur Alphonſ. de Castro, & Carthar. *locis citatis.*

74 Cum ergo simus in facto haereticali, vel saltem continente vehementem suspicionem haeresis, non potest cadere sub iurisdictione Iudicis laici, obstante Textu *in cap. Vt Inquisitionis Officium, §. Prohibemus, de Haereticis in 6.*

75 Secunda ratio est, quia huiusmodi factum reputatur pro blasphemia haereticali, vt *supra* probauimus ex multis, quibus addo Riccium *in prax. Haeresis resolut. 433. ver. Imagines sacras.*

Imò, vt habetur in litteris Simeonis Stilitae *ad Imperatorem Iustinum registr. in 7. Synodo act. 1.* omnem blasphemiam excedit impium hoc factum.

76 At si blasphemiae haereticalis Episcopus, & Inquisitor sunt Iudices priuatiuè ad Iudicem secularem, vt omnes testantur Doctores, nemine excepto, quos refert Ceuall. *de cognit. per viam violentiae qu. 85.* Ansald. *de Iurisdict. par.4. tit.9. cas.2. nu.87.* Sanchez *ad praecept. lib. 2. cap. 32. num. 37.* Bordon. *d. cap.26. num.33.*

Ità etiam erunt in hoc delicto Lazar. Bordon. Azeued. Prax. Neapolit. Carthar. & Carena *locis citatis.* Et Carena argumentatur à cognitione sortilegij haereticalis ad cognitionem huius delicti, Franciscus de Magistris *loco citato, vers. Tunc tertio.*

Neque obstant, quae pro prima opinione adducuntur, quia licet non soleant Iudices Ecclesiastici regulariter imponere

77 poenam mortis huiusmodi delinquentibus, imponunt tamen poenas triremium, carceris, fustigationis, & alias arbitrarias, quae videntur omnino aequales, & sufficientes huic delicto, cum poena blasphemiarum etiam haereticalium, siue facto, siue verbis committantur, hodie sit arbitraria, quicquid fuerit de iure antiquo, vt benè probat Carthariu*s dicta decis. 2. num. 19.*

78 Dixi *regulariter*, quia etiam à Iudicibus Ecclesiasticis potest Sanctissimo consulto extendi haec poena abitraria, vsque ad traditionem Rei Curiae seculari, vt factum fuit cum similibus effractoribus, & conspurcatoribus sacrarum Imaginum *de anno 1623.* in Ciuitate Bononiae, *& de anno 1635.* in Ciuitate Ferrariae, quod docent Azeued. Prax. Neapolit. P. Diana, & Carena *locis citatis*; addo Alberghin. *in Man. cap.28. num.6.* Sousa *in Aphorism. lib.2. cap.42. num.16.* Franciscus de Magistris *loc. cit. num. 17.*

79 Non obstat ratio secundae opinionis, nempe quod percussio sacrarum Imaginum non sit factum haereticale, quia Ghirland. & Torre-blanc. fundant eorum dictum *in cap. Canonici, §. fin. de offic. ordin. in 6.* Qui Textus nullam prorsus habet similitudinem cum casu, de quo agitur: Ibi enim Canonici non conculcabant Imagines sacras, neque ad terram proijciebant ob aliquam irreuerentiam, vel illarum contemptum, sed illud efficiebant ad incutiendum terrorem, & abhominationem, & odium in populo excitandum contra illum, propter cuius crimen imponebatur cessatio à Diuinis, vt bene considerant Alphonsus de Castro *d. cap. 15. ad fin.* & Carthar. *d. decis.2. num.47.*

80 Et propterea opinionem Ghirlandi esse communiter reprobatam, dicit Martin. del Rio *d. Io tract. lib.5. sect.16. vers. Sacerdotes, in fine.*

81 Neque obstat praetensa aliquotum Tribunalium possessio puniendi huiusmodi delinquentes, quia data eorum incapacitate, quae clara est saltem respectu suspicionis haeresis, quae oritur ex huiusmodi delicto, possessio suffragari non potest, Abb. *in cap. Quanto num.2. de consuet.* Rota *decis. 10. de consuetud. in antiquis,* latè Sperell. *decis.37. num.33. & seq. & decis.181. à nu. 22.* & Iudices seculares in hoc delicto procedere de facto, non de iure dicit P. Bordon. *d. cap.26. qu.14. num.24.*

82 Et haec opinio eò magis infelicissimis nostris temporibus locum habere debet, quibus oblita haeresis Iconomacorum, renouata fuit à Nouatoribus; & propterea cum *de anno 1625. sub die 20. Nouembris,* fuisset in Suprema &c. coram fel. record. Vrbano Octauo disputatum hoc dubium; resolutum fuit, cognitionem, & punitionem delicti percussionis sacrarum Imaginum spectare ad Episcopum, siue Inquisitorem priuatiuè ad Iudices laicos.

Hinc *de anno 1650. die 3. Nouembris*, remissa fuit à Collaterali Consilio Neapo-
83 litano ad Iudices fidei causa Francisci Starace, qui fuerat inquisitus in magna Curia Vicariæ de laceratione, & conspurcatione sacrarum Imaginum, vnacum corpore delicti, nempe Imagine lacerata.

Sed de Iudæis conspurcantibus, percutientibus, conculcantibus, siue frangentibus Imagines sacras, & alias hæreticaliter blasphemantibus maior est difficultas: Nam Anchar. *cons.* 15. tenet, puniendos esse à Iudice seculari, quia cum Iudæi sint
84 extra Ecclesiam, non possunt puniri à Iudice Ecclesiastico, & hanc opinionem pluribus comprobat rationibus Hieronymus Bellnga *inter Consilia* Soccini iunioris *cons.* 119. *vol.* 4. Eandem tenet Guido Papa *quæst.* 63. Alex. *cons.* 233. *vol.* 6. *& cons.* 99. *num.* 12. *eodem vol.* Clar. §. *Blasphem. nu.* 6. Aretin. *consil.* 157. Decian. *lib.* 5. *cap.* 27. *num.* 2. *in fin.* Anan. *in rubr. de Iudæis col.* 2. *in fin.* Io: Andr. *in Clement.* 1. *de testibus, & in Clement. vnic. de Iudæis*, Oldrad. *cons.* 136. Anan. *in cap. Postulati, de Iudæis*, Squillacen. *de fide Cathol. cap.* 46. Ponizinibus *de Lamijs quæst.* 15. *num.* 81. quos omnes refert Surd. *cons.* 498. *num.* 8. addo Ansald. *de Iurisdict. par.* 4. *cap.* 2. *num.* 103. Suarez *recept. sent. nu.* 209. *ver. Iudæi*, Lazar. *de Blasphem. qu.* 6. *num.* 5. qui ex mente Massinij *l.* 1. *C. de eden. num.* 98. dicit, Iudæos esse de foro seculari, nec Constitutionibus Ecclesiasticis, & dispositionibus peccati rationem habentibus adstringi, Sanctarell. *de Blasphem. cap.* 8. *dub.* 2. *num.* 5.

Cæterum dicendum est, Iudæos blasphemos siue verbo, siue facto posse puni-
85 ri, etiam inspecto iure communi à Iudice Ecclesiastico, vt voluit Bald. *cons.* 100. *nu.* 1. *vol.* 2. & priùs *consil.* 313. *num.* 5. *lib.* 1. per Text. *in cap. Postulati, de Iudæis*, Ancharan. *dicto cons.* 15. *aliàs* 14. *in fin.* Calderin. *cons.* 2. *de Iudæis*, plures alios adducit Bursattus *cons.* 90 *num.* 1. quos adducit Ricciull. *de iur. personar. lib.* 2. *cap.* 52. *nu.* 6. *vers. Quibus*, Carena *par.* 2. *tit.* 14. *num.* 7. Bordon. *in Tribunal. cap.* 25. *num.* 9.

86 Dixi *de iure communi*, quia de iure nouo, iuxta Constitutionem Gregorij Decimitertij *Antiqua Iudæorum perfidia*, certum est posse puniri ab Inquisitore, tanquam vilipendentes fidem Christianam, & Catholicam Religionem, vt latè tuetur Carena *d. tit.* 14. §. 9. *&* §. 16. *num.* 35.

87 Et isto casu, & aliis in Bulla comprehensis, possunt puniri ab Inquisitoribus priuatiuè quoad Iudices laicos, vt tuetur latissimè Carena *d. tit.* 14. *num.* 38. quem sequitur Bordon. *dicto cap.* 25. *quæst.* 7. *num.* 19.

88 Et mei Assessoratus tempore fuit punitus ab Inquisitore Mutinen. Iudæus priuatiuè quoad Iudicem laicum, qui in Terra Spilimberti conspurcauerat Imaginem Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ reperiebatur depicta in quadam domo à Iudæis conducta.

89 Et hanc credo verissimam opinionem, quia certum est, delictum in opprobrium fidei commissum, esse merè Ecclesiasticum, & propterea subdi iudicio Inquisitorum tuetur, vt Carena *loco citato* §. 9. *num.* 22.

90 Quod intellige, quando verè constat, delictum esse commissum in opprobrium fidei, vtputa, si animo sedato Iudæus Imagines conspurcasset; si autem ludendo ira percitus vulneraret, vel frangeret aliquam sacram Imaginem, crederem esse locum præuentioni, tanquam in delicto mixti fori, animus enim, & intentio delictum distinguunt.

Non obstat, quod percussio Imaginum sit ex se factum hæreticale, & ideò ob hoc factum etiam Iudæi possunt subdi fo-
91 ro Ecclesiastico priuatiuè ad Iudicem laicum, quia hæc conclusio potest habere locum in Christianis, non autem in Iudæis, apud quos tale non potest dici factum hæreticale, nisi adsit illa qualitas fidei contemptus, quæ requiritur, vt subdatur Iudæus iudicio Inquisitorum, vt patet in Constitutione Gregorij Decimitertij *casu* 9. & propterea Sacra Congregatio non permittit, quod Inquisitores procedant contra Iudæos carnaliter se commiscentes cum Christiana, vt fuit resolutum *die* 4. *Augusti* 1610. 18. *Ianuarij* 1617. 11. *Iunij* 1621., *&* 10. *Ianuarij* 1623.

Quando copula, seu commixtio carnalis non est facta in contemptum fidei, Carena *d. tit.* 14. §. 3. *in fin.* Fermosinus *in quæst. pro Sancto Officio par.* 3. *quæst.* 1. *num.* 4. *& sequ.*

92 Licet tamen Iudæus habens copulam carnalem cum Christiana non puniatur ab Inquisitore, punitur tamen ab Ordinario, vt contra Surd. *cons.* 497. latè tuetur Muta relat. à Carena *d. tit.* 14. §. 3. & post eum Ciarlinus *cap.* 42. *num.* 53. *vsque ad* 71. & resoluit Suprema, &c. *die* 11. *Iunij* 1621.

93 Benè scio, quandoque Episcopum, & Inquisitorem processisse aduersus Iudæos talia perpetrantes, vt ex Decreto 11. *Iulij* 1615.

94 Et licet possit esse aliqua dubitatio, an de iure sit imposita aliqua pœna contra Iudæos, tale facinus perpetrantes, de quo latè Cyriacus *controuers. cap.* 432. *per totam*: Nam quod spectat ad ius canonicum, Text. *in cap. In nonnullis, de Iudæis*, licet commixtionem Iudæi cum Christiana in narratiua vocet damnatæ commixtionis excessum,

excessum, in dispositiua tamen restringit se ad prohibitionem, ne Iudæi eundem habitum deferant, quod Christiani, itaut ab illis non distinguantur, & ne illudant Passioni Domini Nostri Iesu Christi, & ob id in diebus Passionis in publicum non prodant, nec vestibus ornatioribus induantur.

95 Textus verò *in cap. In Archiepiscopatu, de Raptoribus*, loquitur de Iudæis rapientibus mulieres, & pueros Christianos, ac illis abutentibus.

96 Quoucro ad ius ciuile attinet Text. *in l. Nequis, C. de Iudæis, & Cælicolis*, loquitur de Iudæis matrimonium contrahentibus cum Christiana, & è conuerso.

Attamen ex Constitutione Pauli Quarti *la* 3. in Bullario §. 7. prohibetur, ne Iudæi cum Christianis ludant, comedant,

97 seu familiaritatem, aut conuersationem habere præsumant, quæ constitutio licet loquatur de Iudæis in Vrbe, & Statu Ecclesiastico degentibus, nihilominus Beatus Pius Quintus *alia sua Constitutione edita die* 19. *Aprilis* 1566. *la* 6. *in ordine*, ad commorantes in toto Orbe Terrarum extendit, Ciarlin. *d. controuers.* 42. *num.* 62. *&* 63.

98 Nulla tamen maior familiaritas, & conuersatio, quàm actus venereus dici potest, mutui enim amoris symbolum, refert Iodocus *in Praxi cap.* 96. *num.* 28. vbi appellat hanc conuersationem vitium penè sodomiticum, quem sequitur Ciarlin. *loco citato*.

99 Cæterum hoc priùs statutum fuerat in Concilio Viennensi sub Clemente Quarto à Cardinali Fr. Guido tit. S. Laurentij in Lucina eiusdem Clementis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, collecto Viennæ *anno* 1267. 6. *Idus Martij*.

100 In *capite* enim *decimoseptimo* eiusdem Concilij habentur hæc verba:

Si quis verò Iudæus cum aliqua Christiana fornicationis vitium deprehensus fuerit commisisse, quoad vsque decem marcas argentei ad minùs, pro emendatione soluerit, districto carceri mancipetur, & mulier Christiana, quæ tàm damnatum coitum elegerit per Ciuitatem fustigata, de ipsa Ciuitate, sine spe redeundi, penitùs expellatur.

101 In *capite* verò 18. *&* 19. post alia statuta contra Iudæos, subiungit:

Præcipimus autem Episcopis, vt ad hæc omnia obseruanda in singulis articulis Iudæos per abstractionem communionis Christianæ compellant; Ipsosque quoque Principes, ac Iudices eorum districtiùs admonemus, ne Iudæis statuta nostra obseruare nolentibus, protectionis, siue defensionis fauorem impendant; sed si aliqua eis à Prælatis Ecclesiasticis iniungantur, ea fideliter exequantur, alioquin introitum Ecclesiæ, & Diuinorum Officiorum sibi nouerint interdicen.

102 Licet enim Iudæi sint sub protectione Imperatoris, & Papæ, Leizier. *in tract. de Primogen. quæst.* 16. *num.* 16. *lib.* 1. Parisius *cons.* 2. *num.* 12. *vol.* 4. Roland. à Valle *cons.* 25. *nu.* 11. *vol.* 2. Beccius *cons.* 84. *per tot. lib.* 1. Et de protectione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Fagnanus *in cap. Inter alia num.* 62. *de Immunit. Eccles.*

103 Et possint in protectione recipi à Principibus, vt latè differit Mager. *de Aduocatia armata cap.* 8. *à num.* 220. *per multos*, vbi ad partes quæstionem hanc more suo eruditè examinat.

104 Id tamen intelligi debet, ne contra fidem Christianam ipsis suffragia, & patrocinia præstentur, sed tantummodo, si in nudam protectionem, quæ cum fide nihil participat, recipiantur, Mager. *loco cit. num.* 286. *vers. Non obstat*, vbi dicit, ità intelligendum esse Concilium Toletanum 4. *cap.* 7. vbi habetur, quod à Christi Corpore dignus sit separari, qui inimicis Christi efficitur patronus.

105 Et propterea, *vt aliàs dixi*, nulli sunt saluiconductus, quos concedunt, & protectio, quam habent nonnulli Principes Italiæ de Lusitanis Iudaizantibus, ne scilicet possint puniri ab Inquisitoribus ratione Apostasiæ à fide: Etenim, si puri Iudæi committentes contra fidem Christianam possunt puniri ab Inquisitoribus, multo magis poterunt puniri Christiani ad sectam Iudæorum transeuntes.

106 Præterea Iudæi, qui retinent puellas, vel pueros Christianos ad eorum seruitia, illisque prohibent, ne accedant ad audiendam Missam, puniuntur ab Inquisitore priuatiuè ad Iudicem laicum: *De anno* enim 1598. 14 *Ianuarij*, huiusmodi causa auocata fuit à Iudice seculari.

107 Puniuntur etiam Iudæi ab Inquisitore, si arma deferant Algerium, vt fuit resolutum *die* 29. *Ianuarij* 1598.

108 Puniuntur quoque si transferant cum pompa, & luminaribus Arcam de vna domo in aliam ab Inquisitore, vt fuit resolutum *in vna Pisana* 21. *Decembris* 1600.

109 Possunt etiam puniri ab Inquisitore si construant nouas Synagogas absque licentia Sedis Apostolicæ, vt fuit resolutum *die* 20. *Octobris* 1601. *&* 25. *Septembris* 1608.

Certum est enim, Iudæos nouas Synagogas construere non posse, *cap. Iudæis de Ciuitate, & cap. Consuluit de Iudæis*, Ricciull. *de iur. personar. lib.* 2. *cap.* 39. *nu.* 5. vbi etiam, quod non licet Christianis vendere Iudæis calcem, lapides, ligna, & alia cæmenta, vt ex illis construatur Synagoga, Azor. *to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *qu.* 5.

110 Imò vt nec veteres reficiantur, Azor. *loco cit.* Ricciull. *loco cit. num.* 5.

111 Possunt tamen Iudæi veteres Synago-

gas reficere, sed restaurando, non facere pretiosiores, Abb. *dicto cap. Consuluit, de Iudæis*, Barbat. *cons.* 1. *num.* 14. *col.* 18. *in fin. lib.* 1.

112 Et propterea fuit denegata licentia Iudæis Germanis Mantuæ commorantibus extruendi alio in loco Synagogam combustam, sed fuit dictum vt illam eodem in loco restaurarent, *die* 2. *Septembris* 1610. & 21. *Aprilis* 1611.

Eisdem Iudæis fuit denegata licentia construendi nouam Synagogam in Terra Rodoleschi, 18. *Maij* 1623.

Et Iudæis Anconæ fuit denegata licentia ædificandi domunculam in eorum cœmeterio, 8. *Augusti* 1613.

113 Puniuntur etiam Iudæi ab Inquisitore, qui curant à pueris Christianis in die Sabathi sibi ignem accendi, vt ex Decreto 14. *Februarij* 1606. licet quando de his sunt denunciati in Sancto Officio vidi plures remissas huiusmodi causas ad Emin. Vrbis Vicarium.

114 Fuerunt etiam puniti acriter ab Inquisitore Iudæi, qui infantem Christianum circumciderunt, 11. *Martij* 1607.

Puniuntur etiam ab Inquisitoribus Iudæi, qui in macellis Christianorum cum suis superstitionibus, & obseruationibus animalia occidunt, 8. *Iulij* 1615.

115 Similiter fuerunt puniti Iudæi ab Inquisitore, qui procurauerunt liberationem cuiusdam Turcæ, vt iudaizaret, 22. *Nouembris* 1617.

116 Cum autem examinantur Iudæi in Sancto Officio, coguntur subscribere suum examen, licet examinentur in die Sabathi; scriptum fuit Inquisitori Alexandriæ, 30. *Octobris* 1593.

Plura etiam denegantur Iudæis à Suprema, & Vniuersali Inquisitione.

117 Et primò, quod possint vti opera Nutricum Christianarum etiam extra Ghettum, *die* 15. *Martij* 1612. & 17. *Maij eodem anno*.

Nec Principes seculares huiusmodi Priuilegium Iudæis concedere possunt, vt fuit resolutū in Suprema, *die* 1. *Iunij* 1591.

Imò nec Episcopum posse in hoc casu dispensare, tuetur Abb. *in cap. Ad hæc in fine, de Iudæis*, & ibi Cardinalis Anan. & alij relati à Sanchez *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 27.

Et propterea monitus fuit quidam Nuncius Apostolicus, qui sibi, & Ordinariis reseruauerat facultatem concedendi licentias tenendi Nutrices Christianas, ac vtendi seruitute Christianorum, & ei iniunctum fuit, vt reuocaret huiusmodi reseruationem, prout reuocauit, vt apparet ex Decreto 21. *Maij* 1592. & ex litteris Nuncij 4. *Aprilis* 1592.

Si ergo retinuerint Nutrices Christianas, vel vsi fuerint opera Christianorum, puniuntur tàm Iudæi, quàm Christiani talia perpetrantes ab Inquisitoribus, vt ex Decreto *sub die* 12. *Octobris* 1627.

Et cum quidam Dux concessisset Priuilegium Iudæis in suo Statu commorantibus, vt possent habere seruas Christianas, dummodo non essent minores quadragintaquinque annis: Sanctissimus, mandauit Episcopo, & Inquisitori, vt non obstante dicto Priuilegio, procederet contra Iudæos, & Christianos delinquentes, vt ex Decreto *die* 21. *Ianuarij* 1621.

Possunt tamen Inquisitores, & Ordinarij tolerare Iudæis ea, quæ tolerantur in Vrbe, sed nihil eis concedere expresse *die* 4. *Ianuarij* 1620.

Et cum alius Dux *de anno* 1648. concessserit multa priuilegia Iudæis, inter quæ:

Primò, quod possent vti opera Christianorum, & Nutricum Christianarum.

Secundò, quod qui haberent rem carnalem cum muliere Christiana, deberent puniri à Iudice ab eo deputato.

Tertiò, quod Medici Hebræi possent mederi Christianis, & sumere lauream Doctoratus.

Quartò, quod nullus filius Hebræorum posset baptizari, nisi excedat ætatem annorum tresdecim; & dum morabitur in domo Cathecumenorum, possit à parentibus Hebræis visitari, & cum eis communicare; & quod baptizati non possint petere legitimam à parentibus Iudæis.

Quintò, quod baptizati non possint testificari in causis Hebræorum.

Sextò, quod possint conuersari in toto eius Statu, absq; eo, quod deferant aliquod signum discretiuum à Christianis.

Septimò, quod possint sibi construere nouam Synagogam.

Octauò, quod non possint molestari etiam quod alibi vixerint vti Christiani.

118 Hęc omnia Priuilegia, tanquam contra Sacros Canones, & Sacrosancta Concilia à sanctæ memoriæ Innocentio Decimo renocata, abolita, & cancellata fuerunt, *sub die* 20. *Iunij* 1652.

119 Secundò, licentia medendi Christianos, 14. *Maij* 1615. licet quandoque fuerit concessa Catholicis commorantibus in Partibus Infidelium, vbi non erat Medicus Christianus, *sub die* 3. *Decembris* 1619.

120 Et in Partibus fidelium fuit concessa medendi vnacum Medico, siue Chirurgo Christiano, 10. *Augusti* 1628.

121 Facit Textus *in cap. Nullus eorum* 28. *quæst.* 9. vbi dicitur, quod nullus eorum, qui sacri sunt Ordinis, vel laicus aliquem Iudæorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eo percipiat, etsi laicus est excommunicetur.

122 Et ideo recipere medicinam à Iudæo

est peccatum mortale, nisi excusaret qualitas temporis, vtputa, pestis, in quo deficerent Medici Christiani, vel eius eminens scientia, Felin. *in cap. 1. Extra de Iudæis*, Mager. *d. cap. 8. num. 226.* vbi refert exempla de infausto successu Principum, qui medicinas à Iudæis receperunt.

123 Tertiò, Arcentur à suscipienda laurea Doctoratus, ideò scriptum fuit Nuntio Florentiæ commoranti, vt ageret cum Magno Duce Etruriæ, qui prouideret, ne in Vniuersitate Pisarum gradus Doctoratus conferretur Iudæis, *die 16. Septembris* 1621.

124 Licet in Curia à nonnullis Vicesgerentibus Eminentissimi Vicarij in Vrbe fuerit data licentia quibusdam Hebræis, vt possent lauream Doctoratus accipere in Sapientia Romana: Vnus tamen ex eis acriter fuit reprehensus à sanctę memorię Innocentio Decimo, Me existente Assessore.

125 Quartò, Prohibentur addiscere litteras Latinas, vel alias artes à Christianis, 8. *Nouembris* 1618. Nec è conuersò Christiani à Iudęis 25. *Iunij* 1620. Christiani tamen docentes Hebræos puniuntur ab Ordinario, 10. *Februarij* 1596.

126 Quintò, Non possunt apponere in suis sepulchris Epitaphia, & posita amouentur, 8. *Octobris* 1625. Et petentes in eorum sepulchris posse nomina, & cognomina, ac patriam defunctorum affigere, non obtinent, 23. *Octobris* 1625.

127 Sextò, Licet à Card. Camerario plura Priuilegia obtinuerint, nempè medendi Christianis, & posse eisdem Christianis vti pro suis commoditatibus, & necessitatibus, fuerunt tamen huiusmodi Priuilegia reuocata à Summis Pontificibus, & fuit scriptum Inquisitoribus, vt non obstantibus dictis Priuilegiis contra eos procedant *die 9. Ianuarij* 1593. & pluries meo tempore.

128 Septimò, Quamuis de Iure communi possint acquirere, & possidere stabilia, vt *ex cap. Iudæi, il secondo, & ex cap. Multorum de Iudæis, ex cap. Quanto de vsuris, & cap. de Terris de Decimis*, apparet & *ibi* Doctores Innocent. *in cap. Quod super, num. 4. de Voto*, cum alijs per Ricciull. *de Iure Personarum, lib. 2. cap. 50. nu. 1.* Theodor. *de Iure, & statu Iudæor. in Repub. Christiana, cap. 4. pag. 69. in fine.*

129 In Statu tamen Ecclesiastico, nec domos, nec agros, nec alia stabilia acquirere possunt, vt Statutum fuit à Paulo Quarto, *sua Constitutione, Cùm nimis absurdum, 3. in ordine*, quæ Constitutio confirmata fuit ab aliis Summis Pontificibus, & præsertim à Clemente Octauo, *sua Constitutione 19. Cæca*, de quibus Rota *in Romana, seu Nepesina Salniani, Ven. 27. Iunij* 1664. *coram bon. mem. Verospio, quæ est decisio 225. par. 14. recent.* vbi quod non solum iis est interdicta possessio iure dominij, sed etiam est interdicta possessio ratione pignoris, vel simplex detentio bonorum immobilium, ex quibus fructus possent deduci.

130 Octauò, Iudæi arcentur ab omnibus publicis officiis, vt *in cap. Ex speciali de Iudæis, & Saracenis*, & statutum fuit in Concilio Auernen. *Can.* 8. & in Concilio Toletano 3. sub Pelagio Papa Secundo, *Can. 14. registr. in cap. Cum sit, 16. de Iudæis*, & in Concilio Lateranen. *primo, cap. 8.* vbi quod nec Iudices, nec Tellonarij esse possunt

131 Et propterea in Sacra Congregatione sæpiùs fuit resolutum, non posse Iudæos conducere Gabbellas, & redditus Principum secularium, & ab ea moniti fuerunt Duces N. N., qui suos redditus Iudæis locabant, obstante Textu, *in cap. Ex speciali de Iudæis, & in l. Ex hac valitura, cap. de Iudæis*, Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 22. qu. 10.* Ricciull. *d. tract. lib. 2. cap. 22. num. 10.*

132 Et quamuis *in d. cap. Ex speciali* dicatur, quod si fortè Rex Portugalliæ redditus suos Iudæis vendiderit, vel Paganus, Christianum tunc deputet de grauaminibus inferendis Clericis, & Ecclesiis non suspectum, per quem Iudæi, siue Saraceni, sine Christianorum iniuria iura regalia consequantur.

133 Ex quo inferunt Doctores, quod Iudæis possunt vendi, seu locari redditus Principis, dummodò præficiatur ab eodem Principe, & non à Iudæo Christianus, qui redditus colligat, Abb. Butrius, Felin. Ioannes Andreæ, Hostiensis, & alij *in d. cap. Ex speciali.*

134 Nihilominùs Sacra Congregatio non probauit Canonistarum illationem, quia Summus Pontifex eo casu processit per viam gratiæ specialis Priuilegij, siue dispensationis, ideò non potest trahi in consequentiam, vt in simili *per Text. in l. Generaliter, §. fin. ff. de Decur.* dixit Azor. *in Summa de Iudæis, & Cælicol. num. 1. versic. Grauantur in eo*, Crotus *in Rubr. de Iustitia, & Iure, num.* 12. quem allegat Ricciull. *cap. 22. num. 2.*

135 Præsertim quia Rex vectigalia, & redditus Regios iam vendiderat vt patet *ex Textu*, & ideò Pontifex tolerauit in illo casu particulari, vt benè Hostien. *in dicto cap. ex Speciali, in ver. Vendiderit*, ex quo Rex suæ culpæ veniam petiit, vt dicit Anton. de Butr. *in d. cap. num. 1. vers. In prima*, & sic non est præsumendum, quod Papa legem, siue Canonem statuere voluerit, cum non apparet derogasse Concilij Generali Lateranen. de quo *in cap. Cum sit, eod. tit. de Iudæis*, prout necessarium erat, vt latè probat Garzias *de Benef. par. 4. c. 5. n. 37*,

136 Coguntur etiam à Sancto Officio, ficuti ab Ordinario Iudæi ad subministranda alimenta, & expensas filijs Neophytis ad Fidem conuersis, vt decretum fuit *sua die 3. Iulij* 1613.

Sed redeundo ad præsumptos in fide Inconstantes ob prolatas blasphemias hæreticales, videndum est pro Coronide, quomodò contra illos in Sancto Officio procedatur.

Et licet per Decretum in Suprema, &c. emanatum *die* 10. *Iulij* 1555. contra prædictos non sit deueniendum ad capturam, sed per citationem vocandi sint ad Sanctum Officium.

137 Nihilominus hodie dictum Decretum non seruatur indistinctè, sed residet in arbitrio Inquisitorum, vel per viam citationis procedere, vel ad capturam deuenire, si adsint sufficientia indicia.

138 Sed si tractetur de Personis qualificatis, nobilibus, vel alias in dignitate constitutis, siue secularibus, siue Ecclesiasticis, non debent Inquisitores procedere ad capturam, nisi Consulta Sacra Congregatione, quæ pensata grauitate blasphemiarum, & qualitate personarum, mandat, vel vocari, vel carcerari.

139 Quouerò ad pœnam, licèt contra Blasphemos variæ à legibus Imperialibus, & Sacris Canonibus latæ sint pœnæ, vt videre est penès Cartharium *decis.2. à n.2.* & habeamus Constitutiones Iulij Tertij, & B. Pij Quinti in hac materia, de quibus per Lotther. *de re benefic. tom.2. lib.3. quæst.28. num.*110. *&* 112.

140 Nihilominus huiusmodi leges, Canones, & Constitutiones non sunt in vsu in Sancto Officio, vt in specie notant Azor. *to.1.lib.9. cap.28. dub.6.* Sayr. *in Claui,lib.6. cap.13. num.* 18. Sanctarell. *de Blasphemis, cap.6. dub. vnic. num.7.*

141 Sed omnes pœnæ contra Blasphemos sunt arbitrariæ, Clar. §. *Blasphemia, vers. Sed quæro*, cum alijs per Sanctarell. *loco citato*, Carthar. *d. decis. num.*19. vbi quod pœna potest extendi vsque ad mortem, sed non in foro Ecclesiastico.

142 Arbitrium autem regulatur à qualitate Blasphemiarum, & Personarum.

Nam quandoque viles Personæ fustigantur, si sint blasphemiæ atrociores, damnantur ad Triremes, vel ad carceres per longum tempus, quandoque damnantur ad permanendum præ foribus Ecclesiæ cum candela accensa in manibus, & multotiès ori baculo apposito, vulgò *mordacchia*, iuxta dispositionem Textus *in cap.2. de Maledicis*; & hæc pœna magis exemplaris est, quàm inflictio publicæ torturæ, vt fuit dictum in Sacra Congregatione *die* 15. *Ianuarij* 1599.

143 Et vbi hæc pœna infligitur Iudæis blasphemis, apponuntur præ foribus Synagogæ, non Ecclesiæ, vel in Platea, vt ex Decreto *sub die* 16. *Decembris* 1605.

144 Non mulctantur tamen hac pœna viri nobiles, nec Clerici, benè Carena *par.2. tit.7. §. 17. num. 28. & 29.* Sanctarell. *loco cit. num.4.* ibi, *Quod vir nobilis potest se redimere eleemosynis à pœna, quæ sibi dedecori esset*; & ità obseruatur in Suprema, &c. quando tractatur de Blasphemis.

145 Et vidi in Decretis Supremæ, &c. *de anno* 1557. *die* 14. *Ianuarij* fuisse quendam Blasphemum, qui percusserat, euaginato gladio, Imaginem Crucifixi, & Beatissimæ Virginis, & impias blasphemias protulerat, punitum pœna valdè exemplari, nempè, vt perforata lingua fustigaretur, & retineretur cum lingua sic perforata quinque diebus festiuis semel præ foribus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ super Mineruam, Sancti Laurentij in Damaso, Sanctæ Mariæ de Pace, Sanctorum Apostolorum, & Sancti Augustini, demùm transmitteretur ad Triremes in perpetuum.

De pœnis autem Blasphemorum videndus est P. Diana *par.4. tract.7. resol.*8. Franciscus de Magistris *loco citando à n.22. cum sequentibus*.

146 Blasphemis verò cōsuetudinarijs maior solet irrogari pœna, quæ ferè semper est Triremium, per quinquennium, & per decennium, & non per triennium, vt malè Carena *d. tit.7. §.* 14.

147 Quis autem dicatur Blasphemus consuetudinarius non caret difficultate; quamuis enim in alijs delictis ex bino actu inducatur consuetudo delinquendi, Gloss. *in cap. Ita nos*, 25. *quæst.*2. Bald. *l.3. C. de Episcopali audientia*, Grammat. *decis.* 48. *num.*3. Cepoll. *in Auth. Sed nouo iure, n.*91. *C. de Seruis fugitiuis*, Cephal. *cons.*28. *numero* 32. Francisc. de Magistris *in sua Sylua Ecclesiastica, tom.2. lib.2. cap.*18. *sub nu.*8. *vers. Et quisnam*.

148 Nam quod bis fit, frequenter dicitur fieri, *Auth. de Defens. Ciuit. ad finem, collat.3. cap. Monasteria, de vita, & honestate Cleric.* & ibi Abbas *num.* 5. Mascard. *de probat. conclus.* 424. *num.* 16.

149 Ideo Energumeni, & laborantes morbo caduco, si frequenter cadant, non possunt, neque ordinari, neque in ordine ministrare, *cap. Communiter, distinct.* 33. & ibi Acunha.

150 Frequenter autem dicuntur cadere, si bis cadant iuxta Glossam *in dicto capit. Monasteria*.

151 Pariter Clericus, qui vitium nefandum exercet, debet deponi, *cap. Clerici de vita, & honestate Cleric.* & dicitur exercere, si bis illud commiserit, iuxta dicta *in dicto cap. Monasteria*.

152 Quamuis in terminis Bullæ Beati Pij Quinti 72. *in ordine to.* 2. Bullar. sufficere vnicum actum voluit Scholiastes Cherub. ad *d. Constit. ver. Negatiuam*, ibi, *sed contraria sententia.* Ex Textu *in §. Cum lex Iulia, de Adult. Instit. de publ. Iud.* cuius opinionis fuit Farinacc. *quæst.* 148. *num.* 30. qui appellat communem.

153 Nihilominus, vt quis dicatur Blasphemus consuetudinarius, non sufficit, quod bis blasphemauerit, sed requiritur quod pluries, ac sæpius huiusmodi delictum commiserit, Alex. *cons.* 77. *num.* 8. *lib.* 1. Albert. *de agnoscend. quæst.* 6. *nu.* 15. Decian. *to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. cum alijs per Carenam *d. tit.* 7. §. 5. vbi cum Lazario tenet, requiri quinque actus interpolatos, Alberghinus *in Man. qualific. cap.* 16. *num.* 15. *in fine*, Franciscus de Magistris *loco citato sub num.* 8. *vers. Nihilominus*, *& num.* 9.

154 Hanc autem consuetudinem non probari per Testes singulares voluit Alexand. *cons.* 72. *volum.* 1. cuius opinionem sequitur Suprema, &c. reiecta opinione Riminald. *cons.* 7. *num.* 21. Carena *loco cit. nu.* 27. Franciscus de Magistris *loco citato sub nu.* 8. *vers. qua tamen Consuetudo*.

155 Quæ autem causæ excusent à pœnis blasphemiæ, videndum est Carena *loco cit. toto* §. 6. solùm addo in Suprema, &c. non admitti excusationem illam, quam sæpè Blasphemi adducunt, nempe se fuisse ebrios, vel ira taliter percitos, vt nescirent quid dicerent; Nam si fateantur blasphemias protulisse, quas memoria retinuerunt, inde sequitur, non fuisse taliter mente alienatos tunc temporis; Non enim recordarentur de blasphemijs à se prolatis; possent excusari si deponerent, non blasphemasse, quod ipsi recordentur; Nam etsi Testes dicant illos blasphemasse, nihilominus, si ipsi dicant de tempore prolatæ blasphemiæ fuisse ebrios, vel ira percitos, & verè probarent ebrietatem, vel iracundiam, valeret excusatio, Canter. *quæstion. crimin. cap.* 3. *num.* 10. *de blasphem. num.* 2. *vers. Ego verò*.

156 Nec lubricitas linguæ, nec prolatio blasphemiæ per iocum excusat, imò taliter sic blasphemantes seuerissimè puniuntur à Sancto Officio, Farinaccius *quæst.* 179. *num.* 45. Sanctarell. *de Blasphemia cap.* 8. *dub.* 2. *num.* 3. Carena *d. tit.* 7. *num.* 33. Franciscus de Magistris *loco cit. num.* 14.

157 Et memini in Suprema, &c. fuisse missum ad triremes per septennium quendam Amanuensem, qui in quibusdam schedulis scripserat quasdam propositiones hæreticales, & blasphemias contra puritatem Beatæ Virginis, quamuis dixisset, se eas scripsisse, vt probaret calamum ex ioco.

158 An autem minor ætas excuset à pœna blasphemiæ, quicquid dicant Farinacc. *de pœn. temp. quæst.* 92. *num.* 192. Ruginell. *pract. cap.* 35. *num.* 19. In Sancto Officio obseruantia inconcussa est, vt minor ætas non tollat abiurationes, sed minuat pœnam, Carena *d. tit.* 7. §. 16. Franciscus de Magistris *loco citato sub num.* 23. *vers. & in Sancto Officio*.

159 Excusabitur etiam saltem à totalitate pœnæ, qui statim prolata blasphemia veniam à Deo petierit, vel pectus percusserit pœnitens se deliquisse, Farinacc. *qu.* 20. *num.* 57. Zanard. *in Summa par.* 2. *cap.* 64. *vers. Excusabuntur*, Carena *d. tit.* 7. §. 19. *num.* 74. *vers. tandem*.

A quo tamen cauendum est, dum sequendo opinionem Zanardi *loco citato* dicit, hunc etiam excusandum ab abiuratione, quia in Sancto Officio non excusat ab abiuratione pœnitentia; Et optima ratione, quia signum illud pœnitentiæ non tollit omnem præcedentem hæresis suspicionem, cum possit fieri à blasphemo ad tollendum scandalum, & ad retrahendos audientes à denunciatione, & propterea non liberatur saltem ab abiuratione delicti.

160 Cum autem, vt plurimùm blasphemiæ proferantur occasione ludi, solet Suprema, &c. interdicere sic blasphemantibus ludum sub pœna triremium, vel alia, iuxta qualitatem personarum, Carena *d. tit.* 7. §. 14. *num.* 74.

Sed an in hoc crimine admittantur exceptiones contra Testes, omnes ferè Doctores Neapolitani, qui de materia scripserunt, tenent, non admitti nisi exceptionem inimiciæ; Sed hoc non obseruatur in Suprema &c. Quia aliæ etiam exceptiones admittuntur, de quo Carena *par.* 2. *tit.* 7. §. 11. *num.* 58. *cum seqq.* apud quem vide alia ad materia spectantia, & benè declarat Franciscus de Magistris *loco citato sub num.* 21. *vers. In hoc autem crimine*.

CAPVT XXXII.

ARGVMENTVM.

De Sortilegijs. An sint tolerandæ Sortes. De Diuinationibus. An sit licita protestatio, quæ fit in Diuinatione. De Diuinatione per Astrologiam. An exercentes Astrologiam iudiciariam debeant abiurare. An Bulla Sixti V. contra Astrologos, habeat locum in foro interno. An Bulla Vrbani VIII. comprehendat Cardinales. An censura lata in Constitutione Papæ Vrbani sit reseruata. Quæ excusent à pœnis contra Astrologos. De vana obseruantia. De Sortilegijs. An dentur alia Sortilegia præter Hæreticalia, & Superstitiosa. An Inquisitores possint procedere in Sortilegijs non hæreticalibus. Quomodo Dæmon det auxilium propter Sortilegium. An Sortilegium factum cum Hostia non consecrata sit hæreticale. An gestans Hostiam consecratam sit suspectus de Hæresi. An Maleficæ tradendæ sint Curiæ seculari, si ex maleficio sequatur mors. Instructio pro formandis Processibus contra Striges. An Maleficus possit malefico maleficium tollere. An depositio Sagæ vidisse aliquos in loco ludi, attendantur in Sancto Officio Romano. Quomodo procedatur cum Monialibus, quæ se Dæmoni deuouerunt. An debeat subijci torturæ, qui incepit Sortilegium; sed pœnitentia ductus illud non perfecit. Quomodo Sortilegi abiurent.

SVMMARIVM.

1 Sortilegi suspecti de hæresi.
2 Sortilegium complectitur omnem diuinationem.
3 Et qui tractent de materia.
4 Sortilegium strictè pro qua diuinatione accipiatur.
Sors quid, & an sit aliquid mali.
5 Sors semper illicita, superstitiosa, & prohibita quæ sit.
6 Sortes prohibitæ non tolerandæ etiamsi bono zelo exerceantur, & de ratione.
Et quomodo iaciantur.
7 Sortes per Tesseras quomodo ab antiquis Gentilibus iaciebantur.
8 Templum Prænestæ in quo sortes iaciebantur, & edebantur oracula.
9 Sortes per fabas an, à quibus, & ad quem finem hodie exerceantur.
10 Sortes diuisoriæ, & consultoriæ an, & quando licitæ sint, vel illicitæ.
11 Diuinatio per Phialam aqua plenam sæpè denunciatur in Sancto Officio, & quæ sit.
12 Præstigiatores inuocantes Dæmonem sub nomine Angelorum, & puniendi.
13 Furtum compertum experimento Phialæ an possit puniri.
14 Diuinatio per vnctionem manuum, vel vnguium, & quando sit pessima.
15 Præstigiatores quibus vtantur fictionibus.
16 Diuinatio per Cribrum quomodo exerceatur.
17 Adagium Antiquorum Cribro diuinare.
18 De diuinatione per clauim.
19 De diuinatione per anulum, ac illius experimentum sine effectu.
20 Diuinatio cum protestatione an sit licita.
21 Quid si constet de illius vanitate.
22 Protestatio contraria facto non suffragatur.
23 Protestatio quando reddat licitam diuinationem.
24 Protestatio an reddat licitum actum, quem quis rationabiliter dubitat continere superstitionem.
25 De diuinatione per inspectionem speculi.
26 De diuinatione per duas virgas nucis punicæ, vel auellanæ, & quando sit licita.
27 De diuinatione per Cabulam.
28 Astrologi quomodo antiquitus expedirentur in Sancto Officio.
29 Astrologi hodie puniuntur pœnis arbitrarijs.
Et quomodo puniri possint.
30 An per vnicum actum.
31 Astrologi an debeant abiurare, & num. seq. & num. 37.
32 Suspicio hæresis quomodo purgetur.
33 Astrologi quando se reddant vehementer hæresis suspectos, & num. seq.
35 Deus potest Cælorum cursus commutare.
Religio Christiana superior Cælis.
Mysteria Diuina si potuissent cognosci ex As-

quid in Sancto Officio.

117 *Auxilium Dæmonis pro taciturnitate Rei torquendi, an, & quibus modis concurrere possit, & num. seqq.*

118 *Diabolus eripere non potest nocentes publicæ iustitiæ.*

120 *Sortilegia hæreticalia quæ sint.*

121 *Sortilegium non admixtum rebus sacris, vel benedictis, an possit esse hæreticale.*

122 *Sortilegium Phialæ quando sit hæreticale.*

Adoratio Dæmonis sufficit vt Sortilegium sit hæreticale.

123 *Sortilegi Phiala vtentes an, quando, & quomodo teneantur abiurare.*

124 *Sortilegium factum cum hostia non consecrata an, & quando sit qualificatum, & numeris seqq.*

128 *Abusus Imaginis sacræ in maleficio facit Sortilegium hæreticale.*

129 *Hostia consecrata antiquitùs etiam per laicos occultè, & ad domos suas deferebatur, & de ratione, & numeris sequentibus.*

130 *Consuetudo deferendi secùm Hostiam consecratam vnde apud Christianos originem sumpserit.*

131 *Et quousque durauerit, & num. 133.*

132 *Priscillianistæ quomodo causam dederint edicto prohibitiuo deferendi secùm Hostiam consecratam.*

134 *Indultum Mariæ Scotorum Reginæ, vt Sacram Eucharistiam penès se retinere possit, & num. seq.*

136 *Hostia consecrata gestari an possit sine suspicione hæresis, & num. 138. cum sequentibus.*

137 *Expeditio deferentis secùm Hostiam consecratam.*

140 *Gestatio Reliquiarum, Agnus Dei, Effigiarum, Euangeliorum, Psalmorum, & Breuium, an, & quando liceat.*

141 *Sortilegi miscentes sortilegijs Hostiam consecratam quomodo puniendi, & numero sequen.*

143 *Striges quomodo puniendæ, & numeris sequentibus.*

146 *Striges punitæ per Inquisitorem circa suspicionem hæresis, an sint restituendæ Iudici laico, à quo fuerant habitæ, vt puniantur de infanticidijs.*

147 *Inquisitor potest punire Striges non solùm propter hæresim, sed & propter infanticidia, & de ratione.*

148 *Striges habitæ à Iudice laico, à quo fuerant carceratæ ex alio delicto, quam maleficij, terminata causa hæresis sunt eidem Iudici restituendæ.*

149 *Inquisitores nunquam remittunt carceratos Iudicibus secularibus.*

150 *Clericus Sortilegus an sit degradandus, & tradendus Curiæ seculari.*

151 *Corpus delicti an sit probandum in maleficio.*

152 *Instructio pro formandis processibus contra Striges, Sortilegos, & Maleficos.*

Exorcistæ moneatur.

Fama an faciat indicium contra Striges.

153 *Sortilegus si confecit Chirographum traditionis animæ Sathanæ quid sit agendum, & num. seq.*

154 *Dæmon non est cogendus ad restituendum Sortilego Chirographum traditionis animæ illi sublatum, & de ratione.*

156 *Auxilium petere à Dæmone est intrinsecè malum.*

157 *Maleficium an, & quando liceret de iure ciuili, & num. seqq.*

159 *Dispensatio an fuerit vnquam concessa maleficiato, vt posset se maleficio curare, & num. seq.*

160 Auctor Mallei maleficarum *plura inconsulto dicit.*

Maleficio ad quemcunque bonum finem vti non licet.

161 *Maleficium petere an liceat Malefico ad id parato vt peragat ad soluendum aliud maleficium, & num. 163. cum seq.*

162 *Petitio licita quæ dicatur, & num. 166.*

164 *Dissolutio maleficij quando peti possit à Malefico, & num. seqq.*

166 *Pars tutior in dubijs eligenda.*

Maleficus habet semper præsumptionem contra se..

167 *Maleficus an possit cogi minis, percussionibus, & vulneribus ad dissoluendum maleficium, & num. seq.*

169 *Iudex an possit auctoritate iustitiæ maleficum cogere, vt maleficium maleficio tollat.*

170 *Mago petere an, & quando liceat, vt maleficium soluat.*

171 *Maleficum, vt tollat signum maleficij an petere liceat, & num. seq.*

172 *Quid si pactum sit duplex.*

Signa Maleficarum quæ.

Signa magica priora an liceat demoliri alijs signis magicis.

173 *Reiectio vanorum vanis an liceat etiam cum protestatione, quatenùs non sint superstitiosa, nec contineant pactum cum Dæmone.*

174 *Depositio Sagæ, quod in loco ludi, vel sacrificij viderit homines, vel mulieres, an attendatur ad effectum procedendi contra illos, & num. 177. & numeris sequentibus.*

Striges an corporaliter transferantur de loco ad locum, & ad conuentus nocturnos.

175 *Dictum duarum Sagarum, quod aliquem viderint in loco ludi an faciat contra eum indicium ad torturam.*

Indicia ad torturam debent esse certa, non dubia, vel æquiuoca.

176 *Striges duæ deponentes vidisse aliquem in loco ludi, an, & quando faciant contra eum indicium ad inquirendum.*

Christina

180 Christina Succorum Regina *laudatur*.
182 *Confessio malefici, quod interfuerit Conuentibus Sagarum an, & quando contra ipsum sit attendenda quoad abiurationem, & alias pœnas.*
183 *Moniales si opprimantur ab incupis quid agendum.*
184 *Moniales si sint suspectæ de maleficio, quid agendum, & num. seq.*
186 *Moniales asserentes se à Dæmonibus obsessas, an, quando, & quomodo possint exorcizari.*
187 *Sortilegus, qui incepto sortilegio pænituit, & illud non perfecit, an, & quando torquendus sit.*
Scripta sortilega si apud aliquem reperiantur, sorquendus is est super vsu sortilegiorum.
188 *Sortilegi negantes vsum maleficiorum an, & super quibus torqueri possint.*
189 *Reus an, & quando interrogari possit de socijs, vel torqueri in caput aliorum.*
Sortilegium crimen exceptum, & difficilis probationis.
190 *Sortilegi, de quibus exquiri debeant in examine.*
191 *Dæmones cogere non possunt hominis voluntatem, & num. seq.*
193 *Dæmones quam habeant potentiam.*

SEPTIMÒ præsumpti Inconstantes in
fide sunt Sortilegi, hos enim esse suspectos de hæresi, concors est om-
1 nium Doctorum sententia, Alphonsus de
Castro *de iusta Hæretic. punit. lib. 1. cap. 15.*
Pegua *par. 2. comm.* 68. Sousa *in Aphorism.*
cap. 58. num. 7. & 8. Farinacc. *quæst.* 181.
num. 85. Carena *par. 2. tit. 12. §. 3. nu. 240.*
cum seq. Franciscus de Magistris *in Sylua*
Ecclesiastica tom. 2. lib. 2. cap. 5. num. 111.
& 112.

Cæterum cum materia sortilegiorum
latissima sit, omnem enim diuinationem
2 complectitur, vt ex Plinio *lib. 8. cap. 4.*
tradit Ghirland. *de sortileg. quæst. 1. num. 3.*
Petrus Gregor. *Syntagm. iuris par. 3. lib. 34.*
cap. 1. num. 11. Farinacc. *de hæresi quæst. 181.*
num. 3. Sousa *lib. 1. cap. 18. nu. 3.* Alberghin.
in Man. cap. 18. Carena *d. tit. 12. §. 1. num. 3.*
Bordonus *in Tribun. tit. 18. num. 1.* Torre-
blanc. *de Magia cap. 22. num. 1.*

3 Sic de ea latissimè tractarunt Doctores
nostri, sed præsertim inter modernos
Martinus del Rio *disquis. magic. toto libro*,
Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2.* Farinaccius
de hæresi quæst. 181. Torre-blanc. *toto tract.*
de Magia, Carena *dicto tit. 12.* Bordon. *dicto*
cap. 18. nouissimè Gastald. *de virtute Angelica præsertim to. 2. de potest. Dæmonum in ordine ad Magos distinct.* 6. Franciscus de Ma-
gistris *loco citato cap. 5. per tot.*

4 Strictè verò sortilegium accipitur pro
ea diuinatione, quæ fit per sortes, vt *in can.*
sortilegi sunt 26. quæst. 1. licèt enim sors non
sit aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam indicans voluntatem, vt *in*
cap. Sors non aliquid mali 26. quæst. 2. & benè
multa eruditè congerit Cabassutius *in notitia Conciliorum fol. mihi 6. vers. Recursus porrò*
ad sortes.

Nihilominus sors illa, qua aliqui vtuntur ad futura, seu occulta cognoscenda,
5 semper illicita, & superstitiosa est, cum
non deseruiat rei cognoscendæ, sed sit
medium improportionatum, & vanum,
non carens tacita Dæmonis inuocatione;
Ideo tam à iure Diuino, quàm à Canonico
improbatum, vt *in cap. Si quis Episcopus, &*
can. Aliquanti, & can. Sortes 26. eadem caus.
quæst. 5. l. Nullus, l. Nemo, & l. Quicunque,
C. de Malefic. & Mathemat. Diuus Thomas
2. 2. quæst. 95. art. 9. in corpore, Sanchez *ad*
præcept. lib. 2. capit. 38. numer. 88. Torre-
blanc. *de Magia d. cap. 22. num. 6. 7. & 8.*

Ideò non sunt tolerandæ huiusmodi
sortes, cum omnis diuinatio infidelem
6 cum Dæmone societatem, seu amicitiam
contineat, D. Augustinus *lib. 2. de Doctrina*
Christiana, & ità in iniuriam Dei vertitur,
D. Thomas *loco citato*, Petrus Gregorius
Syntagm. lib. 34. cap. 7. num. 5. Torre-blanc.
loco citato.

Etiamsi bono zelo exerceantur *cap. 2.*
de Sortileg. Torre-blanc. *loco citato*.

Hæ autem sortes iaciuntur, siue per tesseras, siue per talos, siue per fabas.

Primus modus ferè euanuit cum gentilitate; Temporibus autem illis aderant
7 Templa Fortunæ dicata, in quibus sortes
frequenter iaciebantur, vt ex Cicerone
de natura Deorum lib. 2. Propertio *lib. 2.*
eleg. 32. apparet.

8 Famosum Templum erat Prænestæ, in
quo Sortes iaciebantur, & edebantur oracula, Torre-blanc. *Iuris spiritualis lib. 8.*
cap. 7. num. 74. per multos, & nouissimè
C.V. Suaresius Episcopus Vasionen. *in lib.*
cui titulus, Prænestes antiquæ cap. 14.

Vltimæ autem hodie penès aliquas mulierculas meretrices inueniuntur, & ia-
9 ciuntur ab illis ad diuinandum, an Ama-
sius eas diligat, vbi moretur, quid faciat, si
captus sit amore alterius mulieris, & si in
longinquis partibus moretur, an breui sit
reuersurus, & iaciuntur, vt plurimum per
fabas, de quibus antiquitùs Ouidius *lib. 5.*
Fastorum.

Et nigras accipit ore fabas.
Aduersusque iacit, sed dùm iacit, hæc ego mitto.
His (inquit) redimo, meque, meosque fabis.

Et rursus *Fastorum lib. 2.*

Tum cantata ligat cum fusco licia rhombo,
Et septem Nigras versat in ore fabas.

Torre-blanc. *loco citato num. 18.* & rursus
Iuris spiritualis lib. 8. cap. 7. num. 72. & 73.

10 An autem aliæ Sortes, nempe diuiſoriæ, & conſultoriæ, & quando licitæ ſint, vel illicitæ, videndus eſt plenè Sanchez *lib.2. cap.42. à num. 56.* Suarez *de Relig. lib. 2. de ſuperſtitione cap. 12.* Torre-blanc. *loco citato num.* 19. Martin. del Rio *Diſquiſ. magic. quæſt. 7. ſect. 3.* poſt hæc ſcripta viſi, Franciſcus de Araux *in deciſ. moral. de Statu ciuili diſp. 3. §. 1.* Ioſeph. Maria Marauiglia *in ſua Pſeudomantia diſcrt. 32. & animadu. 44.* Pater del Bene *de officio Sancta Inquiſitionis par. 2. diſp. 225.*

Frequentior in Sancto Officio denun-
ciatur illa diuinatio, quæ fit per phialam
11 aqua plenam inſpectante in eam puero,
vel puella virgine, vel muliere grauida, &
nonnulla verba proferente, & in qua reſ-
ponſi loco apparent, vel finguntur appa-
rere quædam figuræ, ſeu vmbræ, de qua
Martin. del Rio *lib.4. ſect.4. num.2.* Torre-
blanc. *de Magia lib. 1. cap. 20. num. 15.* Et
Iuris ſpiritualis lib.8.cap.29. Barbat. *conſ.55.
lib. 1.* Indiciale *ver. Diuinationes num. 4.*
Decian. *lib. 5. cap. 12.* Pegna *ad Director.
par. 2. quæſt. 41. comment.* 68. Bulla Sixti
Quinti *contra Aſtrologos*, ibi, *Alij quoque
Præſtigiatores.*

Huic modo diuinandi adduntur frequenter candelæ benedictæ, & aqua benedicta habita à pluribus Eccleſijs Sanctorum maſculorum, & ſimilia.

Et quia verba, quibus vtuntur iſti diui-
natores ſunt illa, *Angelo ſanto, Angelo bianco,*
12 putant præſertim mulierculæ non eſſe
inuocationem Dæmonis, ſed ſanctorum
Angelorum, in quo deceptus fuit etiam
quidam Iudex, qui, vt refert Torre-blanc.
d. cap. 29. puellam apprehenſam propter
hanc diuinationem, non ſolùm dimitten-
dam liberam arbitratus eſt, ſed tanquam
ſanctam deuotionem à filia ſua addiſcen-
dam curauit: Ideò hæc diuinatio irrepſit
etiam inter Moniales, quæ ad inuenien-
das res furto ſubtractas ea vtuntur; Vnde
ad tollendum abuſum iſtum, *anno Iubilæi*
1650. quidam Præſtigiator bis in Sancto
Officio punitus exemplari pœna mulcta-
tus fuit, hoc eſt ſuper aſino infami Mitra
redimitus, & cum notula ſortilegiorum,
ſed præſertim cum pluribus phialis fuſti-
gatus fuit per ſolita loca Vrbis, demum
damnatus ad carceres per decennium, eò
quia ob ætatem ſenilem non potuit tranſ-
mitti ad triremes.

Quidam autem Piſis apud Iudicem in-
ſtetit puniri furem, ex quo hoc phialæ ex-
perimento (vt ipſe aiebat) comperijt ab eo
13 furatas ſibi nonnullas res, quod à Sacra
Congregatione non fuit approbatum,
quamuis lege *duodecim Tabularum* cautum
eſſet his verbis:

Furtum per Licium, & Lancem conceptum, vt manifeſtum punito.

Prolato enim nomine furis, Lanx mouebatur, vt Counar. *lib. 2. de vera, & falſa Prophetia cap. 6.* refert Moura *de Incantat. ſect. 2. cap. 15. num. 8.* Torre-blanc. *d. cap. lib. 8. Item cap. 25. num. 2.*

Non abſimilis modus diuinationis eſt,
qui fit per vnctionem manuum, vel vn-
14 guium, qui peſſimus eſt, ſi adhibeatur
oleum ſanctum, vel benedictum, de quo
Bulla Sixti Quinti, ibi, *Vel in vnguibus, &
palma manus*; hanc autem diuinationem
Græci vocant, *Onichomantiam*, de qua
Martinus del Rio *lib. 4. ſect. 4. num. 6.*
Torre-blanc. *Iuris ſpiritualis dicto lib. 8.
cap. 30.*

Sed aduertendum eſt, quod licèt Deus
quandoque permittat in manu, vel vngui-
15 bus perunctis, & in phiala apparere non-
nullas Imagines, ex quibus futura indi-
cantur, ferè tamen ſemper huiuſmodi
impoſtores pacto inito cum puella, vel
puero fingunt, eos vidiſſe aſſertas Imagi-
nes, nam prædicti pueri in Sancto Officio
interrogati, fatentur ſe ex condicto, ſeu
promiſſione mendacium dixiſſe.

His addendi ſunt modi diuinandi per
cribum forcipe impoſitum, & fune illi al-
ligata, quod binis digitis comprehenditur,
16 & eleuatur, in girum verò agitur, dum
nomina furum proferuntur cum illis ver-
bis, *Per San Pietro, per San Paolo.*

17 Quæ diuinatio vocatur à Græcis *Coſcinomantia*, Torre-blanc. *d. cap. 25. num. 1.* de quo modo diuinandi antiquitùs ferebatur Adagium, *Cribro diuinare*; De quo Eraſmus *in Adagijs pag. mihi* 320. Lucianus *in Pſeudomantia*, Theocritus *in Idilio 3.*

Secundus per clauem, cui circumdaba-
tur charta inſcripta nomine ſuſpecti, de-
18 inde alligabatur vel Breuiario, vel Sacræ
Scripturæ Codici, & hunc Virgo ſubſtine-
bat, & quibuſdam verbis murmuratis,
chartulæ, vel clauis ad nomen criminoſi
mouebantur, quem modum Græci vocant
Clidomantia, de qua Martin. del Rio *loco cit.
num. 12.*

Tertio modo per anulum filo ſuſpen-
ſum in vaſe, & illius latera conſtitutis icti-
19 bus pulſantem, de quo idem Martin. del
Rio *loco citato ſect. 3.* Caietanus *in Summa,
ver. Incantatio, §. 4. excell.* qui dixit, ſe vo-
luiſſe experiri huiuſmodi vanum effectum,
& facta proteſtatione, ſe dicere verba,
non tanquam inſtituta ad mouendum
anulum, ſed Deo vero, cui à Pſalmiſta
dirigitur, & anulum non dediſſe ictus,
& manſiſſe immotum, de quo etiam
Moura *de Incantationibus ſect. 1. cap. 5.
num. 28.*

Sed an huiuſmodi proteſtatio operetur, vt licita ſit diuinatio.

20 Affirmatiuam opinionem tenent Sayr. *clau. lib. 4. cap. 6. num. 7. & 11.* Valent.

to. 2. disp. 6. quæst. 13. punc. 2. Medina *in Summa lib. 1. cap. 14. §. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 44. dub. 6. num. 46.* Baldell. *de superstit. & irregular. lib. 4. disp. 3. num. 5.*

Contrarium latè defendit Moura *de Incantationibus sect. 2. cap. 18. à num. 9.*

Concordandæ sunt opiniones, prima, vt procedat, quando dubium est, an hæ diui-
21 nationes sint superstitiosæ, & vanæ, secus verò si clarè constet de vanitate earum, Sanchez *de impedim. Matrim. lib. 7. quæst. 95. num. 4.* & *ad præcepta lib. 2. cap. 40. nu. 25.* Sed hæc concordia latè impugnatur à Moura *loco citato à num. 9.*

Concorda secundo, vt tunc protestatio non excuset à malitia superstitionis, quan-
22 do quis protestatur, se nullam velle habere cum Diabolo societatem, neque aliquid velle scire à Magistro Diabolo, sed illis signis velle vti tantummodo, vt faciat, & contineat eam experientiam cognoscendi occulta; Nam hæc est protestatio contraria facto, & qui sic protestatur interpretatiuè, & verè vult scire occulta ab ipso Diabolo, quod declarat facto ipso, dùm vsurpant huiusmodi diuinationem per se inutilem, dum efficaciter intendit illa scire, & per consequens illas causas adhibere; ex quibus potest id assequi, qualis est ipse Dæmon, non autem signa, quæ adhibet.

23 Secùs autem si protestetur, quod nolit vti illis signis, tanquam institutis ad cognoscenda occulta, vel ad ponendum effectum, sed ad aliquem alium bonum finem, vt ex Lessio, Layman, & Bonacina tenet Baldell. *loco citato num. 5.*

Nam hæc protestatio non est contraria facto, dum factum ipsum directè excluditur, solùm est contraria pacto, quod faciendum est cum Dæmone de ponendo effectu, quando ponuntur illa signa; & qui directè protestatur, quod per illa signa non vult effectum, sed illa adhibet ad alium finem sæpe diuersum, directè protestatur contra pactum, illudque rescindit, Baldell. *loco citato*, qui hac ratione defendit factum Caietani de annulo.

Sed an quando quis rationabiliter dubitat, quod aliqua actio contineat super-
24 stitionem, liceat illa vti cum protestatione, videndus est P. Pasqualig. qui distinguit *in suis quæst. moral. Canonic. centur. 4. quæst. 243.*

25 Quartus modus est per inspectionem speculi, qui eodem fit pacto, quo per phialam, de quo Martin del Rio *d. lib. 4. sect. 4. num. 3.* Torre-blanc. *de Magia lib. 1. cap. 24. num. 10.* & *iuris spiritualis lib. 8. cap. 27.* Vbi, quod huius artis fortasse fuit speculum antiquitùs ab Hercule in alta Turri suspensum, quæ prominebat Portui Corugnę in Gallecia, in quo Naues longè dissitæ, tanquam ex proximo stantes cernebantur; Sed Raphael della Torre *to. 2. de vitijs oppositis Religioni quæst. 95. art. 3. disput. 3.* id refert ad causam naturalem; cuius opinioni subscribo; Nam hoc seculo inuentum fuit *Thelescopium*, quod omnes res longè dissitas adeo propinquas facit, vt ferè ad miraculum hoc inuentum adscriptum sit, & nihilominus totum consistit in artificio naturali adhibitis vitris concauis, & dimensa proportione.

Hanc autem diuinationem *Cotopromantiam* vocant Græci.

Istis, & similibus magis solent, vt plurimùm vti Itali ad inueniendos non solùm fures, sed etiam ad inueniendos thesauros,
26 quibus solet addi illa diuinatio, quæ fit per duas virgas nucis punicæ, seu auellanæ aliquando characteribus inscriptæ, & aqua lustrali benedictæ, aliquando tamen simpliciter biforcatæ, & insimul connexæ.

Priori casu, si virgis adiungantur characteres, vel sacramentalia, procuìdubio huiusmodi Præstigiatores puniuntur in S. Officio tanquam sortilegi.

Secundo verò casu nequaquam, quia possunt illæ virgæ naturali quodam instinctu se inclinare in eam partem, vbi condita sunt metalla, vel aquæ.

27 Rarior est diuinatio, quæ fit per Cabalam, Chiromantiam, Geomantiam, & Piromantiam, de quibus Torre-blanc. *de Magia lib. 1. cap. 10. cap. 13. cap. 19. & Iuris spiritualis lib. 8. cap. 15. 16. 17. & 18.* Martin. del Rio *toto lib. 4.* de quibus fit etiam mentio in Bulla Sixti Quinti, & priùs à Ioanne Vigesimosecundo in sua Bulla *super speculæ registr.* à Castald. *de potest. Angelica distinct. 6. quæst. 3. art. 2. num. 26.* vbi de diuinationibus per annulum, speculum, phialam, &c.

Frequentior est diuinatio per Astrologiam, cui incumbentes, siue Astrologi
28 antiquitùs in Sancto Officio pœnitentijs salutaribus expediebantur, & cum exilio à Statu Ecclesiastico, vt ex Decreto 19. *Nouembris* 1556.

Post Bullam Sixti Quinti puniuntur alijs pœnis, nempe arbitrarijs, P. Diana *par. 4. tract. 7. resolut. 17.* Requiritur tamen, quod isti conuincantur de exercitio huius
29 diuinationis, seu sortis; Nam Bulla loquitur de exercentibus Astrologiæ artem, & licèt subdat, *aut facientes iudicia, & natiuitates hominum*; Nihilominus illa etiam verba referuntur ad exercentes, P. Diana *loco citato*.

Et propterea non est deferendum opinioni Bordoni *in Sacro Tribunali cap. 21. num. 8.* qui voluit, etiam vnum actum sufficere, vt Astrologi subdantur Officio Inquisitorum; Quicquid enim sit in alijs

delictis, de quo *supra*, certè vigore Bullæ in hoc requiritur exercitium per plures actus, nisi fortasse intelligas dicta per Bordonum respectu inquisitionis, non autem punitionis, nisi interrogatus de alijs illos fateatur.

30 Quanquā de iure communi vnicus actus in hac materia sufficiat per *Text. in cap. Ex tuarum, de Sortilegijs*, vbi quidam Presbyter, qui per Astrolabium furtum factum Ecclesiæ inuenire cupiebat, quamuis bono zelo, & simplicitate ductus; Summus Pontifex mandat, vt arbitrio Episcopi suspendatur per annum ab Altaris ministerio; & ità tenent Turre-blanca *de Magia, lib. 1. de Crimin. punit. cap. 14. num. 6.* Ghirland. *de Sortileg. quæst. 14. num. 3.* Martin. del Rio *Disquis. lib. 5. sect. 16.* Menoch. *de Arbitrar. cas. 388. num. 6.* Suarez *de Relig. tom. 1. de Superst. cap. 18. num. 13.* Alderet. *de Religiosa disciplina tuenda, lib. 2. cap. 22. num. 4.* barbosa *d. cap. Ex tuarum*.

31 Sed an exercens Astrologiam iudiciariam debeat abiurare, Zanard. *in Summa par. 1. præcept. 1. cap. 5. quæst. 16.* asserit, si Astrologus dicat, se credidisse posse Astra inclinare, sed non cogere, licèt subdatur foro Inquisitorum, quia ex facto se reddidit suspectum, non tamen debere abiurare.

Quod dictum repugnat principijs iuris, & Regulis Sancti Officij; nam si factum
32 reddit hominem suspectum, suspicio non purgatur per simplicem Rei responsionē, sed per torturam, & abiurationem, ad quod non aduertit etiam noster Carena *tit. 12. §. 30. num. 254. vers. Notandum*, & debere abiurare tenet Bordon. *in Tribun. cap. 121. num. 13.* dum verò asserit *ibidem*, quod Astrologus immiscens res sacras censetur vehementer suspectus de hæresi, nescio quid dicat: Nam nunquam vidi in figuris natiuitatum, & eorum iudicijs, siue reuolutionibus misceri ab Astrologis res sacras.

Melius dixisset, hos reddi vehementer suspectos, si fidei Christianæ Mysteria Stellis subijciant, & deducant ex Astro-
33 rum influxu, qua in re peccauit Petrus de Halliaco, qui Diluuium Noe, Natiuitatem Iesu Christi, Religionis, fideique mutationes, & alia huiusmodi supernaturalia arcana Astrorum disciplinæ subiecit, in quo pariter peccauerūt Albumazar Aponensis, Macchiauellus, Paulus Iouius, & alij, quos perfidiæ Reos meritò peregit Io: Picus Mirandulensis *lib. 2. contra Astrologos, cap. 5. & lib. 5. art. 11.* Franciscus de Arauxo *loco cit. §. 3. num. 6.*

34 Eodem morbo laborauerunt Io: Huuart *in Examine Ingeniorum*, & Spina *in sua Catastrophe*, & hunc diuinandi modum refellit P. Baldell. *Theologiæ moral. lib. 4. disput. 5. num. 8.* Moura *de Incantat. sectione 2. cap. 15. toto num. 21.*

Ratio huius suspicionis est, quia talia mysteria à libero Dei decreto solummodò dependent: Deus autem vti constituit,
35 sic etiam potest Cælorum cursus commutare; ideoque Christiana Religio Cælis superior est censenda, *Confessio* enim *eius super Cælum, & Terram*, vt benè Martin. del Rio *lib. 4. cap. 3. quæst. 1. 3. conclus. vers. Notandum*; Alias rationes adducit Baldell. *loco citato*, & præsertim quod si ex Astris huiusmodi mysteria potuissent cognosci, non latuissent Diabolum.

Ideò qui tale dogma retinet, redditur suspectus, malè de Deo sentire, quia te-
36 meraria, erronea, & hæretica est talis Astrologia, Alberghin. *in Manual. cap. 18. sect. 2. §. 5. num. 8.* Francis. de Magistris *in Sylua Ecclesiastica, tom. 2. lib. 2. cap. 5. sub num. 45.*

P. Diana *d. resolut. 17.* & cum eo Carena *loco cit.* dicunt, Astrologos leuiter esse suspectos; & propterea ab Inquisitore Hispaniarum quosdam Clericos de huiusmodi delicto inquisitos ad abiurandum de leui condemnatos fuisse.

Tempore Mei Assessoratus, vnicus dumtaxat Astrologus Hispanus fuit car-
37 ceribus Sancti Officij mancipatus, & is, quia non solum Astrologiam exercebat; sed iam ferè publicè Romæ docebat, & apud ipsum inuenti fuerunt libri, & innumera scripta Astrologica, fuit absque abiuratione dimissus, cum præcepto de ampliùs non exercendo, & docendo huiusmodi artem sub pœnis arbitrarijs, & cum obligatione se præsentandi quolibet mense coram P. Commissario Sancti Officij, vt ex Decreto *prima Decembris 1638.* Sed misellus quia per eam parabat sibi victum, & libri, & scripturæ illi restitutæ non fuerunt, mendicus fame perijt.

Sed an Bulla Sixti Quinti contra Astrologos habeat locum non solùm in foro
38 externo, sed etiam in foro conscientiæ, quando Astrologus prædicit sola illa tenuissima coniectura, quæ sciri possunt per Astra, & non maiori certitudine; affirmant Salas *par. 2. quæst. 9. art. 5. tract. 5. disput. 2. sect. 3. nu. 36.* quem sequitur Sanchez *d. lib. 2. cap. 38. num. 34. in fine*, Farinacc. *de Hæresi, quæst. 180. §. 1. num. 59.*

39 Negant verò Suarez *de Relig. lib. 2. de Superstit. cap. 11. num. 30.* Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 12. punct. 3. col. 3. versic. An autem*, Martin. del Rio *lib. 4. cap. 2. quæst. 3.* Nald. *in Summ. ver. Astrologus*.

Primam opinionem tutiorem ait Peyrinus *ad Constit.* Pauli Quinti 9. *numero 24.* Probabiliorem autem ait P. Baldell. *dicto lib. 4. disp. 4. num. 11.*

Bullam Sixti Quinti confirmauit sanctæ

mem. Vrbanus Octauus, eamque ampli-
40 auit in pœnis contra eos, qui vtuntur hac diuinatione, seu ab Astrologis responsa quærunt super Statu Reipublicæ Christianæ, Sedis Apostolicæ, vita, & morte Summi Pontificis, & eius consanguineorum, vsque ad tertium gradum inclusiuè, Franciscus de Magistris *loco citato num.* 53.

Pœnæ autem sunt excommunicationis latæ sententiæ, vltimi supplicij, & confiscationis bonorum, quoad laicos; quoad Clericos inferioris Ordinis, priuationis
41 Beneficiorum, degradationis, & traditionis Curiæ seculari; quoad Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, Patriarchas, aut constitutos in alia superiori Ecclesiastica dignitate, excommunicationis, priuationis administrationis Ecclesiasticarum Dignitatum, quantumuis amplissimarum, & Patriarchalium maiorum, & inhabilitatis ad ea adipiscenda.

Et propterea hac Constitutione comprehendi Cardinales apud Me non est dubium, tùm quia Bulla prohibet, quod in se est malum, & absolutè concernit vtilitatem animæ, quo casu in lege gene-
42 rali comprehenduntur Cardinales, Gomez *ad Reg. Cancellariæ quæst.* 4. §. *Et ità dicimus*, Baldell. *to.*1. *lib.*2. *disput.*41. *num.*6. Gigas *de Pensionibus quæst.*5. *num.*7. Sanctarell. *variar. to.*1. *quæst.*2. *num.* 18. cum alijs per P.Dianam *to.*5. *tract.*2. *resolut.*16. *vers. Tertia optimo*. Tùm quia post Primates, & Patriarchas subiungit illa verba, *& alia superiori Ecclesiastica Dignitate*, quæ non possunt verificari nisi in Cardinalibus, Baldell. *dicta disput.* 41. *num.* 41. *versic. Et breuiter dicendum*.

In *Regulis* tamen Cancellariæ Alexandri Septimi cauetur, quod Cardinales non intelligantur comprehensi in quibuscunquè Constitutionibus, & Regulis per San-
43 ctitatem Suam edendis, nisi, vel eorundem Cardinalium fauorem concernant, vel de eorundem Cardinalium, vel maioris partis eorum consilio editæ fuerint, seu in eisdem Regulis, & Constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.

44 Et quamuis aliàs Rota censuerit dictum priuilegium restringi ad *Regulas* Cancellariæ edendas, *vt in decis.*452. *num.*48. *par.*5. *recent. to.*2.

Nihilominus cum vtatur Pontifex illa dictione *quibuscunque*, non potest verificari
45 solùm in Constitutionibus, & Regulis Cancellariæ, cum sit dictio vniuersalis, *l. Qui autem in fin. ff. de Constit. pecun.* Bald. *l.*1. *quæst.*34. *ff. de rer. diuis.* Honded. *cons.*86. *num.*15. *lib.*2.

46 Et ideo trahenda ad omnes Constitutiones, eò præsertim quia in Capitulis Conclauis, in quo fuit electus in Pontificem Cardinalis Chisius sub nomine Alexandri Septimi vnum aderat *in ordine* 14. quod nisi de Cardinalibus fieret expressa mentio, non censerentur comprehensi in quacunque Pontificia dispositione, quod Capitulum fuit executioni demandatum.

47 Sed an Papa possit esse Inconstans in obseruatione Capitulorum, quæ iurauit in Conclaui, antequam promoueretur in Pontificem, latè Iacobat. *de Concilio lib.*7. *art.*10. *to.*13. *par.*1. *tract.* & dixi *supra*.

An verò excommunicatio lata in hac Constitutione sit reseruata, negat P. Bordon. *dicto cap.* 21. *num.* 15. quia in ea non legitur reseruatio.

48 Verum tamen est, quod fel. recordat. Vrbanus Octauus abstulit facultatem Maiori Pœnitentiario absoluendi ab hac excommunicatione, vt testatur P. Thesaur. *in prax. par.* 2. *cap.* 1. *verb. Superstitio, vers. Nota secundo, & in praxi m. s. tit.* 5. *ad* 15. *caput reformationis*, vbi dicit quod ab Illustriss. Maraldo, tunc Breuium Apostolicorum Secretario fuit explicatum, & notatum, mentem Pontificis fuisse reseruare sibi absolutionem eorum, qui principaliter inquirunt super statu Reipublicæ Christianæ, non autem aliorum complicum, videlicet cooperantes, & recipientes talia iudicia ab alijs facta; aut alijs ostendentes, vel retinentes.

Sed vt alij Confessarij abstinerent ab huiusmodi absolutione, illis innotescere deberet, nisi dicas, quod aliquando Sum-
49 mi Pontifices tollunt facultatem Maiori Pœnitentiario absoluendi ab excommunicatione, quam tamen alijs concedunt saltem tacitè. Et propterea P. Diana *in suo* 12. *to. resolut. moral.* asseruit, Commissarium Cruciatæ posse absoluere innodatos censuris latis in Constitutionibus Pij Quarti, & Gregorij Decimiquinti *super electione Summi Pontificis*, quæ tamen facultas denegatur Maiori Pœnitentiario: Sed ne illaqueentur animæ, crederem per Edictum reseruationem hanc esse notificandam omnibus Vrbis Confessarijs, quia cum in dicta Bulla Vrbani Octaui non legatur reseruatio censuræ, non cessabunt ab absoluendo, vt de iure possunt in tali casu absoluere, *cap. Nuper* 29. §. *In secundo verò, de sentent. excommunic.* & ibi Barbos. *num.* 2. P. Thesaur. *loco cit.*

50 Ab hac superstitiosa diuinatione excipiuntur ea, quæ spectant ad artem Medicinæ, Agriculturæ, & Nauticæ, vt habetur in Bulla Sixti Quinti, ibi, *præterquam circa Agriculturam, Nauigationem, & rem medicam*.

51 Nam hæc dicitur Astrologia naturalis, quæ in se licita est, D.Thom. 2.2. *quæst.*95.

artic.4. & opusculo 26. & lib. 3. contra Gentes cap. 86. Caietan. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. Petrus Nauar. *de restit. cap.* 2. *num.* 72. Ferrarien. *contra Gentes lib.3. cap.*84. Suarez *dicto cap.* 11. *num.*5. Azor. *to.*1. *lib.*9. *cap.* 13. Lessius *de Iust. & Iur. cap.*33. *num.*32. Sanchez *dicto cap.*38. *nu.*28. Layman. *lib.*4. *tract.* 10. *cap.*3. *nu.*5. Bonacin. *in primum Præceptum Decal. disput.*1. *quæst.*5. *punc.*3. *num.* 10. Baldell. *de superstitione lib.*4. *disput.*4. *num.* 1. & *num.* 2. *vers. Atque hoc modo*, omnino viden. Franciscus de Magistris *loco cit. num.*41.

52 Et propterea in Suprema &c. fuit sæpissimè dubitatum, quomodo potuerint prohiberi libri Astrologici in vniuersum, cum permittantur propter Medicinam, Agriculturam, & Nauticam. Dicendum est ergo hoc pendere ab intentione vtentis prædictis libris: Si enim vtatur illis ad facienda iudicia circa actus liberi arbitrii, tunc subijcitur excommunicationi latæ contra eos legentes, & retinentes: Si autem vtatur ad facienda iudicia circa ea, quæ spectant ad illas artes, nullam incurrere censuram, Baldell. *dicta disp.*4. *nu.*13. *vers. Et fortasse*.

Nam sicuti est licitum in arte Medica obseruare virtutes, & operationes Astro-

53 rum, eadem ratione est licitum obseruare natiuitates cuiusque, & ex Astris coniecturare temperamenta, & complexiones, & inde naturales inclinationes, & propensiones ad iram, mansuetudinem, ingenium, vires, robur &c. Azor. *dicto cap.*13. Petrus Nauar. Ferrariensis, Lessius, Sanchez, Suarez, & Baldell. *locis citatis*.

Pariter excipiuntur ab hac superstitiosa diuinatione, qui faciunt coniecturam

54 probabilem de futuris contingentibus liberis ex alquibus aliis circumstantijs, quæ possunt occurrere, & prudenter considerari, & cum illis coniungerent etiam aspectus Astrorum, vt essent certiores de temperamentis, & inclinationibus, & ex illis formaretur iudicium prudens, Martin. del Rio *lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 3. Sanchez *dicto cap.*38. *num.*34. Lessius *d. cap.*43. *nu.*2. Caietan. 2. 2. *quæst.*95. *art.*5. Layman. *lib.*4. *tract.* 10. *cap.* 13. *num.*5. cum aliis à Baldell. *dicta disput.* 4. *num.* 12. vbi dicit, Sanctum Thomam id clarissimè asserere *in* 2. *disput.* 15. *quæst.*1. *art. vlt. ad vltimum*, *in* 1. 1. *q.* 115. *art.* 4. *in corpore ad* 3. & 1. 2. *qu.* 9. *artic.* 5. *ad* 3. & 2. 2. *qu.*95. *art.*5. *in corpore*, & *contra Gentes cap.*85. *in fin.*

55 Nec minùs erit superstitiosa diuinatio, quę fit per phisiognomiam, seu chiromantiam, dummodò diuinans se contineat in naturalibus, hoc est si diuinatio fiat ex pilorum, membrorumque corporis colore, habitudine, & proportione: Ex his enim coniectari licet temperiem, valetudinem, ingenium, & inclinationes, Aristot. *lib.*1. *de naturæ signis*, & *toto libello phisiognomiæ*, Hypocr. *lib.* 2. *de morbis populi*, Vales. *in sacra philosophia cap.* 32. Azor. *to.* 1. *lib.* 9. *cap.*16. *in fin.* Less. *dicto cap.*43. *num.*45. del Rio *lib.*4. *cap.*3. *qu.*4. Sanchez *dicto cap.*38. *nu.*44. Layman. *dicto tract.* 10. *cap.* 13. *nu.*5. Baldell *lib.*4. *disput.*9. *num.*1. Torre-blan. *de Magia lib.*1. *cap.*9. vbi plura Alberghi n. *in Man. cap.*18. *sect.*2. §.6. *num.*4.

Secùs autem si quis ex his vellet diuinare bonam, vel malam fortunam, pros-

56 peros, vel aduersos euentus: tunc enim tanquam pars astrologiæ indiciariæ omnino prohibita est, Martin. del Rio *loco cit. quæst.*4. *in fin.* Sanchez *loco cit. num.*46. Alberghin. *loco cit. num.*1. Torre-blanc. *loco cit. num.* 1. Baldell. *loco cit. num.* 7. & *disput.* 10. *num.* 5.

Imò quæ spectant ad prædictos effectus, & inclinationes possumus ex phisiogno-

57 mia, & chiromantia licitè diuinare, si certò non prædicimus, quia non possunt certò sciri, Martin. del Rio, Azor. Lessius, Sanchez *locis citatis*, Alberghinus *num.* 4. Baldell. *num.* 6.

58 Dixi *licitam esse diuinationem ex phisiognomia*, & *chiromantia, dummodò se contineat in naturalibus*, & propterea chiromantia, astrologica, quæ diuidit palmam manus in certos colliculos, areolas, & lineas, & areolis planetas singulos, lineis Astra quedam præficit contendens Astra, & Planetas ipsis areolis correspondere, tanquam falsa, stolida, vana, & scandalosa damnata, & proscripta est, Salesberius *lib.* 2. *Policrat. cap.* 27. Conradus *lib. de Signis cap.* 10. *num.* 4. Et de hac loquitur Bulla Sixti Quinti, Sanchez *loco cit. num.* 47. Baldell. *loco cit. num.* 5. *in fin.*

Hinc quamuis in Sancto Officio non procedatur contra Ægyptias, quas vulgus

59 *Zingaras* vocat, vt testatur Carena *par.*2. *tit.* 12. §. 17. *num.*164. Ratio est, quia vt plurimum istæ interrogantur animo illas irridendi, nec huiusmodi actus etiamsi fiat ob curiositatem scandalum generaret & ideò cum sit venialis vanitas non mereretur punitionem, Sanchez cum aliis *locis citatis*, Alberghin. *d. cap.*28. *sect.*2. §.6. *num.*3. Francisc. de Magistris *loco cit. cap.*5. *num.*90. *vers. Si verò vtantur*.

Nihilominus si vel Ægyptiacæ certò prædicerent bonam, vel malam fortu-

60 nam, vel si admiscerent alia superstitiosa, posset contra illas Inquisitor procedere, Carena *loco cit.* Alberghin. *loco cit.* P. Diana *par.*4. *tract.*8. *resolut.* 128. de Magistris *dicto num.*90.

Idem erit dicendum de diuinatione ex lineis, & signis frontis, quæ appellatur

61 *Metoposcopia*; nam licita est, in quantum est pars naturalis *Phisiognomiæ*, & solùm versatur circa temperamentum humo-

rum, & qualitatum circa naturales incli-
nationes, quæ ex illis proueniunt: In-
quantum autem extenditur ad actus con-
tingentes, & liberos, cum sit pars Astro-
logiæ iudiciariæ, cum singulis lineis fron-
tis assignent Metoposcopi singulos Plane-
tas, illicita est, Baldell. *loco citato disp.* 10.
numero 11.

An autem ex mala Phisiognomia pos-
sint Criminalistæ sumere indicium pro
62 tortura inferenda, videndi sunt Farinacc.
de Indic. & tortur. quæst. 52. *num.* 165. &
alii, quos adducit Ioseph Ricc. *de publi-
cis Indicijs quæst.* 21.

Diuinatio per signa vngulum, quæ po-
63 tius est quædam vana obseruantia, quam
diuinatio, vt dicit Torre-blanca *d. lib.* 1.
cap. 26. *num.* 12. illicita est tanquam super-
stitiosa, Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. del Rio *d. cap.* 3.
quæst. 5. *in fin.* Baldell. *loco cit. num.* 8.

Sicuti vana obseruantia est illa, quæ
procedit, ex quo sal cadat super mensa,
64 vel vinum, vel oleum, Torre-blanca
loco citato num. 16. vel quod in conuiuio
sint conuitati numero tresdecim, quæ va-
næ obseruantiæ passim circumferuntur,
vt scilicet si cadat sal, malum portendat,
secùs si oleum, vel vinum.

Vel quod eo anno aliquis ex tresdecim
conuitantibus mori debeat, quod natura-
65 liter est possibile, vt non solùm vnus, sed
plures ex illis moriantur.

De his, & similibus vanis obseruationi-
bus D. Augustinus *de Doctrina Christiana
lib.* 2. *cap.* 52. relat. *in cap. illud* 26. *quæst.* 2.
Torre-blanc. *d. cap.* 26. *per tot.*

66 Sicuti vana est illa obseruantia, quod
occursus Monachi officiat venationi, de
qua per Mouram *de Incantat. sect.* 2. *cap.* 15.
num. 4.

67 Item vana obseruantia illa est, quando
certis diebus scopis olera tanguntur, ne
ab erucis, & alijs infestis lædantur, San-
chez *dicto cap.* 40. *num.* 16. P. del Bene *de
officio Sanctiss. Inquis. par.* 2. *dubit.* 228. *sect.* 7.
num. 5.

Item quando quis nolit in die Veneris
in honorem passionis Iesu Christi, vel die
68 Sabathi in honorem Beatæ Virginis Ma-
riæ vngues præscindere, Martin. del Rio
dicta qu. 4. *sect.* 2. Sanchez *loco cit.* P. del
Bene *loco cit.*

69 Item quando quis à lecto surgit, ob-
seruat, an priùs induat fœmorale, vel
calceum dexterum, aut pede primo terram
tangat, vel domum egrediatur, P. del Rio
loco cit. sect. 6. *vers. Item qui colligunt*, P. del
Bene *loco cit. num.* 2.

70 Vel qui die Martis nolunt contrahere
matrimonium, Torre-blanc. *d. lib.* 1. *cap.*
27. *num.* 23. vbi, quod Philippus Secundus
ad tollendam ab animis subditorum hanc
vanam obseruantiam voluit contrahere
matrimonium die Martis.

71 Pariter vana est obseruantia lusorum,
qui ad auertendam malam fortunam, so-
lent mutare locum, vel tantisper surgunt,
& deambulant, Alcozer *de Ludo cap.* 2. *pau-
lò post principium*, Sanchez *loco cit. num.* 21.
qui ex eodem Alcozer subiungit, hanc
vanam obseruantiam esse veniale, secùs si
suscitaretur ab Astrologis, quibus diebus
lusuri sint, vt benè eis ludus cedat, vel si
aliquibus anulis vtantur, nam putat hoc
esse mortale; quem Ego sequor, quidquid
dicat P. del Bene, post hæc scripta visus,
loco cit. num. 13.

72 Hùc spectat alia vana obseruantia, qua
quis tribuit maiorem virtutem aquæ be-
nedictæ diebus Dominicis post quatuor
Tempora, quàm in alijs Dominicis, Mar-
tin. del Rio *dicta sect.* 7. Sanchez *d. cap.* 40.
num. 16. P. del Bene *loco cit. num.* 5. Et fuit
decretum in Sancto Officio *die* 14. *Iulij*
1610.

73 Item qui colligit oua, quæ gallinæ pa-
riunt in die Parascæue, ex eo quia credat
apta esse ad extinguenda incendia, si in
ignem projciantur, Martin. del Rio *dicta
sect.* 6. *in fine*, Sanchez *loco cit. num.* 16. P. del
Bene *loco cit. num.* 5.

Item eorum, qui colligunt oua, quæ
gallinæ pariunt in die Parascæne, vel in
die Annunciationis Beatæ Mariæ Virgi-
74 nis, eaque deindè carbone signant, dein-
dè in die Paschatis cum alijs curant bene-
dici, comeduntque illa, vel eorum par-
tem, putantes illam comestionem in illo
anno eos liberare ab infirmitate, ac fore
propter hoc fortunatos.

Item, qui accipit primam pecuniam
oblatam Crucifixo, quando adoratur Crux
75 in die Parascæue, vt ex ea conficiat anu-
lum ad sanandum morbum contractionis
membrorum, Sanchez *d. cap.* 40. *num.* 31.
Moura *sect.* 2. *cap.* 8. *num.* 28.

Pariter, quod solent facere puellæ nup-
tiarum auidæ, quæ in noctis peruigilio
76 Sancti Ioannis Baptistæ, vel in nocte festi
eiusdem Sancti, solent recitare aliquas
orationes, vt eis manifestetur, cui nup-
turæ sunt, & solent applicare auditum in
noctis silentio, credentes nomen, quod
audierint, fore earum viri nomen; vel
quando recitant aliquas orationes in Au-
rora eiusdem diei pro aliqua anima de-
functa, vt virum, cui iungendæ sint, reue-
let; Sanchez *loco cit. num.* 19. P. del Bene
loco cit. num. 10.

Vana similiter obseruantia est, & super-
stitio recitare orationes, quibus putant
77 liberos esse à morte subitanea, vel tales
periculum euasuros, vel futuros benè for-
tunatos. Tales enim orationes eam non
habent vim, vt ex pluribus docet Sanchez
loco citato num. 20. alios refert, & sequitur

Pater del Bene *loco cit. num.* 11.

Si tamen qui eas gestat, vel recitat, non expectet hos effectus euenturos tanquàm certos, sed confidit Sanctorum illo-
78 rum meritis, & precibus fore, vt præseruetur ab his malis, non erit superstitiosum, nec vana obseruantia; Suarez *to.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 15. *nu.* 9. *&* 10. Sanchez *loco cit.* P. del Bene *loco cit. nu.* 12. Vel ea intentione, vt Deus misereatur reuerenter portantibus ex Salmerone, Moura *sect.* 2. *cap.* 14. *num.* 9.

79 Multo magis erit quid superstitiosum, si in orationibus, quas aliqui portant, misceantur cruces, characteres incogniti, & vocabula pariter incognita, quia tunc ea inuoluunt aliquam maiorem superstitionem, & pacti saltem taciti cum Dæmone.

80 Cæterum dies me deficeret, si omnes vanas tùm dierum, tùm rerum obseruationes hic recensere vellem, videndi sunt Textus *in cap. Non licet*, *cap. Non obseruetis*, *cap. Si quis* 26. *quæst.* 7. Martin. del Rio, Torre-blanc. Sanchez *locis supra citatis*, Arles. *de superstit.* Lupus *in Edicto S. Officij par.* 2. *lib.* 15. *distinct.* 3. *art.* 1. Moura latissimè, & doctissimè *toto tractatu de Incantat.* & præsertim *sect.* 2. *cap.* 14. P. del Bene *d. par.* 2. *dub.* 138. *à sect.* 5. *per multas sectiones sequentes*.

81 Si autem huiusmodi vani obseruatores deferantur, vel compareant sponte in Sancto Officio, vt plurimùm, si sint mulierculæ, expediuntur cum monitionibus, & pœnitentijs salutaribus, dummodò non sint aliquæ obseruationes qualificatæ. De his aliqua videbimus *infra*.

A diuinatione, & vana obseruantia transeundum est ad Sortilegia, quæ plerumque fiunt ad amorem, & hæc sunt
82 vsitata apud Meretrices, ad odium, ad mortem, ad captandam alicuius Principis beneuolentiam, ad lucrandum in ludo pecuniam, ad thesauros inueniendos, ne quis ab armis, seu inimicis lædatur, ad ligandos viros, ne possint reddere debitum vxoribus, & ad inferenda alia mala grauia, tùm hominibus, tùm animalibus, tùm segetibus, ad morbos sanandos, de quibus latè Doctores citati à Pegna *3. par. comm.* 67. *vers. Ergo præter.* Inter moderniores Farinacc. *de Hæres. quæst.* 181. Carena *in prax. par.* 2. *tit.* 12. *de Sortilegijs*, Bordon. *in Tribun. Sancti Officij cap.* 18. Salell. *de mater. Tribun. S. Inquis. lib.* 1. *cap.* 14. *reg.* 117. *&* 124. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 18. Alberghin. *in Man. cap.* 18. Baldell. *de fide*, *& infidelit. lib.* 1. *disp.* 62. Moura *de incant. ferè per totum tractat.* Martin. del Rio *disquis. magic. lib.* 1. *sect.* 15. *& ferè per totum librum*, Binsfeld. *de confess. malef. toto ferè tractat.* P. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 10. Suarez, Lessius, Caualcan. & alii citati à Barbos. *in cap. Sortilegi* 26. *quæst.* 1. Scacc. *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 12. Gastald. *de potest. Angelic. to.* 2. *distinct.* 6. Franciscus de Magistris *in Sylua Ecclesiast. to.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. P. Pasqualig. *in addit.* ad Lautet. de Franchis *à num.* 894. *cum pluribus sequen.* P. del Bene *de Officio Sanctiss. Inquisitionis par.* 2. *dubit.* 228. *à sect.* 28. *cum seqq. dubitat. & section.*

83 In his autem non distinguitur sortilegium à maleficio, sed vnum pro alio sumitur, quia, vt docet D. Thom. 2. 2 *qu.* 95. *art.* 3. & ibi Gaietan. Puerta de la Torre, & Suarez, sortilegium dicitur superstitio quædam illusoria, & maximè nociua, qua vtitur homo Dæmonis ministerio, quæ definitio sumitur etiam *in cap. in summa* 26. *quæst.* 5. *& ex cap. Qui sine Saluatore* 26. *qu.* 2. *& cap.* 1. *&* 2. *de Sortileg. ex l. Nemo*, *& ex l. Multi*, *C. de Malef. & Mathemat.* Farinacc. *quæst.* 20. *num.* 73.

84 Hinc Sortilegi dicuntur Diuinatores, & Malefici, ambo hostes, & humanæ salutis inimici, *l. Etsi excepta*, *l. fin. C. de Malefic. & Mathemat.* Gastald. *loco cit.* Et constat ex Bulla Innocentij Octaui *ad Inquisitores Germaniæ*, de qua per Binsfeldium *in calce operis de Maleficis*, *& Mathematicis*.

85 In hac autem materia sciendum est, quod sicuti Hæreticus reputaretur ille, qui assereret cum pertinacia, maleficia nil aliud esse, quam somnia, & imaginationes, vt latè probat Binsfeldius *de Conf. si. Malef. prælud.* 1. *vers. Ex dicto præludio infero*, vbi ait, hæresim hanc non esse nouam, sed antiquam, vt post S. Thom. & S. Bonauenturam *in* 4. *distinct.* 34. tenet Turrecremata *in cap. Si quis per sortiarias* 33. *quæst.* 1.

86 Quæ ortum habuit ex alia maiori infidelitate, quia credebatur, Dæmones non esse, nisi in opinione vulgi, quam sententiam tenuerunt antiqui Philosophi, nempè Democritus, Alex. Simplicius, Auerroes, & Aristoteles.

87 Et propterea Hermes Tirmegistus, & alij quamplures Philosophi referebant omnia opera magica in virtutes, & causas naturales.

88 Hinc Saducæi, & Dositheani, Spiritum, & Angelum esse negabant, quem errorem Origenes *tract.* 3. *in Matthæum* 17. tribuit Medicis.

89 Et re vera (salua Proborum fama) difficillimè Medici inducuntur ad testificandum in Sancto Officio, morbos ex maleficio ortos esse super naturales, sed semper in melancoliam, hypocondriacos affectus, complexionem corruptam, perturbatam phantasiam, & in alias causas naturales referunt, vt expertus sum toto tempore mei Assessoratus, quo vnam tantùm, vel alteram habui Medicorum attestationem

de morbo

de morbo supernaturali, quamuis infinitos Processus super Maleficijs in Sacra Congregatione proposuerim.

Ità etiam non facile credendum est, infirmitates, & morbos, quibus naturalibus remedijs mederi Medici non possunt, semper habere originem à maleficio: Non enim semper Deus, à quo infirmitatum curatio omninò dependet, vult, quod morbi sapientia Medicorum curentur. Vt enim, inquit Eccles. *cap.38. A Deo omnis medela, & Altissimus creauit de terra medicinam*, hoc est non solùm virtutes, ex quibus medicinæ conficiuntur, sed etiam effectus ipsi à talibus virtutibus concausati, vt ibidem Iansenius commentatur Moura *sect.2. cap.11. num.23.*

90 In hac re ergò cautè semper agendum est, nam vt plurimùm mulierculæ, quæ vident vel filios, vel maritos, vel alios consanguineos, vel se ipsas longo affligi morbo, putant illum ex maleficio prouenire recurrendum propterea in huiusmodi casibus ad Deum: Nam mulier illa *apud Marcum* 5. quæ morbo profluuij sanguinis annis duodecim laborauerat, & plura à Medicis medicamenta sumpserat, in quibus erogauerat ferè omnia sua bona, nec quicquam illi profecerant, sed magis in deterius habebat, ad tactum fimbriæ vestimenti Iesu Christi confestim siccatus est sanguis, vt benè in proposito considerat Moura *loco cit. num.24.*

91 Communis autem distinctio sortilegiorum est, alia esse hæreticalia, alia verò simliciter superstitiosa, Eymer. *2.par. Director. quæst.13.* & ibi Pegna *comm.67.* Martin. del Rio *dicto lib. 5. sect.15. axiom. 2.* Farinacc. *dicta quæst* 181. §.1. & 2. Sousa *in Aphorism. lib.1. cap.57.* Simanch. *de Cathol. tit.62. rubr. de Sortileg.* Alberghin. *dicto cap.18. sect. 2. num.* 15. Franciscus de Magistris *loco citato num.* 67. Pasqualig. *in addit. supra cit. num.* 899.

92 Cæterùm Martin. del Rio *disquis. lib. 5. sect.* 15. distinguit Sortilegia hæretica, & hæreticalia.

93 Hæreticalia enim, & sapientia hæresim vult non differre, & hanc distinctionem sequuntur Salelles *de mater. Tribun. lib. 1. cap.14. num.335.* Torre-blanc. *de Magia lib.3. cap. 7.*

94 Sed hanc distinctionem improbat tanquam nouam, & inusitatam, & nixam falso fundamento reijcit, Gastald. *de Angel. to.2. quæst.4. art.1.*

Quicquid autem sit de huiusmodi opinionibus, certum est in hac Suprema non dari aliam distinctionem Sortilegio-

95 rum, nisi quod aut sunt hæreticalia, aut non sunt hæreticalia; ità post Pegnam, Farinacc. Scacc. & Carenam, tenet Alberghin. *in man. cap.18. sect.2. num.2.* Hære-

ticalia sunt, quæ sapiunt hæresim, quæ qualificata vocamus. Non hæreticalia verò, quæ nullam sapiunt hæresim, quæ simplicia appellamus.

Nec potest dici Sortilegium hæreticum, quamuis factum in se sit hæreticale,

96 quia constitutiuum hæresis pendet ab intentione conficientis. Si enim sana sit intentio, nec factum hæreticale facit quem Hæreticum, sed solùm suspectum de hæresi, nec factum ipsum potest appellari Hæreticum ad distinctionem hæreticalis, & propterea promiscuè sumi propositiones *hæreticam, & hæreticalem*, dixit Eymer. *in Director. par.2. quæst.2.* vt benè post Pegnam, Suarez, Gastald. *loco cit.*

Persona ergo sortilegi iuxta eius intentionem poterit appellari hæretica, si credat ea licere, quæ non licent: factum verò ipsum hæreticale non hæreticum erit appellandum.

Neque obstat, quod sicuti appellatur propositio hæretica, ità etiam possit dici

97 sortilegium hæreticum, quia ideò appellatur propositio hæretica, quia clarè opponitur articulis fidei, vel Ecclesiæ diffinitionibus per Concilia Generalia, & Decretales expressis, itaut non detur opinio Doctorum Catholicorum in contrarium, vt benè Saura *in voto Platonis de proposit. hæretic. cap.6. fol.13. à tergo.*

At factum, quod continetur in Sortilegijs non semper contrariatur articulis fi-

98 dei, sed Ritibus, & cœremonijs Ecclesiæ, contrariatur vsui Sacramentorum, vel sacramentalium, verborum Sacræ Scripturæ, & similium, ideò solùm continet in se suspicionem hæresis, & hæreticale, non hæreticum dicendum est, vt colligitur *ex cap. Accusatus, §. Ille verò, de Hæret. in 6.* faciunt, quæ traduntur ab eodem Saura *loco cit. versic. Propositio suspecta de hæresi.*

Nec distinctio Farinaccij, seu aliorum ab eo allegatorum *in tract. de Hæresi q.181. §. 1. num. 2.* nempè hæreticalium sortile-

99 giorum alia sapere manifestam hæresim, alia autem non sapere, admittitur in Suprema: Nam quæ non sapiunt manifestè hæresim non vocamus hæreticalia, sed simplicia, & sic non hæreticalia, vt colligitur ex Eymer. *2.par. quæst.42.*

100 Vel si aliquando admittenda esset hæc distinctio, admittenda esset respectu abiurationis, vt scilicet, quæ clarè sunt hæreticalia purgentur abiuratione de vehementi, seclusa mala credulitate; Quæ autem ità clara non sunt, abiuratione de leui, Eymer. *loco cit.*

101 Ad fundandam autem iurisdictionem Inquisitoris necessarium erat antiquitùs, quod sortilegia saperent hæresim manifestè, *cap. Accusatus, §. Sanè, de Hæret. in 6.*

Hodie tamen vigore Constitutionum Apostolicarum, nempè Innocentij Octaui, Alexandri Sexti, Leonis Decimi, Adriani Sexti, & Sixti Quinti, quas in vnum congerit Binsfeldius *post suum tract. de Confess. Malefic. & comment. in tit. C. de Malef. & Mathemat.* Inquisitores etiam de simplicibus superstitionibus cognoscunt, de quo testantur omnes practici, nempe Carena *par.2. tit.12. §.15.* Farinacc. *q.181. num.* 10. Salell. *in Tribunal. lib.* 1. *cap.* 14. *reg.* 124. *num.* 360. Bordon. *dicto cap.* 18. *num.*48. P. Diana, qui alios adducit *par.4. tract.7. de pœnis delict. resolut.*10.

102 In qua materia duo aduertenda sunt; alterum, quod Sacra Congregatio non solet procedere contra Sortilegos, si sortilegia simplicia sint, & non qualificata, vel non sint commixta cum qualificatis, de quo testatur etiam Farinacc. *d. qu.* 181. *num.* 101. *in fin.* & fuit scriptum Legato Auenionen. *sub die* 28. *Nouembris* 1595. Non placere Sanctissimo, quod Inquisitores procedant in causis Sortilegiorum, nisi sapiant hæresim manifestè.

103 Alterum, quod non est vera opinio Scacciæ, vel saltem non est recepta, dicentis *lib.*1. *cap.*12. *nu.*53. in praxi, hodie cognitionem quorumcunque Sortilegiorum spectare priuatiuè quoad laicos ad Inquisitores, quia si Sortilegia sint simplicia, & non qualificata, licet subdantur iure nouo cognitioni Inquisitorum, non tamen est adempta per Constitutiones Apostolicas *supra* relatas cognitio Iudicibus secularibus, sed remanet vt priùs, hoc est, vt sit locus præuentioni, P. del Bene *d. dubit.* 228. *sect.* 28. *num.* 11. quia non præsumitur, quod Pontifex voluerit auferre in totum iurisdictionem à Iudicibus laicis in materia, quæ non sapit hæresim, nisi expressè dixerit. Et cum iurisdictio data sit in odium certarum personarum, censetur data cumulatiuè, & non priuatiuè, *cap. Per hoc, de Hæret. in*6. *§.* 1. *versic. Oportet in Auth. vt defuncti funera*, Angel. *in l. Si Testamento num.* 5. *versic. Si verò est iurisdictio, C. de Testament. l. Si vacantia, C. de bonis mater. lib.* 10. Aretin. *l. Quod in rer. §. Si quis, ff. de legatis* 1. vbi Iason. *num.*10. Surd. *consl.*56. *num.*30. Menoch. *lib.*2. *præsumpt.*18.*nu.*21. in terminis Moura *de Incantat. sect.*3. *cap.*1. *nu.*5 *in fin.*

104 Et ità vidi obseruatum in Suprema, sequendo opinionem Doctorum, qui scripserunt post Bullam Sixti, nempe Seraph. Freita ad Acunham *qu.*5.*num.*35. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 38. *num.*92. *in fin.* Scortiæ *dicto cap. ad Selectas epit.* 58. *theorem.*158. vbi de Bulla Sixti Quinti, Moura *sect.* 3. *cap.* 1. *num.*8. vbi *num.* 9. suspicatur, Constitutionem Sixti Quinti, saltem in Lusitania non esse vsu receptam, quod etiam voluit Azor. *to.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *quæst.* 4.

105 Et ità resolutum fuit in Suprema post Bullam Sixti Quinti *in vna Melphien.* 2. *Decembris* 1589. & idem scriptum fuit *die* 2. *Iulij* 1593. Vicario Abbatis Sanctissimæ Trinitatis, *& in vna Mediolanen.* 6. *Nouembris* 1599.

106 Cauendum est ergò à Carena *par.* 2. *tit.* 12. *num.* 147. & à Gastaldo *de Angelis to.* 3. *distinct.* 9. *quæst.* 7. *art.* 5. *num.* 23. qui dicunt in Suprema obseruari, quod cognitio horum Sortilegiorum simplicium priuatiuè spectar ad Inquisitores, quod tamen falsum est, *ex supra dictis*.

107 Et hanc iurisdictionem non esse concessam Inquisitoribus priuatiuè quoad Episcopos resoluit Suprema *sub die* 21. *Octobris* 1602. de quo Alberghin. *in Man. cap.* 18. *num.*9. eandem resolutionem Sacræ Congregationis refert Io. Franc. *de Sortilegijs cap.* 8. *vers. Dictæ Constitutiones insert. in to.*2. *Mallei Maleficarum*, ea ratione à nobis tradita, quod iurisdictio non censetur concessa alicui priuatiuè, sed cumulatiuè.

108 Cauendum pariter à Suarez *to.* 1. *de Relig. lib.*2. *de superstit. cap.vlt. num.* 11. dicente, puras, & simplices superstitiones, in quibus non est expressa suspicio hæresis, non pertinere ad cognitionem Inquisitorum, etiam post Bullam Sixti Quinti, & aliorum Summorum Pontificum Constitutiones, quia benè possunt de illis cognoscere Inquisitores, licet non cognoscant, nisi sint alicui qualificatæ mixtæ, quæ tamen simplices rarissimæ sunt, vt dicit Moura *d. cap.*1. *sect.*3. *num.*8.

109 Et propterea benè faciunt Iudices seculares, si de istis etiam non se intromittant, cum ferè nunquam sint immunes à suspicione hæresis, ob pactum saltem tacitum cum Dæmone, quod non potest cognosci nisi ab Inquisitoribus, Francisc. de Magistris *loco cit. num.*71.

110 Ideò inoleuit praxis in Tribunalibus criminalibus Romanæ Curiæ, vt schedulas, quas inueniunt vel Carcerarij, vel Notarij penès Carceratos, quibus prætendunt Rei se præseruare à tormentorum sibi inferendorum doloribus, statim consignent P. Commissario Supremæ &c. vt videat, an contineant aliquod Sortilegium hæreticale, prout ferè semper continent, cum in illis misceantur verba Psalmorum, cruces, characteres, & nomina incognita, vt notat Ambrosin. *in prax. lib.*4. *cap.*7. *num.*4.

Et ideò si qualificata sint, Rei ad Sanctum Officium ducuntur, vel saltem si causa sit grauis, pro qua detinentur in carceribus laicalibus, ibidem sequestrantur nomine Sancti Officij, vt contra eos procedi possit.

111 Itaut cauendum sit ab opinione Simonis de Prætis *conf.* 105. & San-felicij *decif.* 265. qui volnere huiusmodi Reos posse puniri à Iudice seculari.

112 Quia eorum opinio potest procedere, quando manifestè constat, schedulam nihil suspecti continere, vt explicando doctrinam Simonis prædicti tenet Carena *par.* 2. *tit.* 12. §.16. *num.*149.

113 Et ideò, *vt dixi*, benè faciunt Iudices seculares remittendo dictas schedulas ad Inquisitores, quia in dubio, an sit Sortilegium qualificatum, & hæreticale, spectat ad Inquisitorem cognitio, vt ex Freita, Diana, Leon. Caball. à Ponte, & Marta, voluit Carena *loco cit. num.*148.

114 Insuper aduertant Iudices seculares, ne aduersus huiusmodi taciturnitatis maleficium vtantur quibusdam precibus, vel Psalmis, seu alijs verbis Sacræ Scripturæ, verbi gratia: *Eructauit &c. dicam opera mea Regi*; vel *Dominus labia mea aperiat, & os meum annunciabit veritatem*; *Confundatur nequitia peccatoris, perdes omnes, qui loquuntur mendacium*; *Contere brachia iniqui Rei, vt lingua maligna subuertatur*; & similia.

115 Quia cum huiusmodi verba nullam in se virtutem habeant, cauendum, ne in ijs insit quoddam pactum tacitum cum Dæmone, sicuti potest esse cum ijs, qui vtuntur similibus verbis contra tormenta: Esset enim hoc maleficium maleficio tollere, quod nefas est, vt *infra* videbimus.

116 Nullum ergo remedium adhibendum est supernaturale, vel superstitiosum, sed maxima diligentia vtendum est, vt huiusmodi schedulæ reperiantur,& auferantur, vt aduertit Ambrosinus *loco citato*; & pili vndique abradantur, vt dicit Binsfeldius *in tit. C. de Malefic. & Mathemat. concl.* 15. *in fin.* vbi tota conclusione narrat modos, quibus potest dari Sortilegium taciturnitatis per auxilium Dæmonis; sed huiusmodi abrasio pilorum vetita est in Sancto Officio, *vt videbimus infra*.

117 Primò, vt inuisibiliter subleuet corpus illius, qui est positus in tortura, vt nullum dolorem sentiat.

Secundò, vt assistat interiùs, & in faucibus oris illius, qui torquetur, itaut impediat ipsum loqui.

Tertiò, vt assistat exteriùs,suggerendo nempe ei, qui torquetur, ne loquatur, vel suadendo, & confortando, vt breuem quidem torturam fortiter perferat spe vitæ longioris, aut ei minando verbera, si delictum fateatur, & aliquos ex his modis suggerendo; alios videtur approbare Torre-blanca *iuris spiritualis lib.*12. *cap.* 20. *per totum*.

118 SED mihi hæc valdè inuerisimilia videntur; Puto enim Diabolo non esse permissum à Deo, vt efficiat aliquid eiusmodi, quia cum omnis potestas à Deo sit, Diabolus nec ipsi potestati, nec legitimis ipsius actionibus potest resistere, & propterea nec nocentes publicæ eripere iustitiæ, vt docent DD. Augustin. & Thom.

119 Propterea cum impunitas scelerum Deo non placeat, & malè faciendi licentia minimè permittatur, si hæc Diaboli institutis permitterentur, ordo, & iustitia Dei sibi inuicem repugnarent.

120 Quæ verò sint Sortilegia hæreticalia latè tradunt Abbas *cap.* 1. *de Sortileg.* & *in cap. Ex tuarum*, *codem tit.* Griland. *lib.* 2. *quæst.* 10. Franch. *in cap. Accusatus*, §. *Sanè, de Hæret.* & ibi Gemin. & alij relat. à Barbos. *in dicto cap. Accusatus*, Pegna *ad Direct. par.*2. *comm.*67. Farinacc. *quæst.*181. *num.*2. Scaccia *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 12. Martin. del Rio *Magic. lib.*5. *sect.* 15. *per tot.* Thesaur. *fori Eccles. par.*3. *cap.*36. *num.*9. Binsfeld. *de Confess. Malef. prælud.* 14. Carena *par.* 2. *de Sortileg. tit.*12. §.4. Salell. *in Tribun. cap.*18. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.*57. Alberghin. *in Manual. cap.*18. *sect.* 2. §. 1. de Magistris *loco cit. à num.*67.

121 Solùm addo, non esse admittendam concordiam allatam à Farinacc. *d. quæst.* 181. *num.* 17. scilicet, Sortilegia ad inueniendas res furatas, & alia occulta scienda, tunc esse hæreticalia, & sapere hæresim manifestè, quandò illis admiscentur res sacræ, vel benedictæ, secùs si talia non immisceantur,quem videtur sequi Alberghin. *d. cap.*18 *sect.*2. *num.*5.

122 Nam Sortilegium,quod fit cum phiala aqua plena, & cum illis verbis, *Angelo santo, Angelo bianco*, etiamquod aqua non sit benedicta, nec adhibeantur candelæ benedictæ accensæ, semper fuit habitum pro qualificato, & hæreticali, quia sub illis verbis, *Angelo santo*, continetur Dæmonis inuocatio, vt benè notat Carena *dicto tit.* 12. §. 4. *num.* 27. quamuis & ipse transire videatur cum distinctione Farinaccij, quæ non obseruatur in Suprema, &c. & expressè habetur in Constitutione Sixti Quinti sub nomine *Angeli sancti*, Dæmonem adorari, & hoc solùm sufficit ad faciendum Sortilegium hæreticale, *iuxta consilium* Barbatiæ 55. *num.* 2. *lib.*1. quod sequitur Suprema &c. & debent sequi Inquisitores, reprobato Claro *in* §. *Hæresis num.*23. & Rimin. iun. *conf.* 414. *per totum*, qui conatur respondere rationibus Barbatiæ, sed malè.

123 Ideò huiusmodi Sortilegio vtentibus imponitur abiuratio de vehementi, nisi qualitas personæ aliud suadeat, Riccius *decis.* 243. *par.* 2. vt de praxi Supremæ testatur Gastald. *de potest. Angel. distin.*6. *qu.*3. *art.*3. *num.* 14. quamuis multis non practicis durum videatur,vt dicit idem Gast. *loc.cit.*

Sed insurgit quæstio, an Sortilegium factum cum hostia non consecrata sit qualificatum.

124 Certum est, quod si super illa hostia celebretur Missa, vel reponatur in Altari, vt super ea celebretur etiam à Sacerdote ignorante ibidem esse illam hostiam, si illa adhibeatur in Sortilegio, reputari Sortilegium qualificatum: Tùm quia Sacrificium Missæ ordinatur ad Sortilegium licet mediatè, tùm quia Sortilegus hoc casu præsumitur, quod credat Sacrificium Missæ habere vim ad maleficium operandum, & ità sentiunt Scaccia *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 34. Zanard. *in Director. par.* 2. *cap.* 64. Moura *de Incantat. sect.* 3. *cap.* 1. *nu.* 9. P. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 50. Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. 5. *num.* 37. *&* §. 8. *num.* 53. Alberghin. *in Manual. cap.* 18. *sect.* 2. §. 1. *num.* 9. Gastald. *de potest. Angel. to.* 2. *disput.* 6. *quæst.* 6. *art.* 1. Franc. de Magistris *loco citato num.* 74.

125 Labuntur ergo Oldradus *consil.* 110. Locat. *in Iudic. verb. Sacerdos*, Farinacc. *qu.* 20. Torre-blanca *Iuris spiritualis lib.* 13. *cap.* 6. *nu.* 5. post Griland. *de Sortilegijs qu.* 10. *num.* 13. asserentes, non esse Sortilegium hæreticale, si in eo misceatur hostia non consecrata, super qua Missa fuerit celebrata, quos non posse excusari à lapsu, tenet Scaccia *loco cit. nu.* 34. quem sequitur Gastald. *loco cit. num.* 2.

126 Videtur tamen Farinaccius se correxisse, dùm *in qu.* 181. §. 1. *num.* 21. adducit opinionem Martini del Rio *disquisit. lib.* 5. *sect.* 15. *vers. Dico quinto*, asserentis, quod licet miscens in Sortilegiis hostiam non consecratam, super qua Missa fuerit celebrata, non reputetur Hæreticus, de hæresi tamen valdè se reddit suspectum, quod sufficit.

127 Si autem super hostia non fuerit Missa celebrata, nec aliqui characteres, vel nomina incognita, vel verba superstitiosa, vel sacra in eo fuerint scripta, non committere sacrilegium qualificatum qui illa vtitur in maleficio, dixit contra Carenam idem Gastald. *loco cit.*

128 Quod verum puto, nisi appareret, vtenrem hostia non consecrata, velle abuti Imagine Crucifixi in ea sculpta, tunc enim sicut abutendo in maleficio Imaginibus sacris committitur Sortilegium hæreticale, Carena *par.* 2. *tit.* 10. §. 4. *num.* 28.

Ità etiam abutendo hostia non consecrata cum intentione Imagine Crucifixi, vel Sanctorum in ea sculpta abutendi, Gastald. *loco cit. num.* 5.

Sed an gestans hostiam consecratam reddat se suspectum de hæresi, itaut contra eum procedi possit.

129 Mos, siue consuetudo veteris Ecclesiæ fuit, vt non solùm Sacerdotes, sed etiam laici secùm occulrè, & ad domos suas deferrent Sacram Eucharistiam, vt statis temporibus eam sumere possent; Tertullian. *lib. de Oratione sub finem*, & *lib.* 2. *ad vxorem*, D. Cyprianus *in libr. de Lapsis num.* 92. *vers. Et cum quadam Arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit*; & *in lib. de Spectaculis, & vtrobique* Pamelius.

130 Quæ consuetudo originem sumpsit tempore persecutionum, nam cum Christianis non liceret in vnum coire ad sacras Synaxes ob periculum imminens martyrii, mos introductus est, vt secùm Corpus Domini deferrent, vt possent absque periculo illud sumere; vt post eosdem Tertullianum, Cyprianum, Nazianzenum, Anastas., & Hieronymum, Baronius *anno* 57. §. 151.

131 Mos iste durauit vsque ad Papæ Hormisdæ tempora, quando in Concilio Cæsar-augustano *cap.* 3. videtur abrogatus in hæc verba:

Si quis Eucharistia gratiam acceptam in Ecclesiam non consumpserit, anathema sit; vt ait Baronius *dicto anno* 57. *num.* 150. *in fine*.

Qui tamen errauit, si Concilium Cæsar-augustanum ad Hosmisdæ tempora retulerit, cum sub Damaso Primo coactum sit, vt notat Garzias Loaisa *ad d. Concil. litt. D. in fine*.

132 Huic Edicto causam dederunt Priscillianistæ, qui vt laterent conuenientes ad Ecclesiam, sic accipiebant Eucharistiam, vt eam non comederent, habetur *in supracitatis notis littera I*.

133 Generali demùm consuetudine Ecclesiæ hunc morem fuisse abrogatum, dicit idem Baron. *dicto anno* 57. *num.* 151.

134 Indulsit tamen Sedes Apostolica quandoque, vt Sacram Eucharistiam penès se retinere posset Maria Scotorum Regina, dùm erat in carceribus, vt si ad martyrium raperetur, vt factum fuit, posset se illa præmuniri, Vasquez *in* 3. *disput.* 119. *cap.* 1. *num.* 18. Card. de Lugo *de Sacram. disp.* 19. *sect.* 1. *num.* 25.

135 De qua tamen dispensatione dubitat P. Auersa *de Sacram. quæst* 10. *sect.* 3. *in fin. vers. Non enim*.

136 Modò si quis simplicitate ductus ex mera deuotione gestaret Sacramentum Eucharistiæ, benè sentiens de eodem Sacramento, is non erit suspectus de hæresi, & per consequens illius causa non erit tractanda Sancto Officio, vt resolutum fuit *sub die* 25. *Februarij* 1659.

137 Nam cum quidam Mercator spontè comparuisset in Suprema se denunciando, quod gestasset hostiam consecratam, dictum fuit, vt deberet interrogari: An de Sacramento Eucharistiæ crederet quod

credunt Catholici, & si circa credulitatem nullum habeat errorem, eo casu, quia delicti cognitio non spectabat ad Sanctum Officium, nihil cum eo erat agendum in Sancto Tribunali, sed si haberet aliquem errorem, expediendus erat vt sponte comparens.

138 Si verò gestetur hostia consecrata ea intentione, ne lædatur ab inimicis, vel ab amicis, ad lucrum reportandum in ludo, vel ad alium illicitum finem, tunc contra sic gestantes proceditur in Sancto Officio.

Abutuntur enim isti Sacramento Eucharistiæ, & meo tempore nonnulli ex istis, fuerunt damnati ad triremes, quia fassi sunt gestare hostiam consecratam, ne offenderentur ab inimicis, & se præmunirent aduersus ictus sclopettorum; Et cum aliàs quidam Regularis hostiam consecratam aliis secretis sortilegis per multum temporis spatium supra se gestasset, vt se defenderet ab armis, tortus pro vlteriori veritate, complicibus, & intentione, præuia abiuratione de vehementi damnatus fuit ad triremes per decennium, & priuatus voce actiua, & passiua in perpetuum, quamuis ex benignitate Sancti Officij pœna triremium fuit ei commutata in carcerem per idem tempus, vt ex Decreto 7. *Iunij* 1629.

139 Quidam autem, qui contra morbum pestis hostiam consecratam deferebat, expeditus fuit eum graui monitione, & pœnitentijs salutaribus, vt ex Decreto *sub die* 21. *Iulij* 1631.

140 An verò liceat gestare collo appensas Reliquias Sanctorum, cereas Agni-dei Effigies, Euangelium Sancti Ioannis, Psalmos Dauidis, & similia Sacræ Scripturæ testimonia, videndus est latè Sanchez *ad præcepta Decal. lib.* 2. *quæst.* 40. *nu.* 26. *&* 27. Martin. del Rio, Suarez, & alij ab eo allegati, Alberghin. *in Man. qualificat. cap.* 18. *sect.* 3. §. 3. *num.* 2. qui enumerat quatuor conditiones, quæ licitas faciunt huiusmodi gestationes, præsertim quorundam Breuium, quæ circumferuntur, & passim etiam venduntur à quæstuantibus.

141 Aduerte tamen quod miscentes in sortilegiis hostiam consecratam, debent etiam pro prima vice tradi Brachio seculari; ex Decreto Pauli Quarti *edito die* 17. *Iunij* 1559. de quo Diana *par.* 4. *pag.* 325. Praxis Archiepiscopalis Neapolitana *cap.* 68. *num.* 10. Moura *de Incantat. opusc.* 1. *sect.* 3. *cap.* 5. *num.* 34.

142 Quod tamen Decretum non vidi seruari, quamuis plures Rei meo tempore fuerint de sortilegio sic qualificato inquisiti, sed ad triremes per decennium transmissi fuerunt.

An autem Sacram Pixidem furans, & comedens sacras particulas sit suspectus de hæresi, & celebrans non ieiunus, videbimus *infra*.

143 Pariter tradendæ sunt Curiæ seculari mulieres maleficæ, quæ apud Nos striges vocantur, si constet eas, vnam, seu plures personas ità læsisse, vt ex maleficio mors secuta sit, etiam pro prima vice: Si verò ex maleficio infirmitas tantùm, diuortia, impotentia generandi, siue animalibus, siue frugibus, vel aliis damnum notabile prouenerit, muro claudi, seu perpetuo carceri mancipari debent, vt ex Constitutione Gregorij Decimiquinti 46. *in nouo Bullario*, quæ incipit *Omnipotentis Dei*, de qua Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 10. *vers. Sed*, Alberghin. *in Man. cap.* 18. *sect.* 3. §. 9. *num.* 8.

144 Ex qua Constitutione tollitur controuersia Doctorum, quorum aliqui putabant de iure communi huiusmodi maleficas debere tradi Curiæ seculari propter homicidia, & infanticidia ab ipsis perpetrata, de quorum numero sunt Malleus maleficarum, Siluester, Ambros. de Vignate *de Strigibus art.* 2. §. *Si verò*, Martin. del Rio *disquis. magic. lib.* 5. *sect.* 15. *vers. Si verò*, quem refert Alberghin. *loco citato num.* 8. Farinacc. *quæst.* 20. *num.* 102. *vers. Vndecima conclusio*.

145 Contrarium verò tenuerunt, nempe has maleficas, seu Striges pro primo lapsu, si pœnitentes sint, etiam quod sint secuta infanticidia, & mortes, non esse tradendas Curiæ seculari, Simancha *de Cathol. tit.* 37. *rubr. de Lamijs num.* 17. Albertin. *de Agnoscend. quæst.* 25. *num.* 66. Campeg. ad Zanchinum *de Hæret. cap.* 22. Eymeric. *in Director. par.* 2. *quæst.* 42. *num.* 5. Farinaccius *quæst.* 181. *num.* 48. *vers. Benè verùm*.

146 In hac autem Suprema, &c. practicatur, quod ait Fermosinus *in cap. Ecclesia S. Mariæ, qu.* 50. *num.* 11. *de Constitut.*

Quod si Iudices laici Striges propter infanticidia apprehendant, & in vinculis custodiant, & in cognoscendo, innotescat, illas esse de hæresi suspectas, debent remittere illas ad Inquisitores, & in cognitione cessare eo vsque punitæ sint ab Inquisitoribus; Sed ab istis post punitionem condignam debent restitui Iudicibus laicis, vt puniantur ab eis pro infanticidiis.

147 Quia cum delictum infanticidij habeat permixtam hæresim, possunt puniri ab Inquisitoribus non solùm propter hæresim, sed propter infanticidium; Et propterea sanctæ mem. statuit Gregorius Decimusquintus, vt huiusmodi maleficæ propter infanticidia perpetrata tradantur Curiæ seculari.

148 Si verò maleficæ essent captæ propter aliquod delictum non insurgens ex maleficio, vtique essent restituendæ Iudicibus

laicis terminata causa hæresis, si ab illis habitæ sunt.

149 Multò minùs sunt restituendæ, si Inquisitor præuenerit, quia nunquam Inquisitores remittunt carceratos Iudicibus secularibus, nisi illos ab eisdem Iudicibus receperint.

150 An autem sortilegus Clericus debeat degradari, & tradi Curiæ seculari, negatiuè concludendum est per ea, quæ tradit Fermosinus *in cap. Cum non ab homine qu. 24. de Iudicijs*.

151 Sed quia in conficiendis Processibus contra maleficas ab Inquisitoribus, & locorum Ordinarijs ferè semper peccabatur in probatione corporis delicti, quod omnino est probandum, præsertim quando tractatur de infanticidijs, & de maleficio, per quod mors dicitur secuta; Suprema &c. ad instruendos Iudices fidei mandauit imprimi Instructionem infrascriptam, illamque litteris Encyclicis transmitti ad eosdem, prout executum fuit: Eam tamen priùs impresserat Gastaldus *de Angelis to. 2. dist. 4. quæst. 1. art. 1. fol. 242.*

INSTRVCTIO

Pro formandis Processibus in causis Strigum, Sortilegiorum, & Maleficiorum.

152 *EXperientia rerum magistra apertè docet, grauissimos quotidie committi errores in formandis processibus contra Striges, siue Lamias, & maleficas in notabile præiudicium tam iustitiæ, quàm huiusmodi mulierum inquisitarum, itaut in Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis aduersùs hæreticam prauitatem Generali Congregatione longo tempore obseruatum fuerit, vix vnquam repertum fuisse aliquem processum similem rectè, & iuridicè formatum, imò plerumque necesse fuisse quamplures Iudices reprehendere ob indebitas vexationes, inquisitiones, carcerationes, necnon diuersos malos, & impertinentes modos habitos in formandis processibus, Reis interrogandis, excessiuis torturis inferendis, itaut quandoque contigerit iniustas, & iniquas proferri sententias, etiam vltimi supplicij, siue traditionis Brachio seculari, & re ipsa compertum est, multos Iudices ità faciles, & proclines fuisse ob leue, aut minimum indicium credere, aliquam mulierem esse Strigem, & ideo nihil omnino prætermisisse, vt ab huiusmodi muliere, etiam modis illicitis talem confessionem extorquerent, cum tot tamen, tantisque inuerisimilitudinibus, varietatibus, & contrarietatibus, vt super tali confessione nulla, aut modica vis fieri posset; Quapropter vt Iudices de cætero magis cauti esse possint in conficiendis huiusmodi processibus, infrascripta diligenter, & accuratè præ oculis habeant, & considerent.*

Error principalis, & peculiaris omnium ferè Iudicum in hac materia est deuenire, ne dum ad inquisitionem, & carcerationem, sed sæpe etiam ad torturam contra aliquam mulierem de maleficio imputatam, quamuis non constet de corpore delicti, siue maleficij, & tamen in iure indubitatum est ad tales actus deueniri minimè posse, nisi priùs de huiusmodi corpore constet, cum agatur de delicto, cuius vestigia remanent.

Corpus autem delicti non dicitur probatum, prout multi Iudices videntur præsupponere, ex eo, quod prætensus maleficiatus sit, vel fuerit infirmus, siue decesserit; Clarum est enim, quod infirmitas, & mors regulariter ex maleficio non prouenit; Ideo oportet exquisitas diligentias iudiciales adhibere, examinare Medicos, qui infirmum curarunt, illos diligenter interrogando de qualitate infirmitatis, & an ex arte Medicinæ dignoscere possint infirmitatem esse, vel esse posse naturalem, illos etiam interrogando circa totam seriem, & accidentia ipsius infirmitatis à principio: et omnia fusiùs in processum redigere ad hoc, vt si fortè aliquis Medicus per imperitiam (prout multoties euenit) nesciuisset qualitatem morbi iudicare, & propterea iudicasset non esse naturalem, sed ex maleficio prouenire, alius Medicus magis peritus habita notitia omnium accidentium eiusdem infirmitatis, licèt infirmum non viderit, possit dignoscere, an talis infirmitas ex morbo naturali, necnè prouenire potuerit.

Et vlteriùs maximè congruum esset ad eundem effectum iudicialiter examinare familiares infirmi pro habenda notitia principij infirmitatis, & eius progressus, ex hoc enim apparebit, an conueniant depositiones Medicorum, & familiarium circa accidentia infirmitatis, & sic tutiùs poterit ferri iudicium à Iudice, an constet de corpore maleficij.

Quod si ex huiusmodi diligentijs Iudici apparebit infirmitatem esse, vel fuisse naturalem, proculdubio procedere non debet contra accusatam de tali maleficio: Si verò Medici periti clarè iudicauerint esse, vel esse posse probabiliter maleficium, tunc Iudex securiùs cogitare poterit de inquisitione formanda contra accusatam.

Insuper antequam Iudex deueniat ad carcerationem prætensæ maleficæ, debet diligenter rimari cuncta indicia, quæ sunt contra illam, neque ex sola denunciatione prætensi maleficiati, & eius attinentium, esse facilis ad carcerationem, nisi simul allegetur aliqua probabilis causa, ob quam animus Iudicis rationabiliter moueri possit ad credendum, quod mulier accusata tale maleficium committere voluerit, & eiusdem causæ aliquam probationem, vel saltem non leue indicium habeat, antequam ad carcerationem deueniat.

Aduertat præcipuè Iudex in ipso actu carcerationis diligentem facere perquisitionem in domo mulieris inquisitæ, & talem perquisitionem per se ipsum, aut Vicarium idoneum faciat adhibito Notario, ac testibus, nec huiusmodi perquisitioni interueniant personæ attinentes,

aut familiares prætensi maleficiati, ut contingit, prout aliquando suspicatum est, dolosè ulaqua supponi maleficium denotantia in graue præiudicium Reæ inquisitæ, & in dicta perquisitione annotentur diligenter per Notarium omnia reperta in domo, & cupsis, & non solùm quæ possunt iuuare intentionem Fisci, sed etiam quæ possunt iuuare Reum inquisitam, prout Imagines Sanctorum, corona, diuina officia, libri deuotionum, schedula Communionis, aqua, & palmæ benedictæ, & alia similia, singillatim illa describendo in Inuentario perquisitionis conficiendo.

Nec sint faciles Iudices ad firmiter credendum aliqua reperta, prout oleum in vasculis, pinguedo, pulueres, & similia esse aptata ad maleficium, sed faciant illa considerari à peritis ad effectum, vt dignoscatur, an deseruire possint ad alium finem, quam malefic ij.

Multoties euenit, quod familiares prætensi maleficiati credentes maleficium, perquirunt intus anaclinterium, ceruical, & puluillos lecti ipsius infirmi, & cum inueniant inuolucra, quæ videntur ad maleficium aptata, illa deferunt ad Iudicem, qui super hoc maximum facit fundamentum ad effectum probandi maleficium, & in hoc debet esse multum vigilans, & circumspectus Iudex; facilè enim euenire potest, vt talia à familiaribus infirmi supposita fuerint, vt sic faciliùs Iudex inducatur ad credendum maleficium, & ad procedendum contra aliquam personam.

Præterea Iudex benè aduertere debet qualitatem repertorum in huiusmodi lectis, cum enim anaclinteria, & alia præfata conficiantur ex pluma, aut lana, & quotidie intermisceantur, & inuoluantur, dum lectus prosternitur, facilè euenire potest, vt spatio alicuius temporis fiant quædam inuolucra, quæ videantur præseferre suspicionem malefic ij, & tamen naturaliter contingere possunt, vltra quod in actu huiusmodi confectionis anaclinteriorum, & aliorum prædictorum ex incuria Magistri illa fabricantis, aliqua intermisceri potuerunt, ex quibus huiusmodi inuolucra ex se confecta fuerint.

Et ideo si perquirerentur singulorum lecti; præcipuè ex pluma confecti, de facili in aliquibus similia inuolucra reperirentur.

Nec etiam est mirum, quod in huiusmodi lectis quandoque reperiantur acus, cum vbi sunt mulieres, acus vbique abundant, & facile est, quod per accidens spatio alicuius temporis multæ acus in prædictis mobilibus introcluduntur.

Neque forsan ab re est considerare, Dæmonem aliquando talia supponere potuisse absque participatione, & assensu alicuius, vt inde credatur maleficium commissum, & sic aliqua persona indebitè damnum patiatur, quemadmodum videmus in actu exorcismi nonnullorum obsessorum, qui videntur euomere acus, clauos, & diuersa inuolucra, quæ tamen impossibile est obsessos in corpore habere, prout non habent, sed Dæmon in illo actu talia supponit ad os obsessi, vt credatur fortè, obsessum esse maleficiatum, & aliquis inde indebitè molestetur.

Ex quibus patet, quàm circumspectus esse debeat Iudex circa huiusmodi reperta, cum de facili, vel potuerint supponi, vel esse naturalia, vel facta opera Dæmonis sine alicuius ministerio.

Consueuerunt (parum quidem prudenter) multi Exorcistæ iuxta non bonam (quoad hoc) theoricam flagelli Dæmonum, interrogare Dæmonem in exorcismis, quomodo ingressus fuerit corpus obsessi, & an ex maleficio, & quis huiusmodi maleficium commiserit: Vnde Dæmon pater mendacij, & inimicus quietis humanæ sæpè respondet, se ingressum esse corpus obsessi ex maleficio facto à tali persona in tali cibo, siue potu, & vt Dæmon magis certum reddat Exorcistam, & alios de hac re, supponit euomendu ab obsesso quædam similia ei rei, in qua dixit, maleficium factum fuisse, & alia pleraque vt supra dictum est.

Hinc diuersis vicibus obseruatum fuit, aliquos Iudices formare processus contra prætensos maleficos nominatos à Dæmone, vt supra, tanquam si ex dicto Dæmonis probentur præmissa; Vnde super huiusmodi processibus nulla vis facta fuit à Sacra Congregatione, imò semper reprehensi fuerunt Exorcistæ, Dæmonem vt supra interrogantes, & Iudices, qui super Dæmonis responsione processum formarunt.

Aliqui Iudices opinantur (& perperam quidem) quod eo ipso, quod aliquis reperitur obsessus, id ex maleficio prouenerit, & ex hoc solo iniustè formant processus contra personas aliquo modo obsessis infensas, vel aliundè indiciatas. Hoc est maximè absurdum; cui enim dubium est, quod sine maleficio ex permissione Dei potest Dæmon vexare corpus alicuius: Caueant itaque omnino Iudices, ne ex sola obsessione Dæmonis conficiant processus super maleficio, imò etiam sint cauti, ne decipiantur ab aliquibus, qui in præmissis imposturam committunt, & diuersimodè se obsessos esse simulant, sæpè enim huiusmodi impostores reperiuntur.

Non sint faciles Iudices ad faciendam magnam vim contra aliquam personam vti Strigem, & maleficam ex indicio famæ, quamuis enim aliàs famæ indicium sit magni momenti, attamen in ista materia ob odium commune, quod habetur in Striges, contra quas omnes vnanimiter clamant, facillimè insurgit huiusmodi fama contra aliquam mulierem, præcipuè quando est vetula, & turpis formæ: vnde vel modicum fundamentum super tali fama fiat, vel saltem diligens Iudex interroget testes, à quanto tempore ortum habuerit, & à quibus, & qua occasione: Hinc enim forsan sæpè ex processu apparebit, famam esse indicium modici momenti.

Vt autem euitentur huiusmodi mali modi, ad infrascripta attendant diligenter iusti Iudices.

In primis (quatenus fieri potest) non per-

mittant mulierem carceratam ob maleficium, aut sortilegium quempiam alloqui, etsi plures repertantur mulieres carceratæ in materia præmissa, non permitsant simul alloqui, sed retineansur in carceribus separatis, quia sæpè multæ conuenerunt falsum fateri contra se ipsas in materia apostasiæ, putantes hac via citiùs à carceribus eximi.

Nullo modo curent, neque permittant Iudices, quod Custos carceris, aut quisquis alius ille sit, mulieribus sic carceratis suadeas, quid fateri debeant, cum examinatæ fuerint, multoties enim compertum est, quod mulieres huiusmodi suasionibus impulsæ, aut etiam spe impunitatis promissæ (quæ tamen nunquam eis promitsi debet) fassæ fuerunt id, quod nec etiam somniarunt.

Iudices nuuquam alloquantur huiusmodi mulieres carceratas circa merita causæ, nisi iudicialiter eas examinando.

Nullas suggestiones in illis interrogandis omnino facians, sed ab initio interrogentur, an sciant, vel præsumant causam examinis, seu carcerationis, deindè de inimicis, & de causis inimicitiarum, postea possunt interrogari de cursu vitæ suæ, de frequentatione Sacramentorum, quis fuerit earum Confessarius, & de alijs similibus, ex quibus detegi possis bona, vel mala earum visa, & condisio: Deinde in genere possunt interrogari, an sciant aliquod sortilegium, & ad quem effectum, & an vnquam huiusmodi, aut aliud sortilegium executioni demandauerins, essi negauerint possunt fieri alia interrogatoria in genere, paulatim eis obyciendo, quod deponitur in processu, eas scire, aut commisisse tale, & tale sorsilegium: Et tandem si omnia negent, possunt eis in diuersis interrogatorijs paulasim obyci, quæ in processu contra illas habentur, circumscriptis tamen nominibus, & cognominibus testium, & circumstantijs, ex quibns ad notitiam deuenire possint, qui sint testes, & tandem completo processu informatiuo, si adhuc persistant in negatiua, erunt repetendi testes processus offensiui, quæ repetisio, vt validè, & legaliter fiat, formandi priùs sunt articuli pro parse Fisci super capisibus, quæ pro Fisco prætenduusur, & copia dictorum articulorum danda ipsis inquisitis, assignando eis Aduocatum, & Procuratorem idoneum etiam ex officio, quatenus inquisitæ, vel ob paupertatem, vel alia de causa illos non habeant, eisdemque tempus congruum detur ad dandum interrogatoria, quo elapso fiat repetitio: Facta repetisione detur eisdem terminus ad faciendas defensiones, deturque copia processus, & factis defensionibus, seu lapso termino ad illas faciendas, Iudices conuocent Congregationem Consultorum peritorum, in qua per extensum processus legatur, suppressis nominibns, & cognominibus, & circumstansijs, etsi de modo expeditionis causæ non sint concordes, aut causa sis grauis, vel ratione delicti, vel ratione personæ, non deueniatur ad torturam, nisi consulta Sacra Congregatione, ad quam mitti debeat copia integri processus tam offensiui, quàm defensiui, & quando videresur Iudicibns cum voto suæ Congregationis, sine difficultate ad torturam deueniri posse, quia indicia essent vrgensia, aduertasur, ne in ipsa tortura interrogentur inquisitæ de delicto in specie, quod prætendisur, sed tantum ansequam deueniatur ad Decresum sorturæ, obyciantur eis iterum indicia, quæ in processu habentur, & postea in actu torturæ interrogentur sansum, vt dicant veritatem de ijs, super quibus fuerunt interrogatæ, etsi fateri cœperint, non suggerasur eis aliquid, sed tantum recipiantur, & scribantur verba præcisa earum confessionis, interrogando postea in genere super vlteriori veritate.

Aduersatur, ne tortura detur cum squassis, aus cum aliquo pondere, siue baculo ad pedes, sed sit simplex eleuatio in torturam funis, aut sis simplex tortura alserius generis sormensorum, quatenus tormento funis torqueri non possint.

Non sint faciles Iudices ad repetitionem torsuræ, nisi causa sit grauissima, quo casu sam erit consulenda Sacra Congregatio, vt dictum est.

Nullo modo abradansur aliqui pili, aut capilli ipsarum mulierum, nec vim faciant Iudices contra inquisitas in quodam indicio ab aliquibus Doctoribus considerato, videlicèt quando forsasse huiusmodi mulieres (maximè in torsura) non emisunt lacrymas.

Tortura nunquam excedat tempus vnius horæ, nec de facili per horam tortura inferatur, nisi stante grauitate causæ, & vrgentibus indicijs simul, & in fine examinis annotesur tempus, quo in tormento manserunt.

Maximè est aduertendum, quod in euentum, in quem huiusmodi mulieres apostasiam ad Dæmonem, & accessum ad ludos diabolicos faterentur (quo casu corpus delicti aliunde probari non posest, quàm per propriam confessionem, curandum est sine minima suggestione, vs huiusmodi mulieres sotam seriem facti à semetipsis recenseant, & quomodo ab initio ad id inductæ fuerins, de tempore, & alijs circumstansijs, nam hoc modo videri poterit, an confessio huiusmodi apostasiæ, & accessus ad ludos, verisimilis sit, necne, & casu quo fateantur aliqua particularia, siue circumstansias, quæ sint verificabilia, omninò Iudices diligentias faciant pro ijs verificandis, quia sic magis verisimiles reddentur confessiones circa apostasiam, & accessus ad ludos, alias si tales circumstantiæ adductæ falsæ comperirentur, dubitari posses de veritate huiusmodi confessionis forsan secusa vel vi torsuræ, quæ est remedium fallax, vel suggestione alicuius, vel tedio carceris, vel quia sic crederens faciliùs ipsis indulgendum esse, prout aliquandò compertum est, diuersis istis respectibus mulieres falsè fassas esse apostasiam, & accessus ad præfatos ludos: & vt faciliùs Iudices possint se abstinere à quacunque

sugge-

ſuggeſtione, quando mulieres incipiunt fateri talem apoſtaſiam, forſan melius eſſet, vt tunc Iudices obliuiſcerentur eorum, quæ dicunt Doctores in iſta materia, quia ſæpè viſum eſt, quod Iudices in ordine ad ea, quæ perlegerunt penès Doctores, multa præiudicia faciunt his mulieribus.

Et quatenus tales mulieres fateantur apoſtaſiam, & acceſſus ad ludos, & nominent complices in huiuſmodi ludis, nullo modo procedatur contra huiuſmodi complices, quia eum talis acceſſus plerumque per illuſionem contingere poſſit, iuſtitia non poſtulat, quod contra complices cognitos, & viſos, per illuſionem procedatur.

Omninò Iudices ſcribere faciant in proceſſu interrogatoria omnia per extenſum ab ipſis Iudicibus facta, vt ex lectura proceſſus appareat, qualia illa fuerint, & an adſint ſuggeſtiones, cum maximo enim abuſu, & præiudicio conſueuerunt aliqui Iudices ſcribi facere. Ad opportunam interrogationem Reſpondit, *ſeu alias* Reſpondit.

Multi Iudices deueniunt ad formandum proceſſus, nec colligitur ex proceſſu, quale fuerit primum indicium, & vnde prouenerit, ſed proceſſus ſic incipiunt: Cum ad aures deuenerit, *ſeu aliàs*; Præcedente fama publica, &c. *Caueant igitur Iudices ab iſto errore, & ſemper examinent in principio proceſſus perſonam, ſeu perſonas, quæ ad aures primò aliquid dixerunt, vel quomodo talis fama ad eius notitiam peruenerit, & cuncta ſeriatim in proceſſum redigant, itàut nihil omninò omittatur.*

Plerumque contingere poteſt, quod infantes decedant, ex ſuffocatione in lectis pauperum matrum, & nutricum, & ob id prohibetur matribus, & nutricibus, ne in earum lectis, ſed in cunabulis ſeparatis infantes retineant; Ideò prudentes Iudices benè aduertant, quia ſecuta aliquando ſimili ſuffocatione, ne illa detegatur, matres, ſiue nutrices propalant, infantes occiſos à Strigibus.

In huiuſmodi cauſis, & proceſſibus formandis omninò ſeruentur Taxæ aliàs transmiſſæ de mandato Sacræ Congregationis, & quandò mulieres præcipuè ſunt pauperes, caueant Iudices ab earum bonorum expilatione.

Romæ ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. 1657.

153 Sed quia in prædicta Instructione non habetur quid agendum ſit, quando maleficus aſſerit apoſtataſſe à fide, & chirographum traditionis animæ, & corporis Satanæ confeciſſe; dicendum eſt, quod ſi chirographum extet penès maleficum, vel alium delicti ſocium, tunc debet omninò lacerari, & comburi per ipſummet Sortilegum, vt notat Sanchez *ad Præcept. to.1. lib. 2. cap. 40. num. 53.*

154 Si verò dicat Dæmonem illud ſuſtuliſſe, tunc non eſt cogendus Dæmon, vt illud reſtituat, vt notat idem Sanchez *loco citato*, Lupus *ad Edict. Sancti Officij, par.3. lib.20. art.3. differ.2.*

In hoc enim chirographo non conſiſtit corpus delicti apoſtaſiæ malefici, quia illa ſolo animo committitur, ſicut & hæreſis, nec eſt opus illam probare per ſcripturam, quando Reus ſe apoſtataſſe fatetur.

155 Sed an maleficus Inconſtans poſſit maleficium maleficio tollere, negatiuè reſoluendum eſt, ex Text. *in cap. de Sortilegijs, cap. Qui ſine ſollicitudine 26. qu.2. cap. Admoneantur, cap. Non obſeruetis, 26. qu.7.* D. Thom. *4. diſtinct. 34. quæſt. vnic. art. 3. ad 3.* latè Farinacc. *quæſt.*181. *num.*33. Suarez *de Relig. tom.1. lib.2. cap.18.* Sanchez *lib.7. de Imped. matrim. diſp.95. num.1.* Gaſtald. *de Angel. tom.2. diſtinct.6. quæſt.3. art.3.* Filiuc. *tract.24. cap.8. num.*190. Caſtro-palao *tract.17. diſp.1. punc.12. num.1.* Alberghin. *in Man. cap.18. sect.3. §. 7. num.3.*

156 Ratio eſt, quia auxilium petere à Dæmone eſt intrinſicè malum, D. Thom. & cæteri *ſuperiùs citati.*

157 In hoc autem ius ciuile fuit correctum à iure Canonico, nam de iure ciuili licitum erat maleficio vti ad bonum finem, ne fructus vi ventorum, aut grandinis abſumantur, vt eſt Text. *in l. Eorum, C. de Malefic.*

158 Imò eundem Textum eſſe correctum à Iure ciuili *per l. vnicam, Cod. de Theſauris lib.*10. voluit Suarez *de Relig. tom.1. lib.2. cap. 19. num.* 14. & reprobatum à Leone Imperatore, dicit Add. ad Ambroſ. de Vignat. *de Strigibus, verſ. ex his omnibus*, del Rio *lib.6. quæſt.2. verſ. Dico primò.*

159 Cauendum eſt ergo ab eo, quod ex Malleo maleficiarum refert Gaſtald. *loco cit. diſtinct.7. art.3. quæſt.3. nu.7.* Nicolaum Papam diſpenſaſſe cum quodam Epiſcopo, vt ſine peccato poſſet ſe maleficiatum alio maleficio curare.

160 Nam vana, & apochrypha eſt hæc Hiſtoria, & Auctor *Mallei* plura inconſultò dicit, nec quis fuerit ille Nicolaus Pontifex, qui diſpenſauit Epiſcopum, aperit, & tamē certum eſt, quod per conſultationem Pariſienſem determinatum fuit, erroneū eſſe affirmare, ob quemcumque bonum finem maleficijs vti, vel circa hoc diſpenſationem fuiſſe conceſſam, vt atteſtatur Sanchez *d. diſp.95. num.1.*

161 In tantum hæc vera ſunt, vt nec liceat petere à malefico parato ad maleficium maleficio ſoluendum, vt illud peragat, vt contra Aureolum *in 4. diſt.34. quæſt. 2.* & Angel. *in ver. Superſtitio*, tenent Caietan. Cincelo, Del Rio, Turrecrem. Couuar. & alij multi citati à Sanchez *loco cit.* Alberghin. *loco cit. num.3.* Gaſtald. *loco cit. num.9. &* 10. Salelles *lib.1. cap.14. reg.123. n.711.*

162 Ratio est, quia solùm licet petere à parato id, quod licitè præstare potest, quando petenti interest, vt necessitati suę consulat, etsi postea malitia sua aliter illicitè præstet, vt volunt Doctores citati à Sanchez *dicto num.7.*

163 Et propterea si constet, maleficum non posse sanare maleficiatum, nisi interueniente alio maleficio, non possum etiam ab illo petere non explicando, an modo licito, vel illicito, Sanchez *loco cit. num.* 8.

164 Si verò constet, maleficum nosse aliqua licita ad illud soluendum, tunc possum ab eo petere dissolutionem maleficij, Sanchez *ad Pracept. lib.2. cap.41.n.15.* & alij allegati ab Alberghin. *loco citato, numero* 5.

165 Si autem dubium sit, an medijs illicitis, vel licitis, maleficus possit tollere maleficium, tunc licet aliqui tenuerint adhuc peti posse absolutè dissolutionem maleficij, inter quos Suarez *d. cap.18.nu.9.* & alij penès Sanchez *dicto cap.41. num.15.* quem cum multis alijs refert Pasqualig. *in Addit.*ad Lauret.de Franchis *loco cit. n.*943.

166 Crederem tamen licitè peti non posse, nisi præcedente monitione, saltèm ex lege charitatis, vt ille vtatur modo licito; tùm quia in dubijs tutior pars est eligenda, tùm quia semper præsumitur contra maleficum, vt notat del Rio *d. lib.6.cap.2. quæst.1. pag. penult.* cui addo Pasqualig.*loco citato num.*946.

Tùm denique quia videtur militare ratio supradicta, quod non possum petere nisi id quod licitè præstare potest, quod videtur sensisse sine formidine, Sanchez *d. quæst.95. num.* 11. licèt postea videatur recedere *d. cap.41. num.13.*

167 Cum autem non liceat petere à malefico, vt maleficium soluat alio maleficio, multò minus licitum erit minis, percussionibus, vulneribus extorquere ab eo, vt tale maleficium eo modo soluat, vt contra Henriquez tenet del Rio *d.qu.2. cap.6.* Sanchez *d.qu.95.nu.9.*Suarez*d.cap.18. nu.7.* Fagundez *in 1.Pracept.cap.42. nu.7.* Alberghin. *loco cit. nu.4.* Gastald. *loco cit. num.9.*

168 Et memini de ordine Supremæ, Inquisitorem Comensem fabricasse processum, & debitis pœnis mulctasse quosdam nobiles Comenses, qui ex sola fama etiam incerta, quod quędam pauperrima mulier maleficio reddidisset valetudinariam quandam adolescentulam eorum consanguineam, eandem mulierem diris percussionibus, imò acri tortura adhibita voluerunt compellere, vt maleficium solueret, licèt ipsa semper etiam in tormentis negasset, se esse maleficam, vel de maleficiis vllam habere cognitionem.

169 Similiter nefas erit Iudici cogere maleficum pœnis auctoritate iustitiæ inflictis, vt maleficium maleficio tollat, Sanchez, Suarez, Fagundez, Gastald. *locis citatis.*

170 Multò minus licitum erit petere ab alio Mago, vt maleficium soluat, quia hi non solent soluere, nisi per aliud maleficium, & ideò nisi seruatis supradictis circumstantiis erit licita petitio, Sanchez *d. quæst.95. num.13.*

171 Non erit tamen illicitum petere à malefico, vt tollat signum maleficij, siue vnicum sit pactum nocendi initum cum Dęmone, vt tali signo posito teneatur nocere, siue duplex, hoc est vnum nocendi tali signo posito, alterum cessandi cessante signo, vt videre est apud Lessium *de Iustitia, & iure, capit. 44. dub. 6. num.* 45. Suarez fusè *loco cit. num.9.* Sanchez *ad Pracept. d. cap.41. num.19.* Filiuc. *loco cit. num.194.* Castro-palao *loco cit. punc.11. num.8.* Alberghin. *loco cit. num. 6.* Gastald. *loco cit.art.5.* vbi refert signa, quibus vtuntur maleficæ, & sequenti dubio probat non licere signis magicis demoliri signa priora magica, alios refert, & sequitur Pasqualig. *loco cit. num.*948.

172 An autem vana vanis liceat reijcere, etiam adhibita protestatione, quod quis non intendit illis vti, quatenus sint superstitiosa, nec consequi effectum, si ex pacto Dęmonis illam obtineat, vide latè differentem, Sanchez *d. quæst.95. num.2.*

173 Quod spectat ad praxim sciendum est, quod depositio Sagæ, se vidisse ad locum ludi chorearum, vel sacrificii mulieres, vel homines, non attenditur in Tribunalibus Sanctæ Inquisitionis Italiæ ad effectum procedendi contra illas.

174 Licèt enim fortassè sit communior opinio, quod Striges corporaliter transferantur de loco ad locum, & ad conuentus nocturnos, vt pluribus probant, & docent Spinius *in suo tract. de Strigibus,* contra Ponzinibium contrarium asserentem, Simanch. *de Cathol. tit. 37. num. 8.* Pegna *par.2. comm.68. vers. Sed à maligno spiritu,&* in Add.ad Ambros. de Vignate *de Hæret. quæst.11.num.103.* del Rio *disquis. lib.2. quæst. 16. per totam, & lib. 5. sect. 16.* Suarez *de Relig. tom.1. lib.2. cap.16. num.6. 34. & seq.*Sanchez *ad Pracept. lib.2. cap.40. num.6.* Azor *Instit. moral. to.1. lib.9. cap.25. quæst.3.* Torre-blanc.*de Magia, lib.2.cap.40. num.61.* Carena *par.2. tit.12. §. 2. num.5.* Alberghin. *in Man. cap.18. sect.3. §.9. n.5.* Lupus *in Edict. par.3. lib.20. distinct.4.* latissimè Gastald. *de potest. Angel. tom.2. dist.4. quæst.1. art.7. per totum.*

Et opinionem contrariam esse falsam, & Reipublicæ perniciosam dicit Lessius *de Iustitia, lib.2. cap.44. de Magia, dubit.3. num.15.* & Gaietanus *in Compendio Malefi-*

tarum, *lib.* 1. *cap.* 12. dicit, quod negantes delationem realem Strigum peccant contra reuerentiam debitam Sanctæ Matri Ecclesiæ, Binsfeld. *de confess. Malef.* 12. *conclus. per totam*, vbi quod contradicere communi sententiæ repugnat Theologiæ, Philosophiæ, & rerum experientiæ certissimæ, & recenset ibi plura exempla harum translationum, Berlichius *par.* 4. *conclus.* 3. *num* 36. Fermosin. *ad cap. Ecclesiæ S. Mariæ* 10. *de Constit. quæst.* 59. *num.* 15. vbi quod etsi sæpè accidat Striges sola imagine deferri, veriùs tamen esse non nunquam transferri de loco ad locum.

175 Nihilominus cum sæpè sæpiùs corporaliter non ferantur ad Conuentus, sed fiant per illusiones in imagine, & fantasia, vt notant *præcitati* Doctores, non solùm in Suprema non seruatur opinio, quod ex dicto duarum Sagarum oriatur indicium ad torturam, vt voluit Martin. del Rio, quem cum alijs refellit Farinacc. *de hæresi quæst.* 185. *num.* 153, *vers. Quamuis*, cum indicia ad torturam debeant esse certa, non æquiuoca, vel dubia, vt dicit idem Farinacc. *quæst.* 37. *num.* 6. Fermosin. *loco cit. à num.* 21. vbi latè.

176 Sed nec faciunt indicium ad inquirendum, quod testatur etiam Gastald. *loco cit. num.* 21. vbi addit, quod tunc facerent indicium, quando deponerent de ijs, quæ viderunt verè, & realiter ante transportationem ad Conuentum, nempe se vnxisse baculum, seu scopam præparasse ad equitandum, vel volandum, inuocasse Dæmones, & similia, quod priùs testatus est Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. 27. *nu.* 227. Fermosin. *loco cit. num.* 24. *in fin.*

177 Et quod Strigibus affirmantibus, se in ludis Diabolicis vidisse tales personas non credatur ad quemcunque effectum contra illas, quia habentur pro illusionibus, resoluit pluries Suprema &c. sed præsertim *in vna Ferrarien.* 12. *Nouembris* 1594. & *in altera Firmana* 4. *Februarij* 1595. Et ex hoc cessat conflictus opinionum Doctorum, de quibus per Berlichium *par.* 4. *conclus.* 4. *de crim. Venef. à num.* 107.

178 Ideò semper improbata fuit Tribunalium sine Ecclesiasticorum, siue laicorum Germaniæ praxis procedendi contra Sagas ex dicto vnius Sagæ, quæ testatur, se vidisse alias ad Conuentum, & ex dicto duarum conuinci alias Sagas; aduersus quam praxim inuehit P. Tannerus *ea de re edito Commentario*; & incertus Auctor Theologus Romanus, eo quo inscribitur libro, *Cautio Criminalibus, seu de Processibus contra Sagas liber ad Magistratus Germaniæ hoc tempore necessarius impressus Renthely anno* 1631.

179 Et certè dùm associarem Cardinalem Ginnettum Legatum à latere ad Principes Catholicos pro pace vniuersali componenda ad partes Germaniæ, spectaculum horrendum visum est oculis omnium nostrorum, nempe extra mœnia plurium Pagorum, ac Ciuitatum erectos palos innumeros, quibus affixæ pauperes, & miserrimæ mulieres, veluti Sagæ flammis consumptæ fuerunt. Et dùm hæc transcriberem Inquisitor Bisuntinus, iuxta stylum illarum Partium relaxauerat plures tam viros, quàm mulieres Brachio seculari, quorum Processus visi postea in Suprema, inuenti sunt nullitate, & iniustitia laborare; ideò tanquam innocentes absoluti sunt; & Inquisitor ab Officio amandatus, nouoque Inquisitori præscriptum, vt Processus Sagarum conficeret iuxta Instructionem *supradictam*.

180 Et non possum non mirari in hac materia sapientiam, & prudentiam Serenissimæ Christinæ olim Suecorum Reginæ, quæ raro exemplo annis præteritis abiurata hæresi Lutherana, & Catholicam Religionem amplexa, maluit se abdicare Regno terreno, quam cæleste Regnum amittere. Post enim hæc scripta mihi sæpiùs dixit, dùm Regnum moderabatur, iussisse, ne huiusmodi Striges, seu Maleficæ pœna mortis plecterentur, nisi verè constitisset infanticidia, seu alia homicidia perpetrasse, cum illa pro certò haberet, vel ex effectibus vterinis, vel ex illusionibus Dæmonis, ea omnia, quæ fatebantur, illis accidere.

In quo, *vt dixi*, celebranda est, sicut & in alijs rebus eius summa virtus, prudentia, & sapientia, quæ vltra sexum à Maiestate Diuina illi concessæ sunt.

181 Memini etiam plures pueros, ac puellas è Rhetia Mediolanum transmissos, quorum parentes fuerant vti Malefici flammis consumpti, qui licet & ipsi depositi fuissent ad Conuentus accessisse, nihilominus absoluti fuere, & benè instructi à doctis Confessarijs.

182 Sed licet confessiones Maleficorum non faciant indicium contra alios, qui interfuerunt Conuentibus Sagarum, statur tamen eorum dictis contra se, & quoad abiurationem, & quoad pœnam, Carena *par.* 2. *tit.* 12. §. 20. *num.* 172. Fermosin. *loco cit. num.* 20. nisi inuerisimilia deponant, vt pluries euenit meo tempore de quibusdam Monialium confessionibus, quæ vel extra Monasterium fuisse asportatas fatebantur ad Conuentum, vel intra Conuentum à Dæmone fuisse Amasium introductum, quæ semper falsa reperta sunt; licèt enim hæc virtute, Dæmonum fieri possint, pro sui tamen misericordia Deus non permittit, quod eueniat, aliàs periclitarentur plures ex Monialibus, quæ quandoque inuitæ habitum Religio-

nis susceperunt, & professionem emiserunt.

Prout etiam rarò admittitur, quod Moniales ab incubis opprimantur.

Sed cum casus occurrit, solet Sacra Congregatio scribere Ordinarijs, vel Inquisitoribus in hanc sententiam:

Al P. Inquisidore N.

183 *HA compatito Nostro Signore colla sua paterna benignità allo stato miserabile di quella Monaca, che per iscrittura di propria mano ha dato l'anima, e'l corpo al Demonio, e tenuto con esso lui per molti anni commercio carnale. Si è però contentata di dar per mezzo di questa, facoltà di assoluerla in foro conscientiæ al Confessore, che dourebbe per l'importanza del caso essere di molta virtù, prudenza, e dottrina.*

Aurà egli primieramente ad usare ogni diligenza possibile, per discernere, se quel che si dice sia illusione puramente interna, ouero esterna, effettuata secondo l'uso de' sentimenti esteriori, come pare che persuada la promessa fatta per poliza, e scritta col proprio mestruo.

Nel primo caso, rimedio opportuno sarebbe il disingannarla, e distorla da questa fantasia, ed ammonirla nel rimanente secondo il bisogno, e capacità di lei.

Nel secondo conuiene adoprare mezi efficaci per liberarla dalla tirannia del Demonio: Questi, rimettendone molti al giudicio, e prudenza del Confessore, che è sul fatto, dourebbono particolarmente essere i seguenti:

Una Confessione generale fatta con isquisita diligenza, e preparazione, così nell'esame di coscienza, come nel procurare con vero pentimento, ed un'istabile, e fermo proposito di non consentir più al Demonio, e di rompere ogni patto, e contratto fatto con lui, riuocandolo di tutto cuore, ed annullandolo dal canto suo con sincero pentimento, e detestazione.

Confessandosi di tutto il passato dourà la Monaca nello stesso atto penitenziale proporre questa sua miseria al Confessore, richiamandosi dall'iniquità, ed inganno del Demonio, e pregandolo come Giudice, e Ministro degl'interessi del Sangue di Cristo a pigliar questa causa per onor suo, ed in virtù de' meriti della sua Passione, con che ella è stata redenta, rescindere quel patto sacrilego, che accecata dalla passione, ed ingannata dal Demonio fece con lui, volendo di tutto cuore ritornare a Dio di cui è, e non seruir più a sì crudel Tiranno.

Dourà il Confessore confortarla, e suggerirle insieme co' motiui di speranza nella misericordia Diuina, e la grauezza del delitto per una parte, e la soauità della bontà di Dio dall'altra, per eccitarla ad una pronta dispositione di voler solamente esser vera Serua di Dio, e precedendo questa a suo parere, assoluerla, e dichiararla libera dal vincolo della medesima scrittura, facendole sapere, che l'assoluzione Sacramentale la scancella, ed annulla in tutto, e per tutto, aggiungendole penitenze salutari, che pareranno proporzionate alle forze, e possibilità della penitente, di digiuni, orazioni, ed osseruanze, conforme all'instituto suo, e che si possano esercitare senza l'ammirazione, e nota di chi viue in sua compagnia.

Dopo la Confessione, e la partecipazione della Sagra Eucaristia, le si dee prescriuere la frequenza de' Santi Sagramenti, in modo che ella non si trattenga mai in peccato, quando v'incorresse, per non dar luogo al Demonio, che trouatala disarmata, l'assalisca di nuouo. Si ha poi da esercitare in meditazioni, orazioni, e lezzioni de libri spirituali, in modo che non resti mai oziosa; consigliandola di fare quanto gli permetterà l'instituto della Religione questi esercizi nel Choro, e ne' luoghi sagri, fuggendo la solitudine, e ritiratezza, procurando di star sempre in compagnia delle più perfette Religiose, per imparare a trattar di Dio, e per auerle per testimonio de' suoi portamenti, e per difesa dell' ingiurie di Satanasso.

Se non ostante questi rimedi, ed altri che suggerirà la prudenza del Padre spirituale, dureranno le tentazioni, e combattimenti del Demonio, V.R. dia auuiso, che si penserà a' rimedi più straordinari, credendosi che per ora questi sieno sufficienti.

Et quia sæpè in Monialium Monasterijs solent oriri illusiones, & imaginationes super maleficijs, Suprema &c. maxima cum prudentia rescribit Ordinarijs locorum in hanc sententiam.

184 *Essendosi fatta matura riflessione sopra l'auuiso dato da V.S. intorno a' malefici, che si pretendono commessi da Suor N. N. N. e fattasi sopra la materia quella matura considerazione, che ricerca la grauità del negozio, questi miei, &c. considerando, che la materia de sortilegi per se stessa è molto fallace, e la verificazione de i corpi de' delitti è di pruoua difficilissima, gl'indizi per ordinario remoti, ed equiuochi di gare, d'inimicizie, e di minaccie, di iattanze, e di male sodisfazioni ad altri; le confessioni delle pretese Malefiche poco verisimili, vane, e piene di contradizioni, in moda che per lo più in simili Processi non si ritruoua fundamento tale, che pienamente chiarisca esser cagionato per opera del maleficio ciò, che accade alle persone, che si pretendono maleficiate; e perciò, secondo quello, che in simili casi la sperienza ha dimostrato, si è fatto giudizio, che trattandosi di Monache, se si vuole in questo negozio passare auanti co' termini di ragione, e di giustizia, si possa ageuolmente urtare in inconuenienti, e scandali, senza frutto, ed accendere nuouo fuoco, e turbare maggiormente*

la quiete di cotesto Monastero, e degli altri della Città, per la quale forsi sarà diuulgato il fatto. Piace per tanto a questi miei, &c. la prattica osseruata con altri Monasteri di Monache in occasioni somiglianti, ed anco più graui, cioè a dire di por silenzio alla causa, e di cercare di leuare il pensiero, e disingannar le Monache, che iui sieno Streghe, e malefici fra di loro, prouedendo co' rimedi spirituali, e soaui alla salute dell'anima di Suor N. N. ed alla quiete del Monastero nel modo, che la pietà, e'l zelo di V. S. le somministraranno. E se bene alla prudenza sua non mancaranno modi di eseguire felicemente il desiderio della Sagra Congregazione, nondimeno è paruto bene a' medesimi miei, &c. d'inuiare à V. S. l'acclusa copia di lettera scritta dell'anno 1620. in caso simile al Vescouo N. N. affinche vedendo V. S. i rimedi, che si sono in altri Monasteri pratticati con frutto, possa valersi nel caso presente di quelli, che alla prudenza sua pareranno proporzionati al bisogno di cotesto Monastero.

185 Remedia autem enunciantur in litteris scriptis *de anno* 1620. & sunt ea, quæ habentur in litteris exaratis *de anno* 1625. hoc est, vt hæ materiæ, quando agitur de Monialibus non tractentur per Processus iudiciales.

Secundò, quod Ordinarij visitent Monasteria, & curent, quod Moniales inuicem reconcilientur.

Tertiò, quod persuadeantur ad recurrendum ad auxilia Diuina, & præsertim Sanctorum Regulæ Institutorum, & aliorum earum Protectorum.

Quartò, quod assignentur prudentes Confessarij, qui eas instruant de illusionibus Dæmonis, & curent, vt frequentent Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum.

Quintò, quod adhibeantur conciones, quibus significetur vana esse, quæ de maleficiis in prædicto Monasterio disseminantur.

Sextò, præcipiatur Monialibus, ne inuicem tractent de maleficijs, & maleficiatis, & obsessis à Dæmone.

Septimò, non permittatur accessus ad prædicta Monasteria, nisi personis benè cognitis, & de quibus nulla possit oriri suspicio, quod tractent de huiusmodi materijs.

Octauò, amoueantur à cellulis Monialium libri profani, & præsertim si qui tractent de huiusmodi maleficijs, & solùm eis permittantur libri spirituales, qui tamen non narrent exempla maleficiatorum, vel à Dæmone obsessorum.

186 Et quia sæpè sæpiùs aliquæ Moniales putant, si non fingunt se à Dæmone obsessas, & hac occasione petunt, vt accedant Exorcistæ ad eas exorcizandas.

Hoc omnino prohibeatur, ne detur licentia eas exorcizandi inconsulta S. Congregatione.

Vidimus enim meo tempore plures Exorcistas occasione huius exercitij, vt possint conuersare cum Monialibus, potiùs eas in opinionibus earum fouere, quàm eas liberare.

187 Sed an qui Sortilegium inchoauerit, & demùm pœnitentia ductus illud non perfecerit, debeat subijci torturæ, disputat Carena *dicto tit.* 12. *par.* 2. §. 29. cui assentior cum hac tamen distinctione.

Aut verè ex Processu constat, Sortilegum non perfecisse Sortilegium, & tunc non est subijciendus torturæ super perfectione Sortilegij, sed posset torqueri super vsu dicti Sortilegij completi, sicuti dicimus de eo, apud quem reperta sunt scripta sortilega, qui torquetur super vsu Sortilegiorum in scripturis contentorum, Genuen. *in prax. cap. mihi* 18. *num.* 13. & *cap.* 68. *num.* 12. Carena *loco cit. num.* 220.

Si verò dubium sit, an perfecerit Sortilegium, vel fateatur Reus illud incepisse, sed non perfecisse, tunc torquetur pro vlteriori veritate, & sic super perfectione Sortilegij, & ità quotidiè practicatur.

188 Sicuti etiam indistinctè practicatur, quod si Sortilegi negent vsum maleficiorum torqueantur super vsu, complicibus, & intentione.

Nam licet in criminalibus Reus non possit interrogari de socijs, nec torqueri in caput aliorum, *l. repeti* §. 1. *ff. de quæstion.* Farinacc. *quæst.* 43. *num.* 1.

189 Hæc tamen conclusio fallit in criminibus exceptis, & difficilis probationis, quale est Sortilegiorum delictum, latè Carena *loco cit.* §. 25. *num.* 221. & 222.

190 Quoad verò ad abiurationem sciendum est, quod à Sortilegis, præsertim ab iis, qui amatoria veneficia exercent, exquirendum est, an credant maleficia, aut Dæmonem posse cogere alicuius viri, vel fœminæ voluntatem ad amorem libidinosum, vel ad aliquem alium finem inhonestum.

191 Si respondeat se credidisse, posse à Dæmone cogi hominis voluntatem ad aliquid amandum, hæresis apertissima est, quia illa coactio repugnat libertati, quam Deus nostræ indidit voluntati; & tunc deberent puniri tanquam Hæretici cum abiuratione de formali, Alph. de Castro *de iusta Hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 13. *pag. mihi* 81. *col.* 2. quem sequuntur Carena *in prax. par.* 2. *tit.* 12. *num.* 244. Salelles *to.* 3. *reg.* 410. *num.* 918. & 923. Alberghin. *cap.* 18. *sect.* 3. §. 7. *num.* 7. *vers. Respondeo,* & §. 8. *num.* 3. *vers. Etsi malefici;* idem tenent Pegna 2. *par. Director. comm.* 68. *vers. Rursus, id quoque animaduertendum,* Zanard. *pdr.* 2. *Summa cap.* 5. *de fide qu.* 16. & *de pœnis Sortilegorum cap.* 64.

verf. Et de formali, Binsfeld. *ad l. eorum*, *C. de Malefic. & Mathemat. quæft.* 2. *concluf.* 4. Farinacc. *de Hærefi quæft.* 181. *numer.* 86.

Aduertendum tamen, quod ad abiurationem de formali non ità paffim procedendum, fi Rei fateantur fe credidiffe, poffe Dæmonem cogere voluntatem ad amorem, vel ad aliquid illicitum perpetrandum.

192 Sed adhibendæ funt confiderationes, quæ ab eruditiffimo, ac Eminentifs. Cardinali Scaglia *in fua praxi* numerantur *in tit. de Sortileg. cap.* 8. ibi:

E quando i Sortilegi fono ad amore, s'interrogano i Rei in fpecie, fe credano, od abbiano creduto, che il Demonio poffa sforzare la volontà, che è libera. E febene alcuni di effi, o per ignoranza, e maffime di donne, o per gagliarda paffione d'amore, che l'accieca, ed intorbida l'intelletto, confeffi di crederlo, lo che è erefia, non potendo il Demonio sforzarla, ad ogni modo il Sant'Offizio non li fà abiurare de formali, ma de vehementi, o de leui, fecondo la qualità delle perfone, e degli effetti impulfiui, perche effi credono l'effetto materiale folo, che defiderano, che fegua, ne penetrano piu oltre.

Intorno a quefto particolare è di fede, che il Diauolo non poffa sforzare l'vmana volontà, può ben perturbare la fantafia, o per via de fogni, o commouendo il fangue, o gli vmori, dando incentiui, ed eccitando i fpiriti, maffime in quel punto, che la perfona defidera l'amore della donna, fi fa prefente a lei; ma perche i femplici, ed ignoranti, ed acciecati da paffione, non fanno diftinguere fra la paffione fuperiore della ragione, e l'inferiore del fenfo commoffo, ed accefo, però alcuni di effi dicono, che fono ftati forzati, e che non anno potuto di meno, e quelli, che ottengono il loro amore, penfano auer forzata la volontà, lo che non è. E fe il Sortilego foffe perfona intelligente, e dotta, e diceffe di auer creduto, che la volontà vmana fi poffa forzare, fenza dubbio entrarebbe la formalità, cioè fi farebbe abiurar de formali, latè Torre-blanca *Iuris fpiritualis lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 46. D. Auguft. *Serm.* 107. qui eft *de Trinit.* 2.

193 *Latrare poteft Diabolus, follicitare poteft, mordere omnino non poteft nifi volentem, non enim cogendo, fed fuadendo nocet, nec extorquet à nobis confenfum, fed petit.*

Quod etiam dixit Filinccius *tract.* 24. *cap.* 8. *num.* 184. quem refert, & fequitur Alberghin. §. 8. *de filtris, & poculis amatorijs numer.* 2. Carena, & Salelles *locis citatis*.

Præterea illa propofitio poteft intelligi de coactione morali, non autem de phifica, iuxta illud:

Cogit fua quemque voluptas.

194 Contigit autem cafus, dùm hæc fcriberem in quodam Reo, apud quem cum inuentæ fuiffent plures fcripturæ fortilegæ qualificatæ, & faffus fuiffet, fe vfum fuiffe eifdem fcripturis, & fecretis, præcipuè ad amorem, interrogatus fuper intentione catholicè refpondit, fed applicatus torturæ faffus fuit fe credidiffe potuiffe Dæmonem cogere voluntatem hominis ad fines illicitos; & cum tractaretur de abiuratione illi indicenda, Confultores de partibus refponderunt, debere indici abiurationem de vehementi: Res redacta ad Sacram Congregationem, tàm Confultores Supremæ, &c. quàm Eminentifs. Patres, vno excepto in eandem venere fententiam; Sanctiffimus iuffit, vt benè difcuteretur cafus.

Dicebam Ego hoc pendere ex qualitate perfonæ, nam fi perfona erat docta, poffet indici abiuratio de formali, fed quia eramus in homine licet Medico, & Philofopho, nullo tamen modo Theologo, & minore vigintiquinque annorum, & quia benignè poterat eius dictum interpretari, cum articulus de libertate arbitrij non fit de articulis notiffimis, ideò ex benignitate Sancti Officij debebat folùm fubijci abiurationi de vehementi, & ità fuit refolutum.

195 Et quamuis communiter Doctores teneant, quod Sortilegis committentibus Sortilegia hæreticalia debeat iniungi abiuratio de vehementi, non hæreticalia, abiuratio de leui, vt notant relati ab Albergh. *in Man. cap.* 18. *fect.* 3. §. 7. Salelles *lib.* 1. *cap.* 14. *reg.* 124. *num.* 331. *& feq.* P. del Bene *de Officio Sanctiffimæ Inquifit. par.* 2. *dubit.* 229. *fect.* 6. *num.* 4.

196 Aduerte tamen, ne decipiaris, quod abiuratio de leui tunc datur, quando Sortilegia funt talia, quæ licet non fapiant hærefim manifeftè, continent tamen aliquam fufpicionem hærefis, faltem refpectu pacti impliciti cum Dæmone, aliàs fi effent Sortilegia huiufmodi qualitate carentia, vel fimplices fuperftitiones, tunc non indicitur abiuratio de leui, fed tales expediuntur cum monitionibus, & pœnitentijs falutaribus.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTVM.

De abutentibus Sacramentis. De abutente Sacramento Baptiſmi baptizando res inanimatas. De reiterantibus Baptiſma. An poſſint baptizari Pueri expoſiti. An baptizati ab Hæreticis debeant rebaptizari. De pœnis rebaptizantium. De eo, qui patitur ſe rebaptizari. An differens baptizare ſuos filios ſit ſuſpectus de hæreſi. An Catholicus poſſit deferre filium ſuum, vt baptizetur à Miniſtro hæretico. De abutente Sacramento Confirmationis. An qui non vult ſuſcipere Sacramentum Confirmationis, vel ſuos filios confirmari recuſet, ſit ſuſpectus de hæreſi.

SVMMARIVM.

1 *Abuſus Sacramentorum inducit ſuſpicionem hæreſis, & de ratione.*

2 *Abuſus Baptiſmi oritur, ſi quis baptizet res inanimatas.*

3 *Abutens Baptiſmo, quomodo interrogari, torqueri, & abiurare debeat in Sancto Officio.*

4 *Rebaptizans puerum dicitur abuti Sacramento Baptiſmi.*

5 *Et hæreticus præſumptus.*

6 *Baptiſmus reiterari non poteſt, & de ratione num. ſeq. ac num. 8.*

7 *Baptizatus abnegans Chriſti fidem apud Infideles, ſi ad pœnitentiam reuertatur, non debet rebaptizari.*

Baptiſmus eſt veluti quædam natiuitas, ſeu regeneratio.

Rebaptizans reiterat Chriſti crucifixionem.

9 *Reiteratio Baptiſmi quando liceat.*

10 *Diligentia adhibenda ante reiterationem Baptiſmi.*

11 *Rebaptizatio fieri debet conditionaliter.*

12 *Rebaptizari non debet, qui natus inter Chriſtianos cum parentibus Chriſtianis vſque ad iuſtam ætatem vixit, & de ratione.*

13 *Puer baptizatus ab obſtetricibus an, quando, & quomodo poſſit rebaptizari, & numeris ſeqq.*

14 *Obſtetrices, quæ puerum baptizarunt an, & de quibus debeant interrogari.*

16 *Puer an ſit rebaptizandus, ſi obſtetrices dicant abluiſſe illius manum, vel pedem in baptizando, non autem caput.*

Puer expoſitus cum ſchedula collo alligata, quod ſit baptizatus an, quando, & quomodo poſſit rebaptizari, & num. ſeqq.

17 *Infantes quando poſſint rebaptizari, & num. ſeqq.*

18 *Infantes expoſiti an, & quando baptizari poſſint ſub conditione, & num. ſeqq.*

24 *Baptizatus ab Hæreticis an debeat rebaptizari ſub conditione, & num. ſeqq.*

Baptiſmus collatus ab Hæreticis an, & quando ſit validus.

29 *Baptiſmus collatus aqua roſacea an ſit validus.*

30 *Et an debeat reiterari ſub conditione.*

31 *Rebaptizari an poſſit aſſerens ſe non eſſe baptizatum.*

32 *Puer nulliter baptizatus debet rebaptizari.*

33 *Colchi, & Iberi an debeant rebaptizari.*

34 *Filÿ Infidelium an, quando, & quomodo poſſint rebaptizari, & num. ſeq.*

36 *Rebaptizans an quando, & quibus ſubÿciat pœnis.*

37 *Rebaptizans ſcienter ſub conditione an incurrat irregularitatem, & num. ſeq.*

39 *Rebaptizans de iure ciuili punitur vltimo ſupplicio.*

40 *Rebaptizari ſe ſcienter patiens Apoſtata eſt, ac ſuſpectus de hæreſi.*

41 *Neophyts fingentes ſe Iudæos, & petentes baptizari an, quando, & quomodo puniendi, & num. ſeqq.*

44 *Factum attenditur in foro exteriori, & non intentio.*

Abiuratio purgat ſcandalum coram populo.

45 *Abiuratio quæ ſit imponenda his puerum rebaptizari facient, & num. ſeq.*

47 *Baptiſmus filiorum ſi curetur ab Infidelibus, vel Iudæis, vt illos liberent à fœtore, vel infirmitatibus dicuntur abuti Sacramento Baptiſmi, & de ratione.*

48 *Et huiuſmodi Infideles puniri poſſunt in Sancto Officio, & de ratione.*

49 *Differens diu baptizari filios an ſit ſuſpectus de hæreſi, & num. 51. cum ſeqq.*

Baptiſmus paruulis an ſit ſtatim conferendus, vel differri poſſit, & num. ſeq.

50 *Conſuetudo Eccleſiæ baptizandi paruulos ante vſum rationis.*

52 *Carnes comedens diebus Veneris, & Sabathi, eſt ſuſpectus de hæreſi, & de ratione.*

53 *Hæretici putantes non expedire baptizari infantes ante annos diſcretionis.*

54 *Christiani volentes babtizari eorum filios reputatur hæresici.*

Quid de imponentibus in Baptismo eorum filijs nomina Iudæorum, Gentilium, Hæreticorum.

55 *Pater Catholicus degens in partibus hæreticorum an possit permittere ad euitandum graue periculum, quod eius filius baptizatus Ritu Catholico celato tali Baptismo deferatur Ministro hæretico iterum baptizandus.*

56 *Sacerdotes degentes in locis Turcarum, an coacti possint Turcarum filios baptizare pro eorum corporali salute non seruata debita forma, vel materia.*

Fictio nulla licet in collatione Baptismi.

57 *Baptismus fictè si reiteretur absque intentione baptizandi an reiterans dicatur suspectus de hæresi.*

58 *Abutens Sacramento Confirmationis subiacet ijsdem pœnis, quibus abutens Baptismo.*

59 *Confirmans res inanimatas dicitur suspectus de hæresi.*

60 *An qui reiterat confirmationem.*

61 *Confirmatio reiterari non potest, & de ratione.*

62 *Reiterans confirmationem an incurrat irregularitatem.*

63 *Confirmatio an, & quando reiterari possit sub conditione.*

Diligentiæ maiores requiruntur pro reiteratione Confirmationis, quam pro reiteratione Baptismi, & de ratione.

64 *Confirmationem suscipere recusans an dicatur suspectus de hæresi.*

Quid de patre recusante suos filios confirmari.

Hæretici negantes Confirmationem esse Sacramentum.

65 *Sacerdos confirmans sine dispensatione Apostolica, dicitur suspectus de hæresi.*

Hæretici negantes confirmare esse proprium munus Episcopi.

1 PRÆSVMPTI Inconstantes in fide sunt etiam qui abutuntur Sacramentis, nam & hi sunt suspecti de hæresi, *cap. Accusatus*, §. *Sanè*, & ibi Gloss. *in ver. Sapiunt in fine, de Hæret. in* 6. quæ Gloss. licèt loquatur de Sacramento Baptismi, idem dicendum est de alijs Sacramentis, *cap. Inter cætera de rescript. in fine*, Lucerna Inquisitor. *ver. Sacramentis abuti*, Bordon. *in Tribunal. cap.* 22. *in principio*, Salelles *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 386. *to.* 3.

Ratio est, quia qui abutitur Sacramentis malè sentire videtur de eorum valore, Torre-blanc. *Iuris spiritualis lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 45.

Et incipiendo à Sacramento Baptismi, abutitur hoc Sacramento, qui baptizat
2 cadauer, Pelliculas, Imagines ex ære, plumbo, auro, argento, cera, vel alba, vel rubra confectas, libros, monetas, animalia, & similia, siue ad sortilegia conficienda, siue ad inueniendos thesauros, siue vt monetæ sic baptizatæ in crumenam redeant; Nam talia sic perpetrantes, vel sunt verè Inconstantes in fide, si credant formam, vel materiam Baptismi aliam esse posse ab ea, quam Christus instituit, vel saltem sunt præsumpti in fide Inconstantes, quia de illis vehemens oritur suspicio, quod sic credant, Martin. del Rio *lib.* 3. *par.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 1. *vers. Mox subdit*, & ante eum Binsfeld. *ad l. Multi, C. de Malefic. & Mathemat. quæst.* 3. Simancha *de Cathol. tit.* 62. *rubr. de sortileg. numer.* 3. *verf. de baptizante cadauer*, latè Farinaccius, qui alios *quæst.* 181. *num.* 24.

Et propterea abutentes Sacramento Baptismi, de alijs Sacramentis, interro-
3 gantur in Sancto Officio, & torquentur super intentione, quia ex tali abusu præsumitur quis habere errorem in intellectu, & malè sentire de Sacramentis, vt post Diuum Antoninum, Siluestrum, Locat. tenet Farinaccius *d. quæst.* 181. *num.* 27.

Et quamuis catholicè respondeant, nihilominus iniungitur illius abiuratio de vehementi, quia huiusmodi abusus factum est hæreticale, vel saltem sapiens hæresim manifestè, quicquid dicat S. Antoninus *in Summa par.* 2. *tit* 12. *cap.* 5. §. 1. qui voluit, hoc esse horrendum peccatum, non tamen esse factum hæreticale, nisi adsit error in intellectu, quem refert Farinaccius *d. quæst.* 181. *num.* 26.

Abutitur pariter Sacramento Baptismi, qui puerum scienter rebaptizat, siue ad
4 sortilegium, siue ad alium effectum, Gloss. *in d. cap. Accusatus*, §. *Sanè in ver. Saperent de Hæret. in* 6. Rosell. Siluester Repertor. Inquisit. Locat. Simancha, & alij apud Farinaccium *d. quæst.* 181. *num.* 23.

Quod enim attinet ad rebaptizantes pueros etiam simpliciter esse præsumptos
5 in fide Inconstantes, nulli dubium esse potest, quia tales videntur malè sentire de Sacramento Baptismi, vt in terminis dicunt Lucerna Inquisitorum *ver. Sacramentis abuti*, Bordon. *in Tribunal. cap.* 22. *in principio*, Salelles *in Tribunal. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 386. *to.* 3. Torre-blanc. *Iuris spiritualis lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 45. Alberghin. *cap.* 18. *sect.* 2. §. 1. *num.* 10.

6 Certum est enim Sacramentum Baptismi minimè reiterari posse, vt voluere S. Cyprianus *in tract. de ablut. pedum, & in epist.* 77. *ad Tubaianum*, Sanctus Augustinus *epist.* 203. *ad Maximianum Episcopum Donatistam*, vbi ait, *Rebaptizare sanè Catholicum immanissimum est scelus*, Diuus Thomas *art.* 10. *quæst.* 66. Bauni *de Sacramentis tract.* 2. *de Baptismate quæst.* 17. Pegna ad Eymeric. *in cap. De quibus de Baptismo*, Clemens Papa *lib.* 2. *Constitutionum Apostolicarum cap.* 15.

Ideo

Ideo Sacrum Concilium Tridentinum *can.*11.*sess.*7. *de Baptismo* statuit anathema
7 in eum, qui dixerit, baptizatum, si apud
Infideles Christi fidem abnegasset, iterum
rebaptizandum esse, si ad pœnitentiam
reuertatur.

Ratio petita est ab institutione Diuina, quæ etiam à rei natura non abhorret, cum Baptismus sit veluti quædam regeneratio, ac natiuitas, *cap.* 1. *de Consecrat. distinct.* 4. At homo non potest nisi semel renasci, nec vita spiritualis semel per Baptismum suscepta iterum suscipi potest, Bauni *loco citato*, Sayr. *in Thesaur. Casuum conscientiæ lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 1.

Vel quia hoc est contra substantiam Sacramenti, quod fieri tentatur in subiecto incapaci; Vel contra institutionem Christi, & contra reuerentiam debitam Baptismo prius suscepto, significatur enim fuisse inefficacem, & insufficientem; Vel contra significationem huius Sacramenti, per quod Christo commorimur, & consepelimur, qui semel tantùm pro nobis mortuus, & sepultus est.

Et ideo qui Baptismum reiterat, quantum in se est, iterum Christum crucifigit, Suarez *in* 3. *par. quæst*, 71. *disput.* 31. *sect.*6. *tom.* 3.

8 Per Canones ergo iure merito rebaptizatio omnino interdicta est, vt patet toto titulo *de Baptismo, & eius effectu, & de consecrat. dist.* 4. Sayr. *loco citato*.

Potest tamen ex iusta causa reiterari
Baptismus, quando scilicet non inueniun-
9 tur firmi testes, qui infantes absque vlla
dubitatione baptizatos esse dicant, nec
ipsi propter ætatem de tradito sibi myste-
rio respondere possunt, & hoc casu posse
rebaptizari absque vlla offensione, ne for-
tè huiusmodi dubitatio eos purificationis
sanctificatione priuet, vt habetur *in cap.*84.
Concilij Toletani, & in Concilio Cartha-
ginense 5. *cap.* 5. de quo *in cap. Placuit de
consecr. dist.* 4.

At hoc casu adhibenda est maxima dili-
gentia, & longa examinatio, nisi adsit
10 mortis periculum, ne fortè baptizans, &
baptizatus exponantur periculo sacrilegij,
vt dicit S. Leo Papa, scribens *Zenoni Epis-
copo Rauennaten. in epist.*37. Bauni *loco citato*.

11 Et si fieri debeat rebaptizatio, facienda est sub conditione, ea forma, quæ exprimitur *in cap.* 2. *de Baptismo*.

Non esset tamen iusta causa rebapti-
zandi illum, qui inter Christianos natus,
12 cum parentibus vixit itidem Christianis
vsque ad iustam aliquam ætatem, quia is,
etiam quod nulla eius Baptismi suppetant
testimonia, non erit rebaptizandus, Inno-
centius *in cap. Veniens de Presbytero non bap-
tizato*; Nam ob eas circumstantias præsu-
mitur probabiliter, quod fuerit baptiza-
tus, itaut hæc præsumptio sit pro certitudine habenda, donec euidentissimis argumentis contrarium probetur, Bauni *loc. citato*.

13 An autem iusta causa sit rebaptizandi puerum ab obstetricibus baptizatum, Syluius *in* 3. *par.* Diuus Thomas *quæst.* 66. *art.* 9. *dub.* 2. Opatouius *de Sacramento Baptismi disp.*1. *quæst.* 6. *num.* 49. dicunt, quod debent approbari illæ Synodus, quæ disponunt, quod baptizati ab obstetricibus iterum in Ecclesia baptizentur, vt de Synodo Iprensi, & de Pastorali Mechlinien. dicit Syluius *loco citato*: Ea ratione, quia notum est, multas obstetrices in materia, vel forma errare, interdum propter ignorantiam, vel propter malitiam, quia sunt maleficæ, hos refert Diana *par.* 5. *tract.*13. *Miscell. resolut.* 86. *& parte* 9. *tract.* 6. *Miscell. resolut.* 35. *vers. Verùm*.

Nihilominus quicquid sit in Partibus
Germaniæ, in Italia non solet iterari Bap-
14 tismus, sed obstetrices diligenter exami-
nantur à viris doctis, & interrogantur in-
diuidualiter de omnibus necessarijs ad
collationem, & valorem Baptismi, veluti
de verbis formæ, de quantitate aquæ, & de
parte corporis, vbi infans fuit baptizatus, &
si rectè respondeant, & nullus inueniatur
error in Ecclesia, solummodo supplentur
solemnitates; Nam quando prudens ti-
mor non adest, sed potius moralis certi-
tudo de Baptismo, non est ille reiteran-
dus, sic Diana *d. resolut.* 86. *vers. Sed quic-
quid, & dicta resolut.* 35. reprobatis con-
trariis, quem sequitur Frater Gabriel à
Sancto Vincentio, *de Sacramento Baptis-
mi, disput.* 2. *quæst.* 2. *vers. Vnde non
placet*.

Et hanc praxim rebaptizandi etiam sub
conditione baptizatos ab obstetricibus,
15 improbat Cathechismus Romanus iussu
Beati Pij Quinti editus *in tract. de Baptis-
mo, & eius effectu in fine* his verbis:

Non desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrantur, si quemuis sine delectu cum adiunctione illa (si baptizatus es, te iterum non baptizo, si verò nondum baptizatus es, ego te baptizo, in nomine Patris, &c.) *baptizant; quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus quærendum putant, an is priùs ablutus fuerit, sed statim ei Baptismum tribuunt, quin etiam quamuis exploratum habeant Domi Sacramentum administratum esse, tamen sacram ablutionem in Ecclesia adhibita solemni cæremonia, cum adiunctione repetere non dubitant, quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, etiam maculam suscipiunt, quam Diuinarum rerum Scriptores, Irregularitatem vocant; Nam ea Baptismi forma ex Alexandri Papæ Septimi auctoritate*, cap. De quibus dubium de Baptismo, *in illis tantùm permittitur, de quibus re diligenter perquisita*

dubium relinquitur, an Baptismum ritè susceperunt, aliter verò nunquam fas est etiam cum adiunctione, Baptismum alicui iterum administrare.

Quod etiam aduertit Sayr. *dicto libro 7. cap. 8. num. 23. vers. Secunda sententia.*

Ideo non sunt admittendæ illæ Synodus in Italia, quibus iubetur, baptizatos ab
16 obstetricibus nulla facta diligentia, rebaptizandos sub conditione in Ecclesia.

Quod habet locum, quamuis obstetrix dicat, se baptizasse puerum, abluendo illius manum, vel pedem, non autem caput, Diuus Thomas *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1. & 3. par. quæst. 68. art.* 10. quem sequuntur Diuus Antoninus, Duardus, Paludanus, Bonacina, Graff. Coninch. quos refert Turre-blanc. *Iuris spiritualis lib. 2. cap. 4. num. 33.*

Et quamuis ille teneat, hunc sic ablutum, & baptizatum, rebaptizandum esse sub conditione; Nihilominus Nauarrus, Filiuccius, & alij à Trullench. *de Sacrament. lib. 2. cap. 1. dub. 3. num. 9.* dicunt, esse tutum hoc casu non reiterare Baptismum, quia validus est, si aqua tangat re uera aliquam corporis partem.

Ad euitandos tamen scrupulos hoc casu posset puer rebaptizari sub conditione, vt dicit idem Trullench. *loco citato.*

Sed maior difficultas est, quando reperiuntur pueri expositi schedula collo alligata, vel appensa, qua scriptum est puerum esse baptizatum.

17 Nam ex Textu *in cap. Placuit de consecrat. distinct. 4.* habetur, quod quoties non habentur certissimi testes, qui deponant, infantes esse baptizatos, absque vllo scrupulo sunt rebaptizandi.

18 Et in Rituali Romano Pauli Quinti §. *de Baptismo paruulorum* statuitur, quod infantes expositi, si re diligenter inuestigata de eorum Baptismo non constet, sub conditione sunt baptizandi.

Et in Concilio Prouinciali Mediolanen. *Tertio* sub Sancto Carolo *tit. de Baptismo infantium in fine* idem statutum fuit; Et pari-
19 ter hoc idem sancitum fuisse in Synodo Cameracen. testatur Marchant. *in candelabro Sacrament. tract. 2. de Baptismo cap. 2. quæst. 4.* Et in Synodo Hispalen. sub Archiepiscopo Diuo Petro de Castro dicit Quintana Derennas Societatis Iesu *in Theologia morali to. 1. tract. 1. singul. 9. num. 3.*

20 Hanc opinionem sequuntur Laymanus *de Sacrament. Baptism. lib. 4. num. 3.* Torreblanc. *Iuris spiritualis lib. 2. cap. 4. num. 36.*

21 Nihilominus contraria sententia videtur probabilior, & communis, vt testatur Diana *par. 9. tract. 6. Miscell. resolut. 35. vers. Sed communis*, & priùs post Ochagauiam, & Hurtadum dixerat *par. 5. tract. 13. resolut. 85. & in addit. ad primam part. resol. 6.* quem sequitur Fr. Gabriel à S. Vincentio *loco superiùs citato*, Ochagauia *de Sacramento Baptismatis quæst. 11. num. 8.*

Et ratio est, quia pro certo tenendum est, parentes pueri, vel quemuis alium,
22 qui scriptum confecit, voluisse reiterationem Baptismi euitare, sic Ochagauia *de Sacramento Baptism. quæst. 11. num. 8.* quem refert, & sequitur Diana *d. resolut. 85. vers. Sed aliqua.*

23 Quam tamen opinionem intelligo, quando essemus omnino inter Christianos, sed si Christianis mixti sint Iudæi, vel Infideles, qui Baptismum execrantur, & sit probabilis timor, ne potuerint exponi filij ab eis, & adiicere schedulam, ne baptizarentur, tunc possent baptizari sub conditione, Ochagauia, & P. Diana *loco citato*, Baucius *opusculo 3. de Miscell. pract. cas. conscient. quæst. 280. vers. Displicet hæc opinio.*

Sed præteritis diebus fuit renouata quæstio in Congregatione Suprema Sancti
24 Officii, an baptizatus ab Hæreticis deberet rebaptizari sub conditione, Molan. *in sua prax. tract. 4. cap. 3. num. 30.* ait, quod sæpe repertum fuit in Hæreticis necessariam in baptizando deficere intentionem, & propterea tenet sub conditione esse Hæreticos rebaptizandos; Sequitur Diana *par. 9. tract. 6. resolut. 55. Miscell.* vbi quod quamuis iam fuerit determinatum Baptismum ab Hæreticis collatum esse validum, si cum intentione Ecclesiæ debitam formam, & materiam adhibeant, tamen quia in odium Catholicorum sæpe formas commutant, & materias Sacramentorum contemnunt, & ab Ecclesia Catholica animum aduersum gerunt, putant reiterari posse Baptismum sub conditione.

Cæterum praxis Supremæ est, vt baptizati ab Hæreticis nullatenus sub condi-
25 tione rebaptizentur, sed facta hæresum abiuratione, ab excommunicatione absoluuntur, & Catholicæ Ecclesiæ incorporantur: Quam praxim vsque *de anno* 1570. *sub die* 19. *Aprilis* canonizauit Sacra Congregatio Concilii, vt testatur Cardin. de Lugo *in respons. moral. lib. 1. dub. 2. num. 2.* vbi quærit, an baptizatus à Caluinista debeat rebaptizari, & adducit Textum *in cap. A quodam Iudæo de consecr. distinct. 4.*

26 De Sacræ Congregationis Concilij declaratione non meminit R. P. Fagnanus, quamuis articulum latè disputet *in cap. Si quis puerum, de Baptismate, & eius effectu.*

Et cum *de anno* 1606. quidam nobilis Gallus baptizatus à Caluinistis peteret re-
27 baptizari sub conditione, & suppleri solemnitates Exorcismorum, Sanctissimus auditis votis dixit, non esse rebaptizandum, & mandauit ei significari, vt di-

mitteret scrupulum, vt ex Dectero *sub die* 5. *Martij anni* 1606.

28 Sed cum hæc quæstio potiùs sit de facto, quàm de iure, vt inquit Card. de Lugo *loco citato num*. 4. Imò esse solùm de facto testatur Torre-blanc. *loco citato num*. 43. Possunt tales circumstantiæ in facto consistere, vt prudenter dubitari possit de defectu materiæ, vel formæ, aut intentionis, & ideo cum Præposito, & Syluio tenet idem Cardinalis posse reiterari Baptismum sub conditione.

ET memini in Suprema, &c. bo.mem. Cardinalem de la Cueua sæpius dixisse,

29 quendam ex Principibus Auriacen. baptizatum fuisse cum aqua rosacea, & cum tali aqua Magnates in Anglia vt plurimum baptizari; Et tamen certum est, aquam rosaceam non esse materiam aptam ad Sacramentum Baptismi, vt reprobato Ioanne de la Crux, dicit Diana *par*. 5. *de Sacram. resolut*. 5. *vers. Quæritur* 3.

An autem in casu necessitatis, si aqua naturalis non suppetat, possit quis baptizari cum aqua rosacea, videndus est Diana *par*. 5. *tract*. 3. *resolut*, 2. & post eum Bordon. *in quæstion. moral. lib*. 10. *quæst*. 1.

Non enim desunt Auctores asserentes, in casu extremæ necessitatis debere conferri Baptismum cum aqua rosacea saltem sub conditione: Si autem quis dubitet de suo Baptismo cum aqua rosacea ei collato, deberet rebaptizari sub conditione.

Et propterea cum quidam Professus in Religione Capuccinorum petijsset rebap-

30 tizari, quia dubius erat de suo Baptismo, cum in sua Patria in illius administratione adhibeatur aqua rosacea, fuit dictum, quod rebaptizetur sub conditione, sine præiudicio Professionis, vt ex Decreto *sub die* 15. *Nouembris* 1620;

Scio etiam P. N. occasione Visitationis per eum factæ triremium Pontificiarum,

31 nulla prorsus adhibita diligentia, nec aliqua præcedente interrogatione rebaptizasse quendam N. ad triremes in perpetuum damnatum, ductum sola dicti Religiosi assertione, se non esse baptizatum, de quo fuit correptus in Sancto Officio..

32 Si aliqua autem ratione Baptismus collatus nullus est, tunc omnino puer debet rebaptizari, quia tunc non est rebaptizatio, Suarez *de censur*.

33 An autem Colchi, & Iberi sint rebaptizandi, videndus est P. Verricellus post hæc scripta impress. *in tract de sacris Mission. titulo* 6. *de Baptismo quæst*. 3. *sect*. 3. *per totam*.

34 Iusta causa pariter erit rebaptizandi puerum, si is ortus sit ex parentibus Infidelibus, qui potest iustè ignorari, an fuerit baptizatus, Sayrus *dicto capit*. 8. *num*. 11.

35 Quod intellige facta debita diligentia, & exploratione, an fuerit baptizatus argumento Textus *in cap. Placuit, & cap. de Infantibus, & cap. Cum itaque, & cap. Si nulla de consecr. distinct*. 4.

36 Pœnæ autem in rebaptizante sine iusta causa statutæ sunt sacrilegij, vt decernit Sac. Concilium Tridentinum *sess*. 7. *can*. 11. *&* 13. *de Baptismo*.

Et si Laicus est, excommunicatur, si verò Clericus, deponitur ab officio; & beneficio, *cap. ex litterarum, & cap. fin. de Baptismo*.

Quod procedit in Sacerdote, qui materia non apta baptizat, nam is suspenditur in perpetuum ab administratione Sacramentorum, vt ex Decreto *sub die* 22. *Martij* 1583.

Potest etiam puniri sic rebaptizans pœnis Apostatarum, quia verè Apostata est, Abbas, & cæteri Canonistæ *in rubr. de Apostatis*, Farinaccius *quæst*. 183. *num*. 18. Alberghin. *in Man. cap*. 3. *num*. 5.

Quod intellige, nisi adderet conditionem, *Si non es baptizatus*, Nauarr. *in Man. cap*. 27. *num*. 246. Torre-blanc. qui alios *Iuris spirtualis lib*. 2. *cap*. 4. *num*. 46. 47. *&* 48.

Vlterius sic rebaptizans, incurrit irregularitatem *cap*. 2. *de Apostatis, cap. Ambros. distinct*. 98. *cap. Qui in qualibet* 9. *quæst*. 7. *cap. Quibus, cap. eos, quos, cap. Non licet il secondo, cap. Rebaptizare de consecr. distinc*. 4. Abb. *cap*. 2. *num*. 2. *de Apost*. Nauarr. *in Man. cap*. 27. *nu*. 24. Couuarr. *Clement. Si furiosus par*. 1. *num*. 8. cum alijs per Sayrum *Thesaur. cas. conscient. lib*. 4. *cap*. 8. Torre-blanc. *d. cap*. 4. *num*. 46. Et dixi latè *in comment. facultatum Nuncij Hispaniarum*, de qua materia videndus est plenè Suarez *de censur. disp*. 42. *sect*. 1. *& in* 3. *par. quæst*. 71. *art*. 4. *disp*. 31. *sect*. 6. *per tot*. Barbosa *ad l. Si Antistitem, C. Ne sanctum Baptisma iteretur*.

37 An autem qui scienter rebaptizat, sed cum conditione incurrat hanc pœnam irregularitatis, affirmatiuam tenet Sayrus *d. cap*. 8. *num*. 28. Fernandez de Hærodia *de Sacramento Baptismi par*. 4. *dub*. 2. *num*. 5. qui alios.

38 Negatiuam tamen tenet opinionem, Nugnus 3. *par. quæst*. 66. *conclus*. 7. Valer. *different*. 1. *vtriusque Iuris ver. Irregularitas differ*. 2. *num*. 1. & alij, quos refert, & sequitur Diana *par*. 3. *de Sacramento tract*. 4. *resolut*. 9. *vers. Sed ego*.

39 De iure autem ciuili rebaptizans punitur pœna vltimi supplicij *l*. 2. & ibi omnes *C. Ne sacrum Baptisma*, Petrus Gregor. *Syntagm. lib*. 33. *cap*. 8. *num*. 17. Barbosa *ad d. l. in fin*.

Abutitur etiam Sacramento Baptismi non solùm qui rebaptizat, sed etiam qui

40 scienter patitur se rebaptizari, nam is

Apostata est, Farinacc. *quæst.178. num.136.*
& quæst.183. num. 18. in fine.

41 Et præsumptus in fide Inconstans, quia
suspectus est de hæresi, Diana *par.6.tract.8.*
Miscell. resolut. 9. Quod pluries in Sancto
Officio solet accidere in Iudæis neophytis,
qui cum semel sint baptizati, iterum fin-
gunt se Iudæos, & petunt se baptizari, vt
eleemosynas tum à Patrinis, tum à Chri-
sti-fidelibus hoc prætextu extorqueant,
qui de hoc crimine conuicti post abiura-
tionem de vehementi, si catholicè res-
pondeant super intentione, damnantur ad
triremes, vel ad carceres arbitrio Sacræ
Congregationis.

42 Quandoque tamen propter simplicita-
tem vnus ex istis fuit expeditus cum graui
monitione, & pœnitentijs salutaribus,
absque abiuratione, vt ex Decreto *sub die*
28. Septembris 1611.

43 Seclusa verò simplicitate semper isti
expediuntur cum abiuratione; quicquid
dixerit P.Pasqualig.*decis.*475. quem refel-
lit, & quidem optimè P. Diana *dicta re-*
solut. 9.

44 Nam in foro exteriori attenditur fac-
tum, non intentio, quæ etsi purgetur per
torturam (vt aliàs dixi) non tamen in to-
tum tollitur; ideo debet indici abiuratio,
vt se de scandalo dato purget coram po-
pulo, Comitolus *decis.*10. *num.*21.

45 Idem dicendum est de eo, qui bis pue-
rum rebaptizare facit, quia iste tanquam
suspectus, de leui saltem debet abiurare,
vt ex Decreto *sub die* 12. *Iunij* 1613.

46 Et cum quædam mulier, ad fin-
gendum partum suppositum curasset bis
baptizari eundem puerum, torta super
intentione, damnata fuit, præuia abiura-
tione de leui, ad standum præ foribus Ec-
clesiæ cum candela accensa, & inscrip-
tione sui delicti, vt ex Decreto *sub die* 18.
Iulij 1618.

Abutitur pariter Sacramento Baptismi
Infidelis, vel Iudæus, qui curant baptizari
47 proprios filios, vt eos à fœtore, vel ab
infirmitatibus liberent, Azor. *Institution.*
*moral. to.*1. *lib.*8. *cap.*25. *quæst.*6. Castro-pal.
*to.*4. *tract.*9. *disput.vnic.punc.*6.*num.*11. Ver-
ricellus *de Apostolic.Mission. tit.*6. *quæst.*113.
num. 8. *vers.Septimò accedit*, hoc enim ea
ratione illicitum est, quia statim parenti-
bus reddi debent, & proindè grandiores
effecti à parentibus impijs instructi, leui
negocio à fide desciscunt, quicquid velit
Siluester *in ver.Baptismus* 4. *quæst.*7.

Sed cum quidam Religiosi Missionarij
petijssent à Sacra Congregatione de Pro-
paganda fide responderi, an licitè possint
talem Baptismum conferre filijs Infide-
lium, vt à dicto fœtore liberarentur:
placuit eidem Sacræ Congregationi nego-
cium hoc remittere ad Sacram Congre-
gationem Sancti Officij, in qua discusso
negocio, Consultores fuerunt pares in
voto, in eadem paritate votorum, & sen-
tentiarum fuerunt Cardinales Supremi In-
quisitores: relata propterea quæstione
Sanctissimo Innocentio Vndecimo, San-
ctitas sua alios Qualificatores elegit, qui,
vt audio, fuerunt in sententia licere Bap-
tismum conferre dictis filiis Infidelium
ità à parentibus oblatis; ea ratione, quia
huiusmodi actus non sit intrinsecè malus,
sed non expedire, vt Sacra Congregatio
respondeat dictis Missionarijs, & certe in
huiusmodi sensu conformat se cum anti-
quis Decretis dictæ Sacræ Congregatio-
nis: Pluries autem hac quæstione propo-
sita Sanctitati Suæ, noluit respondere nixa
fortasse exemplo Eugenij Tertij, qui in
Concilio, quod ipse habuit in Gallia *de*
anno 1145. tempore Diui Bernardi cum
ipse fuisset interrogatus à quodam Pa-
triarcha Armeno super hoc dubio, respon-
sum ei non dedit, vt testatur Cardinalis
Baronius *in suis annalibus anno* 1145. *num.*4.
& Binius *in Vita Eugenij Tertij.*

48 Ideò huiusmodi Infideles talia perpe-
trantes in Sancto Officio puniri possunt,
quia delinquunt in his, quæ ad Religio-
nem nostram spectant, vt latè *supra*
dixi.

Sed an diù differens baptizare suos fi-
lios, sit suspectus de hæresi, Bordon. *in*
*Tribun. cap.*22. *num.*3. respondet negatiuè,
49 quia nullum extat præceptum Diuinum
baptizandi paruulos ante vsum rationis:
Ideò Sanctus Gregorius Nazianzenus *in*
Sermone de Baptismo exhortatur, Baptis-
mum infantium differri vsque ad trien-
nium, vt per se ipsos aliqua respondere
possint tam magno Sacramento.

Et Tertullianus *lib.de Baptismate* meliùs
censet, illud differri debere ad annos dis-
cretionis, quia meliùs se disponere potest
ad illud dignè recipiendum.

50 Sed quamuis nullum sit præceptum Di-
uinum, adest tamen ius Ecclesiasticum
introductum à recepta Ecclesiæ consuetu-
dine, vt dicit Suarez *in* 3. *par. quæst.* 68.
*art.*10. *disp.*25. *sect.*2. *vers.Vltimo ergo adden-*
dum est.

51 Ideò qui contra hanc consuetudinem
ageret, posset haberi suspectus, quod
malè sentiret de huiusmodi consuetudine
Ecclesiæ, & de illius potestate.

52 Quemadmodum redditur ille suspe-
ctus, qui comedit die Veneris, & Sabathi
carnes, nam iste videtur malè sentire de
potestate Ecclesiæ, & recedere à consue-
tudine, & ritibus probatis Ecclesiæ, Ca-
rena post Pegnam *tit. de eden. carnes tit.* 15.
*§.*3.*num.*9.

53 Et hoc maximè locum haberet, si esse-
mus in homine Germano, vel aliàs nato,

& educato in locis, in quibus viget hæresis Lutherana. Nam Lutherus censuit, non expedire infantes baptizare ante annos discretionis, in quem errorem incidere Erasmus, & Ludouicus Viues, vt refert Suarez *loco cit. sect.* 2. Ex quibus, & alijs circumstantijs potest elici coniectura, an iste reddatur leuiter, vel vehementer suspectus de fide.

54 Certum est autem, Christianum nolentem, quod eius filij baptizentur, reputari in fide Inconstantem, vt testatur P. Bordonus *dicto cap.* 22. *num.* 5. vbi etiam procedit cum distinctione, quoad imponentes nomina Iudæorum, Gentilium, vel Hæreticorum in Baptismo suis filijs.

Sed an in Partibus Hæreticorum, vbi degunt etiam Catholici, possit pater Catholicus, qui priùs curauit suum filium
55 baptizari Ritu Catholico, permittere, vt deferatur ad Ministrum Hæreticum, vt iterùm baptizetur, celando interim esse baptizatum, & hoc ad euitandum aliquod graue periculum, videnda sunt quæ diximus *supra* in materia communicationis Catholici cum Hæreticis.

56 In Sacra Congregatione fuit resolutum, non licere Sacerdotibus, qui à Turcis compelluntur ad baptizandos eorum filios, non vt Christiani euadant, sed pro salute tantùm corporali hoc Sacramentum administrare, non seruata debita forma, vel materia, quia in eo nihil debet fingi, vt ex Decreto *sub die* 6. *Decembris* 1612.

An autem si quis fictè reiteraret Baptismum absque intentione baptizandi, sit
57 suspectus de hæresi, crederem negatiuè respondendum per ea, quæ tradit P. Suarez *dicta quæst.* 71. *sect.* 6. *vers. Atque ex hac Doctrina.*

58 Quod dictum est de abusu Sacramenti Baptismi, idem dicendum est de abusu Sacramenti Confirmationis, nam eisdem pœnis eo abutentes sunt subiecti, *cap. dictum de Consecrat. distinct.* 5. Sayr. *de Censur. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 27.

Ideo si quis imaginem, librum, pelliculam, quam *chartam virginem* appellant, monetas, & alia similia confirmet,
59 dicetur præsumptus Inconstans in fide, cum sit vehementer suspectus de hæresi, Carena *par.* 2. *tit.* 12. Gastald. *de Potest. Angel. distinct.* 6. *cap.* 4. *art.* 5. *num.* 10. *to.* 2.

60 Idem esset, si quis reiteraret hoc Sacramentum, quod certè reiterari nequit, vt ex Concil. Tolet. *cap.* 7. Cabillon. *cap.* 27. Tarraconen. *cap.* 6. Tridenr. *sess.* 7. *cap.* 9. & habetur *in cap. Dictum est*, & *in cap. de homine, de Consecrat. distinct.* 5.

Et ratio est, quia hoc Sacramentum characterem imprimit, vt *in dicto cap.* Tridentini; vnde si reiterato frons insigneretur
61 Sacro Confirmationis oleo, aut eius vis nulla foret, quod est non modo dictu turpe, sed & cogitatu fœdum, aut cum nulla sit causa reiterandi Sacramentum, videtur adhiberi tantum ad iocum, & contra finem à Deo institutum, quod immane esset Sacrilegium, vt notat Bausi *de Sacramento Confirmationis tract.* 3. *quæstione* 13.

An verò reiterans Sacramentum Confirmationis incurrat irregularitatem vi-
62 dendus est latè Sayr. *d. cap.* 8. *à nu.* 27. qui ex communiori sententia tradit non incurrere, cum hoc non reperiatur iure cautum, & hanc sententiam sequuntur ferè omnes Neoterici, Trullench. *de Sacram. lib.* 2. *cap. vnic. num.* 10. Filiucc. *tract.* 3. *quæst.* 4. & 5. F. Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacramento Confirmationis distinct.* 3. *qu.* 1. *vers. Ex quibus.*

63 Si autem adesset aliquod dubium de valore collati Sacramenti, posset sub conditione reiterari, Suarez 3. *par. disput.* 3 t. *sect.* 1. Trullench. *loco cit.* adhibitis tamen illis diligentijs, quas in Sacramento Baptismi diximus adhibendas, imò & maioribus, cum Sacramentum Baptismi maioris sit necessitatis, quàm confirmationis, ideo maius dubium requiritur, vt sit locus reiterationi confirmationis, Nunnus à Fr. Gabriele de Sancto Vincentio allegatus *dicta quæst.* 1. *ad fin.*

Sed an ille, qui nollet suscipere Sacramentum Confirmationis, vel suos filios recusaret confirmari, sit præsumptus in fide Inconstans.

64 Crederem hoc casu non esse à circumstantijs, nam si essemus in homine aliàs suspecto sentire in aliqua parte cum Hæreticis, qui dixerunt confirmationem non esse Sacramentum, vt priùs tenuerunt Vualdenses, demùm secuti sunt Vviclef, Lutherani, Caluinistæ, crederem ex hoc solùm illum præsumi vehementer suspectum in fide; secùs autem si cessaret erroris suspicio, vel notabilis contemptus, sed hoc prouenirei ex crassa negligentia, P. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 25. Trullench. *d. cap. vnic. num.* 5. Fr. Gabriel à Sancto Vincentio *disput.* 1. *quæst.* 2. *vers. Nostra sententia.*

65 Abutitur etiam Sacramento Confirmationis Sacerdos, qui absque dispensatione Apostolica auderet conferre huiusmodi Sacramentum, quia redderet se suspectum de hæresi, Vviclef, & Caluini apertè negantium, esse proprium munus Episcopi confirmare, vt notat Bellarminus *de Sacramento Confirmationis lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 1. *to.* 5. de qua re latè egimus *in Ritibus Græcorum.*

CAPVT XXXIV.

ARGVMENTVM.

De abutente Sacramento Euchariſtiæ. An liceat offerre Sacrificium pro mortuis damnatis. An liceat conſecrare in altera tantùm ſpecie. An Summus Pontifex poſſit diſpenſare, vt conſecretur in altera ſpecie. An liceat ante mortem facere celebrare Miſſas in ſuffragium animæ ſuæ. An liceat celebrare Miſſam lingua vulgari. An in aliqua Regione Infidelium poſſit permitti Chriſtianos Diuina Officia, & Miſſam Patrio more celebrare. An Sacerdos, qui fingit hoſtiam conſecrare, & non conſecrat, ſubdatur iudicio Inquiſitorum. An Sacerdos celebrans non ieiunus, ſit ſuſpectus de fide. An qui furatur Pixidem, in qua aſſeruatur Sanctiſſimum Sacramentum, ſit ſuſpectus de fide. An qui quotidiè celebrat, nec vnquàm viſus eſt confiteri, ſit ſuſpectus de fide. An Sacerdos, qui communicat Fideles cum pluribus Particulis ſit ſuſpectus de fide. An qui vult recipere viaticum cum Particula non conſecrata, ſit ſuſpectus de fide. De extrahentibus ab ore Particulas conſecratas. De non Sacerdote Miſſam celebrante. De celebrante Miſſam ſiccam. De laico miniſtrante Sacramentum Euchariſtiæ. An liceat celebrare in Mare in magnis Nauigijs. De miſcentibus hoſtias conſecratas in Sortilegijs.

SVMMARIVM.

1 *Abutens Sacramento Euchariſtiæ dicitur ſuſpectus de hæreſi.*
2 *Sacerdos celebrans ſuper rebus aptis ad Sortilegia abutitur Sacramento Euchariſtiæ, & quæ ſint iſta res, & num. ſeq.*
3 *Vel ſi celebret Miſſam defunctorum pro viuentibus vt moriantur.*
5 *Et an efficiatur irregularis.*
6 *Quid ſi celebret Miſſas pro damnatis.*
7 *Miſſæ an poſſint pro damnatis celebrari, vel Orationes fieri, & num. 12.*
Pœnam Inferni æternam eſſe eſt de fide.
8 *Inquiſitores punire an poſſint offerentes Sacrificium pro damnatis, vel pro illis orantes.*
9 *Opinio quod quis ex Diuino priuilegio liberari poſſit à pœnis Gehennæ an ſit ſolùm temeraria, vel etiam erronea, & hæretica.*
10 *Concionator quæ aſſerere non poſſit circa pœnas damnatorum ſine hæreſis ſuſpicione.*
11 *Anima decedens in mortali an poſſit ex aliqua deuotione ab Inferno liberari, vel ad ignem Purgatorij pertinere.*
12 *Opinio, quod decedentes in peccato mortali non ſint digni pœna ignis æterna an ſit hæretica.*
Animæ damnatæ an ſacrificijs, & eleemoſynis poſſint aliquantulum ſubleuari.
13 *Sacerdos conſecrans in altera tantùm ſpecie abutitur Sacramento Euchariſtiæ.*
Conſecratio fieri debet ſub vtraque ſpecie, & Sacrificium offerri, quod eſt de fide.
14 *Sacramentum Euchariſtiæ cur fuerit à Chriſto inſtitutum ſub vtraque ſpecie.*
15 *Sacerdos, qui conſecrata vtraque ſpecie vnam tantùm ſumeret, dicitur abuti Sacramento Euchariſtiæ, & ſacrilegium committere.*
16 *Error Boemorum, quod de neceſſitate ſalutis Sacramentum Euchariſtiæ ſumi debent ſub vtraque ſpecie.*
17 *Diſpenſatio vt conſecrari poſſit ſub vna tantùm ſpecie an ſit concedenda in Terris vbi vinum haberi non poteſt.*
18 *Papa circa conſecrationem Euchariſtiæ an poſſit diſpenſare vt fiat ſub vna tantùm ſpecie.*
Vinum expreſſum ex vuis paſſis, ſiue ex zebibo an, & quando poſſit conſecrari.
Hoſtiæ rubeæ an poſſint conſecrari.
19 *Miſſa defunctorum anticipata ante mortem an poſſit celebrari, vel celebrari facere pro ſuffragio animæ ſuæ, & num. ſeqq. ac nu. 29. cum ſeqq.*
21 *Miſſa quando poſſit applicari pro neceſſitate futura.*
22 *Humilitas, & memoria mortis ſunt hominibus vtiles.*
23 *Hæredes frequenter pigri in ſuffragijs defunctorum.*
Miſſæ defunctorum per pios, ſanctos, & doctrina inſignes viros viuentes pro ſuis ani-

mabus celebrata, & ad quem finem, & n. 35. cum seq.

25 Hispani viuentes Missas celebrare faciunt pro suffragio animarum suarum, & numero sequen.

27 Idem de Lotharingis.

28 Missæ defunctorum an recitari possint pro viuentibus cum orationibus supponentibus illos mortuos.

30 Ritus celebrandi Missas mortuorum pro viuentibus non est conformis Ritui, & ordinationi Ecclesiæ Romanæ.

31 Fructus aliquis an peruenire possit viuenti, qui celebret, vel celebrari faciat Missas pro suffragio animæ suæ.

Fructus Sacrificij Missæ qui sint.

32 Intentio Ecclesiæ in Missis defunctorum, quæ.

33 Fructus Sacrificij an possit applicari sub conditione futura, & num. 35.

Sacerdos an possit Missam celebrare ea intentione, vt prosit illi qui primus eleemosynam erogauerit.

35 Sacerdos an possit applicare fructum Sacrificij peccatori existenti in mortali sub conditione si à peccato resurgat.

36 Cultus Deo adhiberi non potest modo diuerso ab instituto per Ecclesiam sine superstitione.

Exempla Sanctorum sunt potiùs admiranda, quam semper sequenda.

37 Missa si celebretur addito scienter aliquo, quod sit contra Ritum Ecclesiæ superstitio est.

38 Sacerdos recitans in Sacrificio Missæ turpes, vel nefandas preces dicitur abuti Sacramento Eucharistiæ.

39 Sacerdos ex contemptu omittens in Sacrificio Missæ aliquam cæremoniam, vel dicens submissa voce ea quæ altè dicenda sunt, vel è contra abutitur Sacramento Eucharistiæ, & peccet mortaliter.

40 Quid de illam celebrante lingua vulgari ex iussu Principis, vel alio motiuo, & an is sit suspectus de hæresi.

41 Hæretici asserentes verba Sacræ Scripturæ, Diuinum Officium, & Sacrificium vulgari lingua esse proferenda.

42 Missale lingua Gallica excusum prohibitum.

43 Celebratio Diuini Officij, & Sacrificij an possit permitti vt patrio idiomate fiat in Regionibus Infidelium pro faciliori eorum conuersione.

44 Votum in hac materia.

45 Et iudicium Auctoris.

46 Aliud votum in eadem materia.

47 Votum P. Lupi super eadem re.

48 Et aliud P. Fabri.

49 Decretum Supremæ fauore Sinarum.

50 Et de illius ineffectuatione.

51 Sacerdos fingens consecrare, & non consecrans, hostiamque non consecratam sumens abutitur Sacramento Eucharistiæ.

52 Quid si recordetur se obnoxium esse culpæ mortali, & putet melius esse abstinere à consecratione, & an iste vltra graue peccatum, quod committit sit suspectus de fide, & subdatur iudicio Inquisitorum.

53 Eucharistiam singulis annis non recipiens an sit suspectus de fide, & puniatur in Sancto Officio.

54 Carnes comedens in diebus vetitis dicitur suspectus de hæresi, & de ratione.

Conscientia erronea facit aliquem grauiter peccare, sed non reddit illum suspectum de hæresi.

Ignorantia crassa, & affectata adhuc ab hæresi excusat.

55 Sanctum Officium vocare quot modis soleat denunciatos, & ad quem finem.

56 Sacerdos dolosè hostiam, vel vinum non consecrans an sit suspectus de hæresi.

Quid si plures Missas celebret eadem die, & an puniatur in Sancto Officio.

Et quid si in earum aliqua non consecret.

57 Sacerdos simulans consecrare grauius peccat, quàm si conscius peccati mortalis hostiam consecret, & sumat.

58 Sacerdos extrahens è tabernaculo Particulam consecratam, & super illa proferens verba consecrationis, dicitur suspectus de hæresi, & de ratione.

59 Quid si Sacerdos proferat illa verba super hostia iam consecrata oblitus hostiam consecrandam deferre, & præ verecundia.

60 Sacerdos existens in peccato mortali, & non consecrans hostiam, neque Particulas, illasque non consecratas exhibens fidelibus in Communione, an, & quantum dicatur suspectus de hæresi.

61 Sacerdos ministrans hostiam non consecratam publico peccatori, vel indigno sic consentienti, an dicatur suspectus de hæresi.

62 Sacerdos oblitus consecrare hostiam publicè exponendam, vel in processione deferendam, & illam deinde consecrans sine Missæ Sacrificio, an vltra irregularitatem, quam incurrit sit suspectus de hæresi.

Nouatores irrident cæremonias, & Canones Missæ.

63 Sacerdos solum panem consecrans, & non vinum, vel è contra, an, & quantum sit suspectus de hæresi.

64 Quid si id ex obliuione processerit.

65 Sacerdos celebrans non ieiunus an, & quando sit suspectus de hæresi, & num. seq.

Lutherani asserunt Eucharistiam sumendam esse post sumptum cibum.

67 Sacerdos sumens purificationem in prima, vel secunda Missa Natalis an puniri possit in Sancto Officio.

68 Sacerdos quando celebrare possit non ieiunus.

Cardinalis de Lugo laudatur.

69 Sacerdos plures Missas celebrans eadem die,

sine legitima causa an sit denunciandus in Sancto Officio.

70 *Laicus Communionem sumens non ieiunus an puniri possit in Sancto Officio.*

Laicus non potest Communionem sumere non ieiunus, & de ratione.

71 *Eucharistiam pluries eadem die sumentes an possint puniri in Sancto Officio.*

72 *Catholicus abstinens longo tempore à Communione, vel singulis annis non confitens, illamque non sumens an sit suspectus de hæresi itaut puniri possit in S. Officio.*

73 *Vel potius puniri possit ab Episcopo.*

74 *Eucharistiam sumens ad explendam corporalem satietatem dicitur suspectus de hæresi, & de ratione.*

75 *Furtum Pixidis, in qua asseruatur Sanctissimum Sacramentum, an, & quando puniri possit in Sancto Officio, & num. 77. cum seqq.*

76 *Furtum rei sacræ grauissimum sacrilegium continens suspicionem malæ credulitatis, & de ratione.*

77 *Sacrilegium seclusa mala credulitate est crimen mixti fori, in quo inter Iudicem Ecclesiasticum, & secularem attenditur præuentio.*

82 *Furtum sacræ Pixidis an gaudeat immunitate Ecclesiastica, & num. seq.*

83 *Immunitas Ecclesiastica non prodest Hæreticis, nec suspectis de hæresi.*

84 *Sacerdos quotidiè celebrans, nec visus vnquam confiteri an, & quando sit suspectus de fide, & num. seq.*

85 *Confessio Sacramentalis Communioni præmittenda.*

86 *Sacerdos indutus vestibus Sacerdotalibus mortaliter peccans, & deinde absque confessione celebrans, an possit puniri in Sancto Officio.*

87 *Quid si nocte antecedente dormiat cum Meretrice, & mane accedat ad celebrandum absque Confessione.*

88 *Sacerdos communicans fideles cum pluribus Particulis sine necessitate, an possit puniri in Sancto Officio.*

89 *Et an debeat abiurare.*

90 *Quid si communicet cum maiori Particula, vel Hostia grandi.*

91 *Infirmus petens Viaticum, & volens illum recipere in hostia non consecrata, an, & quando sit suspectus de fide.*

92 *Puer sumens Particulam, illamque extrahens ab ore, & proijciens prohibendus à susceptione Eucharistiæ.*

93 *Quid de muliere idem perpetrante.*

94 *Eucharistia sumpta si ab ore per aliquem extrahatur, & in sudario reponatur, quid agendum.*

95 *Missam celebrans non promotus ad Sacerdotium quomodo expediendus, & numeris sequentibus.*

96 *Verba consecrationis prolata per non Sacerdotem non conficiunt Sacramentum Eucharistiæ, & num. 106.*

97 *Celebratio Missæ facta per non Sacerdotem quomodo puniatur.*

98 *Quid si celebrans sit minor.*

99 *Missæ celebratio facta per non promotum etiam prima vice punitur per traditionem Brachio seculari, & num. 118. cum seq.*

100 *Abiuratio relaxatis Brachio seculari non iniungitur.*

101 *Et quando sit iniungenda non promoto Missam celebranti.*

102 *Attentans Missam non promotus celebrare, & deinde pœnitens, vel impeditus non celebrans, an, & quantum dicatur suspectus de hæresi, quomodo debeat abiurare, & an abutatur Sacramento Eucharistiæ.*

Attentans delictum, quod perfectum redoleret vehementem suspicionem hæresis, puta polygamiæ, illudque non perficiens, an, & quantum dicatur suspectus de hæresi, & quomodo debeat abiurare.

103 *Missam incipiens non promotus, & non perficiens quando sit puniendus, & numero sequen.*

104 *Missa celebrata per non promotum causat Idolatriam in ipso celebrante, & in alijs Christifidelibus, & num. 106.*

107 *Sacerdos fictus celebrans, & non consecrans an sit puniendus pœna ordinaria.*

108 *Numerus pluralis vno non contentatur.*

110 *Testes deponentes super celebratione Missæ facta per non promotum quomodo debeant interrogari.*

111 *Testes singulares an, quando, & quomodo admittantur ad probandam celebrationem Missæ factam à non promoto.*

112 *Promotio ad Sacerdotium probari debet ab allegante.*

Diligentiæ quas adhibet Suprema &c. quando celebrans Missam, quem dubitat non promotum, allegat se esse promotum.

Falsitas patratur à faciente se Clericum, vel Sacerdotem, & in actibus Clericorum se ingerente cum talis non sit, qui vti falsarius punitur.

Et quomodo probetur hæc falsitas.

113 *Sacerdos, de cuius promotione dubitatur, si appareat ordinatus ad Diaconatum, nec reperiantur libri ordinationum, & adsint testes de publica voce, & fama eius Sacerdotij, an, quando, & quomodo puniri possit.*

114 *Sacerdotium probatur ex diuturna possessione, & celebratione Missarum.*

115 *Negatiua promotionis probanda est per allegantem contra illum, qui in Sacerdotio diu inseruijt, & de ratione.*

116 *Sacerdotium resultat ex leuioribus probationibus, quando qui pro Sacerdote se gessit est bona famæ, & de ratione.*

117 *Clericatus probatur per famam concurrentibus adminiculis.*

Sacerdos

118 *Sacerdos verè promotus sponte comparens, & allegans se celebrasse non promotum, quomodo fuerit expeditus.*
119 *Punitio Celebrantis non promoti, & apostatantis à fide.*
120 *Clericus ministrans sine Ordinibus, de quibus admonendus sit in expeditione.*
Laicus inseruiens scienter non ordinato ad Sacerdotium in celebratione Missæ, quomodo fuerit expeditus.
121 *Instructio Ordinariorum ne Missæ celebrentur à non promotis.*
123 *Episcopus an possit punire Regulares Missam celebrantes non promotos ad Sacerdotium.*
124 *Episcopus an possit prohibere ne Regulares in suis Ecclesijs permittant Sacerdotes ab ipso non admissos.*
125 *Vsus Missæ siccæ an sit licitus.*
126 *Laicus ministrans Sacramentum Eucharistiæ extra casum necessitatis, an sit suspectus de hæresi.*
Hæretici asserentes omnes Christianos ministrare, & distribuere posse Sacramentum Eucharistiæ.
127 *Laicus an possit administrare Sacramentum Eucharistiæ in casu necessitatis, & num. seqq.*
129 *Et an in articulo mortis deficiente copia Sacerdotis possit à semetipso sumere Eucharistiam.*
130 *Celebratio an, & quando sit licita in Mari, & in magnis nauigijs, & num. seqq.*
135 *Hostia consecrata si misceatur in Sortilegijs miscens sit suspectus de hæresi, & abutitur Sacramento Eucharistiæ, ac quomodo puniatur.*
136 *Quid de illam conculcante, vel ponente in partibus pudendis.*

1 PARITER reddit se præsumptum in fide Inconstantem, qui abutitur Sacramento Eucharistiæ, nam is suspectus est vehementer de hæresi, Bordon. *in Tribun. cap.22.num.*11. Carena *par.2.tit.*11. *§.* 1. *num.3.*

Abutitur ergo primò Sacramento Eucharistiæ Sacerdos, qui celebrat super re-
2 bus aptis ad sortilegia, vt sunt hostiæ non consecratæ certis notis exaratæ, vel litteris, seu characteribus sanguineis educto sanguine ex digito anulari, sine alio super cuticula, qua caput infantis nascentis est inuolutum, quam *chartam virginem* appellant, super massa cruda panis coacta in placentam super magnete, seu lapide, quem vulgo appellant *Calamitam*, vt notat Martin. del Rio *disquis. magic. sect.*16. *vers. Sacerdos celebrans*, & ex eo Alberghin. *cap.* 18. *sect.*2. *§.* 1. *num.*11.

Idem est si Sacerdos celebraret super
3 herbis, vel aliis materijs aptis ad malefica conficienda, & præsertim, vt accidit mensibus præteritis, si quis indutus vestibus Pontificalibus celebraret super libro, quem vocant *del Commando*, Menoch. *de Arbitrar. cas.*388. *num.*12. & 14. Farinacc. *quæst.*20. *num.*107. Sousa *in Aphorism.lib.*1. *cap.*58. *num.*13.

Prout de eo scelesto Religioso, qui publicè abiurauit in Basilica Sancti Petri, nam pro Hostia consecrabat monetam, & ideò fuit damnatus ad triremes in perpetuum.

Abutitur etiam Sacramento Eucharistiæ, qui Missam Defunctorum celebrat
4 pro viuentibus, vt moriantur, vt ex Concilio Toletano refert Gratian. *in cap. Quicumque*, 26. *quæst.* 5. Menoch. *d. cas.*388. Farinacc. *d. quæst.*20. *num.*106. & 107. Sousa *loco cit. num.*12. Alberghin. *loco cit.n.*11. Thomas Hurtado *resolut. moral. tractatu* 5. *cap.*6. *resol.* 57. *à num.* 1176. qui priùs *in tract.*5.*cap.*2. *num.*49. dixit, eum esse suspectum de hæresi, qui dicit, vel facit celebrare Missas pro sponso, & sponsa, vt inducatur mulier ad amorem lasciuum.

5 Sed an hi incurrant Irregularitatem, affirmat Maiolus, negat tamen Suarez *de Censur. disp.*42. *sect.*5. *num.*7.

Abutitur pariter Sacramento Eucharistiæ, & Sacrificio Missæ, qui celebraret
6 Missas pro damnatis, & reddit se suspectum in fide, vt voluit in specie Thomas Hurtado *tom.*1. *resol. moral. tit. de Delictis generantibus suspect. in fide tract.* 5. *cap.* 6. *resol.*51.

Licèt enim aliqui Doctores voluerint, quod possit offerri Sacrificium Missæ, & orare pro damnatis, non vt à tota pœna liberentur, sed solùm vsque ad diem Iudicij, & tunc reassumptis corporibus iterum æterno supplicio esse damnandos, vt voluit Prepos. *in Compend.Theol.* vel secundum Gloss. *in cap. Tempus, ver. pro valde* 13.*q.*2. Non quidem, vt liberentur, sed vt leuiùs puniantur, quod voluit etiam Gilibertus Poretanus *in quæstion. Theologic.* & Altisiodoren.

Nihilominus huiusmodi opiniones sunt præsumptuosæ, & temerariæ, & Sanctorum
7 dictis contrariæ, vanæ, & nullo suffultæ fundamento, vt voluit D. Thomas *in* 4. *distinct.*45. *art.*2.*quæstiunc.*1. Vasquez 3.*par. disp.*227. *cap. vlt. num.*36. qui addit, ad fidem Catholicam pertinere, pro damnatis orare non licere: de fide enim est, pœnam Inferni esse æternam, Diuus Thomas 1.2. *quæst.*87. *art.*3. & ità definitum est in Symbolo Athanasij, & in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio *cap.* 1. & in Tridentino *sess.*14. *can.*5. & 30. benè Sotus *in* 4. *distinct.*45. *quæst.*2. *art.* 2. qui quatuor conclusionibus totam absoluit materiam contra Origenem, qui asserebat damnatos aliquando fore saluandos.

Qui ergo oraret, & Sacrificium offerret pro damnatis, meritò tanquam præ-
8 sumptus Inconstans in fide esset ab Inquisitoribus puniendus, vt voluit doctissimus Moura *de Incantationibus, sect.2. cap.2. numer.* 69. quamuis contra eum parum modestè inuehat Thomas Hurtado *loco citato num.*732. vocans eum malum Theologum, & minus bonum Canonistam.

Et licet Suarez *in 3. par. tom.2. disp.43. sect.3. §. Nihilominus*, dicat opinionem,
9 quod quis à gehennæ pœnis fuerit liberatus ex Diuino priuilegio, esse temerariam quia contra regulas generales Scripturæ, non tamen esse erroneam, vel hæreticam, quia, inquit, non est de fide, generalem illam legem, nullam dispensationem, vel priuilegium admittere; nihilominus contrarium tenet, & benè probat idem Emanuel de Moura *loco cit à num.*7. quem sequitur Barbosa *ad cap. cum Marth. §. Quæsiuit, de celebrat. Missar.* Idem Moura latè respondet ad Historiam Traiani, & ad alias relatas ab Auctoribus, quas congerit Thomas Hurtado *loco citato*.

Et vlterius suspectos in fide asserit eos, qui in concionando dicerent, in die
10 Assumptionis Beatæ Virginis, vel in die Sabathi, damnatos in Inferno non torqueri, vel qui tenerent opinionem, quod pœna damni, & sensus in Dæmonibus quidem esset æterna, non autem in hominibus.

Vel quidem esse æternas respectu Christianorum, non autem Infidelium: vel in Regibus, & Tyrannis esse æternas, non autem in inferioribus: vel qui dixerit pœnas Inferni Sanctorum orationibus interdum mitigari.

Et errorem in fide intolerabilem vocat, quod anima decedens in mortali, possit ab Inferno liberari ex vi deuotionis, aut Confraternitatis cuiusuis Beatæ Virginis:
11 aut decedentes in peccato mortali pertinere modo aliquo ad ignem Purgatorij; & hæc omnia *à num.*82. *vsque ad* 85.

12 Et P. Suarez ex mente Theologorum *tom.4. in 3. par. disp.47. sect.* 1. dicit, hæreticam esse opinionem eorum, qui dicunt, decedentes in peccato mortali non esse dignos pœna ignis æterna.

Sed de principali quæstione: An liceat orare, & Sacrificium offerre pro damnatis, videndi sunt plures allegati à Pasqualig. *de Sacrificio nouæ legis, to.*1. *quæst.* 156.

Qui tamen P. Petauium non allegauit, is enim *to.3. Theolog. dogmat. lib.3. de Angel. c.8. n.15. vsque ad fin.* affert nonnullos SS. PP. & præcipuè S. Augustinum *in Enchiridion. & in cap.*112. *super Psalm.* & S. Io: Chrysostomum *pluribus in locis*, S. Io: Damascenum, & Prudentium, qui tenent per eleemosynas, & Sacrificia, animas damnatorum aliquantulum à pœnis sublenari: Sed idem P. Petauius concludit *in fine d. cap.* 8. quod cum nihil de hac quæstione decretum sit ab Ecclesia, non temerè, tanquam absurda, sit explodenda hæc Sanctorum Patrum opinio.

At cum *de anno* 1681. *seu* 1682. quidam Concionator in Ciuitate Regij Lepidi, dum exhortaretur Fideles ad erogandas pauperibus eleemosynas propositionem hanc protulisset, *ab eleemosynis pœnas damnatorum aliquantulum sublenari*, murmur excitatus fuit inter Audientes, & relata propositione ad S. Congregationē S. Officij, quæstione discussa inter Consultores, resolutū fuit dictum Concionatorem cogendum esse ad se retractandum à dicta opinione, quam resolutionem Sac. Congregationis S. D. N. Innocentius Vndecimus approbauit, & sic exequutum fuit; euocatusque Concionator à Ciuitate Venetiarum, coactus fuit redire Regium, & in Cathedrali Ecclesia in publica Concione habita, prædictam opinionem retractare, & confutare iuxta formulam sibi traditam; & propterea dici non potest quod adhuc per Ecclesiam Catholicam super hac quæstione nihil actum sit.

Abutitur pariter Sacramento Eucharistiæ Sacerdos, qui consecraret in altera
13 tantum specie; nam de fide est, in vtraque specie debere consecrari, & offerre Sacrificium, vt patet ex Tridentino *sess.22. cap.*1. vbi habetur:

Vt Ecclesiæ relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, &c. Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem. *Et infra*: *Se ipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc Mundo ad Patrem, quandò per sui Sanguinis effusionem nos redemit, instituit.*

Fuit ergo institutum hoc Sacramentum à Christo sub vtraque specie ad re-
14 præsentandam suam Passionem, & mortem; ità Card. de Lugo *de Sacramento Eucharistia disp.*19. *sect.*8. *num.*106. Auersa *de Sacramento Eucharistia, quæst.2. sect.1. vers. de obligatione*, Trullench. *in praxi resolut. Sacram. lib.2. cap.1. dub.4.* post D. Thom. Sotum, Suarez, Bonacin. qui omnes dicunt, hoc esse ex præcepto Diuino.

Multò peius abutitur Sacramento Eucharistiæ, & Missæ Sacrificio Sacerdos ille,
15 qui post consecrationē panis, & vini, vnam tantum speciem sumeret; hanc enim diui-

ſionem vocat Gelaſius Papa *in cap. Comperimus, de conſecr. diſtinct.2.* Grande ſacrilegium, & priùs vocauerat ſuperſtitionem; & ibi Gloſs. *in ver. Quia diuiſio*, dicit, impoſſibile eſſe Corpus Chriſti ſine Sanguine ſumi.

Cardinalis Turre-cremata *in d. cap. in princ.* dicit, quod ex hoc capitulo inſurrexit error Bohemorum, quod de neceſſitate
16 ſalutis hoc Sacramentum ſumendum eſſet à Chriſtifidelibus ſub vtraque ſpecie, non aduertentes loqui Pontificem in hoc capitulo, de Sacerdotibus, non de laicis.

Sed an Summus Pontifex poſſit diſpenſare, quod poſſit conſecrari in vna ſpecie.

Albertus Magnus relatus à Turre-cremata *in d. cap. Comperimus*, dicit, quod in terris, vbi vinum haberi non poteſt, ſibi
17 videtur quod ſit diſpenſandum à Sede Apoſtolica, vt Corpus Chriſti ſine Calice haberent, & conficerent Sacramentum, ex quo Corpus Chriſti non eſt ſine Sanguine, & Diuinitate, quamuis non ſit ibi Sanguis ex virtute conſecrationis, & Sacramenti.

Sed hanc quæſtionem latè diſputat Pater Vaſquez *tom.3. quæſt.83. art.1. diſp.223. cap.3. in 2. qu.* qui tenet, Summum Pontificem nullo modo diſpenſare poſſe, eo quia non eſt data ei poteſtas diſpenſandi in eſſentia Sacramentorom, & Vaſquez ſequitur Card. de Lugo *loco cit.*

Qui duo benè reſpondent ad exempla diſpenſationum, quæ in hac materia aſſeruntur fuiſſe conceſſas ab Innocentio Octauo, Alexandro Sexto, ſola auctoritate Volaterani ſuffulta, qui in hac materia æquiuocauit, nec inueni in Regiſtris Sancti Officij talem materiam examinatam; ſed ſolum inſtantibus Patribus Ie-
18 ſuitis Miſſionarijs, an poſſit conſecrari in vino expreſſo ex vuis paſſis, ſiue ex zebibo. Quod dubium fuit, ſi rectè memini, reſolutum, quod ſi vuæ paſſæ ſunt adeò coctæ ab igne, vt ab illis non poſſit extrahi ſimpliciter vinum; tunc non ſit materia apta conſecrationi; ſi autem non ſint taliter coctæ ab igne, vt in illis non poſſit eſſe mutatio ſubſtantialis, ſed vinum ab illis extrahi purum, tunc poſſit adhiberi illud vinum ad conſecrationem; quam diſtinctionem fecit Verricellus *d. tract. de Miſſionibus, quæſt.139. in fine*; quod idem tenet Amicus *in curſu Theologico, tom. 7. diſp.16. ſect.3. num.34.* quem ſequitur Pater Diana, quamuis ipſe dicat audiuiſſe à viris fide dignis, quod ex vuis paſſis optimum eliciatur vinum, licet apponantur vuæ paſſæ intra aquam, niſi aqua eſſet in maxima quantitate, quæ tamen quantitas non obſtaret, ſi ſuccus elicitus inebriaret, nam tunc vinum eſſet, & nihil quantitas aquæ appoſitæ officiet. Sic Pater Diana *par.7. tract. 12. Miſcell. reſolut. 8.* vbi quærit etiam; An hoſtiæ rubræ ſint materia apta ad conſecrationem.

Sed an liceat anticipatè ante mortem celebrare, vel celebrari facere Miſſas Defunctorum, ſiue *de Requiem* pro ſuffragio animæ ſuæ, vt à pœnis Purgatorij liberetur, fuit aliàs dubitatum in Sac. Congregatione Concilij, ſed non reſolutum. Protuli Votum meum, prout ſequitur:

19 AFFIRMATIVAM tenēt opinionem, Nauarr. *conſ.6. de celebr. Miſſar.* qui tamen nihil allegat Pinell. *de Miſſa, lib.2. cap.7. quæſt.3.* Zerola *in praxi 2. par. ver. Miſſa*, Homobonus *in examine tract.4. cap.14. quæſtion.12.* Barboſa *in remiſ. ad cap.2. ſeſs.22. de celebrat. Miſſar.* Bartholom. à S. Fauſto *de Eucharistia, lib. 2. quæſt. 148.* Fagundez *ad Præcepta, lib.3. cap.10. num.13.* Peyrin. *tom.3. in Addit. ad Conſt. Pyrri, cap.1. nu.21.* P. Lezana *ver. Miſſa, num.54.* Lanor. *de Indulgen. par.2. cap.30. num.155.* Marchin. *de Sacramento Ordinis, tract.3. par.1. cap.34. num.7.* Leander *de Sacram.8. diſp.4. qu.23.* quos allegat, poſt hæc ſcripta viſus P. Paſqualig. *de Sacrificio nouæ legis, tract.1. de Miſſis Defunctorum, quæſt.292. num.1.* Addo Fr. Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacram. par.3. de Sacramento Pœnitentiæ, diſput.13. quæſt.5. verſ. Quæres quartò.*

Fundant primò hanc opinionem in auctoritate Diui Gregorij *lib. 4. Dialog. cap. 58.* ibi:

20 *Tutior eſt via, vt bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe dum viuit per ſe, beatius quippè eſt liberum exire, quàm poſt vincula libertatem quærere.*

Secundò, quia hoc Sacrificium videtur inſtitutum à Chriſto, vt poſſit prodeſ-
21 ſe ei, cui applicatur pro quacunque neceſſitate, etiam futura, dummodò tunc temporis ſit capax, itàut interim non maneat ſuſpenſus effectus illius, ſed veluti reſeruatus in acceptatione Diuina ad modum, quo Theologi dicunt, merita mortificata per peccatum manere in Dei acceptatione tribuenda, dùm homo capax illorum fuerit, & ſic hoc non eſt ſimpliciter loquendo applicare pro viuis, ſed pro mortuis, quia applicatur pro viuis pro tempore, quo mortui fuerint.

22 Tertiò, quia non ſolum hoc fauet pietati viuentium, ſed etiam humilitati, & memoriæ mortis, quæ vtilia ſunt hominibus.

23 Quartò, quia hoc eſt optimum conſilium id facere, ne poſteà hæredes, vt frequenter ſit, pigri ſint, & negligenter ſe gerant in huiuſmodi ſuffragijs.

Quintò, quia ità geſſiſſe pios viros, & ſanctitate, & doctrina inſignes conſtat ex

Historiis; nam de Alberto Magno testatur Ferdinandus del Castillo *in Historia generali Sancti Dominici, par. 2. lib. 3. cap. 46.* & de Henrico Episcopo Ratisbonen. testatur Ondus *in Historia*, Hæc omnia, P. Lezana. Addo ego morti proximum ità fecisse Carolum Quintum, vt testatur Siguenza *in Histor. Herem. Sancti Hieronymi, 3. par. lib. 1.* P. Famianus Strada *in Historia Belgica, lib. 1. pagina mihi* 17. cuius sunt verba:

Postremò exequiarum occasione, quas matri persoluerat, incessit animum cupido (si liceret) & suas celebrandi; reque communicata cum Ioanne Regula ex Hieronymiana familia, qui eius conscientiam moderabatur, cum id insolitum quidem, & inauditum, pium tamen, & salutare dixisset apparari funus sibi quamprimùm iussit. Ergo excitatur in Templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale sacrum mœsto Monachorum cantu peragitur, ipse funeri superstes suo spectabat in illo imaginario munere veras suorum lachrymas, audiebat exequiale carmen, placitam sibi requiem beatas inter sedes implorantium, eademque ipse sibi suffragia psallentibus immixtus exposcebat, donec Sacrificanti propior factus, eique tradens, quam gestabat accensam facem sublatis in cœlum oculis: Ego te, inquit, vita, ac mortis arbiter oro, quæsoque, vt quemadmodum oblatum hunc à me cereum, Sacerdos capit, sic commendatam in manus tuas hanc animam, tu quandocumque libuerit tibi in finus, complexusque tuos benignè suscipias tunc, vt erat pulla, laxaque opertus veste, humi procubuit, renouatisque omnium, qui aderant, lachrymis, quasi depositus suprema lamentatione deploratus est.

Sic Famianus *in Historia Belgica lib. 1. pag. mihi* 17.

25 Et Garzias *in opere morali*, mox citando dicit, in Hispania nonnullos vti hac consuetudine, & fuisse præsentem in vno ex dictis casibus.

26 Et dum Ego morabar Matriti, rumor erat constans, Comitem-ducem de Oliuates ferè quotidie exequias sibi apparari.

27 Et eam vigere in Ducatu Lotharingiæ testatur Lucas Pinellus *de Missa par. 2. cap. 7. dub. 3.* quem referunt Diana, & Layman. *mox citandi*, & Pater Lezana *loco superiùs citat.*

Conclusionem declarant nonnulli, dummodo scilicet in Missa non recitentur illæ orationes, quæ supponunt aliquem iam esse mortuum.

Sed hanc declarationem impugnant Fagundez, Bartholomæus à Sancto Fausto,

28 & P. Lezana, quia etiam in Missis defunctorum dicuntur orationes pro iis, qui multò ante decesserunt, & iam sunt in Purgatorio, nempe *ne cadant in obscurum, ne absorbeat eas Tartarus*; & propterea hoc non erit mendacium, quia ne committetur, sufficit, quod Ecclesia repræsentet eas animas Christo tanquàm agonizantes; ità in casu, de quo agitur, Sacerdos repræsentat animas Christo, acsi essent mortuæ.

29 Negatiuam tenent opinionem Layman. *lib. 5. tract. 4. cap. 2. num.* 15. Fraxinell. *de obligat. Sacerdotis sect. 4. prælud. 4. §. 4.* Puteus *de Missa lib. 2. disput. 4. quæst. 1. num. 2.* Frances de Negio *in add.* ad Ritum *par. 2. reg. 8. quæst. 5.* Trimarch. relat. à Puteo, P. Diana *par. 5. tract. 13. resolut. 2. & par. 9. tract. 2. resolut.* 18. P. Auersa *de Sacram. Eucharistiæ quæst. 12. vers. Imò in quibusdam*, Castro-palao *tract. 22. disput. vnic. punc. 6. nu. 3.* Garzias *in Summa tract. 3. diff. 10. dub. 7. num. 13.* P. Pasqualig. *loco superiùs cit.* Quartus *in rubr. Missal. par. 1. tit. 5. dub. 9. vers. Secunda sententia.*

30 Fundant primò, quia iste Ritus non est conformis Ritui, & Ordinationi Ecclesiæ Romanæ.

31 Secundò, quia ex hoc Sacrificio nullus fructus prouenire potest viuo: Nam fructus ex opere operato, nempe quatenùs oblatio fit in Christi persona, hic statim prouenit ei, pro quo offertur, si capax, nec potest in futurum suspendi, ergo non liberabitur homo à Purgatorio, sed solùm conferet ad remissionem pœnæ temporalis, dùm est viuus, quod potest consequi per alia Sacrificia; alius verò fructus, qui vocatur *impetratorius*, & descendit à precibus in Sacrificio oblatis, cum illæ sint institutæ pro mortuis, non solùm impertinenter, sed superstitiosè applicantur viuis.

32 Tertiò, quia Sacerdos non potest propria intentione in his suffragiis immutare intentionem Ecclesiæ, quæ est, vt huiusmodi Sacrificia, & officia offerantur, & dicantur pro mortuis.

33 Quartò, quia non potest applicari fructus Sacrificij sub conditione futura, vt volunt Suarez, Vasquez, & alij citati à Castro-palao *loco cit. num.* 18.

Et propterea Sacra Congregatio de mandato Pauli Quinti improbauit illam consuetudinem, qua innitebantur aliqui, qui Missas celebrabant ea intentione, vt prodesse illi, qui primo eleemosynam erogabat, Barbos. *in remiss. ad Concil. sess. 22. in princ. & de potest. Episc. alleg. 24. num.* 12.

Hisce sic firmatis, facilis est responsio ad contrariæ sententiæ fundamenta.

34 Nam quoad primum innixum auctoritate Sancti Gregorij respondetur, Sanctum loqui generaliter de bonis operibus, non autem de Sacrificio Missæ.

Ad secundum, quia non est laudanda consuetudo, si Sacrificium ea intentione

35 fiat, vt illius fructus reseruetur in acceptatione diuina, quia inutilis, & infructuosus est, cum *vt supra dictum est*, non possit applicari sub conditione futura, & propterea non potest Sacerdos applicare fructum Sacrificij peccatori in mortali existenti sub conditione, si à peccato resurgat, vt ex multis Castro-palao *loco cit.*

Ad tertium, de memoria mortis potest responderi, quod efficaciter excitari poterit cum reiteratione Officij Defunctorum.

Ad quartum, timor ne hæredes adimpleant præceptum testatoris circa suffragia, non est tantæ virtutis, vt propter illum debeamus mutare Ritum Ecclesiæ.

Ad quintum, dic, quod viri illi hoc faciebant ad excitandam mortis memoriam, vt benè explicat Castro-palao *loco citato*, quàm tamen consuetudinem tanquam superstitiosam omnino esse abolendam, dicit idem Auctor.

Et propterea P. Famianus *loco cit.* dùm recitat factum à Carolo Quinto dubitat, an id liceret, & dicit, nouum fuisse inuentum.

36 Sum ergo in voto, superstitiosam hanc consuetudinem esse ab Ecclesia eliminandam: Dixi *superstitiosam*, quia superstitio est, quando adhibetur nomine Ecclesiæ cultus Deo, eo modo, quo non est institutus ab Ecclesia, sed diuerso, Sanchez *ad præcept. Decal. lib. 2. cap. 37.* Layman. *lib. 4. tract.* 10. *cap.* 1. Suarez *de Relig. to.* 1. *lib. 2. cap.* 1.

SED post hæc scripta incidi in lectionem vitæ S. Theodosij Cœnobiarchæ, descriptam à P. Ribadeneira *in to. 2. Sanctorum extrauagantium sub die* 11. *Ianuarij*, ipse enim scribit dictum sanctum virum sepulchrum sibi condidisse, vt sibi, & suis Monacis prestò esset memoria mortis, & dum ipse sciscitaretur quisnam vellet illud ingredi sepulchrum, Basilius quidam illius discipulus, & Sacerdos benedictionem petijt à Sancto Theodosio, & se obtulit ingressurum illud sepulchrum, quo ingresso dicitur superuixisse per quadraginta dies, iussit S. Theodosius pro illo Officium defunctorum celebrari, quo circa apparet huiusmodi actum non fuisse superstitiosum, & propterea potuisse Carolum Quintum sibi adhuc viuenti, & in feretro posito, mandare Officium defunctorum celebrari. Sed exempla Sanctorum sunt potiùs admiranda, quàm semper sequenda.

37 Quare si adderetur Scienter vnum *Alleluia*, vel *Credo* Missæ, contra Ritum Ecclesiæ, esset superstitio, Layman. *loco cit.* Quid dicendum erit, quando pro viuis offertur Sacrificium eo modo, quo institutum est pro mortuis, quod est omnino contrarium Ritui Ecclesiæ, qui est, quod Missæ de *Requiem* celebrentur pro defunctis, & non pro viuis, iuxta Decretum Concilij Tridentini *sess.* 22. *de celebratione Missarum*, & reformationem Missalis factam à Beato Pio Quinto.

Quæstio tamen hæc in Sacra Congregatione Concilij non fuit decisa, sed eius resolutio dilata.

Abutitur pariter Sacrificio Missæ, qui in eo nefandas, & turpes preces recitat, vt de eo Sacerdote, qui captus amore

38 cuiusdam Monialis nomine *Claræ*, in suis precibus illam nominabat cum titulo Sanctæ Claræ, Girland. *de Sortileg. quæst.* 17. Menoch. *dicto cas.* 385. *num.* 15. Farinacc. *dicta quæst.* 20. *num.* 109. Sousa *loco citato num.* 13.

39 Abutitur etiam Sacrificio Missæ, qui ex contemptu omittit aliquam cœremoniam, vel dicit submissa voce ea, quæ alta dicenda sunt, vel è contra, Hurtad. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 1182. quamuis Baldell. *de superstit. lib.* 4. *disput.* 1. *num.* 5. dicat, hunc posse excusari à peccato mortali ex leuitate materiæ.

Item, qui Missam celebrat etiam in occulto, & ex quolibet motiuo, etiam

40 iussu Principis, lingua vulgari; nam hoc prohibetur à Concilio Tridentino *sess.* 22. *Can.* 9. Hurtad. *loco cit.* 1184. vbi talem, ait, esse suspectum de hæresi.

Hæc enim suspicio hæresis oritur ex opinione Hæreticorum nostri temporis,

41 qui asserunt verba Sacræ Scripturæ, Diuinum Officium, & Sacrificium vulgari lingua esse proferenda, & peragenda, quorum rationes benè post Bellarminum *lib.* 2. *de Verbo Dei cap.* 15. *&* 16. refellit Suarez *in* 3. *par. to.* 3. *disp.* 83. *art.* 4. *sect.* 1. *vers. Tertio probabiliter*, super quo etiam videndi sunt Azor. *Instit. moral. to.* 1. *lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 4. *&* 6. & *lib.* 10. *cap.* 35. *quæst.* 14. Alphonsi de Castro *de iusta Hæret. punit. lib.* 3. *cap.* 6. vbi satis latè Salmeron. *to.* 1. *in Euangel. proleg.* 9. *Canon.* 8. Paz. Iordan. *lucubrat. to.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *à num.* 332. nouissimè Pasqualig. *de Sacrificio nouæ legis to.* 1. *quæst.* 222.

Propterea cum in Gallia inter Iansenistarũ opera excusum fuisset Missale lingua Gallica, f.m. Alexander VII. suo Breui de consilio Supremæ illud prohibuit, cuius Breuis tenor est, qui sequitur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

AD aures nostras ingenti cum animi nostri mœrore peruenit, quod in Regno Galliæ quidam perditionis filij in perniciem animarum nouitatibus studentes, & Ecclesiasticas sanctiones, & praxim contemnentes, ad eam nuper vesaniam peruenerint, vt Missale Romanum lati-

no idiomate longo tot Saculorum vsu in Ecclesia probato conscriptum, ad Gallicam vulgarem linguam conuertere, sicque conuersum Typis euulgare, ad cuiusuis ordinis, & sexus personas transmittere ausi fuerint, & itâ sacrosancti Ritus maiestatem latinis vocibus comprehensam deijcere, & proterere, ac sacrorum Mysteriorum dignitatem vulgo exponere temerario conatu tentauerint. Nos, quibus licet immeritis Vineæ Domini Sabaoth à Christo Saluatore Nostro plantatæ, eiusque pretioso Sanguine irrigatæ, cura demandata est, vt spinarum huiusmodi, quibus illa obrueretur, obuiemus incremento, earumque quantum in Deo possumus radices succidamus, quemadmodum nouitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumque plurium malorum facilè productricem abhorremus, & detestamur, itâ Missale prædictum Gallico idiomate à quocunque conscriptum, vel imposterum aliàs quomodolibet conscribendum, & euulgandum; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris perpetuò damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, eiusque impressionem, lectionem, & retentionem vniuersis, & singulis vtriusque sexus fidelibus, cuiusque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris, ac praeminentiæ, licet de illis specialis, & indiuidua mentio habenda foret, existant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso iure incurrendæ, perpetuò prohibemus; Mandantes, quod statim quicunque illud habuerint, vel in futurum quandocunque habebunt, realiter, & cum effectu exhibeant, & tradant locorum Ordinarijs, vel Inquisitoribus, qui nulla interposita mora exemplaria igne comburant, & comburi faciant, in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem sub Anulo Piscatoris die 12. Ianuarij 1661. Pontificatus Nostri anno sexto.

S. Vgolinus.

Die 7. Februarij 1661. supradictum Breue affixum, & publicatum fuit in Acie Campi-floræ, & alijs locis consuetis, & solitis Vrbis per me Gregorium Staggium Apostol. Cursorem.

Carolus Milanus Curs. Magist.

Quo Breui in Gallia publicato statim abolita sunt Missalia prędicta Gallico idiomate exarata.

43 Cæterum an possit permitti in aliqua Regione Infidelium, vt pro faciliori eorum conuersione Officia Diuina, & Missæ Sacrificium Patrio idiomate celebrentur. Hanc quæstionem examinat P. Verricell. *de Apostolicis Missionibus tit. 8. quæst. 140. per totam*, vbi affert Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda fide *sub die 30. Aprilis 1631.*

Sed cum *de anno* 1658. occasione Missionis Episcoporum Gallorum ad propagandam fidem Catholicam in Regno Sinarum fuisset in Congregatione particulari quæsitum, an expediret concedere, vt in dicto Regno Officia Diuina idiomate vulgari, & materno peragerentur; materia hæc latè fuit discussa in pluribus Congregationibus, in quibus interuenerunt Eminentissimi Cardinales Franciscus Barberinus, Brancaccius, ego Albitius, Meltius, Rospigliosus, & Azzolinus; & ex Prælatis RR. PP. Fagnanus, & Albritius; ex Theologis P. Abbas Hilarion Rancatus, P. Lupus Augustinianus, P. Fabrius Societ. Iesu, & D. Leo Alatius; & quia varij fuerunt, volui hic inserere P. Lupi, ac P. Fabri sententias, prout infra.

44 VTRVM expediat permittere nouarum gentium Catholicis in suis Regionibus Missas, & sacra, & officia Diuina vulgari sua, & vernacula lingua celebrare, ac recitare.

Partis negantis argumenta.

PRIMO, non debet concedi Ecclesiis hodie nascentibus, quod Ecclesiæ Christi primitiuæ non fuit concessum. Hæc autem tempore Apostolorum non habuit hoc priuilegium, nam Apostoli cum per totum Orbem dispersi prædicarent Euangelium, nihil tamen scripserunt, nisi aut Hebraicè, aut Græcè, aut Latinè, quæ tres linguæ sacræ sunt, & habentur, vt ex titulo crucis apparet. Itaque Matthæus scripsit Hebraicè, Lucas, & Ioannes Græcè, Marcus Latinè, Paulus etiam ad Romanos Græcam misit Epistolam, nec vllum inueniatur exemplum Scripturæ alterius linguæ factæ ab Apostolis.

Secundò, ipsimet Hebræi mutata post captiuitatem materna lingua, non mutarunt scripturas hebraicas, sed eas semper in eo idiomate conseruarunt; & cum Christi Domini tempore lingua Syriaca vulgaris esset, scripturæ tamen hebraicæ sunt.

Tertiò, Ecclesia Catholica per multa secula non legit scripturas nisi his tribus linguis Hebraica, Græca, & Latina. In toto Oriente, vbi erant variæ Nationes versio septuaginta Interpretum, & aliæ Luciani, & Hesychij, & Origenis omnes græcè legebantur. In Africa, in Europa latinè, quia non erat iis temporibus lingua vulgaris. De Africa testatur Augustinus *lib. 2. de Doctrina Christiana*. De His-

pania Isidorus *lib. de Diuinis Officijs*. De Anglia Beda *lib. 1. Histor*. De Gallia Alcuinus, & Amalarius *lib. de Diuin. & Ecclesiast. Offic*. De Germania Rhabanus *lib. 2. de instit. Cler*. De Italia patet, vt tradit D. Thomas *in Comment. Epist. 1. ad Corinth. cap. 14*.

Quartò, decet, vt cum vna omnium Catholica fides sit, ità, & vna lingua sacra habeatur, atque vt Romana sola Catholica est, ità & expedit, vt latina lingua sacra Romanæ Religionis Officia celebrentur, non excluso tamen priuilegio Græcorum.

Quintò, inter Catholicos est communio fidei, & amoris, decet ergo, vt commercio, & societate linguæ vtantur; quomodo enim poterunt sensu conuenire in sacris, si linguis discrepent? Romana Ecclesia non est Babylonica, vbi fuit diuersitas linguarum.

Sextò, Mysteria non sunt vulganda, cum sint colenda, & veneranda, amittent dignitatem, si fiant communia, ac ex eo sequetur contemptus: Sacramentum Regis abscondere bonum est.

Septimò, nulla est vulgandi necessitas, quæ pauci discunt, & facilè possunt addiscere; Missas, & sacra celebrare paucorum est, non deerunt idonei ad studia linguæ latinæ inter Indigenas, & Europæi Missionarij præsto sint, qui & celebrent, & doceant alios celebrare lingua latina.

Octauò, si detur ista facultas, necesse est verti sacros libros in eas linguas, quod & ipsum difficile est, & dabit occasionem aliis rursùm vertendi, & emendandi, & pro libidine transferendi, & interpretandi, vti nostri temporibus fecerunt Hæretici, & tot erunt versiones, quot capita, & quot opiniones, tot interpretationes.

Nonò, linguæ vulgares omnibus fermè seculis mutationes subeunt, si iis accommodentur scripturæ nouæ, subindè mutationes subibunt, quod minimè conuenit sinceritati, & veritati scripturarum.

Decimò, permissa huiusmodi translatione, & parefactis ità vulgari lingua mysteriis, auferetur discrimen sacrorum, & laicorum hominum; putabunt indocti pares se esse doctis, & magisterium sibi arrogabunt, & quæ Hæretici nostro seculo faciunt, facient illi sequentibus.

Vndecimò, concessa facultate vni Nationi, aliæ Nationes eandem postulabunt, & totius ferè Orbis Prouinciæ volent suis linguis sacra celebrare, cum ratio nulla maior detur, cur huic, quam illi ea potestas fiat, ac proinde omnium gentium linguæ scripturas creabunt, peribit reuerentia, & Religio erga illas.

Duodecimò, Papa Gregorius Septimus Bohæmis postulantibus potestatem ad Officia Diuina lingua Illyrica, seu Sclauonica celebranda, eam negauit, vt habetur *lib. 7. Epistolarum*.

Decimotertiò, in Indice librorum prohibitorum *reg. 4.* sancitum est, *Biblia vulgari lingua passim non permittenda*, quomodò igitur vulgari inter Barbaros permittetur?

Argumenta Partis affirmantis.

Primò, Apostoli variis linguis mysteria fidei tradiderunt, & initio Ecclesię nascētis donum linguarum cum doctrina coniunctum; Cur ergo non diuersis linguis eadem mysteria scribenda erunt?

Secundò, Diuus Paulus Gentium Doctor, 1. *ad Corinth.* 14. hortatur ad istam communionem linguarum Gentes ad fidem conuersas, quas quia videbat non intelligere scripturas Hebraicas, volebat, vt suo idiomate legerent, vt intelligerent quæ legebant, & orabant, consilium autem clarum est: Ait enim.

Etenim si incertam vocem de Tuba, quis parabit se ad Bellum? Ità & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Et paulò post: *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est; Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente; psallam spiritu, psallam & mente.*

Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, *super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit; Nam tu quidem benè gratias agis, sed alter non ædificatur:* Vult omnino *Paulus*, vt vulgus, qui legit, & orat, intelligat.

Tertiò, quamuis inter Iudæos scripturæ solùm hebraicè legerentur, tamen cum propagari fides, & lex gratiæ cepta est, cessauit illa restrictio, quæ erat propria legis Moysi, & ceperunt fieri variæ translationes Bibliorum.

Sex, vltra versionem septuaginta, translationes, Italica, Vulgata Hieronymi, Syriaca, Arabica, Sclauonica, seu Illyrica, & Gothica, vt proprium legis gratię videatur diuersis linguis scripturam loqui, quę vna, vel altera in lege Moysi loquebatur.

Quartò, constat in Primitiua Ecclesia, Christianos Psalmos, & Hymnos, & Cantica spiritualia publicè cecinisse, ità Euseb. *lib. 2. Histor. cap. 17.* Dionys. *cap. 3. nom.* Tertull. *in Apolog. cap. 9.* quo nomine celebratur *Agape* Christianorum, & patet ex Paulo *Ephes. 5.* & ipsemet Paulus *ad Coloss. cap. 3.* eos hortatur his verbis: *Commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus.*

Quintò, necessitas ex penuria Sacerdotum in iis Regionibus, quæ vastissimæ sunt, & Barbarorum in iis degentium, qui non sunt capaces disciplinæ peregrinæ, & quæ regulis traditur, & qui vernaculam

tantùm, & natiuam linguam intelligunt, eamque rudem, & nullis artis præceptis confirmaram.

Sextò, solatium spirituale, quod nascetur ex illo fauore Sedis Apostolicæ, quæ tanquam Mater illis se accommodat, & doctrinam sacram veluti permansum cibum in os immittit, vt possint decoquere; inde alacritas, & studium orietur sine difficultate documenta fidei addiscendi.

Septimò, nulla erit irreuerentia inter illos homines, nullus contemptus Sacrarum litterarum ex ea communicatione propter eorum simplicitatem, & candorem, imò ea multum ad pietatem, & Religionem proficient.

Octauò, nullum item periculum errandi, vel adulterandi scripturas erit, quod sint homines illi simplices, & minimè superbi, & prorsus dissimiles Hæreticis insolentibus, & nimium sibi arrogantibus ob scientiam, qua gloriantur, cum illi Barbari vix vllius altioris doctrinæ capaces sint.

Nonò, sunt deterioris conditionis illi homines in America, & Asia noui Christiani, quàm fuerunt illi veteres Syri, Maronitæ, Armeni, Æthiopes, Sclauones, seu Illyrici, quibus concessum fuit habere Biblia versa in suas linguas vulgares, quibus hodie vtuntur magno cũ solatio, & fructu.

Decimò, licuit olim Gothis, licuit Gallis, licuit Anglis, Missas, & Diuina officia celebrare Patria lingua, etiam post receptam inter eas Gentes, & propagatam Religionem Christianam, ergo liceat in remotissimis Regionibus, vbi fides prædicatur, vti Missis, & officijs vernaculis, & proprijs.

Vndecimò, est Decretum Concilij Lateranensis sub *Innocentio Tertio* statuens, vt vbi permixti sunt Populi variarum linguarum sibi prouideant viros idoneos, qui secundùm diuersitatem linguarum, & Rituum diuina officia celebrent. Estque conforme sacræ illæ scientiæ *Psalm.* 8. *Dominus narrabit in scripturis Populorum*, vbi Hieronymus *Scriptura omnibus legitur*.

Duodecimò, Theodorus Balsamon interrogatus, an liceret Syris, & Armenis propria lingua sacra conficere? Irà respondit: *Magnus Apostolus Paulus ad Romanos scribens, ait: An Iudæorum tantùm Deus? Nonne & Gentium? Certè, & Gentium. Qui igitur rectè in omnibus de fide sentiunt, & si sint Græcæ linguæ expertes, propria Dialecto sacra conficient.*

Decimotertiò, huiusce permissionis approbatio ex Historia Missalis Gothici, quod in ignem Toleti, ad experiendum, vtrum liceret Missa Gothica vti, proiectum non est combustum, sed integrum, & illæsum inuentum: vnde Missa, & Officium Mezarabum hodieque in ea Ecclesia perseuerat; Cuius Historiæ Auctores sunt Hispani Scriptores, & in primis Mariana *lib.* 7. *cap.* 20. præcipuè *lib.* 9. *cap.* 18.

Iudicium Auctoris.

HIS in vtramque partem disputatis censeo negantem esse amplectendam, nam duæ præcipuè affirmantis rationes, idest necessitas intelligentiæ sacrorum mysteriorum, & paucitas Ministrorum, ob difficultatem addiscendi linguam latinam facilè soluuntur.

Primò, quia satis vtrique occurritur erectis Seminariis, & Scholis, vbi pueri illarum Nationum educentur, & instituantur, quo remedio vsi sunt in vtraque India illarum Gentium Pastores, Magistri; quales fuerunt in Orientali Ioannes Albuquereius, & in Occidentali Toribius Mogrouejus.

Secundò, quia nemo illorum sanctissimorum hominum, qui in iis Regionibus prædicarunt, & barbaras illarum Gentes ad fidem maxima ex parte perduxerunt, hoc remedium postulauit, aut probauit, vt fuerunt in Asia Xauerius, Barzeus, Torrius, Riccius; In Africa Sylueria Solanus, Babedus, Ioannes, Sebastianus, Valdiuia, qui studiosissimi propagandæ fidei fuerunt.

Imò ne ipsi quidem Toribio Mogrouejo Limæ in America insigni Archiepiscopo de amplificanda fide cogitanti, nunquam hæc res in mentem venit. Vnum ///lud omnibus placuit Cathechismos vulgari lingua scriptos edere Liturgias, Breuiaria latina retinere.

Tertiò, quia linguæ illæ Barbarorum sunt multæ, & diuersæ, neque facilè erit vnam ex ijs determinare, ac eligere, nec obstat vnam semper inueniri linguam principalem; Nam difficile est, eam à reliquis Barbaris addisci paulò minus, quam Latinam, vti expertus est Toribius in lingua Quircha, vt habetur 16. *cap. eius Vitæ*; Comperit enim inutilem esse prædicationem in ea lingua communi apud Barbaros aliarum linguarum: Quare si addiscenda est illa communis lingua, meliùs est, vt Latina addiscatur, etsi quantò difficilior. Hac de re Pater à Costa in *Historia Indiarum*, cum idiomatum tam multiplex sylua sit, vt in his locis, quæ ipse emensus est, existimet plusquam triginta linguas numerari, easque valdè inter se abhorrentes, & ad discendum difficiles.

Quartò, quia periculum erit, ne postquam videant Barbari sacræ suæ linguæ, & omnia arcana Christianæ Religionis sibi patere, insolescant, & omnium sibi Ecclesiarum regimen velint vsurpare, &

Europæos

Europæos excludere,& Romanæ Ecclesiæ communionem auersari, & Papam paulatim contemnere, & Schisma facere; Certè vinculum hoc Latinę linguæ fideles omnes in officio continet, & memoriam renouat acceptæ à Romano Pontifice Religionis, & reuerentiæ in eum, & obsequij admonet: Sancta sanctè tractanda; Margaritę non sunt ante porcos proijciendæ; Panis filiorum non est mittendus canibus.

Alexander, quod Sacra Hierosolymitana reueritus est, & incognita adorauit, Orbis Imperium acquisiuit. Pompeius quod ea inspexit, & propalauit,Imperium Orbis amisit. Micæ diuini Panis illis Barbaris tanquam catellis tribuendæ; Omnes Genres sua sacra occulta ob reuerentiam habuerunt. Sacra Cereris, & Bonæ Deæ testantur. Non cuiusuis est adire Corinthum. Est vbi *verum sit illum Sybilla*.

Procul ò Procul este profani.

AN liceat, & expediat Episcopis ad Sinarum Regna pro fidei propagatione à Sancta Sede Apostolica mittendis,facultatem concedere (ad faciliorem Populorum conuersionem, & ad maiorem, & breuiorem Sacerdotum nationalium initiandum institutionem) vt Sinenses Missas, & alia diuina officia celebrent lingua materna, cum linguæ latinæ vsus ob eius difficultatem, & Magistrorum penuriam timeatur esse propagandæ fidei impedimento.

Faciunt pro parte affirmatiua.

Primò, Concilium Lateranense *cap.* 9. Ex quo desumptus est, Textus *in cap. Quoniam de offic. Iudic. ordin.* vbi Innocentius Tertius *inquit*: [Quoniam in plerisque
46 partibus eandem Ciuitatem, atque Diœcesim permixti sunt Populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios Ritus, & mores, districtè præcipimus, vt Pontifices huiusmodi Ciuitatum, seu Diœcesum prouideant viros idoneos, qui secundùm diuersitatem Rituum, & linguarum diuina illis Officia celebrent, & Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instituendo eos verbo pariter, & exemplo.]

Secundò, Concessio facta à Ioanne Octauo Sancto Methodio Archiepiscopo Maurensis Ecclesiæ, *vbi inquit* [Nec sanctę fidei, aut doctrinæ aliquid obstat, siue Missas in eadem Sclauonica lingua canere, siue sacrum Euangelium, vel lectiones diuinas noui, & veteris Testamenti benè translatas, & interpretatas legere, aut alia horarum Officia psallere, quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam scilicet, Græcam, & Latinam, ipse creauit alias omnes ad laudem, & gloriam suam] Baron. *ann. Christi* 880. *fol. mihi* 577. Æneas Sylulus *in Histor. Bohem.* & Cromerus, quos refert Azor. *Institut. moral. lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 6. *fol. mihi* 832. qui ex eodem *Sylulo* addit: Cum quidam Romæ contradicerent, & peterent, ne id Pontifex concederet, audita est vox à Cælo missa: *Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei.*

Tertiò, Apostolorum exemplum, qui missi in vniuersum Mundum prædicare Euangelium in die Pentecostes omnes Nationes: *Audiuimus*, inquiunt, *eos loquentes linguis nostris magnalia Dei*, vt *in Actibus Apostolorum*: Vnde diffusi in omnem Terram, & ad fines Orbis Terræ, non priùs Populos Hebræam, Græcam, vel Latinam linguam docuere, sed eorum lingua materna, vel sunt locuti, vel saltem auditi, eosque, vt Euangelium, diuina Officia, Sacrificia,& Sacramenta celebrare,dicere, & administrare docuerunt; Vnde si non inquinatur verbum Dei, si proferatur lingua vulgari, cur inquinabitur, si in diuinis Mysterijs eadem lingua materna proferatur.

Quartò, Consuetudo Populorum, nam Alexandrini, & Ægyptij arabicè, Armeni syriacè, Dalmati dalmaticè, Russij russicè Diuina celebrant, Azor. *loco citato*: Vnde permansit apud illos Christianæ fidei cognitio licèt propter schismata, & hæreses obscura, & infecta: Et fortè si cum Sinicis, & Iaponicis Populis, & alijs Orientalibus in India Euangelicæ prædicationis lumen effulsit,Sacerdotes nationales inibi, & propria, & materna lingua fuissent instructi, nunc non sederent in tenebris, & in vmbra mortis; Nam antequam Latinam potuerint addiscere linguam ob Sacerdotum Latinorum penuriam, insurgente deinde persecutione, Regna illa defecerunt à fide. Ex quibus pars affirmatiua roboratur.

Pro Negatiua, quod nec liceat, nec expediat, faciunt.

Primò, Auctoritas Gregorij Septimi *lib.* 7. sui Regis,qui Duci Bohæmo respondens, *inquit* [Quia Nobilitas tua postulauit, vt secundùm Sclauonicam linguam apud vos diuinum Officium celebrari annueremus, scias huic petitioni tuæ satis nunquam posse facere, & hoc sæpe volentibus liquet, non immeritò Sacram Scripturam Omnipotenti placuisse Deo quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctos pateret, fortè vilesceret, & pateret despectui, vt prauè intellecta mediocribus errorem induceret.]

Et iure merito Gregorius Septimus Duci Bohæmo non annuit, quia vt refert Æneas Syluius *de origine Bohæm.* fuerunt crassissimi errores Ghabaritarum, & Orebitarum, & aliorum, qui sacras Scripturas materna lingua legebant, & non intelligebant.

Quod idem accidit Dauid Georgio omnium Hæreticorum pessimo, qui nullam linguam nouerat, nisi Batauorum, & tamen ex scripturis collegerat, se esse filium Dei, & Messiam, vt patet ex libro, seu epistola, quam contra eius errores edidere Basilienses, Bellarmin. *to.* 1. *lib.* 2. *cap.* 15. *fol. mihi* 144.

Secundò, Reprehendit Innocentius Tertius Abbatem Cisterciensem, quod Canonicos libros gallicè translatos laicis, & mulieribus permittat.

Extant prohibitio, & Decretum Pij Quarti in Indice librorum prohibitorum per Patres Tridentini Concilij *reg.*4 & alia quamplurima Decreta Summorum Pontificum, & rationes apud Iacob. Ledesm. *in suo tract. de Sacr. Scriptur. & Missa sacrif. in quauis lingua non legen.cap.*15. *& seq.f.*10.

Tertio, Concilium Tridentinum *sess.*22. *cap.* 8. *can.* 9. ibi *aut lingua tantùm vulgari Missam celebrari debere*.

Quod factum fuit contra Hæreticos id asserentes, cuiusmodi sunt, Brent. *in Confess.* Vvitteberg.*cap. de horis Canon.* Caluin. *lib.* 3. *Instit.cap.* 20. §.33. Kemnit. *in exam.* 4. *sess. Concilij Tridentini*, contra quos Bellarminus, & cæteri Controuersistæ.

Hoc permittere esset illis Hæreticis morem gerere, illorumq; vel pati irrisionem, vel iactantiam, quod Ecclesiam Catholicam docuerint modum fidei propagandæ: Quare, *ait* Sanctus Gelasius Papa Primus *in sua Constitutione, in Bullario fol. mihi* 2. *incipit*: Valdè mirati quæ maiores nostri diuina inspiratione cernentes necessaria precauerint, vt contra vnamquamque hæresim coacta Synodus pro fide, communione, & veritate Catholica, atque Apostolica promulgasset, ne fineret post hæc nouis retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerunt statuta pulsandi, & quæ Sancti Patres simul congregati sanxerunt in concursum firmum, & stabile esse sanxit Sanctus Leo Papa *epist.* 61. *ad Concilium Calcedonen. epist.* 62. *ad Maximum Antioch. & Concil. Ephes. circa finem*, Concil. Calcedonen. *art.* 5. *can. vlt.*

Quartò, consuetudo totius Ecclesiæ, quæ his tantùm tribus linguis Hebraica, Græca, & Latina vsa est.

In Oriente Constantinopoli, Ponto, Capadocia, Asia minori, Pamphilia, & aliis lingua Græca nationibus non communis, imò dura, & difficilis.

In Africa, & Occidente, Hispania, Gallia, Anglia, Bohæmia, Germania, Italia, lingua Latina vtimur, licèt sit addiscenda, vt latè Sanctorum Patrum auctoritate probat Bellarminus *loco citato*, & Ledesm. *lib. cit.*

Ex quibus pro negatiua concludendum videtur.

Verùm quia pro vtraque parte adsunt Conciliorum, Summorum Pontificum, & Consuetudinis auctoritates, itaut dici possit.

Mulciber in Troia pro Troia stabat Apollo. fortè possent hæc Decreta distinctionis fœdere conciliari, vt scilicet rationes pro affirmatiua militent, cum agatur de fide propaganda; Et pro negatiua adductæ auctoritates locum sibi vendicent in propagata: Nam in prima adest necessitas, & salus Populorum, quæ suprema lex est, in secunda solùm commoditas, vel dilectus, cum adsint Ministri, qui iam propagatam in illis linguis possint conseruare, *& can.*9. *Concil. Trident.* non dicit, non posse celebrari maximè in casu tantæ necessitatis, sed solùm debere in odium Hæreticorum in nostris Europæ Regionibus, in quibus est propagata fides.

Aliud enim est dicere *non posse*, quod tunc impotentiam diceret, & necessitatem; aliud *non debere*, quod solùm notat conuenientiam &c.

Et licèt latrarent Hæretici, si in tantæ necessitatis casu licentia concederetur, non ideo desistendum, cum, vt dictum est, salus Populi suprema lex est, nec ob canum latratum, vel Arcadum maledicta à suo recto cursu, vel deflectit, vel desistit Luna.

Sed in hac indiuiduali concessione mihi maximam ingerunt difficultatem consequentiæ, quæ non solùm in præsenti, sed etiam in futuro tempore mihi sese obiiciunt insurgere posse, non inficior, quod patet ad oculum ad præsens facilitas Instructionis, & Populi, & Sacerdotum nationalium, breuitas temporis in fide propaganda, sed Theorica hæc ad praxim reduci non potest, nisi in eorum lingua Sacra Scriptura, Missæ, Breuiaria transferantur; addo, quia *oportet, & hæreses esse*, vt ait *Apostolus*, vnde etiam necesse erit, Concilia vniuersalia, & sacros Canones, & Sanctorum Patrum volumina transferre, & in hoc potest inueniri lapis offensionis, & petra scandali.

Et omissis cæteris; Quisnam erit ille tam ignarus linguæ Sinicæ, & proprietatis verborum, tam sapiens Sacræ Scripturæ Interpres, vt eam legitimè possit vertere, qui non euertat? Quis post euersionem iudicabit de bona interpretatione, cum hoc ad Sedem pertineat Apostolicam, &

lingua Sinensium nobis est non solùm toto Cælo, sed etiam toto Mundo diuersa, maximè cum non vnica translatio sit facienda, sed prope infinitæ, cum Imperium Sinarum plùsquam sexaginta Regna vastissima contineat? Addo versionem faciendam Iaponiels Insulis, & alijs Regnis Indiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis, quæ ex eadem ratione sibi etiam versionē in lingua materna vindicarent, quod non solùm esset impossibile quasi, sed etiam ridiculum, & plusquam Babylonica confusio, vt latè probat Ledesm. *de Script. Diuin. quanis lingua passim non legen. cap. 20. fol. 149.*

Doctor maximus *Hieronymus* propter vnicam in linguam translationem Vulgatæ, & viuens, & mortuus, quantas passus est contumelias, irrisiones, & iniurias, & tamen necessaria editio Vulgatæ, cum vt ait ipse S. Hieronymus *in Prologo Iosue*, tot esse tunc temporis exemplaria latina, quot Codices, & quanta malignantur quotidie inimici Catholicæ Ecclesiæ Hæretici in Sancto, vel sacras malè vertentes Scripturas, vel nos peruersores, & Scripturarum traditores nuncupantes.

Ex varietate versionum *Simachi, Aquilę, & aliorum*, nonne hæreses, vel hæresum prolatæ excusationes emanarunt?

Quid fieret in tanta linguarum versione (etsi legitimè fuissent) si adinuicem tamen conferantur versiones, ob vel verborum ambiguitatem, vel æquiuocationem, vel ignorantiam, Ledes. *lib.cit.cap.9.fol.46.* cum veteribus verbis noua succedant, & prisca antiquentur. Et sæpe noua, vel sunt in admiratione, vel non percipiatur eorum propria significatio.

Ex nouitate verbi *Hypostasis* per biennium non respondit Sancta Sedes Apostolica Magno Basilio, qui etiam nimio zelo minùs modestè de hac taciturnitate locutus fuit. Vide *Baronium in Annal.* & conquæritur modestissimè, & obseruantissimè S. Hieronymus de S. Damaso Papa, quod nō sibi respondeat, an vna sit Hypostasis, an tres asserendæ ad vtrumq; separatim ostenden. Si Sedes Apostolica declaret, sed Sedes Petri, quæ non decipi, nec decipere potest, voluit priùs rectè informari de illius proprietate, & significatione verbi, & deinde vnam hypostasim esse pronunciauit, & docuit.

Hinc iure merito Ecclesia Catholica non probat versionem Sacræ Scripturæ, vtpotè hæresum fontem, vt apud Controuersistas, & latè Ledesm. *de script. Diuin. quauis lingua passim non legendis cap.18.f.126.*

Sed demus (quod est impossibile) vt omnes translationes fiant optimæ, imò à Sancta Sede approbatæ, quod Nationales non modò Presbyteri, sed etiam Episcopi sint creati, & quod in his Regnis fides Catholica sit propagata, si inueniretur in Regno Sinarum, quod apud nos accidit, vt aliqua nasceretur hæresis, vel malè intelligerentur, & interpretarentur Scripturæ, itaut esset necesse Prouinciale Concilium, vel Generale ex Sedis Apostolicæ auctoritate congregare in illis Regnis: Quomodo poterit Sedes Apostolica suos mittere Legatos instructos, vt decernant, vel iuxta sacrorum Canonum, & sacrorum Conciliorum præcepta, vel iuxta mentem Pontificis Romani iudicent, qui non minus est fidei, quàm paternarum traditionum Custos, vt ait *Sanctus Leo Papa in sua Constitutione 2.* incipit *Omnes qui, in §. vlt. in Bullar. fol.* 1. cum ipsis scire infinitas linguas sit impossibile, sed neque ipsi etiam congregati se ipsos intelligerent ob diuersitatem linguarum, & ignorantiam.

Vbi essent tot Interpretes? Vbi Sedis Apostolicæ auctoritas? In quo Monarcha Christianus nosceretur? Si nec intelligerent Legati, nec intelligerentur, nec ipsi inuicem.

In Concilio Florentino duæ tantùm erant linguæ, Latina, & Græca; Interpretes optimi, & tamen etiam bene dicta malè audiebantur; itaut persæpe cresceret rumor, & contentio, ipso etiam Summo Pontifice, & Græcorum Imperatore pręsente, vt in actis dicti Concilij memini me legisse; Quod cum Elias Armenorum Patriarcha Legatos ad Summum Pontificem Paulum Quintum misisset, suam illi exponens fidem, habitaque à Summo Pontifice responsione, quid credendum esset, vel non conueniente dicto Patriarcha eum suffraganeis in Ciuitate, hærebant animis ob ignorantiam linguæ Latinæ, timentes, ne in versione deciperentur.

Ex quo eueniret, quod si aliquando Sinenses, & alij à veritatis via auerterentur propter ignorantiam linguæ Latinæ, ad lumen veritatis adduci non possent, sed sederent in tenebris, & vmbra mortis; nam vellent obseruare fidem à suis maioribus traditam, vel traditam esse existimantes.

Ex hac causa tanta est Abissinorum Populorum Romanæ Sedi auersio, vt eorum difficilis sit conuersio, nam licèt in principio, vt ait Ledesm. *loco citato* in Diuinis Caldaica vterentur lingua, postmodum decepti, nullam aliam noscentes linguam præter maternam, à Schismaticis (& præcipuè Patriarcha Alexandrino, cui subsunt) firmiter tenent, Latinos esse Nestorianos, quia duas fatentur Naturas, sicut Nestorius duas Personas.

Dioscorum execrandum Hæresiarcham à Sancto Leone damnatum, & à Concilio Calcedonensi in exilium pulsum, vt *ex act.*

Concil. & Epist. Sancti Leonis, ipsi vt Sanctum venerantur, & non modo Sancti Leonis vocem pro Ecclesia Dei recipientes horrent, sed ipsius nomen execrantur, vt ait Nicolaus Godignus *lib. de Abissin. reb. lib. 2. cap. 14.* Et quia non norunt nisi maternam linguam, se esse primos Christianos iactant, Latinos contemnunt, Sedem Apostolicam odio habent, suntque suarum hæresum pertinaces defensores.

Quod idem posset aliquando timeri, & de Sinicis Populis, & alijs, si Latinam ignorantes linguam, solam maternam custodirent, fierentque, & Orbi, & Vrbi incogniti, & à Christomet alieni, & esset nouissimus error peior priore: Quis enim illis persuadere potest, si in errorem incidissent, illos errasse, si inhærentes suis versionibus, nec eos intelligentes Latinos, & Sanctam Sedem Apostolicam explicantem, & corrigentem, non audirent, & semper manerent in ignorantiæ tenebris, nescientes quid Concilia, quod Sancti Patres docerent Latinam nescientes linguam, Ledesm. *loco cit. cap. 19. fol. 137.*

Erit igitur maxima eorum Populorum vtilitas, & fidei Christianæ augmentum, imò necessitas, si quos vna fides amore coniunxit linguarum in Diuinis diuersitas non separet, vt latè probat Ledesm. *loc. cit. cap. 17. fol. 122.*

Omitto incommoda, & scandala, quæ ex translatione vulgari euenire possent, contemptus, & huiusmodi &c. esserque mittere Margaritas &c. & dare Sanctum Canibus, quæ omnia, cum tam nobis, quam illis sint communia, latè afferunt Doctores, *& controuers.* Ledesm. *loco citato cap. 21. fol. 153. & cap. 23. fol. 169.*

Ad hæc ergo respiciens sacrum Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 8. can. 9.* Non expedire decreuit in Diuinis vti lingua vulgari, & ex præteritis erroribus, & scandalis futuris prouidendum censuit.

Venio nunc ad solutionem, seu declarationem auctoritatum pro parte affirmatiua positarum.

Ad primum, pro maiori intelligentia sciendum, quod tempore *Innocentij Tertij* à Latinis Constantinopolis fuit capta, & cum Latinorum, & Græcorum permixtus esset Populus, vnusquisque suos desiderabat Episcopos, quod vt habetur in *Textu*, vbi etiam *Glos.* monstruosum erat in vna Ciuitate duos esse Episcopos, mandauit Pontifex, vt tam Græcis, quàm Latinis darentur idonei Sacerdotes, qui eorum, & Ritu, & lingua Missas, & Diuina officia celebrarent, nec de alijs Populis, vel linguis sermo est, vt *ex aff. dicti Concilij*, quam de Græcis, & Latinis.

Ad secundum de linguæ Sclauonicæ concessione *Ioannis Septimi* asserit Bellarm. *to. 1. lib. 2. cap. 16. obiect. 6.* iustam fuisse causam dictæ concessionis, quia eo tempore (vt refert Æneas Syluius *lib. de origin. Bohæm. cap. 13.*) totum simul Regnum Christi fidem amplexum est, & in defectum Latinorum Sacerdotum minus malum visum est Sclauonicè, quàm nullo modo celebrari, sed deinde crescente Ministrorum quantitate hoc tempore communem totius Ecclesiæ consuetudinem sequuntur, quod idem restatur Stanisl. Hosins Card. Varmien. *Dialog. de Sacro Vernac. legen. fol. mihi 144.*

Adderem ego ad dictam concessionem profuisse Sancti Methodij sanctitatem; Apostolicam fidem iam per Pontificem approbatam, vel fortè, quia Sacra Scriptura iam antea à Sancto Hieronymo fuerat translata in linguam Sclauonicam, quod asserit Kemn. à Bellarm. *citat. loc. vt supra*, licèt se nunquam vidisse talem versionem asserat.

Ad id verò, quod dixit Æneas Syluius de voce è Cælo delapsa respondet Azor. *loco citato* intelligendum esse de cantiunculis, & alijs Dei laudibus vulgari lingua exaratis ad Populi captum, & consolationē prout etiam fit in nostro Oratorio, & alibi passim Romæ, non tamen in Diuinis Officijs publicè celebratis, & missæ sacrificio.

Ad tertium exemplum Apostolorum, nil meliùs, si etiam nos, & illi Populi primitias spiritus haberemus: De modo instruendi nobis non constat, eum ipsi loquerentur varijs linguis, & hoc donum in primitiua Ecclesia Christianis non fuisse denegatum, habemus *ex Act. Apostol.* Mirum sanè videtur, quod in toto Orbe diffusi Apostoli, aliquid de Sacris Scripturis traduxissent materna Populorum lingua in aliqua Orbis parte saltem, vel esset traditio, vel appareret Scripturæ vestigium, aut fragmentum.

Ad quartum, de consuetudine Nationum non liquet, nam non ità de facili inuenitur, quod Romana Ecclesia hanc facultatem concesserit, quod si non fuisset ab illa comprobatum, non facit exemplum, vt ex Textu *in dicto Concilio Trident. sess. 22. cap. 8.*

Necnon in Concilijs Generalibus adhuc non reperij huiusmodi concessionem esse factam, quæ fortè emanauit, vel ex abusu, vel à Patriarchis, & Episcopis Schismaticis, vnde se nil moueri hoc exemplo, ait Bellarm. *loco cit.* & ait Azor. *loco citato*: Id extorserunt Alexandrini Populi Ægyptij, & Armeni in odium Græcorum, à quorum se iurisdictione, & iugo separauerunt.

Dicam autem quid in tanta necessitate pro fidei propagatione faciliori sub correctione, & pace?

Existimarem posse concedi licentiam Episcopis, vt quos in illis Populis aptos nouerint, & in Christianis præceptis eruditos, licèt Latinæ linguæ ignaros, pro nunc ordinarent, & ad Sacerdotium promouerent, docentes eos Missarum sacrificia, officia Diuina lingua Latina celebrare: Ità tamen, vt verborum significationem, seu sensum saltem intelligerent, intendentes id facere, quod Sancta Romana præcipit Ecclesia. Et hoc vsque adeo, quod à Magistris de Latina lingua instruantur, vel ipsi, vel alij, quod facilè, & breui temporis spatio maximè ob Sinarum ingenij perspicaciam fieri poterit, vt & de Iaponicis populis scribit Guido Gualtier. *nella relazione della venuta dell'Ambasciadori Giapponesi fol. mihi* 4. qui refert, ibi esse Scholas, in quibus & Latinam linguam, & Philosophiam maiori quàm Europæi facilitate addiscunt: Hinc cum numerus Sacerdotum latinæ Linguæ peritorum sit sufficiens, Episcoporum arbitrio, tunc neminem alium maternam tantùm linguam scientem ordinare, stante irregularitate ex defectu scientiæ: Quo modo nullum nasceretur inconueniens ob linguæ Latinæ in Sacerdotibus imperitiam, nam multi sunt, qui etiam inter nos vix benè eam nouerint, & intelligant, quæ dicunt, & legunt, perplures, qui nec sacrum Scripturarum, Psalmorum, & Prouerbiorum sensum cognoscunt, quod etiam in lingua Græca, & Latina, & antiquis temporibus euenisse dubium non est, sed sufficit, vt sciant quid faciunt, quidve docent, licet verba non nouerint.

Et fortè in his principijs nascentis Ecclesiæ non par esset, vt rudioribus etiam Magistris secretiora arcana pandantur exemplo Christi Domini, qui dixit Apostolis suis; *Multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo, &c.* propter eorum tunc ignorantiam, & incapacitatem. Vndè etiam Gentiles, Ethnici, Ægyptij sacra enigmatibus, & alijs modis occultabant, de quo *Ledesm. lib. cit. cap.22. f.*168. *&* 185. *& alij passim.*

Cum verò, & linguam Latinam, & Sacram Scripturam, & Cœremonias Missæ, & Diuina officia nouerint, assueti legi Dei ad percipienda secreta cęlestia, & mysteria forent aptiores.

Interim sequentes exemplum eorum, qui in illis Partibus integro seculo præcesserunt, linguæ Latinæ vsum prætermittentes, maximè Sancti Francisci Xauerij Indiarum Apostoli, & aliorum, euitantes tot incommoda, & scandala, quæ possunt oriri Deo negocium commendandum facientes, quæ vt homines noscere & iudicare possumus iuxta Sanctorum Patrum, & Conciliorum, & Canonum decreta, non enim ab homine Deus requirit, quæ supra hominem sunt, & humanam excedunt intelligentiam: Et omnia sub correctione.

AN Neophytis Chinensibus permittenda sit Diuinorum Officiorum celebratio in lingua vulgari?

47 Tres linguas, Hebraicam, Græcam, & Latinam quæ in Dominicæ Crucis titulo fulserint, Diuinis Officijs specialiter, ac priuatiuè Ecclesia consecrauit; Attamen Hebræa sola Hierosolymitana aliæque ex Hebræis vocatæ Ecclesiæ fuerunt vsæ, & solummodò vsque ad Adrianum Principem, & Marcum Hierosolymæ Episcopum primum ex Gentibus. Tunc enim destructo Templo, ac in æternam sepulturam detrusis legalibus, etiam lingua Hebraica de Diuinis Officijs eiecta est, quo nihil penitùs inter Hebræos, & Gentiles.

Atque duo hi è diuerso venientes pariete plenè, & integrè in vnum lapidem angularem vnirentur. Exindè ergo nonnisi Latina, & Græca lingua in Diuinis Officijs sonuerunt, vt scribit Ioannes VIII. *ad Sanctum Methodium Archiepiscopum Morauiensem epist.* 195. Et hinc Ecclesiæ Patriarchales, quo mutuam vnionem profiteantur in præcipuis festiuitatibus Epistolam, & Euangelium Latinè, & Græcè cantant, nequaquam Hebraicè, quia tota Gentium diuersitas iampridem ad duas linguas est contracta.

Nihilominus quæritur, an hæc celebratio alicui Nationi per Ecclesiam Romanam concedi possit? Et ratio dubitandi ex eiusdem Ecclesiæ facto desumitur: etenim Russis, Morauis, Bohęmis, ac Bulgaris Sclauonicam linguam in Diuinis concessit Officijs.

Respondeo primò. Celebrationem hanc permitti posse alicui Nationi, dummodò ea recta fide, ac legitimis causis postuletur. Ità disertè tradit Cardinalis Stanislaus Hosius *in opusculo de Sacro vernaculè legẽdo*; & Ioannes Papa Octauus *ad Stentopulchrũ Morauiæ Principem*, scribit sanæ fidei nihil obstare, in qua lingua Diuinæ laudes peragantur *epist.* 247. Quoniam qui fecit tres linguas principales, ipse creauit & alias omnes ad laudem, & gloriam suam; & nuper Clemens Octauus dũm Russos ad obedientiam reducere satagit, de admittenda in Diuinis lingua Sclauonica nullam fecit quæstionem. Hæc namque res est, quid adiaphorum, quomodo communio vtriusque speciei, Sacrificium ex fermento, Sabathi ieiunium, aliaque plura, de quibus dicit Ecclesiastica Regula, diuersas consuetudines saluti non officere, dummodò eas charitatis vinculo fides vna constringat. Verum ante

omnia peti debet ex recta fide, rectaque intentione, aliter postulantibus respondendum est, quod Galathis circumcisionem, ac alia legalia postulantibus respondit Apostolus: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; Ità respondit, qui Timotheum circumciderat, & se ipsum publicè Hierosolymis legaliter purificauerat: Quia nempè insensati, & à Pseudo-apostolis circumscripti Galathæ legalia, quasi Baptismo vestita fides non sufficeret, vt saluti necessaria postulabant. Sic Eucharistię in pane azymo confectionem Hebionitis interdixit Ecclesia, quod eam necessariam Iudaicè errarent. Sic Eustatio Sebastiensi Episcopo multos adiaphoros Ritus sub anathemate denegauit Synodus Grangrensis, quod res indifferentes erroneo intellectu, ac praua voluntate initiaret. Eademque de causa Hussitis, Lutheranis, atque Caluinistis vtramque Eucharistiæ speciem, Sacerdotum coniugia, & ipsam Diuinorum in vernaculo celebrationem nunquam indulgere voluerunt Synodus Constantiensis, & Tridentina: Ea enim postulabant vt necessaria, aut hucusque consuetis meliora, quo sic Ecclesiam hallucinatam constaret, horumque nouorum Apostolorum correctione indiguisse. Imitata est vtraque Synodus Sanctum Gregorium, qui Gothis in Hispania conuersis, nec ad Sancti Leandri, cuius ministerio Deus eos illuminarat preces trinam Baptismi mersionem concedere voluit, quod illam hoc fine postulari timeret; dùm quod faciebant faciunt, nostrum vnicæ mersionis morem se vicisse glorientur. Peti item hoc indultum, & dari debet ex causis grauissimis. Est enim non libera quædam gratia, sed ex Apostolicis, & fundamentalibus Ecclesiæ consuetudinibus vna, quas in certum est in omnem Neophitam gentem induci debere, nec nisi ex causis grauissimis in vna aliqua contra tot generalium Conciliorum decreta prætermitti.

Et hinc falsum est, Indultum hoc à Romana Ecclesia factum esse Russis, & Bulgaris: Russi quippè non à Romano Pontifice, sed à Patriarcha Constantinopolitano Euangelium, ac eius ministros acceperunt, qui illis quo tenaciùs suo schismati adglutinaret, linguam Sclauonicam in Diuinis concessit, aliaque plura non concedenda. Bulgari omninò à Nicolao Primo acceperunt Apostolos, & Euangelium, nequaquam verò hoc indultum, vti patet ex eiusdem Pontificis epistola ad dictorum Neophytorum consulta: De lingua enim Sclauonica nec iota illic reperitur, aut apex. Eam ergo acceperunt, aut à Patriarcha Ignatio, aut potius à schismatico Photio, qui Bulgaricam Diœcesim Pontifici subtraxit, subtractæque schismatis firmandi causa multas de Romana Ecclesia calumnias persuasit, ac inter varia illis non indulgendo etiam linguam Sclauonicam permisit. Vnum enim ex eius argumentis, vti in vita Nicolai Primi scribit Anastasius Bibliothecarius, erat quod solæ latini sermonis Prouinciæ spectarent ad potestatem Patriarchiã Pontificis Romani: Hoc ergo Indultum nullis vnquam à Romana Ecclesia datum est, nisi solis Morauis à Ioanne Octauo, ad preces *Steutopulchri Regis*, ac petitiones *Sancti Methodij primi Episcopi Morauiensis*. Errant, qui illi, ac eius fratri Cyrillo primam Morauorum fidem adscribunt; Morauos enim dudum antea fuisse Christianos, rectosque in lingua Latina per Archipresbyterum Archiepiscopi Salisburgensis, testatur *vetus Chronicon de conuersione Bauarorum, & Carentinorum*. Ità fuit vsquedum quidam Græcus Methodius nomine, noviter inuentis Sclauonicis litteris linguam Latinam, doctrinamque Romanam, atque litteras auctorabiles Latinas philosophicè superducens, vilescere fecit cuncto populo ex parte Missas, & Euangelia, Ecclesiasticumque Officium illorum qui hoc Latinè celebrauerunt.] *Et infra*.

[Hoc ibi obseruatum fuit, vsque dum noua orta est doctrina Methodij Philosophi: Sclauinas litteras non à Methodio, sed à quodam Constantino Philosopho repertas; In litteris *ad Stentopulchrum Principe* scribit Ioannes Octauus *epist.* 247. Quicquid sit, Methodius, ac eius frater Cyrillus, vti Georgius Cedrenus testatur erat ex illis Clericis, qui iussu Basilij Augusti ab Ignatio Patriarcha ordinati, ac in Bulgariam missi, Romanos Nicolai Primi Clericos eiecerant, atque ideò sub anathemate ab eodem Nicolao Primo iussi fuerant Bulgaria excedere, eamque reddere Romanis eiectis. Obedierunt Methodius, & Cyrillus Romamque venientes ad Adrianum Secundum, sunt ei plenam subiectionem professi.]

Hinc vti *ad Inuentarium de Morauia* scribit Ioannes Octauus *epist.* 194. *&* 195. Methodium in Episcopum ordinauit Adrianus, misitquè in Morauiam verbis, & litteris coram Sede Apostolica professum, quod non in Sclauina, quomodo ex Photij, aut Ignatij indulto apud Bulgaros fecerat, sed in Latina lingua Diuinas laudes ageret, atque in fide, & cunctis Ritibus sequeretur Ecclesiam Romanam; eo iuramento hominem obstrinxit Pontifex, quod ob acta apud Bulgaros se noxium, & suspectum reddidisset. Nihilominus iuramenti oblitus est Methodius, & Re-

gis Stentopulchri, quem aut ipse, aut, vt alij volunt, frater eius Cyrillus sacris vndis abluerat, auctoritate fultus Græcum Ritum induxit, ac linguam Sclauonicam. Hinc fidelem Latinoque Ritui assuetum populum offendit, & diuisit, estque ab illo, non solummodò tanquam Romani Ritus, sed & tanquàm rectæ fidei Nouator ad Ioannem Octauum delatus.

Perperam Ioannes Dubrauius Episcopus Elmucensis *in Historia Bohęmica lib.* 4. id eueniffe dicit sub Nicolao Primo, porrò Ioannes Pontifex Paulum Anconitanum Episcopum misit in Morauiam, qui populum componeret, cogeretque Methodium ad officiandum nequaquam Barbaro Sclauonico, sed sermone aut Latino, aut certè Græco, quod nempe homo Græcus esset, ambæque istæ linguæ ab Ecclesia ad Diuinas laudes admissæ, & probatæ. Cum autem nec ipse acquiesceret, nec populus accusare cessaret, Romam euocatus est, comparuitque multis munitus satisfactionibus, ac Regis Stentopulchri precibus. Quare Bulgarias contentiones Morauiæ timens Ioannes Octauus permisit illic omnia Diuina Sclauonicè fieri hoc addito:

Iubemus tamen, vt in omnibus Ecclesijs Terræ vestræ propter maiorem honorificentiam Euangelium Latinè legatur, etsi tibi, ac Iudicibus tuis placet, Missas Latina lingua magis audire, præcipimus, vt Latinè tibi Missarum solemnia celebrentur.

Latinam linguam penitùs extingui, aut abesse noluit, sed in illa semper Euangelium cantari: Item ad illam redire posse quoties Principi placuisset. Rem integrè permittit huius arbitrio, cuius vnus precibus contrà populi vota illam eius timiditas concedebat. Quod namque pusillanimitatis, atque inconstantiæ vitio nimium laborarit Ioannes Octauus patet ex eius actis in causa Photij, crediturque à multis hac via dedisse causam fabulæ de Papissa Ioanna. Æneas Syluius, ac Ioannes Dubrauius *in Historia Bohęmica lib. 4. cap. 13.* addunt, Romæ dùm hæc res in sacro Senatu disceptaretur, cælo delapsam vocem: *Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei*, atque ità datum indultum. Æneas Syluius ait sic passim dici, sed quoniam, nec in suis litteris Ioannes Octauus, nec vllus istius æui authenticus Scriptor istius oraculi meminit, credo alijs Bohęmicis fabulis adnumerandum.

Quicquid sit tanta Regi data potestas malè cessit, neque enim solum Methodium, sed & ipsum Missæ Sacrificium adeò seruiliter tractauit, vt ab eo fugere Methodius sit coactus: Estque ità Morauiæ Archiepiscopatus extinctus, redijtque populus ad latinum sermonem, & Ritum subiectus curæ Episcopi Ratisbonensis. Porrò Methodius in Bohęmia conuertit, & baptizauit Borriuorum Ducem, fecitque Diuina etiam Sclauonicè, quomodò antea apud Bulgaros, Morauosque: Sed neque huius eius operi Deus dedit incrementum. Grandes enim illic fluctus passa est fides vsque ad Principatum Boleslai Secundi. Hic primus à Ioanne Decimotertio Euangelicas regulas Episcopum, & Monachos petijt, obtinuitque verùm hac conditione: *Non secundum Ritum, aut Sectam Bulgariæ Gentis, vel Russiæ, vel Sclauonica lingua, sed magis sequens instituta, & decreta Apostolica, vnum potiorem totius Ecclesiæ ad placitum eligat in hoc opus Clericum, latinis litteris optimè eruditum*; elegitque Dux Sanctum Dictmarum vti *in suis Annalibus*, qui & dictas Ioannis Papæ litteras refert, scribit Cosmas Decanus Pragensis. Res ita mansit vsque ad tempora Gregorij VII. Tunc Vratislaus Dux, nescio quo spiritu, iterùm linguâ Sclauonicâ petiuit, Pontifex verò respondit: *Quia verò nobilitas tua postulauit, quod secundum Sclauonicam linguam apud vos Diuinum celebrari annueremus officium, scias Nos huic petitioni tuæ nequaquam posse fauere*. Et quoniam in Methodij facto se Dux fundasse videtur, pergit Pontifex: *Neque ad excusationem iuuat, quod quidam Religiosi viri, hoc quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiua Ecclesia multa dissimulauerit, quæ à Sanctis Patribus postmodum confirmata Christianitate, & Religione crescente, subtili examinatione correcta sunt: Vnde ne id fiat, quod à vestris imprudenter exposcitur, auctoritate Beati Petri inhibemus, teque ad honorem Omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus.*

Et hinc *Respondeo secundo*, indultum hoc Neophytis Chinensibus non esse concedendum. Etenim Gregorius Septimus dicit, esse petitionem imprudentem, vanamque temeritatem, cui etiam laicus Principes totis viribus debeat obuiare, idque ob causas varias.

Primò diligentissimè curandum est, ne remotis à Sede Apostolica Regionibus detur vlla occasio, aut vmbra alicuius quouis tempore schismatis concitandi. Talis autem, & occasio, & vmbra est omnino diuersitas linguæ in Officijs Diuinis: Etenim Moraui Fideles à Methodio, licet solam linguam nouarant, etiam fidem nouari crediderunt, atque eo etiam titulo apud Sedem Apostolicam notarent. Et Photius Schismaticus, quo Bulgariam à Romani Pontificis Patriarchatu, & obedientia diuelleret, lingua Sclauonica illic celebrari fecit, dicens, diuersæ in Diuinis linguæ Ecclesias spectare non posse ad

eundem Patriarcham, vti *in Vita* Nicolai Primi scribit Anastasius Bibliothecarius. Et à Photio instructus Michael Augustus linguam Latinam dixit esse Scythicam, & barbaram, etiam exinde quærens fucos schismatis stabiliendi. Eadem de causa Patriarcha Antiochenus in Ecclesia Hierosolymitana extingui forsan fecit linguam Hebraicam, securam volens suam Diœcesim ab omni metu dismembrationis.

Et quarta Toletana Synodus *statuit*[Placuit, vt omnes Sacerdotes, qui Catholica fidei vnitate complectimur, nihil vltra diuersum, aut dissonum in Ecclesiasticis Sacramentis agamus, ne quælibet nostra diuersitas apud ignotos, seu carnales schismatis errorem videatur ostendere,& multis exter scandalum varietas Ecclesiarum]

Hinc Romana Ecclesia omnes Patriarchatui suo subiectos omni semper conatu studuit ad linguam Latinam inducere, & cogere: Egregiè id patet in Armenis, quos à primis fidei exordiis ex Sancti Gregorij Apostoli sui iussu, aut permissu, scimus in Patria lingua semper Deo officiasse. Sub Innocentio Tertio Barbaricis incursis fermè euersæ ad Romanam vnionem non soluminodo redierunt, sed & eius Patriarchatui se subiecerunt, postulantes insuper Leonem Regem suum à Pontifice coronari, atque à Romano Augusto recipi in ligium hominem. Verum subiectionem hanc, quam postea ad Patriarchæ Antiochæni querimonias modificauit Gregorius Nonus,neque Innocentius Pontifex, neque Imperator Otho Quartus recipere voluerunt, nisi sub hac conditione, de qua Vincentius Beluacensis Archiepiscopus Moguntinus attulit Leoni Coronam sub tali conditione, vt omnes pueros infra duodecim annos existentes ipse Leo poni faceret ad litteras latinas. Ad quod & Leo, & omnes Regni Barones se iuramento obstrinxerunt. Recordari nos oportet verbum Apostoli ad Episcopos Diœcesis Asiaticæ:

Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam Lupi rapaces in vos, non parcentes gregi; Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

Hoc ipsum suis temporibus omnino fiet etiam apud Chinenses. Proinde illis cuncta, etiam minima occasio præscindenda est, qua illi ad suas cupiditates possunt abuti. Deinde si illis hoc indultum fiat, penitùs illic extinguetur lingua Latina, adeòque, & omnis communicatio cum Ecclesia Romana:Nequibunt eorum Episcopi cum nostris in Synodis considere, neque eorum aduenæ apud nos Missas celebrare, neque nostri apud illos; nequibit Romana Ecclesia illuc Legatum mittere, pluraque alia incommoda sequentur. Ea in Neophytis, Danis, & Noruegis curare studens Gregorius Septimus, eorum adolescentes Romam mitti iussit, vt illic linguam Latinam discerent, domumque reduces, eandem suos conterraneos docerent. Quod quia cum Chinensibus fieri non potest ob Regionis distantiam, omni modo satagendum est, vt illis in propria terra Latinæ scholæ erigantur, atque ità Christiani fiant, quomodo perpetua Ecclesiæ regula iubet, semperque Ecclesia fecit.

Obiici potest vnum: Euangelii prædicandi, atque plantandi norma desumi debet ab Apostolis; at verò hi Armenis, Æthiopibus, Medis, Arabibus, vt quidam volunt, Diuina Officia in propria lingua permiscere. Respondeo verbis Synodi Adanensis habitæ in Armenia per Constantinum Patriarcham pro vnione cum Romana Ecclesia aduersus eos, qui exoticos Armenorum Ritus ab Apostolis esse asserebant, eoque titulo volebant retinendos [Apostoli ministerio verbi, ac prædicationis Euangelicæ pro viribus instantes, intenti erant potissimum, vt homines ab erroribus simulacrorum ad vnius veri Dei cultum conuerterentur. Cumque in hanc rem curam omnem, ac laborem adhiberent festorum ordinem, vsitatumque vniuscuiusque traditionis examen, haud sanè multum curauerunt; Eo præsertim tempore, quo Apostolicæ prædicationi Scribarum, ac Pharisæorum, aliorumque Iudæorum perniciosæ hæreses, vt eummaximè aduersabantur; cum insurgebant falsæ Simonitarum, ac Marcionitarum doctrinæ,acriter vexantes Ecclesiam, exundabant tempestuosæ ex Gentilium vi, ac furore persecutionum procellæ, quæ sapientiæ domum arietabant. Quamobrem Ecclesiæ tunc ordines firmam vbique Methodum retinere nequibant.]

Adde, quod Apostoli in primæuo illo surgentis Ecclesiæ statu ad infirmam hominum fidem descendentes facilè permiserunt, vt eas festiuitates quæuis Ecclesia iuxta placitum sibi ordinem celebrasset, sicuti eandem ob rem, vt gentes ab Idolorum cultu faciliùs retraherentur, ipsa adhuc Euangelica præcepta, atque doctrinas permissione interdum, & licentia, prout opus erat, attemperabant. Non enim omnibus, & singulis simul rebus poterant prospicere.

Posteris verò temporibus ab Apostolorum successoribus omnia singillatim accommodatiùs, perfectiorique ordine disposita, atque præcepta sunt. Sic Neocæsariensibus, *vt in libro de spiritu* Magnus Blasius

Blasius testatur, varios imperfectos Ritus indulsit Gregorius Thaumaturgus, postea molliter, & pedetentim eradicandos: Et in vniuersa Asiatica Diœcesi Iudaicam Paschatis celebrandi rationem reliquit Ioannes Apostolus haud dubiè, quo plurimos per illas terras dispersos Iudæos lucrifaceret. Et Gregorius Magnus Anglis, ac Nicolaus Primus Bulgaris in fidei exordio quædam imperfecta indulsere, ne nimiæ austeritatis metu gens Neophyta à fide retrocederet.

Credebant futuris temporibus non defuturos Episcopos, qui ea pedetentim ad communem Ecclesiæ regulam essent reducturi. Eodem ergo modo relicta est prædictis gentibus sua lingua nationalis, vti supra audiuimus à Gregorio Septimo *in litteris ad Vratislaum Ducem Bohæmorum*, verùm, vt nos experientia docuit, huiusmodi imperfecti Ritus difficillimè postea eradicantur. Quod enim quæpia gens cum ipsa fide accepit, credit non minus quam ipsam fidem esse inuiolabile, & sanctum. Etenim Polycrates Ephes Ephesiorum Primas cum cuncta Diœceseos Asiaticæ Episcopis Victoris Papæ excommunicationem spernere, quàm Iudaicum Paschatis Ritum relinquere maluit, quod cum vna cum fide à Ioanne Apostolo accepisset.

Et quidem Ireneus Lugdunensis Episcopus Ritum omnino corrigendum iudicabat, Victoris tamen factum improbauit, quod non anathematis vi, aut minis, sed tempore, & patientia agendum crederet. Et Sancti Gregorij Thaumaturghi imperfectos Ritus nemo corrigere ausus est vsque ad Sanctum Basilium Magnum; Quod dùm ipse vtpote Ponticæ Diœceseos Primas aggreditur summos obices reperit, vt scribit ad Clerum Ecclesiæ Neocęsariensis. Ex quo tandem Armeni suis exoticis ritibus renunciarent, quas non difficultates vario tempore passa est Ecclesia Romana? Et similium difficultatum metu Patriarchæ, quod factum alioquin oportuerat supra nominatas gentes ad solemnes Ecclesiæ in Diuinis Officijs linguas non coegerunt.

Quod namque ob publicam alicuius populi, aut Ecclesiæ salutem, & pacem quidpiam etiam fundamentalibus Ecclesiæ Canonibus aduersum dispensatoriè permitti possit, docent Sanctus Cyprianus *in Epistola ad Antonianum*, *Octauus Nicænus Canon*, elegantissimè autem Augustinus *in Epistola ad Vincentium Cartenuensem Rogatistarum Episcopum*, ac Cyrillus Alexandrinus *ad Gennadium Presbyterum, & Archimandritam*.

Hinc nuper Clemens Octauus Russis, dùm ad vnionem accedere disponebant, nullam de mutanda diuinorum lingua mentionem fecit.

Eandemque gratiam quibuscunque alijs id genus Schismatis facturа sit Romana Ecclesia, quin,& facere forsan posset cuicunque barbaræ Genti, quæ tota cum suo Rege nonnisi sub isto,, ex firmis rationibus, pacto ad fidem vellet accedere. Et hac via, qui Ioannis Octaui timiditatem reprehendere volunt, eius Morauis datum indultum excusant. Quod nempe Morauis Bulgaricas commotiones timeret. Quod Rex cum toto vti deceptus putabat Populo, nonnisi cum lingua Sclauonica Christianitatem vellet.

Quæ ratio cum non militet in Chinensibus,videtur tali dispensationi apud ipsos non esse locus; præsertim cum sit Natio ingeniosa, quæ longè faciliùs, quàm Hiberni, Scoti, Bohæmi, Dani, Noruegi, aut similes possit linguam Latinam addiscere. Scio rem multis obicibus obnoxiam: Ast de Dei gratia confitendum est, quæ per Apostolos, ac Apostolicos omni tempore viuos de longè maioribus triumphauit.

P. Lupus Augustinianus.

QVÆSTIO.

Vtrum Ecclesia permittere debeat linguæ Sinensis, vel Tunquinensis, vel Tartaricæ vsum in re sacra facienda, verbi gratia, in Missa, Diuinis Officijs, & Sacramentorum administratione.

48 PRimò, primis nascentis Ecclesiæ temporibus, quibus nondum certi Ritus ad rem sacram administrandam ab Apostolis statui potuerant, & nulla Liturgia composita fuerat, Vulgaris lingua ad Sacrorum vsum adhibita fuit, quæ tunc erat Syriaca, scilicet in Palestina, vt constat, nempe Hebraica vulgaris esse desierat iam inde ab Esdræ temporibus, vt post alios obseruat Bellarm. *to. 1. controuers. 1. lib. 2. cap. 15.*

Cum enim paruus esset fidelium numerus, & omnes Spiritum Sanctum suscepto Baptismate, ab Apostolis, & Discipulis acciperent, nullum erroris, nullum incommodi periculum erat in linguæ vulgaris vsu,& vix aliter res fieri potuit,cum nullæ adhuc conceptæ formulæ,nulli sacri Ritus, nulla Liturgia, nullæ leges Ecclesiasticæ essent: Imò Christus in Eucharistia instituenda, Vulgari lingua, Syriaca scilicet locutus est, cum Apostoli tunc temporis aliam minimè intelligerent.

Secundò, post aliquot annos Sancti Iacobi *Liturgia* prodijt, quam reuera Græca lingua conscriptam fuisse,non leues rationes suadent.

Prima eiusdem Sancti Iacobi *canonica Epistola* græcè scripta est, vt benè ostendit Bellarm. *citato cap. 7.* imò ab eodem Sancto Iacobo, vt testatur Athanasius *in Synopsi* Matthæi Euangelium syriacè scriptum, vt putat idem Bellarm *cap. 4. post Albert. & Fabritium* ab eo *citatos* in Græcam linguam translatum fuit; Igitur si Epistolam suam Iacobus græcè conscripsit, eadem certè ratione *Liturgiam*, cum vtriusque idem stylus, idem scribendi modus esse videatur.

Secunda, S. Proclus Episcopus Constantinopolitanus, qui primus inter Auctores, qui extant, illius Liturgiæ mentionem fecisse creditur, Textum illius Græcum citat, non Syriacum.

Tertia, nullibi extat Syriacus, qui in Græcum versus sit, sed Græcus, qui in Syriacum.

Quarta, si hæc Liturgia Syriaca, vel alia, quàm Græca lingua scripta fuisset in Ecclesia Hierosolymitana, cuius Sanctus Iacobus primus Episcopus fuit, eiusdem linguæ vsus mansisset, cum tamen in ea Græca lingua res sacra facta sit, vt Cyrillus, & alij Patriarchæ fidem faciunt.

Tertiò, huic Liturgiæ multæ aliæ successerunt, scilicet Clementis, quæ habetur *in Constitutionibus Marci*, cuius meminit Arcudius *libro 3. de Sacrament. capit. 27.* Basilii, Gregorij Theologi, Cyrilli Alexandrini, quæ habentur *to. 7. Biblioth.* ex Arabico in Latinum versæ, licèt nemini dubium sit, quin ex Græco in Arabicum priùs versæ essent, nam prædicti Patres græcè scripserunt, & licèt Liturgiam, vel Anaphoram Basilii in lingua Syriaca *ibidem* habeamus in hanc tamen linguam ex Græca versa fuerat, nec enim Basilius syriacè scripsit: adde Liturgiam Chrisostomi etiam græcè; Item Ambrosianam, & Romanam latinè scriptas, porrò crediderim primis illis Ecclesiæ sæculis nullam aliam adhibitam fuisse in re sacra: Occidentales Prouinciæ Italia, Gallia, Hispania, Germania, Pannonia, Africa Occidentalis Latinam adhibuerunt, Græcam quatuor alij Patriarchæ, scilicet Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus.

Quartò, Æthiopes, & Indi aliquam fortè dubii suspicionem nonnullis mouerent; Sed cum Alexandrino sub ecti essent, ab eodem Rituum, & Sacrorum modum, ac rationem accipiebant; Nec obstat Æthiopum, Indorumque linguam à Græca diuersam fuisse, nam etiam in Gallia, Hispania, Germania, Anglia, Africa alia lingua erat à Latina penitus discrepans; quod autem latinè res sacra fieret in Africa, Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana cap. 13. & Cyprian. sermon. de oratione Domini* testatur; idem pro Hispania Isidorus, & Conc. Tolet. 4. pro Gallia Alcuinus, Beda pro Anglia, Rabanus, & Rupertus pro Germania.

Igitur non mirum est, si res sacra græcè fieret in Asia minore Syria. Ægypto, Armenia, Æthiopia, India, licèt illarum Gentium alia vulgaris lingua esset, ac proinde pauci extraneam illam Sacrorum linguam intelligerent, nam quæ pro vna Gente ratio, eadem pro aliis militat.

Quintò, hinc Diuino quodam consilio factum est, vt Græci suum Imperium ad extremum ferè Orientem sub Alexandro Macedone promouerint; licèt enim post illius mortem diuisum fuerit in plura Regna, puta, Syriæ, Persiæ, Ponti, Ægypti, &c. Noui tamen Reges ità Græcam linguam retinuerunt, vt deinceps lingua Imperij esset; In quantum leges, & mandata Principum promulgarentur, tum res forensis Politica, & Sacra administrarentur; hinc retentus Græcæ linguæ vsus, saltem apud doctos, & Primates in Asia minore, Armenia, Assiria, Syria, Ægypto, Persia.

Idem dico de Romanis, qui totum Occidentem, & Africam subiugarunt, & linguæ Latinæ vsum induxerunt, doctis scilicet, & Primatibus prope notam, licèt eam vulgus non caperet, quod reuera Diuino consilio factum esse crediderim, vt communis lingua vtrique Ecclesiæ ad rerum sacrarum vsum præpararetur.

Sextò, & verò constans, & immutabilis ea lingua esse debet, quæ ab Ecclesia ad rem sacram adhibetur; Cum enim tota res sacra in consecrationibus, Benedictionibus, absolutionibus, & deprecationibus posita sit, hoc est in sacrificio, Sacramentalibus, vt vocant nihil horum verbis non perficitur; Sic in Sacramentis verba formam constituunt, vt declarauit Florentin. *Corpus Christi verbis conficitur*, sic variæ benedictiones, & Exorcismi solis verbis constant, quæ cum ità sint, nisi lingua illa, qua Ecclesia vtitur ad hæc sacra facienda, constans sit, sed si statim mutetur temporibus, inde maxima rerum perturbatio orietur, & nouæ formulæ conceptis verbis constantes erunt adhibendæ, quod sine maximo scandalorum rixarum, querelarum, eorumque periculo fieri nequit. Igitur Ecclesiæ optimè consultum fuit, adhibitio prædictarum linguarum vsu, quæ cum sint constantes, & mortuæ, vt vocant nullam mutationem admittunt, cui aliæ vulgares linguæ subiiciuntur.

Septimò, si aliqua lingua vulgaris ad rem sacram adhibeatur, præter incommodum supra indicatum, innumera quoque alia essent, quæ videri possunt apud Auctores, qui de hoc argumento scripserunt, nonnullos appello Bellarm. *to. controuers. 1. lib. 2. cap. 15.* Item *de sacrificio*

Missæ sub fine, Osium singulari libello *de sacro vernaculo legendo*, Richeomum *to. 1. oper. moral. tract. de Missæ sacrificio lib. 4. à cap. 35. ad 37.* Perronium *in respons. ad Reg. Britan. lib. 6. à cap. 1.* Sfortiam Pallauicinum *lib. 13. Histor. Conc. Trident. cap. 10.* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 6.* Incommoda ad tria capita reuocari possunt.

Primò, vix vnitas sensuum esset in Ecclesia pro sacris formulis.

Secundò, nulla esset communicatio inter Sacerdotes.

Tertiò, Hæreticis id perperam postulantibus mos gerendus non est.

Vno verbo in Ecclesia incredibilis confusio esset, si cuilibet Parocho ad rem sacram administrandam suorum Popularium dialecto vti liceret. Hinc cum Ecclesia de vnitate fidei, morum, & Rituum semper hactenus fuerit sollicita, omni reuera tempore vetuit, ne quid in re sacra vel adderetur, vel omitteretur inconsulta Sede Apostolica. Hinc tam acriter contra Arianos pugnatum est pro vno *Iota*, contra Nestorium pro vna dictione, contra Quartadecimanos pro vna hora, licèt nullus error inde sequeretur, sed eo dumtaxat fine, vt prædicta vnitas retineretur; Omitto innumera Patrum loca, quæ pro hac controuersia apud citatos Auctores legi possunt, Tridentinum hanc legem renouauit *sess. 22. cap. 7.*

Octauò, Hæretici primi fuere, qui sacram illam legem violarunt, Armeni in hæresim lapsi singularem Liturgiam Armenica lingua compositam in locum Prioris Græcæ, scilicet Basilianæ substituerunt: Ægyptij Cophti suam linguam Cophticam, inde ad Æthiopes vitium traductum, qui Æthiopica, vel potius Syriaca vsi sunt, Maronitæ Arabica, Nestoriani Caldaica, Moschi à Patriarcha Constantinopolitano schisma cum Religione acceperunt, & rem sacram inde peregerunt Moschouitica lingua, quæ cum Sclauonica eadem est: imò inter ea capita, quæ nostrates Hæretici obstinatè sibi concedi volebant præter vsum Calicis, & Sacerdotum coniugium, hoc vnum potissimum fuit, scilicet *linguæ vernaculæ vsus in re sacra administranda*.

Igitur hoc vitium omnibus ferè Hæreticis commune fuit, qui triplicem illam vnitatem cordis, linguæ, ac mentis, idest Charitatis, Rituum, & Fidei, qua membra Ecclesiæ inter sese inuicem, & cum suo capite copulantur temerè violarunt.

Nonò, dubium tamen non est, quin Ecclesia prædictum linguæ vernaculæ vsum permittere possit, imò aliquando re ipsa permiserit, & etiam nunc permittit, cuius rei multa exempla suppetunt, nonnulla suggero ab annis quasi septingentis cum Cyrillus, & Methodius Morauos ad fidem Catholicam conuertissent, ea tamen lege, vt rem sacram facientibus lingua Sclauorum, patria scilicet vti liceret, id Romanus Pontifex, qui tunc erat Ioannes Octauus vltrò concessit, vt scriptum reliquit Æneas Syluius *in Hist. Bohæm. cap. 13.* & vt ipse subnectit, cum quidam Romæ contradicerent, instarentque apud Pontificem, ne id concederet; Hæc vox Cælo missa audita est: *Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei*.

Præterea non rarò Patriarchæ Orientales ad Sanctam Sedem Maronitarum, Nestorianorum, quos eadem Sancta Sedes eiuratis erroribus in communionem fidei recepit, suosque eisdem Ritus, rem sacram omnem eadem, qua priùs lingua administrandam reliquit; Quis nescit Ruthenos sub Gregorio Decimotertio ad Ecclesiam rediisse, vt testatur Arcudius *lib. 2. cap. 9.* quibus Ecclesia eosdem Ritus, & linguam permisit; idem dico de altero Armenorum Patriarcha, qui paucis abhinc annis adhuc Catholicus erat: Non est igitur dubium, quin Ecclesia alterius linguæ, quàm Latinæ vsum iustis de causis permittere queat, permittatque hodie cum Maronitis, & Sclauis, imò in magno illo *Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio* statutum fuit, vt fidelibus sacri Administri prouiderentur, qui rem illis sacram iuxta natiuæ linguæ vsum administrarent, quod tamen de linguis iam ab eo tempore ab Ecclesia permissis, vel toleratis intelligendum est.

Decimò, non rarò tamen Ecclesia, quod ità expedire iudicet alterius linguæ vsum in re sacra negat; Sic Gregorius Septimus Duci Bohæmiæ linguæ Sclauonicæ vsum negauit.

Vnde reuera infero, vsum illum illicitum esse, nisi Sanctæ Sedis auctoritas accedat; Idem negatum est recentioribus Hæreticis; Idem Vrbani tempore nonnullis aliis à Sacra Congregatione: Et verò eo tota res reduci videtur; Primò, vt Ecclesia possit iustis de causis alterius linguæ vsum concedere, quod nemo negat; Secundò, tam iustas aliquando causas esse, vt id concedere expediat; Sic Ecclesia, quæ in re tanti momenti sine iustis causis nunquam agit, hanc licentiam aliquando concessit: Tertiò sine licentia Sedis Apostolicæ hoc fieri non posse: Hinc, vt dixi, Sanctus Methodius ad Romanum Pontificem confugit, qui eiusdem Votis benignè annuit; Quartò, nullam esse ex omnibus linguis, in quibus res sacra administratur, adeo vulgarem, quin à vernacula, qua vulgus vtitur, plurimum discrepet: de Latina, & Græca nemini dubium est, nam nullibi Plebi vulgares sunt, de aliis idem breuiter ostendo.

Liturgia Æthiopica ea lingua scripta est, quæ à Populo non intelligitur, imò Populi Regi Æthiopum subditi plusquam viginti linguis loquuntur, à quibus omnibus Liturgia differt; Perronius citatus Chaldaicam esse vult, ego potius Syriacam esse crediderim, qualis est Malabarica, quæ habetur *to. 6. Biblioth.* ex Syriaco scilicet traducta: Liturgia Armenorum non est in lingua vulgari, sed in antiqua, quam vulgus nescit, & linguam Liturgiam vocat: Ægyptij quoque, qui à Græco Ritu defecerunt, antiquam linguam Ægyptiacam, quam *Cophticam* vocant, cuius litteræ à Græcanicis parum differunt, in sua Liturgia adhibent, illa lingua est, in qua Sanctus Antonius, testes Hieronymo septem suas epistolas scriptas reliquit; Idem de Sclauorum linguam dicendum est, vt mihi constat ex multorum, quos consului, responso; Idem de Syriaca, Arabica, Caldaica, vt testatur Perronius *citatus*.

Vndecimò, rei sacræ Maiestas id omninò postulat; sic modò Iudæi sua sacra peragunt lingua Hebraica, quæ nullibi vulgaris est, vt iam suo tempore Theodoretus obseruauit *qu. in Genes.* 60. Imò postquam Iudæi ex Babilonia in Palæstinam rediere, Hebraicam linguam minimè intelligebant, licèt in ea Esdra Interprete sua Sacra peragerent: Turcæ, ac Persæ, & innumeri alij, qui Mahometanæ sectæ nomen dederunt in re Sacra Arabicam linguam, eamque constantem, licet omnibus ferè ignotam adhibent; sic, vt ait Quintilianus, Carmina Saliorum vix Sacerdotibus suis satis intellecta, sed quæ mutari vetat Religio; Igitur eam pro re Sacræ linguæ rationem esse par est, quæ à nonnullis quidem à plebe tamen minimè intelligatur: Hinc enim fit, vt rem Sacram vulgus maiori veneratione prosequatur, vnum incommodum esse videtur, scilicet rerum Sacrarum ignorantia in plebe, sed huic incommodo facilè occurrent Ecclesiastici, si populum sibi creditum vulgari lingua pijs sermonibus de rebus Diuinis instruat iuxta formam, quam *Trident. sess. 22. cap. 7.* iis præscripsit.

Duodecimò, Præcipuę rationes, propter quas Ecclesia linguæ nouæ vsum permittere debet, ad sequentia capita reuocantur.

Primò, si in aliquod Regnum Latina lingua induci nullatenùs queat, nec vi, nec vltro, si enim induci possit, vt factum est in Germania, Polonia, America, haud dubiè, satius est Latinam Liturgiam tradere, vt Rituum vnitati consulatur, siue id, spontè succedat, vt in Polonia, Dania, siue armis, vt in America, nempè in ijs Regnis, homines, qui litteris vacant, periti sunt Latinæ linguæ, si tamen vt dixi, in aliquod Regnum, nec spontè, nec vi Latinæ linguæ cognitio induci queat, etiam inter doctos, vt conuersioni illius Regni consulatur optima ratio persuadet, vernaculæ linguæ vsum ab Ecclesia permittendum esse.

Secundò, si in prædicto Regno aliqua lingua vigeat inter doctos in re sacra, & doctrina plebi prorsùs ignota, eaque constans, & mortua, vt vocant, idest mutationi minimè obnoxia, primæ rationis capiti non parùm inde roboris accederet, nempè inde illud incommodum cessaret, de quo *supra*, nec enim Religio populo prostituta iaceret, nec vllum periculum esset, ne per frequentem verborum, & locutionum mutationem sacrarum formularum sensus mutaretur.

Tertiò, si prædicta lingua per multas Gentes diffusa esset, licèt alioquin doctis solummodò nota, qualis est Græca, Latina, Arabica, non leue pondus inde præmissis rationum capitibus accederet, quia tunc in re sacra linguæ multiplicandæ non essent, sed illa communis multis Nationibus sufficeret.

Quartò, si Libri sacri ad hunc finem necessarij, consultis peritis Romæ Typis mandentur, ac si quæ difficultas intercedat, probè discutiatur, nullum erit periculum errandi in sacris formulis, ac proindè omnia sacra, & integra edentur.

Decimotertiò, ex dictis quid de Sinensibus, Tunchinensibus, Tartaris, & Iaponibus sentiendum sit, facilè concluditur, scilicet ab Ecclesia permittendum esse, vt in re sacra nouæ Legis vsus adhibeatur, quæ saltem à doctis intelligi possit; nam

Primò, cum Sinæ in re sacra, & doctrinæ suam linguam habeant, qua iam à tot sæculis feliciter vsi sunt, nunquam sperandum est, vt aliam peregrinam, Latinam scilicèt admittant, vel addiscant.

Secundò, nisi homines illiusGentis post aliquod tempus ad sacros Ordines promoueantur, nunquam firmum erit iactæ Religionis fundamentum, quæ haud dubiè vel minimo persecutionis vento euerteretur, vt factum lugemus in Iaponia: Vix enim nostri Europæi, propter vultus dissimilitudinem, latere possunt nec patriam mentiri; huic incommodo occurreretur, si Sacerdotes ex illis Gentibus assumantur, eritque, quod felicem fidei propagationem, messemque vberrimam iure speremus.

Tertiò, primorum Ecclesiæ temporum exempla nos docent, & Apostolica praxis, euincit, quo nam pacto hac in re nos gerere debeamus; si enim nullum Latinum Petrus, nullum Hispanum Iacobus, nullum Gallum Dionysius, aut Græcum

Paulus Diuinis mysterijs initiassent, nunquam fides in Italia, Hispania, Gallia, tam altas radices egisset, quod meo iudicio perspicuum est; accedit, quod nec extranei sufficiunt ad tantam Prouinciam excolendam, nec itâ apti sunt, & popularibus accepti.

Decimoquartò, itaque illa ratio mihi potentissima videtur, nisi Sinenses ad sacros ordines promoueantur, nunquàm solidum, & satis firmum Religionis fundamentum in iis regionibus iacietur, quod tamen, vt fiat, ab Ecclesia procurandum est: Igitur Ecclesia Sinas ad sacros Ordines promouere debet, at inepti sunt, si rem sacram lingua Latina facere iubeantur, cuius scilicet ignari sunt; Ignarum autem linguæ, in qua res sacra fit, ad sacros Ordines promoueri, sacri Canones vetant; igitur cum aliqui ad hoc sacrum munus aptissimi sint, aliam linguam esse oportet, cuius sunt periti, in qua res sacra fieri permittatur, nec est, quod aliquis opponat, extraneos sufficere, cum reuera non sufficiant, vt vel ipsa experientia nos hactenus docuit, hinc parum hucusque res promota est, & quandiù soli extranei in vastissimis illis regionibus rem sacram administrabunt res semper erit in lubrico, & in ancipiti: Non sufficient etiam aliquot Alumni ex iis Regnis aduocati, vt linguam Latinam discant, quia pauciores erunt, quam par sit, saltem apti, nec viarum, ac Prouinciarum vastitas vllatenus permittit, vt plures aduocentur; pauci enim Europæi Cæli patientes sunt, ac proindè pauci redirent in patriam incolumes; accedit quod vix scio, an expediat, vt nostrorum morum statim initio conscij sint, & fortè complices.

Secundò, apud Sinenses viget lingua inter doctos, quam vulgus non capit, illa citra incommoda supra indicata ad rem sacram adhiberi posset.

Tertiò, quam longè, ac latè Sinarum Imperium diffundatur, quis amabo nescit? Toti Europæ tùm Incolarum frequentia, tùm Prouinciarum magnitudine, tùm soli vbertate facilè comparandum.

Quartò, si Moraui (quàm exigua Prouincia) à Sede Apostolica hanc gratiam obtinuerunt, cur Sinæ repulsam ferent, amplissimum scilicèt Regnum, cur lingua illa, qua à multis seculis vsi sunt, ad rem litterariam, & sacram, quæ suas formulas, nitoremque suum obtinet, eodem iure, ac priuilegio cum Græca, Latina, Arabica gaudere non debet?

Quintò, vna tantum lingua sufficit pro Sinensibus, Iaponensibus, Tunquinensibus, & Tartaris, ferè dixi pro dimidio Orbe cum enim necesse non sit, vt vulgus eam intelligat, is profectò sufficiet Sacerdotum numerus eam linguam callentium, qui prædictas Gentes excolere, iisque rem sacram administrare valeant, quidquid opponi posset, facilè soluitur.

Decimoquintò, vnum tamen, quod aliquis opponeret minimè omittendum est, nam inquiet aliquis, eadem ratio persuadet, vt Indis quoque eadem gratia concedatur; hoc breuiter discutio, cum Mahometis secta totum ferè Orientem, & maximam Indiarum partem infecerit, permitti facilè posset iis Gentibus, si ad fidem conuertantur, linguæ Arabicæ vsus, quam Mahometani in suis sacris adhibent, hanc autem Ecclesia in Maronitis iam tolerat, ac proinde nouæ linguæ vsus necessarius non esset, quod magni faciendum est, nec enim sine maxima necessitate linguæ multiplicandæ sunt in re sacra. Armeni sua quoque gaudent in Persia, eaque gaudere sinentur, si conuertantur ad fidem. Idem de Cophtis, Abissinis, Nestorianis, Iacobitis, & Moschis dicendum est; hinc nihil penitus fiet contra Tridentini Decretum, quod tantum vetat, ne Missa vulgari lingua passim celebretur, nec enim passim, idest communiter id fiet, sed rarò, imò rarissimè permittetur. Pro America vix laborandum est, nam ibi viget lingua Hispanica, & Lusitanica in Brasilia, & Gallica in noua Francia, quæ in multis cum Latina coniunctæ sunt. Hæc habui, quæ de proposita quæstione dicerem, saluo semper meliori iudicio.

Honoratus Fabri Societ. Iesu.

Dùm autem hoc disputaretur inuentum fuit, aliàs in Suprema fuisse factum infrascriptum Decretum.

Feria v. die xxv. Ianuarij 1615.

49 *IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Paulo Diuina Prouidentia Papa Quinto, ac Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis Petro Sanctæ Mariæ Transtyberim Aldobrandino, Ruberto tit. S. Mariæ in Via Bellarmino, Antonio tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem Zapata, Ferdinando tit. Sancti Eusebij Taberna, Ioanne Garzia tit. Sanctorum Quatuor Coronatorum Millino, Fabritio tit. Sancti Augustini Verallo, & Fratre Augustino tit. S. Mariæ in Ara-cæli Galamino nuncup. Presbyteris miseratione Diuina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

Patrum Iesuitarum morantium in Regno Sinarum, vulgo la China, *qui dant operam*

conuersioni illarum gentium, lecto memoriali, Sanctissimus Dominus Noster Papa concessit eis, vt in celebratione Missæ possint habere caput contectum, cum in illa Regione detecto capite manere, vel operari, non sit reuerentia, sed irreuerentia, & scandalum generet, non deuotionem.

Curabunt tamen prædicti Patres in Missæ celebratione non vti pileo communi, & vulgari, sed alio proprio, & eius coloris, cuius sunt paramenta cætera, & si id commodè fieri non poterit, saltem vtentur pileo, quo vti solent in prædicatione verbi Dei, & alijs actionibus sacris non illo quotidiano, quo vtuntur ordinariè, & hæc facultas durabit quousque populus Sinensium edoctus Ritus Ecclesiæ Romanæ, ab ijs non abhorrebit.

Item permisit Sanctitas Sua eisdem Patribus, vt possint transferre Sacra Biblia in linguam Sinarum, non tamen vulgarem, sed eruditam, & litteratorum propriam, & simul mandat, vt in translatione Bibliorum adhibeant summam diligentiam, vt translatio fidelissima sit.

Denique permisit, vt in eadem lingua erudita Sinarum possint celebrari Diuina Officia, Missarum, & Horarum Canonicarum à Sinis, quando fuerint promoti ad sacros Ordines.

Andreas de Pettinis S.Rom.& Vniuerf. Inquisit. Notar.

50 Sed quamuis super huiusmodi Decreto fuerit expeditum Breue, nihilominus non fuit executioni demandatum, imò nec Patribus Iesuitis traditum, & propterea nec etiam Sacra Congregatio de Propaganda fide super huiusmodi negocio resolutionem capere voluit.

51 Abutitur etiam Sacramento Eucharistiæ Sacerdos ille, qui celebrando Missam fingit se hostiam consecrare, & non consecrat, sed illam non consecratam sumit, de quo est casus *in cap. de Homine, de celebrat. Missarum.*

Sed an iste subdatur iudicio Inquisitorum tanquam præsumptus Inconstans in fide? plures casus possunt adduci.

Primus est, quando quis celebrando recordatur, se obnoxium esse culpæ mortali, & putans melius esse abstinere à con-
52 secratione, non consecrat, sed ostendit Populo, & sumit hostiam non consecratam; & iste casus est Textus *in cap. de Homine, de celebrat. Missar.*

Et in hoc quicquid dixerint moderni, crederem nullo modo hunc Sacerdotem esse suspectum de fide, quamuis grauiter peccet, non enim videtur male sentire de Sacramento, sed putat minus peccatum esse non consecrare cum conscientia peccati mortalis, & ideo tale factum non sapere hæresim manifestè, vt subdatur iudicio Inquisitoris voluit apertè Lucerna Inquisitorum *in ver. Sacerdos*, post Oldradum *consil.* 210. quem nonnulli sequuntur, præsertim Felin. *in rubr. de Hæret.* Calderin. *consf.4.de Hæret.verf. Ad hoc.* Et licet de hoc dubitet Anan. *in cap. Ad abolendam num.* 4. *de Hæret.* quem etiam videtur sequi Felin. *ibid. num.* 2. Decian. *lib.5.cap.17.verf.*43.

53 Eorum tamen rationes non placent: Nam quod qui non recipit singulis annis Corpus Christi sit suspectus de fide, non est verum, & in Sancto Officio talis non punitur, vt tenent Pegna ad Ambrof. de Vignat. *de Hæret. quæst.* 2. *num.* 32. & *in addit.* ad Lucern. Inquisit. *in verb. Hæresis num.* 10. *par.*2. *tit.*17. §.1. *num.* 4. & ità fuit in Suprema resolutum *sub die* 27. *Octobris* 1611.

Et quatenus qui non recipit singulis annis Corpus Christi redderetur suspe-
54 ctus de fide, non tamen potest applicari casui, de quo agitur, quia ille, qui non communicat singulis annis redditur suspectus, quod male sentiat de præceptis Ecclesiæ, sicuti dicimus de illis, qui comedunt carnes diebus prohibitis; Caren. *par.* 2. *tit.*15. §.2.

Hic autem Sacerdos nullam dat de se suspicionem, cum non ob spretum, sed quia, *vt supra dictum est*, minus peccatum censet non consecrare, quàm consecrare in peccato mortali.

Nec obstat, quod iste Sacerdos tribuat creato, quod est solius Creatoris, quia cum hoc faciat non in contemptum, sed potius in reuerentiam Creatoris, non redditur suspectus, vt benè Calderin. *d.consf.*4. *in fin.*

Tandem non obstat, quod iste Sacerdos habuerit conscientiam erroneam: Nam conscientia erronea benè facit aliquem peccare grauiter, sed non reddit suspectum de fide, cum in materia hæresis ignorantia etiam crassa, & affectata excuset, *vt alibi diximus.*

Dicendum est ergo, quod Sacerdos hoc casu nullo modo subditur iudicio Inquisitorum: Et licet Lucerna Inquisitorum *loco cit.* dicat, quod iste potest vo-
55 cari, & interrogari, quid sentiat de Sacramento Altaris, aduertendum tamen pro praxi, quod aliud est vocare aliquem in Sancto Officio, vt interrogetur simpliciter, quid sentiat de Sacramento Altaris, qui si catholicè respondeat, statim dimittatur. Aliud est, quod quis vocetur tanquam suspectus de fide, vt inter Reos connumeretur, & contra eum procedatur prout iuris, sicut proceditur contra suspectos de fide. Nam aliquibus in casibus vocantur aliqui priori modo, non vt contra eos procedatur, sed vt diluant non suspicionem realem, sed aliquod dubium, ex

quo possit oriri suspicio, si in responsionibus se grauet. Nam quandoque sic vocantur, qui denunciati sunt, comedisse carnes in diebus prohibitis. Nam ostensa licentia, vel data aliqua infirmitatis excusatione, dimittuntur. Quandoque etiam vocantur tali modo, qui denunciati sunt reuelasse confessiones, & interrogantur, an benè sentiant de Sacramento Pœnitentiæ, & si catholicè respondeant, dimittuntur, & relinquitur causa Ordinario.

Secundus casus est, quando Sacerdos non conscientia patrati criminis, sed dolosè sæpius hostiam non consecratam, seu vinum non consecratum, vel vtrumque
56 simul ostenderet Fidelibus adorandum, illeque hostiam, seu vinum non consecratum sumeret, & hoc casu Sacerdos verè est suspectus de hæresi, quia illa perseuerantia in errore reddit eum suspectum, quod malè sentiat de Sacramento Altaris, Lucern. Inquisit. *loco cit.* Carrer. *de Hæret. num.39. in fine*, Decian. *loco cit. vers. Quandoque tertio*, Salell. *de mater. Tribun. S. Inquis. to.3. lib.6. cap.8. reg.506. §. 15. num.627. & num. 629.* dum dicit, quod nullus contradicit, hunc Sacerdotem esse suspectum de hæresi, intelligendus est, in hoc secundo casu, non autem in primo: Et aduertendum est, quod licet qui eodem die plures Missas celebrat non puniatur in Sancto Officio, quidam tamen Sacerdos, qui hoc attentauit, & in vna Missa non consecrauit, fuit expeditus in Sacro Tribunali cum abiuratione de leui, & aliis pœnis arbitrio Ordinarij, vt ex Decreto *die 2. Iuly* 1609.

57 Aduertendum pariter, quod P. Lupus *in Edictum S. Officy*, dum tractat hanc quæstionem, allegat Sancium *in Select. disp.25. num.3.* qui tamen nihil dicit de suspicione hæresis, sed solùm, quod grauius peccat Sacerdos, qui simulat se consecrare, quam si conscius peccati mortalis hostiam consecraret, & sumeret.

Tertius casus est, de quo Bariola *in Aphorism. vtriusque iuris, ver. Sacerdos*, quando Sacerdos existens in peccato mor-
58 tali non consecrat hostiam, sed super particulam iam consecratam è Tabernaculo extractam profert verba consecrationis; & iste redditur suspectus de hæresi, nam verè abutitur Sacramento Eucharistiæ, cum profert verba consecrationis super materia non apta ad consecrationem, cum iam sit hostia consecrata, & non amplius substantia panis, Bordon. *in Tribun. cap.22. num. 11.* Et de hoc casu loquitur P. Diana *par.4. tract.7. resolut.12. vers. Notandum*; & hoc esse graue sacrilegium, dixit P. Auersa *de Sacram. Eucharistiæ quæst.10. de Ministro num. 3.* Et processum super hoc casu in Sancto Officio constat ex Decreto edito *sub die 26. Iunij* 1619.

59 Idem dicendum est de Sacerdote, qui accedit ad Altare oblitus tamen deferre hostiam præ verecundia profert verba consecrationis super hostia iam consecrata, Pegna ad Lucern. Inquisit. *dicto ver. Sacerdos*, Alberghin. *in Man. cap.24. num.1. vers. Item Pegna*.

Quartus casus est, quando Sacerdos existens in peccato mortali, dum celebrat, conscientia ductus, non consecrat ho-
60 stiam, neque Particulas, sed illas sic non consecratas exhibet in Communione Fidelibus, & iste casus continet in se maiorem malitiam, quia decipit Fideles non solùm in adoratione, sed etiam in susceptione Sacramenti; Ideò hunc non liberarem ab hæresis suspicione saltem leui, vt fuit resolutum in Suprema 1. *Martij anni* 1607.

Nam cum quidam spontè comparens se denunciasset ante legitimam ætatem ordinatum, ter Missam celebrasse, sed non consecrasse, & cum Particulis non consecratis communicasse, fuit expeditus cum abiuratione de leui, & pœnitentiis salutaribus, & admonitus, esse suspensum ab executione Ordinum.

61 Idem philosophandum de eo Sacerdote, qui publico peccatori, vel indigno ministrat hostiam non consecratam, etiam ipso peccatore consentiente, de quo latè Sancius *in Select. disp.35.*

Quintus casus est, quando Sacerdos oblitus consecrare hostiam exponendam in Oratione Quadraginta horarum, vel
62 deferendam in Processione Corporis Christi, consecraret hostiam sine Missæ Sacrificio, & hoc casu Sacerdos non solùm fit irregularis, vt docet Maiolus *de Irregularit. lib.3. cap.16. n.4.* sed etiam redditur suspectus de hæresi, vt pluribus probat Alberghin. *in Man. cap.24. num. 2. & 3.* ea potissimum ratione, quia cum Nouatores irrideant cœremonias, & Canonem Missæ, tanquam refertum erroribus, iste Sacerdos videtur approbare facto eorum errorem.

Et de anno 1617. accidit notabilis casus in Suprema: Nam quidam Religiosus Sacerdos damnatus in perpetuum ad triremes à suis Superioribus, ad carceres Sancti Officij redactus, eo quod consecrauerat extra Sacrificium Missæ dimidium panis fermentati, & extraxerat ab ore alterius detenti in eisdem carceribus Particulam consecratam, fuit de ordine Sanctissimi degradatus, & missus ad triremes, comminata ei pœna vltimi supplicii in casu reincidentiæ. Sed dum ad triremes ducebatur iterum consecrauit dimidium panis fermentati; quod cum fuisset relatum Sanctissimo, dixit, quod cum iste

scelestus fuisset actualiter degradatus, non erat amplius de foro Ecclesiastico, ideo mandauit scribi Locum-tenenti generali, siue Gubernatori triremium, quod quatenus esset vltimo supplicio damnandus, curaret, vt viri Religiosi incumberent in salutem animæ illius, vt ex Decreto *sub die* 18. *Maij eiusdem anni* 1617. Et licet ex Registris Supremæ non appareat fuisse vltimo supplicio affectum, audiui tamen, quod verè laqueo suspensus fuit.

63 Sextus casus est in Sacerdote, qui solùm panem consecrat, & non vinum, vel è contra, & iste est vehementer suspectus de hæresi, vt inquit Maiolus *de Irregular. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 1. *in fin.*

64 Hoc tamen non procedit, si ex obliuione vinum non consecraret, nam tunc nulla adest suspicio, & propterea causam hanc non spectare ad Sanctum Officium, dixit Sacra Congregatio *sub die* 28. *Aprilis* 1620.

65 An autem Sacerdos, qui non ieiunus celebrat, sit suspectus de fide, Alphons. de Leon. *in tract. de offic. & potest. Confessarij recollect.* 22. *vers. Trigesimusſextus*, & ex eo Trasmiera *de Polygamia lib.* 3. *quæst.* 2. *nu.* 55. putant, hunc esse suspectum de fide, & subdi iudicio Inquisitorum, nullam tamen afferunt rationem, Alberghin. *in Man. cap.* 23. *num.* 3. cum eis sentit, addens rationem, quia videtur facto adhærere hæresi recentiorum Hæreticorum, & præsertim Lutheri, qui asseruit, consultius esse sumere Eucharistiam post sumptum cibum. Sed eorum opinio est contra Decretum Supremæ, quæ censuit *sub die* 10. *Septembris anni* 1613. celebrantes non ieiunos non puniri in Sancto Officio.

66 Quod Decretum non haberet locum, si essemus in Sacerdote ex illis Regionibus, in quibus viget hæresis Lutherana: Nam tunc posset vocari ad Sanctum Officium; & interrogari super eius credulitate, & intentione.

67 Idem dicendum est de eo Sacerdote, qui in prima, vel secunda Missa diei Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi sumat Purificationem, demum celebret secundam, vel tertiam Missam; nam iste casus non spectat ad Sanctum Officium, vt ex Decreto Supremæ *sub die* 29. *Martij* 1628.

68 Quando autem Sacerdos possit non ieiunus celebrare, videndus est præcitatus Card. de Lugo; qui dum hæc scriberem, diem suum clausit extremum magno Sacri Collegij mærore, & Sedis Apostolicæ damno ob eius singulares virtutes, & eminentem doctrinam, *in tract. de Sacrament. disput.* 15. *sect.* 2. 3. & 4.

69 Et quia idem Alphonsus de Castro *loco citato*, quem sequuntur Trasmiera, & Alberghin. *locis citatis*, dicit esse denunciandum in Sancto Officio Sacerdotem, qui plures Missas absque legitima causa eadem die celebrat: Tu dic, hunc casum non spectare ad Sanctum Officium, vt pluries fuit resolutum in Suprema, nempe 10. *Septembris* 1597. 19. *Octobris* 1605. 14. *Nouembris* 1607. 1. *Iulij* 1609. quod idem astruit Carthar. *decis. Archiep. Mediolanen.* 26. *num.* 1. quicquid dixerint citati à Gonzalez *in cap.* 3. *de celebrat. Missarum in fine*. Etsi cum quis se denunciat in Sancto Officio de huiusmodi delicto, expediatur eum monitione, & pœnitentijs salutaribus, vt factum fuit in Suprema *sub die* 12. *Augusti* 1632.

70 Quod dictum est de Sacerdote non ieiuno, idem dicendum est de laico non ieiuno communicante: Nam licet præceptum hoc videatur solummodo Sacerdotes comprehendere, à consuetudine tamen declaratum fuit, vt omnes Christifideles comprehendat, quam consuetudinem Concilium Constantien. *sess.* 13. *paulo post principium*, approbauit Cardin. de Lugo *loco cit. num.* 19. & huius laici causam non cognosci in Sancto Officio, sed ab Ordinario, resoluit Suprema *sub die* 9. *Augusti* 1609.

71 Sicuti etiam declarauit, non spectare ad Sanctum Officium casum illorum, qui pluries in die communicant, vt ex Decreto 6. *Maij* 1626.

72 Nec eorum, qui per longum tempus abstinent à Communione, siue singulis annis non Confitentur, neque Communionem sumunt; licet enim Felin. *in rubr. de Hæret. nu.* 4. & *in cap.* 2. *eodem titulo*, quem sequitur Roias *in singul.* 98. *num.* 7. Zanchin. *de Hæret. cap.* 35. *num.* 2. & ibi Campegg. *in addit.* Zecchius *in summ. to.* 1. *de fide cas.* 11. *num.* 5. Carrer. *de Hæret. num.* 37. Sanctarell. *eodem tract. cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 5. Bordon. *in Tribunal. cap.* 22. *quæst.* 27. voluerit hos esse suspectos de hæresi, præsertim si ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & moniti non resipiscant, vt voluit Bordonus *loco citato*.

73 Nihilominus contrariam sententiam tenuerunt Pegna *par.* 3. *comm.* 26. & *in addit. ad* Ambros. de Vignate *in tract. de Hæret. qu.* 2. *num.* 73. & *in addit. ad* Lucern. Inquisit. *ver. Hæresis num.* 10. Farinacc. *quæst.* 178. §. 2. *nu.* 79. *vers. Ex quibus*, P. Diana *par.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 38. vbi dicit contra hos Episcopos procedere, Carena *par.* 2. *tit.* 17. §. 1. *num.* 4. Lupus *in Edict. S. Officij par.* 2. *lib.* 14. *distin.* 7. *art.* 1. *diff.* 2. vbi dicit, ità seruari in praxi; & hanc opinionem canonizauit Suprema, vt in decreris *die* 27. *Septembris* 1611. & 3. *Augusti* 1627.

74 Si quis autem sumeret Eucharistiam ad corporalem satietatem explendam, esset

esset suspectus de hæresi, quia verè is abutitur Sacramento Eucharistiæ operando contra finem primarium institutionis huius Sacramenti, & videtur adherere hæresi Armenorum, de qua Caponius *in Appendice par. 3. Sancti Thomæ quæst. 79.* & ità docent Trasmiera *de Polygamia lib. 3. qu. 2. num. 28.* Alberghin. *in Man. cap. 23. num. 4.* vbi testatur, fuisse punitum in Sancto Officio quendam, qui extraxerat ex sacra Pixide pluries Particulas, easque pro cibo corporali sumpserat.

Sed hac occasione quæritur, an qui furatur Pixidem, in qua asseruatur Sanctissimum Sacramentum, possit in Sancto Officio puniri.

75 In hoc casu diuersimode fuit obseruatum, sed vt plurimum dictum fuit, causam hanc esse cognitionis Sancti Officij, vt ex Decretis Supremæ *die 29. Septembris, & 29. Nouembris* 1605. *& sub die* 17. *Maij* 1607. Et tunc temporis fuit cogitatum de condenda Constitutione contra huiusmodi delinquentes, vt ex Decreto *sub die 4. Augusti* 1611.

Tandem *die 25. Maij* 1618. dictum fuit, cognitionem huius delicti spectare priuatiuè ad Sanctum Officium.

Cæterum de huiusmodi resolutionibus valdè aliàs dubitatum fuit, si tamen vnacum furto sacræ Pixidis non fuisset proiectum, vel sumptum præsertim à laico Sanctissimum Sacramentum, vel aliàs asportatum, & non inuentum.

Licet enim furtum rei sacræ sit grauissimum sacrilegium, & videatur continere in se suspicionem malæ credulitatis, cum
76 contrectando res Deo dicatas, & consecratas, Deum ipsum contemnere, ac illi iniuriam inferri videatur, vt ex Petro Gregor. *Syntagmat. lib. 33. cap. 15. rubr. de pœnis veri Sacrilegij num. 1.* & ex Deciano *tract. crimin. lib. 6. cap. 30. num. 1.* qui dicit delictum hoc esse contrarium Religioni, & pietati, testatur Farinacc. *quæst. 172. nu. 1.* & huiusmodi Sacrilegos esse suspectos de hæresi, imò suspectissimos dixit Mar. Italia *de Immunit. lib. 1. cap. 5. §. 3. à num. 88.* quem sequitur Farinacc. *in append. de immunit. num. 217.*

Nihilominus qui furatur sacram Pixidem non contrectando Sacratissimam Hostiam, vel Sacratissimas Particulas, sed
77 eas relinquendo in Altari, vel in Tabernaculo, cum possit moueri solùm ex auaritia subripiendi vas aureum, vel argenteum, adhibita reuerentia Sacratissimo Sacramento, crederem non subiici iudicio Inquisitorum, quia ex illo actu relinquendi hostias intactas in Altari, vel Tabernaculo, tollitur suspicio, quod fur malè sentiat de Venerabili Altaris Sacramento, sed causam spectare ad Iudices ordinarios, cum delictum hoc sit mixti fori, mala credulitate seclusa, Farinacc. *dicta quæst. 172. num. 31.* Sperell. *decis. 3. per tot.* Carthar. *decis. Archiep. Mediolanen. 72. num. 29.* & ità pluries meo tempore fuit obseruatum, relinquendo huiusmodi causas Episcopis, vel Iudicibus laicis, si præuenissent.

78 At quando vnacum Pixide quis furatur Sacratissimas Hostias vel proiicit, vel conculcat, vel sumit, vel abscondit, tunc quia fur iste abutitur Sacramento Eucharistiæ, redditur absque dubio suspectus ex ipso facto de hæresi, & ideo huiusmodi delictum sic qualificatum spectat priuatiuè ad Sanctum Officium quoad Iudices laicos, sicuti spectant alia delicta, in quibus cadit hæresis suspicio; & ità sunt intelligendi Mar. Italia, & Farinacc. qui nituntur exemplo relato à Follerio, & eius auctoritate: Fur enim, de quo Foller. non solùm subripuerat Pixidem, sed manducauerat Sacratissimas Hostias.

79 Et hæc opinio seruatur in Sancto Officio Lusitaniæ, licet ab Inquisitoribus Vlixiponen. malè fuerit morti, & igni traditus quidam infelix, qui solùm indiciis, & violentis præsumptionibus premebatur, sacram Pixidem cum Sanctissimo Sacramento furto obtulisse, qui postea ex confessione veri furis repertus fuit innocens, vt testatur Barbosa *in addit. ad Collect. Decret. to. 6. ad cap. Afferte, de præsumpt. num. 4. vers. Paucis ab hinc annis.*

Reclamauit quantum potuit, & curauit ab huiusmodi sententia reuocare Inquisitores illos Illustrissimus Tramallus Episcopus Hieracen. tunc Collector Portugalliæ, & quæstus est mecum, qui tunc temporis munere Auditoris Generalis Nunciaturæ Hispaniarum fungebar.

80 Ideo cauendum est à Boerio *decis. 254.* qui ponit exemplum de eo, qui vas sacrum, in quo erat repositum Sacratissimum Christi Corpus, subripuerat, & vt illud rumperet sub pedibus posuerat, & Sacratissimam Hostiam conculcauerat.

Pariter cauendum est à Foller. *in pract. Crimin. in ver. Captat informationem num. 11.* & *pract. Crimin. Canon. cap. 17. num. 53.* qui
81 ponit exemplum in eo, qui fuit furatus Calicem, in quo erat Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod scelestus ille manducauit: Nam verè isti sunt suspecti de hæresi, vt ex Mario Italia, & Farinacc. *supra dictum est.*

82 Item cauendum est à San-felicio *decis. 243.* dum asserit, qui furatus fuerat Pixidem, in qua erat Sanctissimum Sacramentum, & captus antequam ianuam Templi egrederetur, non debuisse gaudere immunitate Ecclesiastica, quia quicquid sit de iure communi, post Bullam

Gregorij Decimiquarti omnino contrarium est tenendum, quia delictum hoc, quamuis immane sacrilegium, non est de exceptuatis in Bulla, vt optimè probat reiectis contrarijs Carthar. *decis. Archiep. Mediolan. decis.46. per totam.*

83 Quamuis eum, qui furatus est sacram pixidem non gaudere immunitate Ecclesiastica post Gregorij Constitutionem dixerit Marius Italia *de Immun.Ecclesiast.lib.1. cap. 5. §. 3. num. 68.* quem videtur sequi Farinacc. *in append.de Immun.Eccles.n.217.* quod tamen dixisse videtur *supra nu. 209.* Ibi quod committentes grauissima, & enormissima delicta in Ecclesia non debere ab Ecclesia extrahi, nisi fortassè consulto Summo Pontifice; & tunc ab Episcopo. Quando autem huiusmodi furtum habeat qualitates continentes hæresis suspicionem, talis delinquens gaudere non debet immunitate Ecclesiastica, non quia deliquerit in Ecclesia, & ideo illius immunitate non gaudeat, sed quia Hæreticus, & suspectus de hæresi illa non gaudet, *vt alibi diximus*, & tenet Farinacc. *in append. cap.13. num.175.*

Sed quia post hæc scripta emanauit Constitutio Pontificia contra subripientes Hostiam consecratam, seu vnam, vel plures Particulas consecratas, cum pixide, vel sine ea, sine illam, vel illas apud se retinentes; in qua Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Vndecimus, ad reprimendam horrendam huiusmodi subripientium impietatem, mandauit, illos esse condignis pœnis pro facinoris atrocitate puniendos,ac etiam pro prima vice Curiç seculari tradendos, necnon omnimodam causarum huiusmodi cognitionem ad Sanctum Inquisitionis Officium priuatiuè spectare; ideòque operæpretium erit eiusdem Constitutionis tenorem hìc inserere, *prout sequitur:*

INNOCENTIVS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Nostri Apostolatus auditum detestanda quorundam iniquitatis filiorum peruenit audacia, qui omnis impietatis terminos supergressi manus sacrilegas nè à Sancto quidem Sanctorum, Augustissimo scilicèt Eucharistiæ Sacramento, quod transiturus de hoc mundo ad Patrem Saluator, & Dominus Noster Iesus Christus in memoriam cruenti illius Sacrificij, quo se ipsum pro generis humani redemptione in ara Crucis Deo Patri immolauit ineffabili diuini amoris sui largitate Corpus suum in cibum, & Sanguinem in potum Nobis tribuendo instituit continere tanti tamque tremendi formidine mysterij compelluntur. Quocirca ad reprimendam horrendam eiusmodi impietatem, quæ animum nostrum ipsa sui immanitate confudit in nomine eiusdem Domini Nostri Iesu Christi exurgentes Motu proprio non ad alicuius super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera scientia, & deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, à S. Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio hac nostra perpetuò valitura Constitutione auctoritate Apostolica statuimus, & decernimus, vt deinceps omnes, & singuli vtriusque sexus, qui de furto Hostiæ consecratæ siue vnius, vel plurium particularum consecratarum cum sacra Pyxide, vel sine illa per legitima indicia iudicialiter iuxta Sancti Officij Inquisitionis contra hæreticam prauitatem auctoritate Apostolica instituti regulas, & praxim confessi, aut conuicti fuerint, quiuè propria malitia,vel de alterius ordine, seu mandato Hostiam, siue vnam, vel plures particulas consecratas prædictas apud se retinuerint, vel aliò transferre, seu asportare præsumpserint condignis pœnis, & animaduersionibus pro facinoris atrocitate puniantur, & nisi constiterit non fuisse ad malum finem, etiam pro prima vice Curiæ seculari tradantur, non obstante minori ætate, dummodò vigesimum attingant annum, quibus pœnis etiam mandantes subiaceant; porrò omnimodam cognitionem causarum furti Hostiæ consecratæ, siue vnius, vel plurium Particularum consecratarum huiusmodi cum Pyxide, vel sine illa, tanquam delicti hæresim, vel vehementem hæresis suspicionem continentis ad Iudices Ecclesiasticos, & ad Sancti Inquisitionis Officium prædictum priuatiuè spectare, eadem auctoritate harum serie, & motu simili declaramus, decernentes præsentes nostras literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, ius, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cuiusuis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, siue alias specifica, & indiuidua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanauerint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut vllo modo iustificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumuis iuridica, & priuilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo vnquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, alionè quolibet, etiam quantumuis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controuersiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu aduersùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum aliudue quodcunque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari; aut etiam motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud vti, seu se iuua-

re ullo modo posse, sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit inuiolabiliter, & inconcussè obseruari; Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ità per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosque quoslibet quacunque præminentia,& potestate fungentes,& functuros,sublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenùs opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de iure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Vniuersalibus, Prouincialibusque, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon quibusuis,etiam iuramento,confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis personis, Collegijs, & locis, etiam specifica, & indiuidua mentione dignis, etiam sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs,ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili,ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, & indiuidua mentio, seu quæuis alia expressio ad id seruanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis insertis, & exactissimè seruatis, & specificatis respectiuè habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad præmissorum effectum plenissimè, & amplissimè motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, vt eædem præsentes, & in eis contenta, quæcunque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quispiam de eis ignorantiam prætendere valeat ipsas præsentes, seu earum transumpta ad valuas Ecclesiæ S.Ioannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi-floræ per aliquem ex Cursoribus nostris, vt moris est, publicari, & affigi: Sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac si vnicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent, vtque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus, tam in iudicio, quàm extra illud vbique locorum fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, decreti, declarationis, derogationis, voluntatis, ac mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimosexto, quarto Idus Martij, Pontificatus Nostri Anno Primo.

S. Datarius.

I. G. Slusius.

An autem Sacerdos, qui quotidiè celebrat, nec visus est vnquam confiteri sit suspectus de fide, Bordon.*in Tribun.cap.22.*
84 *quæst.24.* putat, quod si Sacerdos laborat mala fama, & habetur pro malo Sacerdote, suspectus sit, quia videtur sentire, non esse necessarium, Confessionem Sacramentalem præmittere contra illud, quod definiuit sacrum Concilium Tridentinum *sess.13. can.11.*

EGO verò crederem, quod si adest copia Confessarii posse sustineri opinionem Bordoni, quia difficile est, quod tra-
85 ctu temporis Sacerdos aliquo peccato non inficiatur, cum septies in die cadat iustus; quo casu ex præcepto Diuino tenetur præmittere Confessionem, vt latè probat Card. de Lugo *de Sacram. Eucharist. disput.14. sect.4. num.69.*

Ideò si adest copia Confessarij, & non confitetur, reddit se suspectum, quod credat, non esse necessarium ante communionem, vel confectionem Eucharistiæ, præmittere Confessionem Sacramentalem. Si verò non adest copia Confessarij illum excusarem, si per breue tempus non confiteretur ante, vel post celebrationem, si autem per longum tempus penès Me non careret suspicione.

Fuit dictum etiam in Suprema, non esse casum Sancti Officij delictum illius sacrilegi Sacerdotis, qui vestibus Sacer-
86 dotalibus indutus accessurus ad Missam celebrandam, se recepit in quendam angulum Sacrarij, & ibi turpes actus exercuit cum puero vsque ad pollutionem, & statim, absque Confessione,accessit ad celebrandum; demùm post celebrationem cum eodem puero, alios actus impudicos perpetrauit, vt ex Decreto *sub*

die 13. Augusti 1614.

Item resolutum fuit non esse procedendum in Sancto Officio contra Sacer-
87 dotes, qui nocte antecedenti dormiunt cum Meretricibus, & mane accedunt ad celebrandum, absque quod priùs confiteantur, vt ex Decreto *sub die 5. Iulij 1613.*

Quod tamen limitarem, nisi sæpiùs hoc facinus perpetrassent, quia ex *supradictis* videntur male sentire de vtroque Sacramento.

88 Sed an Sacerdos, qui communicat Fideles cum pluribus Particulis extra casum necessitatis debeat in Sancto Officio puniri. Hanc superstitionem in Sancto Officio punibilem dixit Suarez *in 3. par. to. 3. quæst. 67. sect. 7. litt. E, vers. Et hunc sequuntur.* Idem tenet Heredia *in disput. Theolog. de Sacram. tit. de Eucharist. disput. 2. par. 9. dub. vnic. num.* 1. Io: de la Cruz *in Director. conscien. par. 2. de Sacramen. Eucharist. quæst. 4. conclus. 2.* P. Diana *par. 4. tract. 8. resolut. 96.* Trasmieta *de Polygam. lib. 3. cap. 9. num. 28.* Hos omnes, præter P. Suarez, citat Alberghin. *in Man. cap. 23. num. 6.* Nouissimè Salell. *de mater. Tribun. Sancti Officij lib. 1. reg. 150. num. 137.* & latiùs *num. 178.* Fermosinus, post hæc scripta visus, *qq. S. Officij par. 3. quæst. 4. num. 14.*

Sed accipe, quod scripsit in casu, de quo agitur, Suprema ad Cardinalem Boncompagnum Archiepiscopum Neapolitanum *sub die 17. Maij 1636.* Me existente Assessore.

Ha commosso l'animo di Nostro Signore la nouità introdotta costì da N. N. e forsi da Sacerdoti di altre Religioni, di communicare le persone, che fanno le spirituali, con più particole, poiche essendo ciò contrario all'vso inueterato della Chiesa Cattolica, può non solamente non apportar benefizio veruno, ma danno irreparabile, e pessime conseguenze: Onde per resistere dal principio a cotesto abuso, hà la Santità Sua col parere di questi Eminentissimi miei risoluto, che V. Emin. insieme con Monsignor d'Vmbriatico Ministro costì di questa Suprema, & Vniuersale Inquisizione si contenti di far chiamare a se tutt'i Superiori delle Religioni, che sono in Napoli, tutt'i Parochi della Città, ed in tal congresso fatti condurre li detti N. N. faccia loro vn'agra reprensione, ammonendoli seriamente dell'errore, in cui sono trascorsi, imponga loro la sospensione dall'vdire le Confessioni, e dall'esercizio di amministrare il Santissimo Sagramento dell'Eucaristia, ad arbitrio di questa Sagra Congregazione, e graui penitenze salutari. Nel medesimo tempo auuertirà i Superiori, e Parochi suddetti, che s'astenghino d'amministrare la Santissima Communione a'Fedeli con più particole in vn medesimo tempo, e ciò faccino intendere a'loro Sudditi, Cappellani, o Coadiutori, e non ardiscano di partirsi dall'vso inueterato di Santa Chiesa di communicare con vna sol particola, sotto pene arbitrarie alla medesima Sagra Congregazione: Si riseruano però i casi di necessità, ne' quali non può cader sospetto di superstizione alcuna. Vuole anco Sua Beatitudine, che ad N. & N. che sono stati communicati con più particole, s'assegnino prudenti Confessori, e sia vietato loro il communicarsi ogni mattina, ma se le conceda per vna sol volta la settimana.

Cum autem post aliquos annos iterùm Neapoli accidisset, quod nonnulli Confessarij quarundam Monialium, aliquas
89 earum pluribus particulis communicassent, fuit dubitatum, an illis deberet imponi abiuratio saltem de leui, & fuit resolutum aliquibus tamen contradicentibus, non esse imponendam, sed grauibus pœnitentijs salutaribus expediendos, & suspendendos ab audientia Confessionum, & ab exercitio administrandi Sacramentum Eucharistiæ; quæ tamen resolutio mihi non arrisit, quia si delictum hoc tanquam superstitiosum punitur in Sancto Officio, vtique reddit delinquentem suspectum aliqualiter in fide: Nam si delictum istud solam simplicem caperet superstitionem, non esset cognitionis Sancti Officij.

90 Idem dicendum si Sacerdos extra casum necessitatis communicaret aliquem, vel cum maiori particula, vel hostia grande: In quo irrisa est in Suprema, vanitas cuiusdam Principis, qui rogabat Parochum, vt in communione illi offerret hostiam maiorem, vt in hoc differret à suis subditis.

An autem, qui laborando in extremis, petit Viaticum, sed illud vult recipere
91 cum hostia non consecrata, sit suspectus de fide. Dic, quod si euidenter non constat, hanc hostiam non consecratam velle sumere propter humilitatem, non liberari à suspicione hæresis, Farinacc. *quæst. 178. num. 49.* & post eum Carena *par. 2. tit. 17. §. 4. num. 15.* Alberghin. *in Man. cap. 24. num. 4.*

92 Fuit autem à Suprema prohibita Sacræ Eucharistiæ susceptio puero vndecim annorum, quia post particulam sumptam, illam extraxit ab ore, & proiecit, vt ex Decreto *7. Aprilis 1607.*

93 Et cum quædam Maura Valentiana fuisset indiciata, quod idem fecisset, fuit rescriptum Archiepiscopo Neapolitano, vt pro suo arbitrio mandaret torqueri, vel terreri pro habenda veritate, etsi nihil resultaret, dimitteret præuia instructione, & obseruaretur, vt ex Decreto *die 9. Ianuarij 1624.*

94 Alter autem, qui pariter particulam

consecratam ab ore extraxit, & in sudario illam posuit, asserens id fecisse ob debilitatem stomachi, fuit expeditus cum Decreto, quod torqueretur moderatè super intentione, etsi catholicè responderet, dimitteretur cum monitionibus, & pœnitentiis salutaribus, quod Decretum latum fuit *die* 19. *Ianuarij* 1621. licet aliàs *sub die* 21. *Iulij* 1615. fuisset dictum non spectare ad Sanctum Officium hunc casum, nisi adesset suspicio malæ credulitatis.

Pariter fuit resolutum, puniendum esse in Sancto Officio Sacerdotem, qui ob colaphum ab eo alteri Sacerdoti impactum fuerat à Diuinis suspensus, demùm bis in die celebrauit etiam super tabula non consecrata; & in secunda Missa non consecrauit, vt ex Decreto *sub die* 18.*Iunij* 1606.

95 Abutitur etiam Sacramento Eucharistiæ, qui cum non sit Sacerdos celebrare Missam præsumit, & hunc esse vehementer suspectum de hæresi, latè tuetur Carena *par.*2. *tit.*11. §.1.*num.*3. Alberghin. *in Man. cap.*25. *num.*2. Carthar. *decis. Archiep. Mediolan.* 13. *num.*10. *&* 11.

Licet enim iste non conficiat Sacramentum, etiam verba consecrationis proferendo, nihilominus dicitur abuti Sacra-
96 mento, quia abutitur omnibus rebus, quibus à vero Sacerdote conficitur Sacramentum, Carena *par.*2. *tit.*11. §.3.*num.*14. *vers. Neque obstat.*

Cum abiuratione autem de vehementi, si non habeant errorem, & pertinaciam in intellectu, expediuntur sponte
97 comparentes: Nam si quis sit præuentus, & fateatur huiusmodi delictum, vel de eo sit legitimè conuictus, traditur Curiæ seculari, iuxta Decretum Pauli Quarti *sub die* 10.*Martij* 1557.*& die* 17.*Februarij* 1559. *registr.* à Carthar. *dicta decis.*13. *num.*9. & à P. Diana *in fine par.* 4. *suarum resolutionum*, editæ fuerunt postea Constitutiones Gregorij Decimitertij, & Clementis Octaui, illa data *die* 6. *Augusti* 1574. hæc 1. *Decembris* 1601.

In sua Gregorius statuit, quod tale delictum ad Inquisitores spectat puniendum. Clemens verò decreuit, Inquisitores, & Ordinarios posse in huiusmodi delinquentes animaduertere, & præuia degradatione Ordinum, si quos habuerint, tradere Brachio seculari.

Constitutionem hanc Vrbanus Papa Octauus ampliauit, & locum habere voluit etiam in minoribus vigintiquinque
98 annorum sic celebrantibus, dummodo vigesimum suæ ætatis annum compleuerint.

99 Et hæc relaxatio fit etiam pro prima vice, quia isti habentur tanquam relapsi, vt declaratur in Constitutione Clementis Octaui, latè Sanctarell. *de Hæresi cap.* 42. *dub.vnic. num.*5. *vers. Dico quinto.*

100 Eo autem casu non indicitur abiuratio, quia relaxatis Brachio seculari, non solet iniungi, vt resolutum fuit in Suprema *die* 5.*Iunij* 1603.*&* 5.*Martij* 1609.*&* 24. *Februarij* 1611. & in indiuiduo relaxati Curiæ seculari, quia non promotus celebrauerat, fuit resolutum in Suprema *die* 12. *Iunij* 1603.

101 Cæterum si ex pietate Summi Pontificis traditionis Brachio seculari pœna commutaretur in aliam mitiorem, nempe triremium, vel carceris, vt pluries mei Assessoratus tempore factum fuit, tunc delinquens debet abiurare de vehementi tanquam pœnitens, & Ecclesiæ incorporatus, vt in Decreto *sub die* 17. *Februarij* 1596. *&* 26. *Martij* 1609.

102 Et hæc præsumptio Inconstantiæ in fide habet locum non solùm in celebrante non promoto, sed etiam in attentante celebrationem, videlicet, si non Sacerdos iuit ad Ecclesiam, vestibus Sacerdotalibus se induit animo celebrandi, sed demùm pœnitentia ductus, vel aliter impeditus celebrationem non inchoauit: Nam & is redditur suspectus de hæresi, non quidem vehementer, vt falsò putauit Bordonus *cap.*22. *num.*13. sed leuiter tantùm, quemadmodum qui attentat polygamiam, & aliud delictum, quod perfectum redolet vehementem suspicionem, nam is leuiter tantummodo reputatur suspectus, abiuratque de leui, & non de vehementi, Carena *par.*2.*tit.*5.§.11.*num.*60. Nam talis non abutitur Sacramento verè, & realiter, vt perperam sensit Bordonus *loco cit.* melius Cæsar Carena *loco citato* §. 6. *numer.* 37.

103 Non excusaretur tamen non promotus, qui Missam incipiens, illam non perficit, si eleuaret hostiam, & calicem, quamuis, vt multi fatentur, verba consecrationis non protulisset, Sousa *in Aphorism. lib.*1. *cap.*32. *num.* 6. P. Diana *loco cit. resolut.* 12. *vers. Nota*, Carena *dicto tit.* 11. *num.*15. Alberghin. *in Man. cap.*25.*num.*5.

104 Dixi, *si eleuaret hostiam, & calicem*, quia ratio Constitutionis Clementis Octaui in eo consistit, quod isti nefarij homines non solùm actus idolatriæ saltem extrinsecè, & per externa, & visibilia religionis, & pietatis signa, sed etiam quantum in ipsis est efficerent, vt Christifideles, qui credunt eos ordinatos esse, & ritè conficere Sacramentum Eucharistiæ, in idolatriæ crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem, & vinum tanquam verum Christi Domini Corpus, & Sanguinem eisdem adorandum proponunt.

105 Quæ ratio non potest habere locum, nisi in eo, qui proponit hostiam,& vinum

adorandum, non autem in solummodo incipiente Missam, & non perficiente. Hunc autem casum videtur P. Salelles relinquere iudicio Supremæ *in cap.7.reg.486. num.41.*

Sed *de anno* 1664. accidit iste casus in hac Suprema, in qua quidam comparuit sponte accusans se non promotum indutum ad Missam celebrandam, cum eam incepisset, & prosequutus fuisset vsque ad Euangelium, pœnitentia ductus, lachrimans ab Altare discessit, illam non perficiendo, nec hostiam, aut calicem eleuando; ideò fuit expeditus solis pœnitentijs salutaribus iniunctis.

106 Benè verum est, quod etsi non promotus non proferat verba consecrationis, nihil refert, quia siue proferat, siue non proferat, nunquam conficit Sacramentum: ità Sousa *in Opusc.de Sollicitaut,tract.1. cap.9. num.19.* & *in Aphorism. lib.1. cap.32. num.6.* Carena *tit.* 11. §.3. *num.* 15. *vers. In his tamen.* Ratio est quia malitia huius criminis ad idolatriam pertinet, quia, *vt supra dixi*, sic celebrantes faciunt Christifideles adorare panem, & vinum, tanquam verum Corpus, & Sanguinem Christi, vt dicit Clemens Octauus *in sua Constitutione*; Sousa *dicto cap.32. num.7.*

107 Ideò cauendum est à Bordono *in Tribun. cap.22. num.16.* qui dicit, quod fictus Sacerdos non consecrans, non est puniendus pœna ordinaria, sed mitiori; & priorem opinionem tenet etiam P.Dian.*par.4. tract.7. resolut.12. vers. Nota*, Alberghin. *in Man. cap.25. num.5.*

108 An autem ad effectum traditionis Brachio seculari sufficiat, non promotum vnicam Missam celebrasse, dubium faciebat, quia tam Constitutio Gregorij, quàm Clementis Octaui loquuntur per verbum *Missas celebrauerint*, quæ locutio intelligitur de pluribus Missis, non autem de vna, nam pluralis numerus non contentatur vno, Menoch. *consf.198.num.6. & consf.404. num.2.* cum alijs per Barbos. *de diction. vsu frequent. dict.265.num.2.*

109 Sed cum Bulla Vrbani Octaui loquatur per verbum singulare, *Missam*, &, Me præsente, Sanctitas Sua se declarauerit voluisse etiam quoad hoc ampliare prædictas Constitutiones, dicendum est, vnicam Missæ celebrationem sufficere, quamuis ex pietate Sacri Tribunalis viderim ob vnicam celebrationem commutatam fuisse pœnam traditionis Brachio seculari in pœnam triremium perpetuarum, vel ad tempus.

110 In huiusmodi autem causis magna maturitate procedit Sanctum Officium: Non enim sufficit, quod dicant testes, Reum celebrasse, sed vult, quod exprimant tempus, & locum, in quo celebrauit, in quo Altari, quam Missam celebrauerit, an de feria, an de Sancto, an de Requiem, quibus vestibus indutus, quis illi inseruiuit?

111 Et quamuis probetur celebratio Missæ, si vnus testis dicat vidisse Reum tali die, in tali Ecclesia, & tali Altari, indutum vestibus Sacerdotalibus dicentem Epistolam, alius vidisse dicentem Euangelium, alius vidisse eleuantem hostiam, vt notat Felin. *in cap. Licet ex quadam, de testibus*, & ibi Abb. *num.11.* Simanch. *de Cathol.tit.64. num.65.* Farinacc. *quæst.65. nu.182.* Carena qui alios *d.tit.11. §.4. num.17.*

Nihilominus Supremæ, &c. ad effectum traditionis Brachio seculari, non sufficit huiusmodi probatio, sed vult, quod adsint testes contestes, qui viderint inchoare, & perficere Missam, quia sufficit, quod possit esse, quod non promotus hostiam non eleuauerit, Farinacc. *consf.75. num.67.* Vermigl. *consf.76. num.21.*

112 Præterea quia nonnulli ex istis Reis asserunt, se fuisse ad Sacerdotium promotos ab aliquo Episcopo, licet illis onus incumbat promotionem probandi: Nihilominus Suprema pro veritate indaganda scribit ad prætensum Episcopum promouentem, vt certiorem faciat, & mittat testimonium authenticum promotionis, vel attestationem, se requisiuisse registra Ordinationis, nec fuisse inuentum in illis nomen Rei prætensi: Et quandoque etiam inuentum fuit, Episcopum illum ne quidem ea die Ordines contulisse: Nam tunc faciens se Sacerdotem, seu Clericum, & ingerens se actibus Clericorum, cum non sit, est falsarius, & punitur, Diaz. *in pract. cap.12. num.2.* Auiles *ad cap.51.*

Falsitas huiusmodi probatur recurrendo ad Matricem, si ex ea non constet, esse descriptum in cathalogo Ordinatorum, qui fit de omnibus ordinatis, Couuarr. *pract.cap.19.vers. Quarto*, Menoch. *remed.4. adipiscen.nu.736.& de Arbitr.cas.187.nu.431.* Barbos. *ad cap.2.de Cleric.non Ordin.ministr. num. 3.*

113 Cæterum si quis fuisset Ordinatus ad Diaconatum, nec reperirentur libri, in quibus notantur promoti, sed adessent testes, qui deponerent de publica voce, & fama, quod esset Sacerdos, & quod pro tali habebatur, non posset tradi Brachio seculari, vt fuit resolutum in Suprema *die 8. Augusti* 1611. de quodam Religioso, qui denunciatus celebrasse non promotum, quia tamen Diaconus erat, & aderant testes Religiosi, qui deposuerunt de voce, & fama, quod esset Sacerdos, nec libri Ordinationis reperiebantur, fuit consignatus suis Superioribus, & suspensus ab executione Ordinum.

114 Sacerdotium enim probatur ex diu-

turna possessione, & si quis diu Missas celebrauerit, *cap. Illud, de præsumptionibus*, Castrens. *cons.*202.*num.*3. *lib.*1. Mascard.*de probat. conclus.*304. *num.*1.

115 Itaut asserenti, aliquem promotum non esse, incumbat onus probandi, si constet diu in Sacerdotio inseruisse, Rota *decis.*84.*aliàs* 4.*de probat.in antiqu.* Mascard. *dicta conclus.*304.*num.*3.

Non enim præsumendum est, quod si non esset promotus, tam diu fuisset toleratus à superioribus, à subditis, vel à consanguineis, Hostien. *in cap. Illud, de præsumpt.* & ibi Anton. de Butr. Abb. *num.*7. Io: de Imola *num.*13. Felin. *num.*5. Pacian. *de probation. lib.*2. *cap.*34. *num.*58.

116 Quod maximè procederet, si adesset bona fama inquisiti, si enim in recta hominum existimatione habebitur, non erit præsumendum de illo tantum facinus, quale foret, si non promotus auderet celebrare, & propterea cum hoc tendat in periculum animæ ipsius minus exactæ probationes sufficiunt, Pacian. *loco citato num.* 60.

117 Hinc Clericatum probari per famam concurrentibus aliquibus adminiculis, dixit Mascard. *conclus.*305. *num.*11. qui allegat Papazzon. *in addit. ad decis. Dominorum de Rota decis.*2.*de filijs Presbyterorum in nouis*, quam decisionem non inueni in meo Codice.

118 Cum autem quidam Religiosus spontè comparuisset in Suprema, asserendo per decem annos Missas celebrasse non promotum, sed tandem verè fuisse promotum, & petiisset absolutionem, & dispensationem, Sanctissimus decreuit, vt expediretur cum abiuratione de vehementi, & non celebraret, nisi iussus à suis Superioribus, vt ex Decreto *die* 9. *Nouembris* 1608.

119 Quidam etiam, qui damnatus fuerat ad traditionem Brachij secularis, quia celebrauerat non promotus, cum reductus fuisset ad carceres Sancti Officij propter apostasiam à fide, facto verbo, an esset admittendus ad abiurationem, & absoluendus à censuris incursis, ac Sanctæ Ecclesiæ gremio, & participationi Sacramentorum restituendus; Sanctissimus auditis votis mandauit, vt Curiæ seculari restitueretur, vt ex Decreto *sub die* 26. *Martij* 1609.

120 Aduertendum est etiam, quod spontè sic comparentibus, si non sunt Ordinati ad sacros Ordines, significatur eis in expeditione, esse perpetuò suspensos à susceptione sacrorum Ordinum; si verò sint in sacris constituti, significatur illis, esse suspensos ab executione suorum Ordinum, nec posse absque dispensatione ad ad Sacerdotium promoueri, *vt in cap.* 1. *& 2. de Cleric. non Ordin. ministr.*

Denique pro complemento huius materiæ sciendum est, quod quidam laicus, qui scienter inseruiuit non Ordinato ad Sacerdotium in celebratione Missæ, fuit tortus super intentione, & quia catholicè respondit, præuia abiuratione de vehementi damnatus ad triremes per quinquennium, & suspensus perpetuò à munere Missæ inseruiendi, vt ex Decreto *sub die* 7. *Februarij* 1659.

121 Ad tollendam autem huius delicti frequentiam, fuerunt datæ litteræ circulares à Suprema Ordinariis Italiæ *die* 20. *Februarij* 1649. tenoris sequentis:

E Frequente in questa Suprema, & Vniuersale Inquisizione il delitto di coloro, li quali vanno per l'Italia celebrando Messe, e tal'ora confessando, ancorche non sieno promossi al Sacerdozio, e viene (per quello, che si è conosciuto) dal puoco auuedimento de' Vicari, e particolarmente Foranei delle Terre, e de' Castelli, che sono fuori di mano, ed anno carestia de Sacerdoti, da' quali non si vsano le douute diligenze in farsi esibire, ed in esaminare le Dimissorie, ed attestazioni di coloro, i quali vogliono celebrare, mentre, o non l'anno, o se pur l'anno, sono false.

Volendo adunque la Santità di N. Signore prouuedere a sì fatto grauissimo inconueniente, hà col parere di questi miei Eminentissimi risoluto, che con lettera circolare s'auuertiscano gli Ordinari d' Italia a dar'ordini precisi a loro Vicari Generali, e Foranei, che a'Preti secolari, e Regolari forastieri, non concedano licenza di celebrare, se prima da essi non faranno presentate le lettere Testimoniali del Sacerdozio de'propri Ordinari, e de' Superiori Regolari, e quelle sieno tali, che non vi sia pur minimo sospetto di falsità, ed a'medesimi Vicari impongano, in caso di negligenza, o trasgressione pene graui anco corporali.

Io dò di tutto ciò notizia a V. S. affinche ella possa dare esecuzione a quest'ordine di Sua Santità; e ei auuisi insieme con essa la riceuuta della presente.

122 Et quia ab Eminentissimo Cardinali Ludouisio tunc Archiepiscopo Bononiensi, fuit rescriptum Sacræ Congregationi, prout infra *sub die* 15. *Maij* 1649.

SE ancora nelle Chiese de' Regolari non s' inuigila sù le testimoniali de' Sacerdoti forastieri, quì non potrò mai dire d'auer chiuso ogn' adito all' empietà di coloro, che si fingono Sacerdoti, e celebrano come tali. Io pensaua con la facoltà data à gl' Ordinari del Sagro Concilio, di poter anco astringere i medemi Regolari ad osseruare co' miei sudditi ciò che l'EE. VV. vltimamente si seruirono di commandarmi in questa materia con lettere de' 20.

Febraio. Mi si contende però da loro gagliardamente, e con vari presupposti vna tale autorità, sicche io per me solo non basto a tenere indietro quanto farebbe di bisogno i possibili disordini. Se sarà mente di Sua Beatitudine, che occorrendo anco per delegata podestà si faccino vbbedire, n'attendo dall' EE. VV. più certo oracolo.

123 Cui fuit rescriptum *sub die* 29. *Maij* 1649. hisce verbis:

A I Superiori delle Religioni sono stati intimati quì gli ordini di questa Suprema, & Vniuersale Inquisizione per reprimere l'audacia di coloro, i quali ardiscono di celebrare non promossi; onde dourà bastare a V. E. di poter gastigare cotesti Rei, quando sieno denunziati al suo Tribunale, e con esso loro quei Regolari, che non auranno adempiute le loro parti.

124 Benè autem Eminentissimus Ludouisius scribebat, posse ipsum vigore dispositionis Sacri Concilij Tridentini *cap.*16. *sess.*23. *de Reformat.* prohibere, ne Regulares in suis Ecclesijs Sacerdotes permittant, nisi priùs, ab ipso Episcopo visis litteris commendatitijs, ipsi Sacerdotes admissi fuerint, vt fuit resolutum in Sacra Congregatione Concilij *prima Nouembris* 1594. de qua testatur Ventriglia *in praxi rerum Ecclesiasticarum*, *tit. de litteris commendatitijs*, *annot.*24. §. *vnic. nu.*5. Riccius *decis.*298. *par.*4. cum alijs per Barbos. *ad d. cap.*16. *num.*9. & ideò prædictæ litteræ intelligendæ sunt respectu Regulariũ, non autem secularium, quia Sacra Congregatio non intellexit derogare dispositioni dicti Sacri Concilij.

125 Sed an in eo, qui Missam, quam vulgo *siccam* vocant, habeant locum prædicta: Accidit casus in quodam Mercatore, Romæ commorante, qui deuotione accensus, ad sacros Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus ascendit, & domi, antequàm promoueretur ad Sacerdotium, quotidiè celebrabat cum Clerico assistente, sed verba Consecrationis non proferebat; qui cum esset denunciatus, fassus fuit celebrasse, sed ad effectum, vt se informaret de cęremonijs Missæ ideò relaxatus.

An verò vsus Missæ siccæ sit licitus, videndus est Thomas Hurtado *tom.*1.*resolut. Moral. tract.*2. *cap.*7. *num.*312. P. Diana *par.*11. *tract.*6. *Miscellan. resolut.*23.

126 Abutitur etiam Sacramento Eucharistiæ laicus, qui auderet illud ministrare extra casum necessitatis, & hic indicio meo esset suspectus de hæresi Vvicles, & Lutheri, qui dixerunt, omnes Christianos posse hoc Sacramentum ministrare, & distribuere: Sic Thomas Hurtad. *to.*1. *resolut. moral. tract.*5. *cap.*6. *resolut.*63. *numero* 1482. P. Lupus *in Edicto*, *par.*1. *lib.*1. *distinct.*1. *art.*1. *diff.*1.

127 Dixi *extra casum necessitatis*, quia licet multi Doctores teneant, non posse laicum etiam in casu necessitatis administrare Sacramentum Eucharistiæ, nempè Soto, & alij, quos longa manu refert Thomas Hurtado *tract.*5. *cap.*6. *resolut.*63. *nu.*1474. ducti *ex cap. Peruenit, de Consecrat. distinct.*2. vbi hoc vocat horribile, & detestabile facinus, & ex Concilio Tridentino *cap.*8. *sess.*13. *de Sacramentis*.

128 Nihilominus contraria opinio probabilissima est, quam tenent *Gloss. in d. cap. Peruenit, de Consecr. distinct.*2. *ver. Per ipsos*, ibi, *vel per laicum Catholicum*, Valentia 2.2. *disp.*6. *quæst.*10. *punc.*1. *in fine*, Coninch. *quæst.*82. *art.*3. *num.*13. Granado *tract.* 12. *disp.*2. *num.*4. Layman. *lib.*5. *tract.*4. *cap.*7. *num.*4. Filiuccius *tract.*4. *cap.*9. P. Diana *par.*3. *tract.*4. *resolut.* 47. & *par.* 5. *tract.* 3. *resolut.*47. & alij, quos citat, & sequitur Thomas Hurtado *loco cit.* qui benè tuetur hanc opinionem, & respondet ad contraria argumenta opinionis oppositæ.

129 Quamuis opinioni negatiuæ adhæreat Card. de Lugo *de Sacram. disp.*18. *sect.*1. *à num.*22. vbi etiam tenet, non posse laicum in articulo mortis deficiente copia Sacerdotis, à semetipso sumere Eucharistiam; contra quem tamen insurgit P. Auersa *de Sacram. quæst.*10. *sect.* 3. *vers. Quintò vlterius dubitatur, vsque ad finem sectionis.*

Et quamuis in affirmatiuam inclinet Trullench. *de Sacram. lib.*3. *cap.*7. *dub.* 1. *num.*7. dicit tamen negatiuam esse tenendam. De hac quæstione videndus est Hallien. *de Ecclesiast. Hierarch. pag.*376. *versic. In more.*

Sed an liceat celebrare in Mari in magnis Nauigijs, & in nauigatione ad Indos.

130 Hanc quæstionem latè examinat Card. de Lugo, *de Sacram. disp.*20. *sect.*2. latissimè Verricell. *de Sac. Mission. tit.* 8. *de Sacram. Eucharist. quæst.* 133. & 134. & post eum Pasqualig. *de Sacrificio nouæ legis tr.*1. *quæst.*471. & 472.

131 Et quamuis prędicti Doctores teneant affirmatiuam opinionem, quando Nauis est magna, itàut nullum sit periculum effusionis Sanguinis, & Mare sit tranquillum, nec adsit locus celebrandi ad littus Maris, & dicant, Patribus Iesuitis Missionariis ad Indos fuisse concessam huiusmodi facultatem à Clemente Octauo, & Paulo V. Ego tamen non vidi huiusmodi concessiones, sed benè scio, *de anno* 1607. *die* 31. *Iulij*, fuisse in Suprema coram san. mem. Paulo Quinto dictum, nullo modo permittendum esse, quod celebretur Missa super Nauigijs in nauigatione Indiarum.

Petente

132 Petente autem *de anno* 1621. Principe Philiberto licentiam, quod posset sibi facere celebrare Missam super triremibus, *die* 2. *Septembris eiusdem anni* fuit prædicta licentia omnino ei denegata.

Multo magis à Clemente Octauo *de anno* 1600. *die* 13. *Iunij* fuit denegata licentia retinendi, & deferendi Eucharistiæ Sacramentum super Nauibus, infrascripto Decreto.

133 *Gubernatoribus Nauium Lusitaniæ, qui singulis annis in Indias nauigant, petentibus licentiam deferendi Sacramentum Eucharistiæ, ne Nautæ, & Rectores sine viatico decedant; lecto memoriali, & auditis votis: Sanctissimus supradictam petitionem omninò reiecit, & mandauit, ne imposterum de ea tractetur.*

134 Licet antiquitùs in Naui Sacra Eucharistia deferretur, vt pluribus probat Verricell. *loco cit. nu.* 9. imo Missa celebraretur, nam vt refert D. Antonin. *in* 2. *par. cap.* 2. *tit.* 13. §. 2. Sanctus Vualfranus Archiepiscopus Senonen. dum in Phrisiam nauigaret, in medio Mari proiectis anchoris Missam cantaret, & dum Minister offerre Patenam Sancto debebat, illa cecidit in Mare, & Sanctus mittens ad locum, vbi ceciderat, effecit, vt ab imo Maris reuecta, manui Ministri cohæreret, Casal. *de veter. sacror. Christian. Ritibus, cap.* 9. *versus finem, pag. mihi* 105.

Abutitur etiam Sacramento Eucharistiæ, qui Hostias consecratas in sortilegijs miscet, & est talis suspectus vehementer de hæresi, Pegna *par.* 2. *comm.* 67. cum aliis per Carenam *par.* 2. *tit.* 12. §. 30. *num.* 242.

135 Et huiusmodi sacrilegi ex Decreto Pauli Quarti, traduntur etiam pro prima vice Brachio seculari, quod tamen meo tempore obseruatum non fuit, & fortassè non est in vsu; licèt *de anno* 1622. quidam, qui in Ciuitate Bononiensi in sortilegijs abusi fiunt Sacramento Eucharistiæ, Imagines sacras deturparunt, libellos famosos contra Cardinales, & Summum Pontificem, & contra Ritus Ecclesiæ sparserunt, relaxati fuerunt Brachio seculari, vt ex Decreto *sub die* 3. *Nouembris eiusdem anni*.

136 De eo autem, qui gestat Hostiam, vt se defendat ab armis *dixi supra*.

137 Abutitur Sacramento Eucharistiæ, qui conculcat Hostiam consecratam, vel in partibus pudendis ponit, Salell. *Regul.* 486. *n.* 42.

CAPVT XXXV.

ARGVMENTVM.

De Sollicitantibus Mulieres ad turpia in actu Confessionis Sacramentalis. An Confessarius, qui docet actus turpes, & inhonestos vxoribus, vt benè tractentur à maritis, subdatur iudicio Inquisitorum. An sufficiat, quod Pœnitens promittat, se denunciationem facturum, ad effectum, vt absolutionem possit obtinere. An mulier sollicitata teneatur exprimere, se consensisse sollicitationi, si verè consensit. An denunciatio sit facienda, non præmissa correctione fraterna. An Interpres interpretando Confessionem, si sollicitet confitentem ad turpia, sit denunciandus. An mandans Confessario, quod sollicitet pœnitentem, sit denunciandus. Decreta Sacræ Congregationis circa Sollicitantes. Quomodo sit procedendum contra Sollicitantes. Quibus pœnis subiaceant. An reuelans confessionem subdatur iudicio Inquisitorum. An propter delictum hæresis licita sit reuelatio confessionis. An confitens peccata sua per litteras, & Confessarius audiens confessionem tali modo, & absoluens per litteras, subdantur iudicio Inquisitorum. An Superior, qui vtitur notitia habita in confessione pro gubernio Religionis, subdatur iudicio Inquisitorum. An qui, cum non sit Sacerdos, audit confessiones Sacramentales, sit suspectus de hæresi. Quibus subijciantur pœnis celebrantes Missam, & audientes confessiones, non ordinati ad Sacerdotium. An promotus ad Sacerdotium confessionem audiens, sed absolutionem non impertiens, sit tradendus Brachio seculari. An laicus aliquo in casu possit audire confessiones sacramentales, & absoluere ab excõmunicatione.

SUMMARIUM.

tantem manet enim post longum tempus.

53 *Sollicitati an teneantur denunciare de sollicitatione Confessarium, contra quem nulla extet delicti infamia.*

Inquisitio formari potest in delicto hæresis, vel suspicionis hæresis nulla praecedente diffamatione.

54 *Mulier accedens ad Confessionarium, & dicens velle confiteri in crastinum, si à Confessario dissuadeatur, & sollicitetur, an teneatur illum denunciare, & num. 66.*

55 *Confessarius carens iurisdictione absoluendi, an sit denunciandus à muliere sollicitata, & num. 66.*

56 *Sollicitatio sufficit quod sit iniuriosa Sacramento putatiuo, vt veniat denuncianda.*

Et sufficit prætextus confessionis.

Non obstante mala fide pœnitentis, qui sciat inualidam esse confessionem ex defectu iurisdictionis.

57 *Interpres sollicitans dum Interpretatur confessionem an sit denunciandus, & num seqq. & num. 66.*

59 *Interpret confessionis quod faciat officium, & quando delinquat in eo actu sollicitando confitentem.*

60 *Mandans Confessario, vt in confessione sollicitet, an sit denunciandus, & num. seqq. & num. 66.*

61 *Pœna statuta in vno æquiparato habet locum etiam in altero.*

62 *Mandans æquiparatur mandatario, cui est correlatiuus, & positum in vno ponitur in altero.*

63 *Mandans sollicitationem plus delinquit, quàm mandatarius, & de ratione.*

64 *Mandans adhiberi hostiam consecratam in sortilegio denunciandus.*

65 *Laicus fingens se Confessarium, & audiens confessiones, est denunciandus tanquam suspectus de hæresi, & quatenus mulierem in illo actu sollicitet, an sit etiam denunciandus tanquam sollicitator.*

66 *Confessarius dans pœnitenti chartam in confessione postea domi legendam, in qua ad Venerem sollicitat, an sit denunciandus.*

Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, & differens illius complementum in aliud tempus, nec prabens absolutionem pœnitenti, an incidat in pœnas sollicitantium, & debeat denunciari.

Confessarius sollicitans an sit denunciandus non obstante paruitate materiæ.

Paucitas materiæ non datur in rebus venereis.

Sollicitatio si sit mutua inter Confessarium, & pœnitentem, an Confessarius sit denunciandus.

Confessarius sollicitatus metu inductus sollicitationi consentiens, an sit denunciandus.

Confessarius sollicitans mulierem in alijs Sacramentis, puta Baptismi, Matrimonij, &c. an sit denunciandus.

Quid si sollicitet ad actus illicitos non tamen venereos.

Confessarius laudans pœnitentem à pulchritudine venustate, &c. an, & quando dicatur illam sollicitare, itaut veniat denunciandus.

Confessarius, qui iam abiurauit propter sollicitationem alterius an sit denunciandus.

Sollicitatio audita an, & quando sit denuncianda.

Confessarius sedens in Confessionario, & sollicitans mulierem stantem ante illud, non tamen simulans confiteri, an sit denunciandus.

Quid si in actu confessionis donet aliquid mulieri, an dicatur illam sollicitare, itaut veniat denunciandus.

67 *Concionator cognoscens carnaliter filiam spiritualem, cum qua de eo scelere tractauerat in Ecclesia paulò post confessionem Sacramentalem, an sit puniendus in Sancto Officio.*

68 *Denunciatio vnius quando, & quantum attendenda sit in materia sollicitationis, & num. seq.*

69 *Sollicitans an sit vocandus, & monendus ex vnica denunciatione.*

70 *Sollicitans quomodo puniri possit ab Episcopo, & Inquisitore, & quando possit tradi Brachio seculari.*

Sollicitati renuentes denunciare an, quando, & quomodo absolui possint.

Confessarius notificans mulieri coram ipso genuflexa, & signo Crucis munita nolle tunc confessiones audire, vt eam commodiùs sollicitare valeat puniendus ab Inquisitore, simul cum Episcopo.

Idem de Confessario, qui captus amore pœnitentis, sæpe videtur cum illa de inhonestis tractare in loco confessionis.

Denunciatione sollicitationis recepta per Inquisitores, & Ordinarios, quid sit agendum.

Sollicitans seipsum denunciare non cogitur.

Confessarius dicens in confessione mulieri solita eius domum adire cum alijs fœminis, vt sola veniat, & venientem carnaliter cognoscens, an dicatur illam sollicitasse.

Sollicitantes in Italia cognoscuntur ab Episcopis, & Inquisitoribus cumulatiuè, qui tenentur sibi ad inuicem communicare indicia, & de ratione.

Pœnitentes sollicitantes Confessarios, & renuentes id deponere an possint puniri in Sancto Officio.

71 *Iudicium sollicitationis quomodo fieri debeat.*

Et an, quando, & quomodo Confessarius ex hac causa ab audientia confessionum suspendi possit.

72 *Confessarius ex causa sollicitationis ab audientia confessionum semel suspensus, vel priuatus an ad illam soleat restitui.*

73 *Confessarius substentans torturam ex causa sollicitationis, an, & quando arcendus sit ab audientia confessionum.*

74 *Confessarius ex causa sollicitationis an soleat ab audientia confessionum suspendi, vel priuari simpliciter, vel disiunctim respectu virorum, vel fœminarum.*

Quid de Regulari.

75 *Pœnæ sollicitantibus in confessione irrogari solitæ.*

76 *Sollicitans an priuari soleat Beneficiis.*

Pœna depositionis maior est, quàm pœna priuationis Beneficiorum.

Pœna depositionis non imponitur nisi pro magnis, & grauibus delictis.

Pœna priuationis Beneficiorum grauis est.

77 *Sollicitans quando debeat degradari, & tradi Curiæ seculari, & num. seqq.*

Quid si sollicitatio sit coniuncta cum hæresi formali.

78 *Quid si sit ad actum Sodomiticum.*

Sodomia quomodo puniatur.

79 *Sollicitans degradandus, & Curiæ seculari tradendus in casu, quo per alia decreta eadem pœna imponitur.*

80 *Quid si sollicitatio contineret enorme, & graue delictum, puta si sollicitans occideret fœminam sollicitatam renuentem.*

81 *Et quando dicatur continere delictum graue, & enorme.*

82 *Sollicitatio punitur arbitrio Iudicis etiam quoad pœnam non impositam de iure.*

83 *Confessarius incorrigibilis in sollicitatione quis dicatur, & quomodo puniatur.*

84 *Sacerdos sollicitans Moniales ad actus turpes quomodo fuerit punitus.*

85 *Sacerdos, qui abiurauit de vehementi non admittitur ad audiendas confessiones.*

86 *Confessarius reuelans confessionem, & frangens illius sigillum dicitur abuti Sacramento Pœnitentiæ, & de ratione.*

87 *Et an, & quando sit suspectus de fide itaut puniri debeat in Sancto Officio, & num. seqq.*

90 *Qui si licitam credat reuelationem sigilli, vel alias malè sentiat de Ecclesiasticis Sacramentis, & num. seq.*

92 *Vel si pluries, & frequenter frangeret sigillum confessionis.*

93 *Aut sit homo malæ famæ, & aliàs de hæresi suspectus.*

94 *Reuelatio confessionis an sit licita propter delictum hæresis, & num. seqq. & num. 97.*

95 *Inquisitor an possit condemnare hæreticum, cuius hæresim per viam confessionis sacramentalis, vel ab ipso Confessario, vel ab alio detegat.*

Iudex qui delicti notitiam habuit à confessione sacramentali nulliter procedit, quamuis ab initio bona fide processerit, & num. seq.

97 *Hæreticus simulans confiteri, vt Sacerdoti Confessario suas hæreses persuadeat potest ab ipso Confessario reuelari.*

98 *Reuelatio confessionis quando liceat sine fractione sigilli.*

Confessarius loquens cum pœnitente de eius peccatis extra confessionum dicitur frangere illius sigillum, & quomodo puniatur.

99 *Pœna reuelantium confessiones.*

100 *Confessarius impertiens absolutionem pœnitenti, qui confiteatur sua peccata per litteras abutitur Sacramento pœnitentiæ, prout & ipse pœnitens.*

Confessio sacramentalis fieri non potest per litteras, vel Internuncium.

101 *Absolutio pœnitentis, qui per litteras peccata confiteatur non valet, licet priùs Confessarius ipsum pœnitentem præsentẽ audiuerit.*

102 *Peccata manifestanda corporali præsencia non per litteras, vel Internuncium.*

103 *Peccata absoluens Confessarius, vel pœnitens absolui petens per litteras, vel Internuncium an sit suspectus de hæresi, itaut puniri possit in Sancto Officio, & num. 105.*

104 *Opinio quod confessio sacramentalis per litteras, vel Internuncium liceat non est declarata hæretica.*

105 *Opiniones, quæ puniri possint ab Inquisitoribus*

Inquisitor quomodo procedere debeat contra proferentes, vel exercentes propositiones malè sonantes scandalosas, vel blasphemas non tamen formaliter hæreticas.

106 *Superior vtens notitia habita ex confessione sacramentali ad externum subditorum gubernium, an dicatur abuti Sacramento pœnitentia, & an puniri possit in S. Officio, n. seqq.*

108 *Sigillum secreti naturalis an, & quando frangi possit.*

109 *Laicus audiens confessiones sacramentales abutitur Sacramento pœnitentia, quam incurrat hæresis suspicionem, & quomodo debeat abiurare, & num. seq. ac num. 122.*

111 *Et qua pœna teneatur, & num. 122.*

112 *Pœna an fuerit ab antiquis Pontificibus statuta contra non promotos celebrantes Missam, vel confessiones audientes, & num. seqq.*

114 *Argumentum de rubro ad nigrum non semper valet, & de ratione.*

118 *Iudex Ecclesiasticus dicitur condemnare in pœnam vltimi supplicij eo ipso quod Reum tradit Curiæ seculari.*

119 *Falsitas magna regulariter punitur pœna mortis naturalis.*

120 *Celebrans non promotus dat occasionem idolatrandi.*

121 *Idolatriæ pœna est mors naturalis.*

123 *Minor audiens confessiones sacramentales, an, & quando excusetur à pœna mortis.*

124 *Minor stante atrocitate delicti potest ex Constitutione Pontificia pœna ordinaria puniri.*

Minor homicida non excusatur à pœna ordinaria ex Constitutione Pontificia.

125 *Mentecapti, & furiosi celebrantes non promoti, vel audientes confessiones sacramentales quamuis non sint Sacerdotes pœna extraordinaria puniendi.*

126 *Scholaris audiens confessiones sacramentales aliorum Scholarium ex ioco quomodo fuerit expeditus.*

127 *Laici audientes confessiones sacramentales ex*

ioco quomodo puniendi.

128 *Et an, & quando sint denunciandi.*

129 *Confessio sacramentalis si fuerit audita per non promotum, sed non impertita absolutio, an, & quando intret pœna traditionis Brachio seculari, & num. seqq.*

132 *Quid si illam non incboasset.*

133 *Quid de confessione, quæ fit gratia consolationis, aut humilitatis, vt cum deest Sacerdos in tempestate periculosa.*

134 *Laicus in nullo casu potest sacramentalos confessiones audire, & absolutionem impertiri, & de ratione.*

135 *Opinio quod laicus etiam in casu necessitatis possit audire confessiones sacramentales, & absolutionem impertiri suspecta de heresi, & illam retinens puniri potest ab Inquisitoribus.*

136 *Laicus an possit absoluere excommunicatum existentem in articulo mortis sine incursu pœnarum, & num. seq.*

137 *Et an illum debeat absoluere.*

138 *Quid si in articulo mortis constituti confessiones audiret non ad effectum absoluendi à peccatis, sed ad concedendas Indulgentias, illumque ad hunc effectum à censuiis absolueret.*

139 *Sacerdos audiens confessiones sine iurisdictione, vt quia sit irregularis, suspensus, degradatus, vel excommunicatus an incurrat easdem pœnas, quas incurrit audiens confessiones non promotus, & an puniri possit per Inquisitores.*

140 *Confessarius absoluens aliquem sine facultate an possint vocari, & interrogari ab Inquisitoribus.*

PRÆSVMPTVS etiam in fide Inconstans est, qui sollicitando mulieres ad turpia, in actu confessionis sacra-
1 mentalis abutitur Sacramento pœnitentiæ, nam & is redditur suspectus de hæresi, Pegna *par. 2. comment.* 81. *vers. Ille quoque*, Salzedo ad Diaz. *in prax. crimin. cap.* 85. *vers. Hodie*, Graff. *de casib. reseruat. lib. 2. cap.* 12. *num.* 23. Barbosa *de potestate Episcop. allegat.* 40. *num.* 41. *& de offic. & potestate Parochi, cap.* 19. *num.* 44. Sousa *de Confess. sollicit. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. *& in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 34. Trimarch. *de Confess. abuten. disp.* 4. *sect.* 4. *num.* 26. Trasm. *de Polygam. lib.* 3. *quæst.* 2. *num.* 22. Peyrin. *de priuileg. Minimorum to.* 2. *Const.* 4. *Gregorij Decimiquinti*, §. 3. *num.* 6. P. Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resolut.* 51. *& tract.* 7. *resolut. ead. par.* Catena *par.* 2. *tit.* 6. §. 1. *num.* 8. *&* 9. Albergh. *in Manual. cap.* 31. §. 2. *num.* 1. *&* 2. Decian. *tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 21. *num.* 42. *& cap.* 23. *num.* 1. Viuius *opin.* 98. Farinaccius *quæst.* 137. *num.* 38. Achuna *de sollicit. quæst.* 2. *num.* 57. & ibi Freytas *num.* 27. Sancius *in select. disp.* 11. *num.* 6. Canter. *quæstion. crimin. quæst.* 2. *num.* 65. Escobar. *de Confess. sollicitant. par.* 1. *qu.* 1. *num.* 9. Bordon. *in Tribun. S. Officij reg.* 130. *cap.* 26. *nu.* 75. Thesaur. *fori Ecclesiast. par.* 3. *de crimin. hæref. cap.* 6. *num.* 35. vbi dicit, ità rescripsisse Sacram Congregationem *die* 28. *Iunij* 1597. Vicario Generali Episcopatus Vercellen. Sanctarellus *de hæresi cap.* 44. *dub. vnic. num.* 1. Thomas Hurtad. *resolut. moral. to.* 1. *tract.* 4. *cap.* 8. *resolut.* 34. qui Auctor in multis resolutionibus in hac materia cautè legendus est; Nam aberrat à veris opinionibus, & à praxi S. Officij, Baldell. *de fide, & infidelit. lib.* 1. *disput.* 60. *num.* 22. Trasmiera *de denunc. quæst.* 4. *cap.* 5. *à nu.* 10. Fermosinus post hæc scripta visus 3. *par. quæstionum pro Sancto Officio quæst.* 4. *num.* 20.

An verò huiusmodi suspicio sit vehemens, an leuis, secundum praxim Sancti
2 Officij in tota Italia, est vehemens; qui enim sollicitat ad turpia in actu sacramentalis Confessionis, siue post, abiurat de vehementi: Secundum verò praxim Inquisitionis Hispaniæ abiurat de leui, vt testatur Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 7.

Vnumquodque ergo Tribunal potest sequi suam praxim, sicuti etiam obseruatur in Polygamis, qui secundum nostram praxim abiurant de vehementi, secundum verò praxim Hispaniæ abiurant de leui.

Crederem tamen, quod secundum casuum grauitatem etiam in Hispania posset iniungi abiuratio de vehementi: Quid enim si Confessarius per plures annos continuasset in sollicitatione? Quid si in actu confessionis curasset se prouocari ad pollutionem, vel tentasset copulam habere in ipsomet Confessionario, & reuera habuisset? Nam hisce, & similibus casibus aggrauatur suspicio, & propterea, cum ex instructione Hispalensi, quam refert Diana *d. resolut.* 7. resideat in arbitrio Inquisitorum imponere grauiores pœnas iuxta qualitatem delictorum; eorum grauitatem, & frequentiam, arbitrium hoc potest extendi etiam ad abiurationem, quæ inter pœnas connumeratur, vt *alibi diximus*, & ità ratiocinatur Doctor Hispanus Acunha *de Confess. sollicit. quæst.* 2. *num.* 13. *&* 14. quem sequitur Escobar. *eodem tract. par.* 2. *quæst.* 5. §. 5. *de abiuratione num.* 3, vbi expresse dicit, gradum abiurationis remissum esse arbitrio Iudicis; Et ideo qui semel abiurauit de leui, ob hoc delictum, poterit cogi ad abiurandum de vehementi, si reincidat in illud, vt testatur idem Escobar. *loco citato*.

Solùm abiurant de leui in Sancto Officio Italiæ, qui non sollicitant in actu con-
3 fessionis, sed in Confessionario, vel in loco apto ad audiendas confessiones, extra tamen occasionem confessionis, licèt simulent se audire confessiones, & hanc

distinctionem sequitur Thomas Hurtad. *loco citato num.* 375.

Hæc autem abiuratio fit secundum casuum grauitatem, nam quandoque fit coram solo Inquisitore, Notario, ac testibus, quandoque coram Consultoribus, & Ministris S. Officij, aliquando coram omnibus Parochis Ciuitatis,& Religionum Superioribus, & aliis Confessarijs.

Cauendum tamen est, ne fiat in Ecclesia coram Populo, ne laici scandalum pa-
4 tiantur, & ne retrahant vxores, filias, sorores à confessionibus, vt scio euenisse in aliqua Ciuitate, Sousa *de Confess. sollicit. tract.* 2. *cap.* 21. *num.* 12. *& in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 72. Escobar. *par.* 3. *quæst.* 6. *à num.* 8. *& priùs par.* 3. *quæst.* 5. *num.* 18.

Sed dum hæc transcriberem, accidit casus fortasse in S. Officio nunquam denunciatus: Confessarius enim quidam,
5 dum audiebat confessiones mulierum coniugatarũ, petebat ab ipsis, quomodo circa copulam matrimonialem tractabantur à viris,& si fortasse tepidè responderent,dicebat se velle eas docere modum, quo benè ab illis haberentur, qui modus consistebat in actibus turpissimis, & obscenissimis, quibus fortasse nec meretrices infamiores vtuntur ad alliciendos amatores, & scortos; vocatus ad iudicium, fassus est ingenuè tales modos docuisse, sed ad bonum finem, nempe vt sedaret rixas inter viros, & vxores, & credidisse nullum commisisse errorem, imò apud Deum meruisse, quia expertus fuerat pluries animum coniugatorum conciliasse.

Dubitatum fuit primò, an iste casus comprehenderetur in Bulla sanctæ memoriæ Gregorij Decimiquinti, secundò, qua abiuratione deberet expediri.

Consultores sententiam coram Sanctissimo protulerunt, & vnanimi voto, excepto vno, dixerunt, casum hunc esse
6 comprehensum in Constitutione Gregorij in ea parte, in qua subijcit iudicio Inquisitorum Confessarios, sermones illicitos, & inhonestos, seu tractatus habentes; docere enim actus meretricios coniugatis est habere sermones illicitos, & inhonestos, cum hi tendant potiùs ad voluptatem, quàm ad reddendum debitum ea castitate qua decet, & alliciant mulieres coniugatas ad turpes actus meretricios, qui damnati sunt etiam in vxoratis, iuxta Text. *in cap. Liberorum* 32. *quæst.* 4. ibi, *Liberorum in matrimonio opera concessa sunt, voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in vxore damnatæ sunt.*

7 Cum ergò docendo istos actus, induceret Pœnitentes ad committenda peccata saltem venialia,iuxta doctrinam P. Sanchez *de debito coniugali, disp.* 11. *num.* 4. meritò videbatur puniendus.

Et quamuis P. Hurtadus *de Sacerdote sollicit. in Confess. tract.* 4. *cap.* 8. §. 2. *num.* 930.
8 dicat, quod sermones inhonesti, & illiciti sint peccata mortalia ob grauissimas pœnas, quibus subiicit Confessarios talia perpetrantes, non autem peccata venialia, per quæ non porrigit pœnitenti venenum loco medicinæ, quia per huiusmodi peccata non tollitur gratia, quæ est medicina animæ, nec fit infernalis veneficus, nec proditor execrabilis, nec grauiorum peccatorum onere animas onerat.

Nihilominus, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est non solùm ad pec-
9 cata lethalia, sed etiam ad venialia tollenda, Confessarius verè deliquit, docendo actus meretricios, qui sunt peccata venialia, quia debet scandalum vitare pœnitentis, & non præbere eidem occasionem se scandalizandi, vt scandalizatæ sunt mulieres, quæ Confessarium denunciarunt; & licèt actus prædicti non essent ex sui natura mali, possunt tamen pœnitenti præbere occasionem ruinæ.

10 Et ex hoc veniale peccatum, ratione scandali passiui, fieri mortale,docet idem Hurtadus *loco citato.*

Quoverò ad abiurationem pariter omnes Consultores, vno excepto, fuerunt in
11 voto, debere Confessarium abiurare de vehementi, ea moti ratione, quia dum isti sermones inhonesti habentur in actu Confessionis Sacramentalis, secundum praxim Sacri Tribunalis Vrbis,& aliarum Inquisitionum Italiæ, debent Confessarij abiurare de vehementi, perindè ac si sollicitassent in eodem actu, sicuti fuit practicatum in quodam Confessario, qui à mulieribus petebat, quinam illas deflorassent, & alia inhonesta proferebat in actu Confessionis.

Sed res redacta ad trutinam inter Eminentissimos Cardinales.

Primò fuit dictum, hunc Confessarium posse puniri à Sancto Officio vigore Bullę
12 Gregorij Decimiquinti, præsertim quia ipse ex proposito, absque eo quod occasio Confessionis, seu peccatorum, à mulieribus confessatorum, præberet illi facultatem docendi mulieres actus turpes, & meritricios.

Secundò, fuit à maiori parte dictum, quod deberet abiurare de vehementi, sed
13 fortassè à saniori, quod solum deberet abiurare de leui: quia licèt imprudentissimè Confessarius intenderet pacem inter virum, & vxorem, non autem intellexit tacitè sollicitare, propterea ratione finis boni, & bonæ eius famæ, immunis videbatur à suspicione vehementi hæresis.

Sanctissimus auditis votis,tum Consultorum,tùm Cardinalium mandauit, hunc

14 Confessarium puniri pœna carceris per quinquennium, sed in aliquo Conuentu eius Religionis, quia Regularis erat, & suspendi ab audientia Confessionum & à munere prædicandi, & debere abiurare tanquam suspectum de hæresi, vt ex Decreto facto *sub die 6. Septembris 1661.*

Quæ tamen formula, licet noua in Sancto Officio, in quo practicantur solum abiurationes de formali, de vehementi, & de leui, æquipollet tamen abiurationi de vehementi, iuxta notata à Calepino *in ver. Valdè*, qui explicat *vehementer*, sed creditum fuit, esse quoddam medium inter abiurationem de leui,& de vehementi.

Cæterùm, quia hæc materia satis amplè discussa fuit à nostris Doctoribus, & de ea sunt compilati plures tractatus ab Auctoribus *supra citatis*, & ab alijs modernioribus, ad nonnullas quæstiones in praxi contingentes stylum conuertam.

17 Et primò sciendum est, ex Decretis Supremæ *die 20. Martij 1624.* & *prima Octobris 1626.* teneri Episcopos iniungere Confessarijs, dum eos approbant, obseruationem Bullæ Gregorij Decimiquinti, contra sollicitantes, & eam illis intimare, & iubere legi, itàut non modo sciant grauitatem delicti, & quibus pœnis plectantur huiusmodi Rei, sed etiam noscant obligationem, quam habent admonendi pœnitentes sollicitatas, vt denuncient sollicitantes, aliàs poterunt & ipsi puniri in Sancto Officio.

Quouero ad Confessarios iam approbatos relinquitur arbitrio Episcoporum huiusmodi facere intimationem,vt ex litteris vigore dicti Decreti expeditis, quas habes penès Trimarchium *in tract. de Confessore abutente Sacram. Pœnit.disp.1. sect.5.*

Sollicitatis autem non debet Confessarius absolutionem à peccatis impertiri, vt statuitur in Edictis, quæ promulgantur ab Inquisitoribus, Trasm. *de Denunc.qu.2. cap.7. num.17.* Sed debet Inquisitoribus remittere, vt *ibidem* Trasmier. Escobar. *de Confess. sollicit. par.2. quæst.5. §. 2. num.5.*

Quod si denunciare recusauerint, tunc incidunt in excommunicationem in prædictis Edictis propositam, à qua si est reseruata, vel Summo Pontifici,vel Episcopo, aut Inquisitori, non poterunt absolui nisi ab eo, cui fuit reseruata, Trasmiera *d. tract. quæst.3. cap.5. num.13.* Si autem reseruata non sit, poterunt absolui à quocunque Confessario *cap. Nuper,de sentent. excomm.* ibi, *Quia Conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non reseruauit eo ipso concessisse videtur alijs facultatem relaxandi*, Alter. *de Censur. lib.4. disp.3. cap.1. & 2. per tot.* Trasmier. *d. qu.3. cap.5. n.10. 11. & 12.*

Quæ absolutio non solet impertiri, nisi facta verè, & realiter denunciatione, quæ debet fieri in iudicio cum iuramento, & cum expressione, & subscriptione sui nominis; nec sufficit si fiat per apochas, vel per litteras sine nomine, & cognomine Auctorum, vt habetur in Edicto publicato de ordine Supremæ,*Romæ 12.Martij anni 1608.* de quo Lazar. *de Blasphem. par.2. quæst.12. num.3. 4.* Trasmier. *d. tract. qu.7. cap.3. num.1.*

Si autem ex locis Italiæ, vt sæpissimè solent Regnicolæ, mittantur litteræ ad Patrem Commissarium, seu Assessorem Supremæ cum nomine scribentis, in quibus contineatur denunciatio, solent remitti Inquisitoribus, vel Episcopis, vt ad se accersito scribente, faciat eas ab eo recognoscere medio iuramento, interroget super contentis in illis in specie,& redactis in formam denunciationis, apponat in initio Processus, ac de contentis in eis examinet testes informatos.

An autem sufficiat ad effectum obtinendæ absolutionis, quod pœnitens promittat firmiter se denunciaturum; Peyrin. *in Priuileg. Minimor. tom. 1. in Constit. Gregorij Decimiquinti §.9. nu. 24.* tenet opinionem affirmatiuam; si adsit causa,propter quam prudenti Confessario videatur, denunciationem esse differendam.

Idem tenet Sanctarell. *de Hæresi cap. 9. dub.vnic. num.16. in fine*, vbi de praxi Sacræ Pœnitentiariæ ex Nauarro, quam tamen praxim non vidi obseruari eo tempore, quo in Sacra Pœnitentiaria munus Correctoris, & Datarij obiui, P. Diana *par.1. tract.4. de Denunciat. resol.27.* Hieronymus Rodriquez *in compend. quæst. regul. resol.131. num.16.* & cum his Carena *par.2.tit.9.§.10. num.48. vers. In qua difficultate.*

24 Qui tamen declarat, opinionem dictorum Doctorum procedere, quando fides Pœnitentis est benè nota Confessario; secùs tamen, si essemus in homine ordinario; nam eo casu curandum est, vt denunciatio præcedat, nisi vrgeat necessitas Communionis; Auila, Zanard. & Lazar. ab eodem Carena citati; addo Trullench. *1.præcept. Decalog. cap.3. dub.18. num.94. & sequ.* Escobar. *loco superius citato num. 5. in fin.*

EGO autem crederem, si Pœnitens possit commodè facere denunciationem, verbi gratia,si quis adeat Pœnitenriarium Basilicæ Vaticanæ, certè Pœnitentiarius ipsum absoluere non poterit ante denunciationem, quia facillimus est aditus ad P. Commissarium Sancti Officij, vel ad eius Socium; Secùs autem esset, si essemus in loco, in quo commodè fieri non potest denunciatio, nec per se, nec per

litteras, & tunc habita ratione personæ,
posset Confessarius, stante promissione
denunciationis, illum absoluere, Lazar.
de Blasphem. quæst.12. num.77.

Escobar. verò *loco cit. num. 6.* in ter-
minis fœminæ sollicitatæ distinguit, quod
26 si statim post factam sollicitationem,
itaut occasio non aduenerit denunciandi,
nec fœmina moram commiserit, qua sit
excommunicatione ligata, poterit absol-
ui, si firmo sit proposito denunciandi, à
quolibet Confessario. Si verò fuerit in
mora, itaut inciderit in excommunica-
tionem, non poterit absolui ab excom-
municatione, & per consequens à pecca-
tis, quorum absolutio largiri non potest
manente excommunicatione, nisi esse-
mus in articulo mortis.

Sed quamuis Confessarius debeat non
solùm hortari Pœnitentes ad denuncian-
dos Hæreticos, vel Sollicitantes, sed etiam
27 illis denegare absolutionem peccatorum,
si renuant denunciare, *vt supra dictum est;*
Non debet tamen interrogare mulieres,
vel pueros, an fuerint vnquam in Confes-
sione Sacramentali sollicitati.

Super hoc enim reprehensus fuit qui-
dam Inquisitor, qui mandauerat Confes-
sarijs, vt facerent huiusmodi interroga-
tionem eorum Pœnitentibus, vt ex Decre-
to 28. *Aprilis* 1632. Quod intellige, nisi
Pœnitens daret occasionem huic interro-
28 gationi, vtputa, si fateatur, se fuisse sol-
licitatam à suo Confessario, vel Parocho,
vel ab alio Sacerdote facultatem audiendi
Confessiones habente; isto enim casu po-
terit interrogari, an fuerit sollicitata in
actu confessionis, in confessionario, vel
extra, ad notat. per Alphonsum de Leone
de officio Confessarij recollect. 16.

Secundò, dic, quod omnes mulieres
sollicitatæ, siue sint virgines, siue matri-
monio iunctæ, siue viduæ, siue Moniales,
29 siue nobiles, siue ignobiles, & cuiuscun-
que condirionis sint, tenentur denunciare
Confessarium, Escobar. *de Confess. Sollicit.
par.2. quæst.2. §.3.num.1.2.3.&* 4. & *quæst.3.
§.4.num.38.* P.Diana *to.1.tract.4. resolut.24.*
& *par.4. tract.5. resolut. 23.* Trullench. *in
Decal.cap.3.& dub.18.num.90.* Castro-palao
par.1.tract.4.disp.9. punc.10.num.31. Ioseph
de Ian. *de Casib.reseruat. resolut.55.num.3.*

Nam Bulla Gregorij vtitur dictione vni-
uersali, *quæcunque illæ sint*, quæ comprehen-
dit omne genus personarum, & quocunq;
priuilegio munitas, Barbos. *diction. 317.
n.7.&* 8. & à Suprema decretum fuit, vt id
significaretur per Vrbis Vicarium omni-
bus Parochis, & per Religionum Supe-
riores eorum subditis, vt ex Decreto *die 3.
&* 17. *Octobris 1623.*

30 Et quod Moniales teneantur denun-
ciare Confessarios eas sollicitantes, dixit
Pelizarius *de Monialibus cap.6. quæst.* 18.
num.34.

41 Sed in hac materia Monialium cautè
procedendum est, ne honor, & fama Mo-
nasterij periclitentur, & ideo sæpiùs à Su-
prema rescriptum fuit, vt recipiantur de-
nunciationes per Confessarium, cui datur
facultas illas recipiendi mediante iura-
mento, ne Inquisitor, seu Vicarius Sancti
Officij accedendo ad Monasterium, inu-
rant notam Monialibus.

32 Scriptum etiam sæpius fuit Ordinarijs,
vt illas excipiant per Confessarium ordi-
narium Monasterij, & si contingat eas
repetere, illas repetat per eundem Con-
fessarium, vt ex Decreto *sub die 27.Septem-
bris* 1624. de quo per Naldum *ver.Confessio
num.4.* & per Pelizar. *loco cit.* quod monet
ex Acunha, Freytas, Portell. Diana, &
Trullench. Escobar. *par.2. quæst.* 5. §. 1.
num. 32.

33 Quouero ad alias mulieres parcè vten-
dum est similibus facultatibus, vt decre-
tum fuit *die* 11.*Martij* 1625.

33 Obligatio autem denunciandi com-
prehendit etiam masculos sollicitatos, vt
declarauit Paulus Quintus *die* 6. *Februarij*
1619. & docent plures citati à Trimarc.
dicto tract. disp.5.sect.1. & 2.

[illegible] Quamuis Fermosinus *in cap. Cognoscen-
tes il 2.de Constit. quæst.2.nu.13.&* 14. teneat
Confessarium, qui sollicitauit puerum
ante latam Constitutionem à Gregorio
Decimoquinto contra Confessarios solli-
citantes, non esse denunciandum. Et Pa-
ter Diana *par.1.tract.4.resol.25.* dicat, quod
obligatio denunciationis Confessarios sol-
licitantes, incipit solùm *à die* 10. *Martij*
1624. quem sequitur idem Fermosin. *loco
cit. nu.* 16. *&* 17. cum ibi per eum *allegat.*

36 Dic tertiò, quod Confessarij tenentur
monere mulieres sollicitatas ad denun-
ciandum, etiamsi ipsæ consenserint solli-
citationi, vt benè Sanctarell. *de Hæresi
cap.44.dub.vnic.num.12.* quamuis *sub die* 18.
Septembris 1623. fuisset resolutum, mulie-
rem sollicitatam criminis complicem
non teneri denunciare.

36 Sed quia nemo tenetur suam turpitu-
dinem detegere, nec se prodere, *cap.Si quis
aliquem, de Pœnitentia, distinct.* 1. Hinc Su-
prema determinauit, quod mulier sollici-
tata non tenetur explicare suum consen-
sum sollicitationi præstitum, vel actus tur-
pes illius occasione commissos, vt ex De-
creto 25. *Iulij* 1624. cuius Decreti vigore
datæ fuerunt litteræ Cardinali Borromeo,
quas hic placet inserere, licet habeantur
per extensum à Trimarcho *disput.4. sect.6.*
& à Bariola *in floribus Inquisitor. inter Bullas
Apostol. in calce &c.* & pars earum à Care-
na *par.2. tit.6. §.10. num.* 57. & à Bordon.
cap.23. num.92.

Dopo

Dopo essersi auuta lunga, e matura considerazione sopra il dubbio significato da diuerse Parti, se i Penitenti sieno obbligati a denunciare i Confessori, da' quali sono stati sollecitati nel luogo, od atto della confessione, quando anno consentito alla sollecitazione. Nostro Signore, e questi miei &c. in Congregazione tenuta auanti Sua Santità a' 25. di Luglio passato, dopo d'auer anco inteso il parere d'vna particolar Congregazione deputata per questo effetto, anno risoluto, che qualsiuoglia Penitente è tenuto a denunziare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo, od atto della confessione, ancorche egli abbia consentito, ma non è tenuto a propalare il proprio consenso, nè sopra di ciò aurassi da interrogare dal Vescouo, o dall'Inquisidore, o da loro Vicari, auanti a' quali denunziarà, nè meno si aurà da interrogare il Confessore denunziato (quando si proceda contro di lui) ne' costituti che gli si faranno sopra il detto consenso; ed in caso, ch'egli volesse dirlo da se, non si aurà da scriuere il suo detto, come cosa in ordine alla persona sollecitata non spettante all'Offizio della Santa Inquisizione.

Le parti dunque di V.S. Illustrissima saranno di significare a' Confessori detta risoluzione, ed incaricargliene strettamente l'osseruanza, acciocchè ne' casi, che occorrono alla giornata, conforme al tenore della Costituzione pubblicata da Gregorio Decimoquinto di santa memoria contro i Confessori sollecitanti, significhino a' Penitenti l'obbligo, ch' anno di denunziare i Confessori, da' quali saranno stati sollecitati, ed auendo consentito, e facendo difficoltà in iscoprire il proprio consenso, conforme alla risoluzione, che si è fatta, dicano loro appertamente, che non sono tenuti a propalare il detto consenso, e che tanto i Penitenti, quanto i Confessori sollecitanti non saranno in giudizio interrogati di ciò, e dicendolo da se stessi non si scriuerà, nè riceuerà il detto loro; e quando il Penitente persistesse tuttauia nella renitenza di non voler denunziare auanti l'Ordinario, Inquisidore, o loro Vicari, Nostro Signore si contenta, che dal medesimo Vescouo, o Inquisidore si dia autorità al Confessore di riceuere per iscrittura, e con giuramento la denunzia, che dourà subbito portarla a chi gli aurà data auttorità di pigliarla.

E se oltre le cose sudette occorrerà altro caso graue, per lo quale non si possa il Penitente indurre a denunziare, vuole Sua Santità, che si scriua quà, e s'aspetti la risposta; ed in tanto si soprasegga nell'assoluzione; e tanto si contentarà V. S. Illustrissima di far'osseruare nella sua Diocesi, facendo registrar la presente negli atti di cotesta Corte per informazione sua, e de'suoi successori, i quali auranno mira, che la presente risoluzione riguarda solamente quei Penitenti, che per auer consentito fanno difficoltà in denunziare; ma a quelli, che non anno consentito, od auendo consentito non sono in ciò renitenti, non dee il Confessorre porre difficoltà alcuna, ma lasciare, che indifferentemente, e liberamente sodisfacciano all'obbligo, ch'anno di denunziare, conforme alla detta Costituzione. Si compiacerà anco V. S. Illustrissima di mandar copia della presente a' Vescoui suoi suffraganei, acciòcche ad essi sia nota ancora la presente risoluzione.

37 Benè autem dicitur in litteris, quod resolutio Supremæ habet solummodo locum in illis, qui renuunt denunciare, quia sollicitati consenserunt; si autem non renuant denunciare, imò exprimant consensum, nescio quomodo Iudex non debeat consensum in actis registrare; licet enim iste consensus non pertineat ad iurisdictionem Tribunalis Sancti Officij, Peyrin. *ad dictam Constitutionem Gregorij nu.* 12. Trasmier. *de Denunciat. cap.4. quæst.5. vers. Quod si mulier*; nec ipsa ob hoc possit ab Inquisitore puniri, Acunha *de Confess. sollicit. quæst.*10. *num.* 2. Bonacin. *de onere, & obligat. denunc. punct.* §.3. *num* 11.

38 Nam pœnæ in Constitutionibus, & Decretis Pontificiis impositæ sunt Confessariis sollicitantibus tantùm, non autem sollicitatis, quamuis consenserint, Escobar. *d. tract. par.2. qu.3.* §.7. *num.*37.

39 Nihilominus cum iste consensus irroget malam sollicitato famam, & dùm facit se socium, vel sociam criminis, fidei suæ multum detrahit, & Reum totaliter non grauat, non videtur tollenda Reo huiusmodi defensio, Acunha *de Confessar. sollicit. quæst.*23. *num.*9. *&* §.3. *num.*16. licet enim testimonium socii criminis admittatur in iudicio fidei, *cap. In fidei fauorem, de Haret. in* 6. admittitur tamen cum sua exceptione, itaut non dicatur testis integer, Farinacc. *qu.*188. *num.*83.

40 Hinc propterea cauendum est à Ioanne Sancio *disput.*11. *num.* 55. Sousa *tract.*2. *de Confess. sollicit. cap.* 7. *num.* 4. *iuncto num.* 8. Porrell. *in addit. ad dub. Regul. ver. Denunciatio num.*10. volentibus sollicitatas fœminas consentientes turpi sollicitationi, & copulam habentes cum Confessario non teneri denunciare.

Et licet Sousa distinguat inter fœminam, quæ consensit, & perfecit copulam inter confitendum, & quæ in confessione
41 consensit tantùm, & extra eam perfecit, dicens in prima specie non teneri denunciare ob propriæ famæ iacturam; in secunda verò teneri, quia tunc potest tacere suam turpitudinem. Hæc tamen distinctio refellitur, & meritò ab Escobar. *loco cit. nu.* 35. Quia vtroque casu potest suam turpitudinem tacere, & daretur casus, quod Sacerdotem maius peccatum committentem minimè teneretur denunciare, quod est absurdum.

42 Dic quartò. Sollicitatos obligari ad denunciandum nulla præmissa correctione fraterna, etiam cum spe emendationis, Castro-palao *par.* 1. *tract.* 4. *disput.* 9. *pun.* 10. *nu.* 2. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 34. *nu.* 56. Sancius *in Select. de Sacram. disp.* 11. *num.* 56. Carena *par.* 2. *tit.* 6. §. 20. *num.* 113. & §. 22. *num.* 126. P. Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resolut.* 24. vbi alios pro hac sententia Ioseph de Ian. *de Casib. reseruat. resolut.* 55. *num.* 12. Sousa *de Sollicit. tract.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. vbi dicit credere, quod de hoc nullus dubitabit, Acunha *eodem tract. quæst.* 18. *num.* 10. Alij, quos citat, & sequitur Trasmier. *de denunciat. quæst.* 10. *sect.* 4. *cap.* 1. addo Escobar. qui plures alios *de Confess. sollicit. par.* 2. *quæst.* 4. §. 1. *num.* 56.

43 Et propterea cauendum est à Fagundez Peyrino, Portello, Lezana, Io: de la Cruz, allatis à Trasmier. *loco citato*, quibus addo Sousam *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 57. qui contrariam sequuntur opinionem. Nam eum huiusmodi contraria sententia fuisset proposita Dominis Qualificatoribus *die* 27. *Septembris anni* 1628. ab ijs fuit habita pro falsa, & relaxatiua disciplinæ Ecclesiasticæ, & quæ reddit Bullam inutilem: Sed quia nihilominus inualuerat huiusmodi opinio, quam probabilem putauit P. Diana, stando in iure naturæ, *par.* 7. *tract.* 3. *resolut.* 63. prout aliæ similes à denunciatione excusantes, & retrahentes, f. mem. Alexander Septimus in Congregatione Supremę Decretum infrascriptum emanatum publicari mandauit.

Feria 5. die VIII. Iulij 1660.

44 IN *Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico apud Sanctam Mariam Maiorem coram Sanctissimo Domino Nostro Alexandro Diuina Prouidentia Papa Septimo, ac Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in vniuersa Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

Licet aliàs per Constitutionem fel. recordat. Pauli Quinti emanatam sub die prima Septembris 1606. *quæ incipit*, Romanus Pontifex, *fuerit districtè prohibitum Superioribus Regularium, ne quouis titulo, vel prætextu præuentionis, aut consuetudinis, & præscriptionis, etiam immemorabilis, aut alio in causis ad Sanctum Officium spectantibus, se quoquo modo intromittere, aut immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas cognoscere, aut terminare audeant, imò ex eiusdem Constitutionis dispositione eisdem fuerit grauiter iniunctum, vt suos Subditos, & Religiosos, quos hæresis labe infectos, vel de hæresi suspectos nouerint absque alia consultatione, cum proprijs suæ Religionis Superioribus, vel alia quauis persona facienda, siue mora Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs denuncient, Nihilominus animaduertens Sanctissimus Dominus Noster Alexander Septimus ab aliquibus Regularibus in dubium reuocari prædictam denunciandi obligationem, adeout, ne dùm suos subditos non denunciet, verum etiam Fideles ad ipsos pro consilio recurrentes, an debeant Sancto Officio denunciare quæ audierunt, aut viderunt ad ipsum Sanctum Officium spectantia, ad id faciendum, vt deberent, non obligent. Imò aliquando eos instruant non teneri, nec sub obligatione Constitutionum Apostolicarum comprehendi; & hanc opinionem erroneis aliquorum Doctorum sententijs confirmare tentantes; eosdem in maximum fidei discrimen ab errore denunciandi retrahere conentur. Volens proindè Sanctitas Sua abusum huiusmodi ex sui Pastoralis Officij debito coercere, post maturam facti discussionem, auditis votis Eminentissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium aduersus hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, innouans Constitutionem prædictam à fel. record. Paulo Quinto emanatam, & quatenùs opus sit eam declarans, Hoc præsenti Decreto districtè præcipit, & mandat omnibus, & singulis Regularium Generalibus, Prouincialibus, Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Præpositis, alysque eiusmodi quocunque nomine nuncupatis Superioribus cuiuscunque Ordinis, & Instituti, siue Mendicantium, siue non Mendicantium, necnon Congregationis, & Societatis Clericorum Regularium quorumcunque, etiam Societatis Iesu, aliorumque quomodocunque Exemptorum, vel non exemptorum, etiamsi essent specialiter, & nominatim exprimendi, vt omnino dictæ Constitutioni in omnibus pareant, & omnes, & quoscunque Religiosos, tam sibi ipsis subditos, quam non subditos cuiuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant, Hæreticos, vel de hæresi quomodocunque etiam leuiter suspectos deferant, & iudicialiter denunciẽt Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs, & nullatenùs in causis ad Sanctum Officium spectantibus audeant se intromittere, neque subditos ad Sanctum Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestare, vexare, vel alio quouis modo, siue directè, siue indirectè auertere, retrahere, dissuadere, imò prædictos suos subditos monere debeant, vt ipsi quoque eidem Decreto omnino pareant, & alios Christifideles etiam Confratres suos ad parendum pariter hortentur, & suadeant, resectis penitùs huiusmodi opinionibus, atque interpretationibus, quas Sanctitas Sua cum voto dictorum Dominorum Eminentissimorum Cardinalium, tanquam perniciosas, temerarias, & non consistentes, & à mente Sanctitatis Suæ prorsus alienas reprobauit, & reprobat. Et quia quandoque etiam eorum subditi deficiunt in eo, quod ipsis implendum incumbit cum Religiosis eiusdem, alteriusue Or-*

dinis, alijsque quibuscunque personis de fide suspectis, cæterisque petentibus consilium in materijs ad Sanctum Officium spectantibus, itaut ne dum ipsimet denunciationes deserant, vel ab illis prorsus abstineant, verum etiam multoties ab eisdem alios à se consilium petentes retrahant malis artibus, vel mendicatis Doctorum opinionibus, vel sub fraternæ correctionis factæ, vel faciendæ, alioque prætextu: Propterea idem Sanctissimus declarauit, præfatos subditos absque vlla participatione, etiamsi nulla petita venia à Superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit, omnino teneri, & obligatos esse accedere ad denunciandos Ordinarijs, vel Inquisitoribus locorum quoscunque etiam Confratres, ac Superiores etiam primarios suos eiusdem Ordinis, ac Religionis, quos nouerint esse de fide etiam leuiter suspectos, ac propterea eosdem debere omnes, & quoscunque etiam alios à se consilium vt supra petentes mouere, ac obligare ad denunciandum, nec posse illos à denunciando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quouis prætextu retrahere, aut retardare. Et præfatos omnes, tam Superiores, quàm subditos contra facientes, Sanctitas Sua voluit, & declarauit, subiacere omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli Quinti expressis, necnon priuationis quarumcunque Dignitatum, seu Prælaturarum, seu Officiorum suorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem, ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis, aliisque Sanctitatis Suæ, ac Successorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, suspensionem, absolutionem, vel dispensationem Sanctitas Sua sibi ipsi, & Successoribus suis Romanis Pontificibus tantùm expressè reseruauit. Et ne præmissorum prætendi possit ignorantia, idem Sanctissimus mandauit sub eisdem pœnis ipso pariter facto incurrendis, & vt supra reseruatis, vt Superiores omnes præfati in quocunque loco, Conuentu, vel Collegio sui Ordinis Decretum hoc semel saltem singulis annis Kalendis Martij in publica mensa, vel aliàs in Capitulo ad hoc specialiter conuocato, legi curent, vnacum alijs Decretis, & Constitutionibus Apostolicis ad Sanctissimum Officium Inquisitionis aduersus hæreticam prauitatem pertinentibus, quot annis legi solitis, iuxta Decretum fel. recordat. Vrbani Octaui. Et insuper ijdem Superiores teneantur curare, & efficere, vt huius Decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conseruentur, itaut ab ijsdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant; deque huiusmodi lectione, & commonitione publico documento ab ijsdem Superioribus Conuentus, vel Domus subscripto, vnaque ab alijs duobus Religiosis eiusdem Domus, vel Conuentus statim certiorem facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe, vel locorum Inquisitores vbi sunt. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi-floræ affixum omnes vbique existentes arctare, & afficere, ac si vnicuique fuisset intimatum.

Decretum hoc sub die 24. Augusti sequentis publicatum, & affixum fuit ad valuas Basilicæ Sancti Petri de Vrbe, necnon ad valuas Palatij Sanctissimæ Inquisitionis, ac in Acie Campi-floræ, &c.

45 Cauendum multo magis à Thoma Hurtado, & ab eo allegatis *in dicto tract. de Confess. sollicit. cap.8. tract.4. resolut.55.* qui inuehit contra Pat. Dianam, dicentem, quod licet stando in iure naturæ probabilis sit opinio, quod debeat ante denunciationem præmitti correctio fraterna, secùs autem stantibus edictis Inquisitorum; & tenet non esse denunciandum sollicitantem, si præmissa correctione fraterna spes sit emendationis, quia, vt dixi, hæc opinio tanquam falsa, & destructiua disciplinæ Ecclesiasticæ, non solùm fuit reprobata à Suprema *sub die 27. Septembris 1628.* sed ab eadem per Decretum Alexandri Septimi, *vt supra* relatum.

Nam ratio potissima Hurtadi, & aliorum est, quod debemus non solùm propriam defendere famam, sed tenemur ex præcepto ad non lędendam famam nostri
46 fratris, quæ tamen nihil valet: Nam quando sumus in delictis, quæ bonum fidei respiciunt, tenemur pati iacturam famæ proximi, & propriæ, imò, & vitæ, vt generaliter probant allegati à Baldell. *de leg. lib 5. disput. 26. num. 1. to. 2.* & in specie *to. 1. de fide, & infidelit. lib. 1. disp. 60. num. 12. & 13.* Aragon. allatus à Trasmier. *de Denunciat. quæst. 11. sect. 4. cap. 2. vers. Sic etiam,* præsertim quando Superior præuiso periculo adhuc præcipit sub mortali, vt notat idem Baldell. & ab eo *citati dicta disp. 26. num. 1.*

Nec est tenenda distinctio adhibita à Fratre Ioanne à Trinitate *in expositione Bullæ Gregorij Decimiquinti sect. 1. dub. 5.*
47 relato per Hurtadum *loco superiùs citato*, quod tunc sit præmittenda fraterna correctio, quando sollicitationis delictum manet occultum, simulque Confessarius est vir probus, & bonæ conuersationis, neque de eo est suspicio malæ doctrinæ: Secùs si delictum sit publicum, vel Confessarius sollicitans (etiamsi eius delictum nulli extra pœnitentem pateat) prauis moribus est venereæ turpitudini deditus, aut aliàs malæ famæ. Quia hæc distinctio non habet locum in delictis occultis, quæ possunt parere perniciem in fide, vel in Christiana Religione, sed in delictis tantummodo, quæ non egrediuntur personam, Marchant. *in Tribun. Sacrament. to. 3. par. 2. tract. 5. tit. 3. §. 2. in annotat.* quod priùs dixe-

rat *in to. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. quæst. 1. de correctione fraterna.*

Quando enim delictum est publicum, quæstio est de indubitabili: Nam si mulier sollicitata publicauit sollicitationem, & tunc iam non pepercit famæ proximi, vel Sacerdos ipsemet eam publicauit, & iam non pepercit propriæ famæ: Cessante ergo obligatione tegendi famam Confessarii, quis non videt esse de indubitabili denunciationem faciendam, etiam non præuia correctione.

48 Solùm ergo potest dubitari, quando sollicitatio est occulta, sed de hac materia videndus est omnino doctus Trasmiera *in tract. de obligat. denunc. quæst.* 10. *de correct. fraterna*, vbi *num.* 6. considerat ineptitudinem medij, nempe correctionem esse faciendam à muliercula, cuius amore captus est Sacerdos sollicitans, qui non solùm sacra, Diuinaque contempsit, verùm ad sacrilegos vsus destinauit: Quomodo ergo poterit præsumi, quod sacrilegus iste non contemnat huiusmodi correctionem, imò cum debeat illa fieri inter solum, & solam, timendum est, ne corripiatur, sed potiùs corrumpatur.

In tantùm verò denunciandus est sollicitator non adhibita correctione fraterna,
49 vt si aliàs emendatus sit, nihilominus sit denunciandus, vt multis relatis, & contrarium sentientibus reprobatis, tenet Escobar. *d. tract. de Confess. sollicit. par. 2. qu. 3. §. 2. num.* 16.

50 Et hanc opinionem sequitur Suprema, vt in Decreto *die* 26. *Iulij* 1628. vbi pariter statuit, sollicitatam teneri denunciare sollicitantem, quamuis sciat, ipsum in Sancto Officio comparuisse.

51 Hinc propterea reijcienda est eorum opinio, qui dicunt post triennium non esse recipiendam denunciationem, quia etiamsi transactum sit longum tempus, manet vis præcepti denunciandi, vt latè probat idem Escobar. *loco cit. num.* 20.

Verùm etsi in Sancto Officio recipiantur denunciationes, etiam lapso decen-
52 nio, præsertim quando mulier, vel puer sollicitati afferant, se priùs non denunciasse, quia vel ignorabant obligationem denunciandi, vel saltem quia habita confessione generali moniti fuerunt de obligatione denunciandi: Nihilominus Suprema si non adsit cum illis aliqua moderna sollicitatio, vel sollicitationes antiquæ sint plures, non solet procedere, vel si procedit, cum magna cauthela procedit ob timorem imposturæ, sicuti etiam cautè procedit, & mandat procedi, quando mulier post primam sollicitationem fatetur sæpiùs accessisse ad eundem Confessarium sollicitantem, vt propria confiteretur peccata, & dicit fuisse reiteratam sollicitationem: Nam reddit se valdè suspectam de mutua beneuolentia, & amore, & quod aliqua mota zelotypia ad denunciandum deuenerit, nam ei valdè diminuitur de fide, nisi fortassè essemus in loco, vbi copia Confessariorum non adesset, vel essemus in Moniali, vel filiafamilias, cuius parentes nollent, quod ad alium Confessarium accederet, sollicitationem ignorantes.

53 Præterea non est admittenda opinio, quam tenet Fagundez *de Præcept. Eccles. par. 2. lib. 4. cap. 3. num.* 31. & Megala *in prima edit. lib.* 1. *cap.* 5. licet postea mutauerit sententiam *in secunda edit. in apostill. margin.* non esse denunciandum Confessarium sollicitantem, nisi contra eum laboret infamia de eo delicto, quia in delicto hæresis, vel suspicionis hæresis potest formari inquisitio etiam non præcedente diffamatione, vt in terminis, post Castro-palao, Mouram, Acunham, & alios, benè probat P. Diana *par. 4. tract. 5. resolut.* 1. quibus addendi sunt Trullench. *in præcept. Decal. cap. 3. dub. 18. num.* 89. Peyrin. *ad Constit. Gregorij Decimiquinti, §. 3. num.* 3. Carena *par. 2. tit. 6. §. 22. nu.* 127. Boss. *de Iubilæo, in append. de Confess. sollicit. dub. 24. num.* 84. Bordon. *in Tribunal. cap. 23. quæst. 27. num.* 100. Ioseph de Ian. *resolut.* 55. *num.* 12. Escobar. *par. 2. quæst. 3. §. 4. num.* 52. Sanctarell. *de Hæresi cap. 44. dub. vnic. num.* 8.

54 Prout etiam non est admittenda opinio Sancij *in Select. disput.* 11. *num.* 49. quem sequitur Castro-palao *to. 1. tract. 4. disput. 9. punct. 7. num.* 4. nempe non esse denunciandum Confessarium, ad quem accedit mulier, dum est in Confessionario, & dicit se velle in crastinum confiteri, sed Confessarius illi confessionem dissuadet, eamque sollicitat: Nam cum hæc sollicitatio fiat in confessione, & occasione confessionis vigore Bullæ Gregorij Decimiquinti est denunciandus, vt ex Fagundez probat P. Diana *d. par. 4. tract. 5. resol. 6. vers. Sed in terminis.*

Reijcienda quoque est opinio Sousæ *in Aphorism. lib. 1. cap. 34. num.* 16. qui voluit, non esse denunciandum Confessarium,
55 qui caret iurisdictione absoluendi, si ad eum bona fide mulier accedat, & eam sollicitet, quem sequitur Portell. *in addit. ad dub. Regul. ver. Sollicitare fœminas num.* 13. Fagundez *par. 2. lib. 4. cap. 3. num.* 79.

Quia, stante Bulla Gregorij Decimiquinti, non requiritur, quod sollicitatio sit iniuriosa vero Sacramento, sed sufficit,
56 quod sit iniuriosa Sacramento putatiuo, & prætextus confessionis adsit, vel etiam solùm audiatur Pœnitens in confessione, & ibi mulier sollicitetur, vt voluit post Sancium, Acunham, & Castro-palao, P. Diana *par. 1. tract. 4. resolut. 17. & par. 4.*

tract. 5. resolut. 8. Trasmier. *de Denunciat. quæst.4.cap.5.vers.Denunciandus.* Nam Pontifex non solùm intendit venerationem Sacramenti, sed loci, in quo ministratur, Escobar. *par.1. quæst.4. §.1. num. 34.* Quod ampliatur, quamuis mala fides Pœnitentis interueniat, quia scilicet vnusquisque cognoscit, confessiones esse inualidas ex defectu iurisdictionis, P. Diana *dicta resolut.8.vers.Verum*, Trasmiera *loco cit.*

An autem Interpres sollicitans dùm interpretatur confessionem, sit denunciandus.

57 Affirmatiuam tenet Freitas ad Acunh. *quæst. 15. nu. 27.* quem sequitur Trimarch. *disput.7. sect.3.* Trasmier. *de denunc. loco cit. vers. Quoad personas.*

58 Negatiuam tenet Sancius *in Select. disp. 11. num. 10. & 37.* Castro-palao *d. punc. 9. num. 6.* Sousa *in Opuscul. de sollicit. tract.1. cap.10.* & *in Aphorism. lib.1.cap.34. num.14.* Fagundez *in edit. nouiss. reg. 2. lib. 4. cap. 3. nu.78.* Ianuar. *de Casibus reseru.resol.56.nu.6.* Quam opinionem extendit Sousa etiamsi Interpres sit Sacerdos, & iurisdictionem habeat, & Sousam sequuntur Castro-palao *dicto punc.9. num.* 6. Fagundez *dicto num.74.* P.Diana *par.4. tract.5. resolut.9.* Trullench. *in præcept. Decal. cap. 2. dub. 18. num. 82.* Ianuar. *loco cit.*

59 Sed non est recedendum ab affirmatiua opinione, quam latè tuetur Escobar. *dicta par.1.quæst.2.de causa efficienti sollicit.num.31.* Ea ratione, quia Interpres accedit ad Sacramentum, vt Medicus per intelligentiam verborum perueniat in cognitionem morborum, & antidotum opportunum adhibeat, quod tamen manifestum venenum reddit, tùm tanti Sacramenti iniuria, tùm etiam quia, vt medius inter ipsum Sacerdotem, & Pœnitentem in ipso Sacramento debet tanquam principalis iudicari argumento Textus *in l. Tunc inutile 12.de pecul. legat.*

Accedit, quod negari non potest, Interpretem sollicitare prætextu confessionis, quod sufficit, stante Bulla Gregorij, & per alias rationes, quas latè adducit Escobar. *loco cit.* quas accepit à Trimarch. *loco cit.*

60 Sed quamuis Escobar sit vir doctus, non tamen possum accedere illius opinioni, & P.Dian.ac aliorum ab illis *citat.* dùm volunt, quod mandans Confessario, vt in confessione sollicitet, non sit denunciandus, vt ille probat *par. 2. quæst. 2. num. 36. & 37.*& iste *par.1.tract.de denunciat.resol.22. & par.10.tract.14. resolut.42.* & Dianam sequuntur Trullench. & Leand. *de Sacram.* vt *in dicta resolut.* Dianæ 42.

61 Ea potissimum ratione, quia Constitutiones loquentes de sollicitante non comprehendunt nisi ipsosmet Confessarios, non autem mandantes. Nam licet in materia pœnali non fiat extensio de casu ad casum, nec de persona ad personam; tamen quando de iure communi duo sunt æquiparata, pœna statuta in vno habet locum etiam in altero, Bartol. *in l. Quis Seruo*, & per Gloss. ibi, *C.de furt.* & *in l. Vt tantùm, ff. de Seruo corrupto*, cum alijs per Phœbum *decis.Lusitan.72. num.10. par.1.*

62 Sed extra omne dubium est, quod mandans, & mandatarius in eodem delicto æquiparantur, cum sint correlatiui, itaut posito vno necessario, ponatur alter, *l. fin. ff.de acceptil.* Decian. *tract.crim. lib.9.cap.3. num. 1.* Carpzouius *in prax. crimin. par. 1. quæst.4. num.4.*

Imò magis delinquit mandans, quàm Mandatarius, nam primò delinquit in seip-
63 sum, secundò in Mandatarium, tertiò in fœminam sollicitatam, quatenus consentiat, Farinacc. *quæst. 135. num. 6.* Decian. *lib. 9. cap. 32. num. 4.* Carpzouius *loc. cit. num. 22.*

Præterea non video, quare iste non dicatur abuti Sacramento pœnitentiæ,
64 quæ est potissima ratio Constitutionis, dum mandat Confessario, vt in eo Sacramento sollicitet; Non enim interest, an sollicitet ipse, an dolo malo causam sollicitationis præbeat, *l. Nihil interest, §. 1. ff. ad l. Corneliam, de Sicarijs, l.Non solùm, §. Si mandatum, ff. de iniur.* Nec vnquam fuit dubitatum in Sacra Congregatione, quod si quis mandet, vt in sortilegio adhibeatur Hostia consecrata, non sit denunciandus.

Non enim sequor opinionem eorum, qui tenent, laicum fingentem se Confes-
65 sarium, & sollicitantem mulierem in actu confessionis non esse denunciandum tanquam sollicitatorem: Nam si solùm iste est suspectus de hæresi, ex quo audit confessiones, vt *supra* dictum est, & est denunciandus; latè Escobar. *d. par.1. quæst.2. num. 28.* ergo reddet se dupliciter suspectum, si audiendo confessiones sollicitet.

Sed post hæc scripta, cum Me instante fuissent proposita in Suprema, &c. infrascripta dubia, facto per Qualificatores accurato eorum examine, in infrascriptam deuenerunt sententiam, quam eadem Sacra Congregatio Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis approbauit, & seruari mandauit.

Die 11. Februarij 1661.

66 Primò, *an sit denunciandus Confessarius, qui dat pœnitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat.*

Domini Qualificatores censuerunt esse denunciandum, & opinionem negatiuam non esse probabilem.

Secundò, *an Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, & non præbendo absolutionem pœnitenti, incidat in pœnas contentas in Bulla Gregorij, & sit denunciandus.*

Censuerunt incidere, & Confessarium esse denunciandum, reiecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.

Tertiò, *an Confessarius sollicitando propter paruitatem materiæ, sit denunciandus.*

Cum in rebus venereis non detur paruitas materiæ, & si daretur, in re præsenti non dari, censuerunt esse denunciandum, & opinionem contrariam non esse probabilem.

Quartò, *an Confessarius, qui fœminæ in Confessionario dicenti, se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat, & confessionem dissuadet, sit denunciandus.*

Si sollicitatio fiat extra locum confessionis, & absque prætextu confessionis censuerunt, negatiuam opinionem esse probabilem, secùs in Confessionario, seu in loco confessionis.

Quintò, *an Sacerdos carens iurisdictione, si sollicitet in confessione pœnitentem, sit denunciandus.*

Censuerunt esse denunciandum, & opinionem negatiuam non esse probabilem.

Sextò, *an Interpres, si sollicitet in confessione pœnitentem, sit denunciandus.*

Censuerunt opinionem negatiuam non carere probabilitate.

Septimò, *an mandans Confessario, vt in confessione sollicitet, sit denunciandus.*

Censuerunt opinionem negatiuam non carere probabilitate.

Octauò, *an quando Confessarius, & pœnitens inuicem se sollicitant Confessarius sit denunciandus.*

Affirmatiuè responderunt, & opinionem negatiuam non esse probabilem.

Nonò, *an Confessarius sollicitans, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denunciandus.*

Censuerunt esse denunciandum, & negatiuam opinionem non esse probabilem.

Decimò, *an Confessarius incidat in pœnas Constitutionis Apostolicæ contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in alijs Sacramentis, scilicet Baptismi, Matrimonij, sit denunciandus, & si denunciandus possit ab Inquisitoribus puniri.*

Quoad vtrumque articulum censuerunt, opinionem negatiuam esse probabilem.

Vndecimò, *an Confessarius, qui sollicitat pœnitentem ad actus illicitos extra actus venereos sit denunciandus.*

Censuerunt opinionem negatiuam esse probabilem.

Duodecimò, *an Confessarius, si laudet pœnitentem à pulchritudine, & venustate, dicatur illam sollicitare, & ideo sit denunciandus.*

Censuerunt, si laus illa sit seria, & nihil prauæ intentionis redoleat, negatiuam esse probabilem, si verò secùs, non esse probabilem.

Decimotertiò, *an sit denunciandus Confessarius, qui propter sollicitationem alterius abiurauit.*

Censuerunt opinionem negatiuam non esse probabilem, & ideo denunciandus, quod etiam fuit resolutum *sub die 26. Iulij* 1628.

Decimoquartò, *an quis teneatur denunciare Confessarium sollicitantem, si hoc audiuit non solùm à fide dignis, sed à leuibus personis.*

Censuerunt, opinionem negatiuam non carere probabilitate.

Decimoquintò, *an sit denunciandus Confessarius, qui sedens in Confessionario sollicitat mulierem stantem ante Confessionarium, non simulando confessionem.*

Censuerunt, opinionem negatiuam non carere probabilitate.

Decimosextò, *an sit denunciandus Confessarius, qui audiens confessionem, dat donum mulieri, itaut dicatur illam sollicitasse.*

Idem responderunt quoad Duodecimum.

Antiqua verò Decreta infrascripta decernunt.

Die 18. *Aprilis* 1592. scriptum fuit Cardinali Paleotto in causa cuiusdam Concionatoris, qui tempore Quadragesimæ concionando in quadam Terra cognouit
67 carnaliter filiam spiritualem, cum qua tractauit de huiusmodi scelere in Ecclesia, *poco dopo che aueа udito la Confessione sagramentale*, Sacra Congregatio censuit, hunc casum spectare ad Sanctum Officium.

Die 23. *Iulij* 1625. & 27. *Maij* 1627. fuit scriptum, non esse procedendum ad car-
68 cerationem, neque ad constituendum Reum ex vnius solæ mulieris, vel masculi denunciatione, sed scribendum Sacræ Congregationi, referendo qualitates tam Sacerdotis denunciati, quàm denunciantis.

Hoc autem casu in Suprema solet rescribi, *Obseruetur*, hoc est, vt denunciatus obseruetur, ità & taliter, quod si secundò denuncietur de sollicitatione alicuius alterius mulieris, vel masculi, referatur Sacræ Congregationi, vt contra eum procedi possit; & de praxi Sancti Officij Hispaniarum testatur Fermosinus *loco citato num.* 18.

Qui subiungit, quod posset nihilominus secretò vocari Confessarius, vt in-
69 terrogetur, vel vt tali vocatione data, ei notitia de scientia habita in Sancto Officio, compungatur, deterreatur, & abstineat se à prosequendo in alijs sollicitationibus in Sacramento pœnitentiæ fortè patrandis per denunciatum, præsertim si Confessarius vagè notatus sit rumore, aut in denunciatione contra eum narrauerit Relator horrendas libidinosas suasiones,

qua ratione timeatur de eo facilis recasus cum aliis pœnitentibus; & *num.* 19. dicit, quod fortè multum medicinalis esset eavocatio ad conseruandam reuerentiam tanto Sacramento debitam, & reparando illum Confessarium, ne iterum atque iterum incidat in idem delictum, liberando eum hoc medio à rigoroso alio Inquisitionis iudicio, si reatus alio teste probatæ vitæ probaretur: Non vidi tamen hanc vocationem fieri in Suprema, nec vnquam factam fuisse, licet vnus ex modernioribus Eminentissimis Supremis Inquisitoribus fuerit in voto, huiusmodi vocationē, & monitionem esse faciendas, quod etiam obseruari in Hispaniarū Inquisitionibus asserit idem Fermosinus *citatus n.* 20.

Die 28. *Aprilis* 1628. pariter fuit resolutum, facultatem concessam à Constitutione Gregorij, iudicandi Reum

70 conuictum, itàut fit locus relaxationi Brachio seculari, reseruatam esse Eminentissimis Cardinalibus Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, ad alias verò pœnas posse procedere Episcopos, & Inquisitores iuxta votum eorum Consultorum.

Fuit etiam resolutum *sub die* 28. *Iunij* 1597. *&* 28. *Februarij* 1598. *&* 5. *Aprilis* 1612. seclusis Decretis, & Constitutionibus Summorum Pontificum, contra Sollicitantes in Confessione posse procedi in Sancto Officio, quia videntur malè sentire de Sacramento Confessionis.

Fuit etiam resolutum, quod quando mulier est nobilis virgo, & verecunda in Vrbe, nec potest induci ad deponendum, consulatur Sacra Congregatio; Si verò extra Vrbem, consulatur Episcopus, vel Inquisitor, qui si habent difficultatem, consulant Sacram Congregationem, sin minùs dent facultatem Confessarijs absoluendi pœnitentes, quæ iustis de causis denunciare recusent, quæ tamen debent absolui sub conditione, quod cessantibus causis teneantur hoc facere, ac etiam non adire amplius Confessarium, à quo fuerunt sollicitatæ, vt ex Decreto *die* 13. *Septembris* 1623.

Et notandum est, quod quando supplices libelli porriguntur Sacræ Congregationi pro absolutione sub nomine N. à sollicitatis, quæ renuunt denunciare, priùs rescribitur, *Denuncient*: Si verò persistunt, rescribitur, *detur facultas Confessario recipiendi Denunciationem*. Quando verò adest magna causa, & contumacia, tunc datur facultas absoluendi cum supradicta conditione: ideò Episcopi, & Inquisitores non debent esse solliciti, & procliues in danda facultate absoluendi, sed parcè vti debent huiusmodi facultate, vt ex Decreto *sub die* 11. *Martij* 1626

Sollicitantes Confessarij, qui mulieribus coram eis genuflexis, & signo crucis munitis notificant, nolle tunc earum Confessiones audire, vt commodiùs sollicitare valeant, puniuntur ab Inquisitore coniunctim cum Episcopo ex Decreto 27. *Iunij* 1613.

Imò fuit dictum *in eodem Decreto* posse prædictos procedere contra Confessariū, qui captus amore alicuius pœnitentis, sæpè videtur cum ea tractare in loco Confessionis de inhonestis.

Inquisitoribus, & Ordinarijs præcipitur, vt denunciationes in materia sollicitationis in Confessione Sacramentali mittant ad Sacram Congregationem, certiorando qualitatem Denunciatorum, & Denunciantium, ac denominatorum in testes, nec ad vlteriora procedant absque ordine eiusdem Sacræ Congregationis, nisi facti grauitas aliter exigat, & periculum sit in mora ex Decreto 2. *Ianuarij* 1615.

Sollicitantes in Confessione non sunt adstringendi ad se ipsos denunciandum 17. *Nouembris* 1624.

Sollicitationis species est, quando mulieri, quæ aliis fœminis associata solet adire Confessarij domum, dicit Confessarius in Confessione, vt sola domum ipsius adeat, & postquam adiuerit, copula carnalis secuta sit, vt ex Decreto 5. *Iunij* 1625.

Contra Sollicitantes procedunt Episcopi, & Inquisitores in Italia cumulatiuè, & tenentur inter se communicare indicia, ne ob defectum probationum, delictum remaneat impunitum, vt ex Decreto 6. *Februarij* 1625.

Pœnitentes Sollicitantes Confessarios in Confessione, ac renuentes illos deponere, non puniuntur in Sancto Officio, ex Decreto *die* 29. *Decembris* 1627.

71 Cæterum, quæ spectant ad formam iudicij in hoc crimine videndi sunt Carena *par.* 2. *tit.* 6. §. 7. 8. *cum sequen.* latissimè Escobar. *de Confess. sollicit. tot. par.* 3.

Primò, de Iudicibus in causis sollicitationis.

Secundò, quid ipsi in hoc crimine facere possint, & debeant.

Tertiò, de forma procedendi.

Quartò, de probationibus specialiter admissis in causis sollicitationis.

Quintò, de pœnis tanti criminis.

Sextò, de sententia ferenda, & quomodo.

Addo aliqua in praxi, quod Sacerdos spontè comparens, qui etiam plures fatetur sollicitationes, non suspenditur ab audientia confessionum, sed tantummodo suadetur ei, vt abstineat, licèt quondoque sciam fuisse iniunctum præceptum, ne audiret confessiones mulierum, quas solli-

citauit, & hoc ob priuilegium, quod San-
ctum Officium concedit spontè compa-
rentibus,quibus nulla alia pœna irrogatur,
quàm salutaris pœnitentia; Secùs autem
si fuerit damnatus per sententiam, quia
tunc stylus est, vt in perpetuum suspen-
datur ab audientia confessionum, de quo
testatur P. Diana 4. *par. tract.* 7. *resolut.* 7.
Escobar. à Coro *par.* 3. *quæst.* 5. §. 1. *num.* 3.
licèt ille secundùm stylum Inquisitionis
Hispaniarum dicat, vidisse Confessarium
sollicitantem fuisse suspensum per sex
menses ab audientia confessionum fœmi-
narum, alium per biennium, alium per
quinquennium, & alium in perpetuum
quoad confessiones fœminarum; quouerò
ad virorum per quadriennium.
72 Et quando ab audientia confessionum
semel est suspensus, vel priuatus, nun-
quam solet restitui, licèt aliquibus Paro-
chis Narnien. fuerit facta gratia restitu-
tionis.
Solet etiam Sacra Congregatio, si præ-
sertim Regularis substineat torturam, man-
73 dare, quod per suos Superiores arceatur
ab audientia confessionum, si indicia fue-
rint grauia, & Confessarius malæ famæ.
Neque solet Sacra Congregatio suspen-
dere, vel priuare Confessarium ab audien-
tia confessionum fœminarum, vel viro-
rum disiunctim, sed simpliciter ab audien-
tia confessionum, vt includat tam fœmi-
74 nas, quàm viros, nec solet facere gratiam,
vt quis possit audire confessiones viro-
rum solummodo, ne generetur scanda-
lum, si fortasse mulier ad Confessarium
accederet pro expiandis peccatis, & ab eo
audiret non habere facultatem audiendi
fœminarum confessiones.
Vidi tamen quandoque fuisse aliquos
Regulares admissos ad audiendas confes-
siones suorum Religiosorum.
Cum autem pœnæ sint arbitrariæ, nem-
pe suspensionis ab executione ordinis,
priuationis Beneficiorum, Dignitatum, &
75 Officiorum quorumcunque, ac perpetuæ
inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ,
& passiuæ, si Regulares fuerint, exilij,
damnationis ad triremes, carceris etiam
in perpetuum absque vlla spe gratiæ: Imò
si pro enormitate criminis grauiores pœ-
nas meruerint, debita præcedenti degra-
datione Curiæ seculari traduntur, vt de-
cernit Constitutio Gregorij Decimiquinti
ordinaria pœna solet esse carceris ad ali-
quod tempus; Si tamen sollicitationes sint
turpes, vel Monialium, extenditur ad tri-
remes per septennium, decennium, &
vltra.
Nunquam tamen vidi practicatam pœ-
nam degradationis, & traditionis Curiæ
76 secularis; Parcè etiam vidi impositam pœ-
nam priuationis Beneficiorum, quæ licèt
minor sit, quàm pœna depositionis, quæ
solùm imponitur pro magnis, & grauibus
delictis, *cap.* 3. *de re iudic. cap. Cum non ab
homine, de Iudicijs, cap. Tua de pœnis*, nihi-
lominus grauis est, Escobar. de Coro *dict.
par.* 3. *quæst.* 5. §. 2. *num.* 14.
77 In quibus autem casibus possit proce-
di ad degradationem, & traditionem Cu-
riæ seculari Confessarij sollicitantis, viden-
dus est Escobar. *d. quæst.* 5. §. 4. *per totum*,
qui septem regulas constituit.
Prima, quando sollicitatio est coniun-
cta cum hæresi formali, quia tunc potest
degradari, & tradi Curiæ seculari Confes-
sarius sollicitans, vt per eum *num.* 6. Quod
intellige, nisi Confessarius resipiscat, &
fateatur suam hæresim petendo veniam,
qui tunc poterit damnari ad pœnas Hære-
ticorum, nempe carceris perpetui for-
malis.
Secunda, quando sollicitasset ad actum
sodomiticum, & delictum consummasset
78 iuxta Constitutionem Beati Pij Quinti in
Bullario 70. *in ordine*.
Et quamuis nonnulli velint Constitu-
tionem B. Pij Quinti non habere locum,
nisi pluries fuisset commissum huiusmodi
delictum propter verbum *exercere* appos-
tum in Bulla, tamen procedere etiam pro
vnico actu, saltem quoad forum exteriùs
tenet Farinaccius *de delict. carnis quæst.* 148.
num. 30.
Tertia regula est, quando sumus in ca-
sibus, in quibus per alia Decreta solet im-
79 poni pœna degradationis, & traditionis
Brachio seculari, Freitas ad Acunham
quæst. 24. *à num.* 92. Sousa *de Confess. sollicit.
tract.* 2. *cap.* 18. *num.* 11. Escobar. *loco cit.
num.* 8.
Quarta regula est, quod debet atten-
di enormitas, & grauitas delicti, quæ po-
80 test esse tanta, vt mereatur huiusmodi
pœnam, vt si Confessarius sollicitans oc-
ciderit fœminam sollicitatam renuentem,
vt ex Sousa, & Freita, Escobar. *loc. citat.
num.* 9.
Quinta regula est, quod grauitas, &
enormitas dicta non tam inspicienda est
81 ex qualitate suspicionis in fide, quæ ex sol-
licitatione oritur, quàm ex enormitate
flagitij in se, Escobar. *num.* 10. post Acu-
nham *dicta quæst.* 24. *num.* 25.
Sexta regula est, quod licèt sollicita-
tioni, etiam qualificatæ de iure similis
82 pœna non imponatur, poterit tamen im-
poni, quia hoc residet in arbitrio Iudi-
cantium, Escobar. *num.* 11.
Septima regula, quando essemus in
Confessario incorrigibili, aliàs monito,
& punito, vt ex Achuna *in d. quæst.* 24. *nu.* 3.
83 quamuis Freitas *ibi* contrarium sentiat,
& Escobar. *loco citato nu.* 12. *cum seq.* putet,
hunc casum incorrigibilitatis accidere non
posse,

posse, quia per primam, vel alteram sollicitationem priuatur Confessarius audientia confessionum.

Sed certè non est impossibile, quod de facto casus iste accidat, quia memini, me existente Assessore, fuisse punitum Sacerdotem, qui non obstante suspensione ab audientia confessionum propter sollicitationem sibi iniuncta, illas audiebat.

Postremis diebus quidam Sacerdos, qui plures Moniales sollicitauerat ad actus tur-
84 pes, tentando cum eis habere copulam carnalem, fuit damnatus ad durum carcerem, iniuncto ieiunio in pane, & aqua tribus diebus cuiuslibet hebdomadæ, & alijs pœnitentijs salutaribus.

Et hæc sufficiant circa abusum Sacramenti Pœnitentię, quoad sollicitationem; cætera videri possunt apud Auctores in initio huius præsumptæ Inconstantiæ in fide allegatos.

Addo, quod si Sacerdos propter aliquam hæresis suspicionem abiurauit de
85 vehementi, non admittitur ad audiendas Confessiones, vt dicit Locat. *in fine sui* Iudic.Inquisitor.Genuens. *in praxi cap.*45. *num.*2.Riccius *decis.*218.*par.*2. Alphons.de Leone *de Potest. Confessarij par.*2. *recoll.* 1. *num.*211. P. Diana *par.*4. *tract.*8. *resolut.*64. Bordon. *in Tribun. cap.*23.*quæst.*41. *nu.*117. Multò magis non admittetur, si ob sollicitationem abiurauit.

Abutitur etiam Sacramento Pœnitentiæ qui reuelat Confessionem, & frangit
86 sigillum Confessionis, nam tunc operatur contra reuerentiam Sacramenti, & illi infert iniuriam, Card. de Lugo *de pœnitentia disp.*23. *sect.*1. *num.*4.*&* *sect.*5. *num.*148.

87 Sed an sit suspectus de fide, & subijciatur iudicio Inquisitorum, variè obseruatum fuit in Sacra Congregatione, nam aliàs *de anno* 1603.4.*Decembris* dictum fuit, Confessiones reuelantes puniri in Sancto Officio, quod fuit etiam resolutum *die* 29. *Ianuarij* 1604. & confirmatum *die* 17. *Iunij* 1605. mota fortassè ab opinione nonnullorum Doctorum, quos tacito nomine refert Card. de Lugo *loco cit. n.*148. qui dixerunt expedire, vt hoc delictum deferatur Inquisitoribus; nam propter iniuriam, quàm Confessarius infert Sacramento, redditur suspectus in fide, cuius opinionis fuit Alphons. de Leone *de officio Confessar.tom.*1.*recoll.*22. *num.*12. Praxis Archiep. Neapolit. *cap.*81. Menoch. *de Arbitrar. lib.*2. *centur.*5. *cas.*414. Campanil. *diuers. Iuris rubr.*11. *cap.*3 2. *nu.*5. Trasmier. *de Polyg. lib.*3. *quæst.*2. *num.*30. *in fin.* & latiùs *num.*53. *vers. Quorum primus est*.

Cæterum *de anno* 1619.25.*Martij* fuit dictum huiusmodi causas non spectare ad
88 Sanctum Officium, quod posteà semper fuit obseruatum, vt *sub die* 17. *Nouembris* 1621. *&* 28. *Aprilis* 1622. *& de anno* 1630. *&* 1637. & hoc iure hodie vtimur.

89 Et hanc opinionem tenent Molfes. *in Summ. tom.*1. *tract.*7. *cap.*23. *nu.*68. P. Diana *par.*4. *tract.*8. *resolut.*95. Carena *de offic. Sanct.Inquis.par.*2. *tit.*17. §. 23. *num.*91. *& seq.* Bordon.*in Tribun.cap.*22.*quæst.*25.*n.*47. Lupus *in Edict. Sanct. Inquisit. par.*2.*lib.*14. *distinct.*6. *art.*3. *diff.*1. Trasmier. sibi contrarius *in tract. de denunc. quæst.*4. *cap.*7. *n.*6. Fermosinus *d. pag.*392. *num.*7. *&* 8. Gabr. à S. Vincent. *de Sacram.Pœnit.disp.*10. *qu.*4. *vers. Quæres tertio*.

Prima tamen opinio haberet locum absque dubio, quando frangens sigillum
90 confessionis haberet aliquem errorem in intellectu, vt si diceret, licitam esse reuelationem sigilli, vel aliter ostenderet se malè sentire de Ecclesiasticis Sacramentis, Card. de Lugo *loco cit. num.*148. *vers. Aliud*, Pasqualig. *quæst.moral. iuridic.* 285. *num.*4. Fermosinus *loco citato num.*19. qui
91 dicit hoc casu Confessarium posse vocari ab Inquisitoribus, vt interrogetur, quid sentiat, quod si rectè responderit, dimittendus est; si autem ex eius responsione resultet notatus in fide, contra eum est procedendum in S. Tribunali, veluti contra Sortilegos hæreticales.

Secundò, crederem habere locum, quando pluries, & frequenter Sacerdos
92 frangeret sigillum confessionis, quia ex his iteratis actibus insurgeret saltem leuis aliqua hæresis suspicio, Simanch. *de Cathol. tit.*50. *rubr. de præsumpt. & suspect.n.*24. Menoch. *de præsumpt. lib.*1. *quæst.*100.*nu.*1. Farinacc. *quæst.*178. *num.*78. Pasqualig. *loco cit. num.*5.

Tertiò, posset prima opinio habere locum, quando Sacerdos frangens sigillum
93 cōfessionis esset homo malę famæ, & aliàs de hæresi suspectus; sic Caren. *in praxi titulo* 17. §. 23. *num.*93. & propterea *de anno* 1596. 10. *Februarij* fuit suspensus à cura animarum per triennium quidam Parochus, qui confessionem reuelauerat.

94 Sed an propter delictum hæresis licita sit reuelatio Confessionis, nonnulli ex nostris, prout Rayner. Alberic. *in rubric. C. de Hæret. num.*8. Palat. Rubeus *in cap. Per vestras notab.* 3. §. 26. *num.*9. Ignens *in l. Fideicommissum*, *num.*55. *ff. ad Senat. Consultum Syllamanum*, tenent opinionem affirmatiuam, vndè versus ille;

Hæresis est crimen, quod nec confessio celat.

95 Sed hæc sententia communiter ab omnibus improbatur tam Iuristis, quàm Theologis, Hostien. *in summ. de Pœnitentia*, §. *In quo tenentur*, Archid. *in cap. Sacerdos, de pœnit. & remiss. & ibid.* Nauarr. *num.*116. Boich. *in cap. Omnis vtriusque sexus*, *de Pœniten. & remiss.* Albert. *de Agno-*

fecund. cap. 10. Simancha *de Cathol. cap.* 42. *num.* 14. Ignatius Lopez *in addit.* ad Diaz. *cap.* 109. *col.* 2. *verf. Non tamen deficiunt*, qui dicit falsissimam contrariam opinionem Farinacc. *de indic. & tortur. quaest.* 51. *num.* 100. qui dicit, quod reprobatur ille versus supra adductus, sed se remittit Theologicis determinationibus, Torreblanca *de Magia lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 3. Menochius *de Arbitrar.* qui Medinam Sotum allegat *lib.* 2. *centur.* 5. *caf.* 414. *num.* 12. Pegna 2. *par. comment.* 25. *verf. Sed hæc est pulchra*, Salell. *de mater. fidei reg.* 178. *nu.* 31. latissimè ex nostris Trasmiera *de denunciat. quaest.* 8. *cap.* 5. *per totum*, vbi *num.* 9. dicit, quod si Inquisitor inuenisset pecatum hæresis scriptum, vt id confiteretur, vel ab aliquo auscultante pœnitentem, vel à sacrilego Sacerdote sigilli violatore id intellexisset, non posset his testibus, nec illi schedulæ, vel ipsi Sacerdoti fidem habere, nec propterea Reum capere, vel torquere; *& num.* 10. quod si illum condemnasset testibus conuictum, & postea intelligeret totam delationem, vel accusationem ortam ex sigilli violatione, deberet damnatum absoluere, ex Martino del Rio *to.* 5. *Magic. disquisit. lib* 6. *cap.* 1. *sect.* 2. Mascard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 377. *nu.* 1. *&* 7. Menoch. *de præsumpt. quaest.* 89. *nu.* 26. *&* 27. Farinac. *quaest.* 51. *num.* 97. omnia enim actitata in iudicio nulla sunt, si ortum habuerint ex notitia confessionis sacramentalis, licèt Iudex ab initio bona fide processerit, Couuar. *in* 4. *par.* 2. *cap.* 8. §. 12. *num.* 10. Soto *in* 4. *distinct.* 18. *quaest.* 4. *art.* 5. *in fine*, Card. de Lugo *de pænitent. d. disp.* 23. *sect.* 5. *num.* 107.

Et Freitas ad Acunham *quaest.* 13. notabilem casum affert de quodam Catalano,
96 qui interfecerat suum inimicum, & secreto sepulturæ tradiderat; Demum Clerico ignoto peccata sua confessus omnes necis prædictæ circumstantias aperuit: Paucis post diebus à fratre occisi accusatus, de plano confessus est, & morti damnatus; sed cum Confessarius ad eum accessisset, semper renuit confiteri, dicens, pœnitentiæ Sacramentum à Deo non fuisse institutum, & esse maximi periculi, & quamuis instaret Sacerdos, & monerent amici, ne animam, & corpus perderent, semper in sua obstinatione permansit.

Res delata ad S. Thomam de Villanoua Archiepiscopum Valentinum, petijt bonus Pastor à Prætore, vt supplicij executionem differret, permitteretque hominem ad se adduci, ne ouis illa periret: Tanti viri respectu dilatum fuit supplicium. Delinquentem Sanctus ad se accersiuit, rogans, quænam causa esset tantæ illius pertinaciæ: Miser homo ei aperuit, sacramentalem confessionem causam esse suæ necis, quia confessus erat homicidium Sacerdoti fratri occisi, quem tunc talem esse ignorabat.

Asciuit ergo Præsul Confessarium, qui adstrictus monitis Sancti coram deuoto Crucifixo cum pœnitentiæ signis fassus est fractionem sigilli motus dolore fratris enecati: Archiepiscopus ergo adit Prætorem, narrat factum, & accusationem, & damnationem ortam ex sacramentali confessione, vnde attenta lege Diuina obtestatur cessandum ab executione.

Quare Prætor facilè persuasus dimittit homicidam, cum populi admiratione, & Sacramenti veneratione, Confessario minori pœna, quàm scelus exposceret, punito.

Schola autem Theologorum vnanimiter censet, nec etiam posse Confessarium
97 reuelare confessionem, etiamsi agatur de crimine hæresis, de quibus per Suarez *to.* 4. *disp.* 23. *sect.* 1. qui plures allegat contra vnum Altisiodoren. *lib.* 4. *Summæ tract.* 6. *cap.* 3. *quaest.* 7. cuius opinionem Diuus Thomas *in* 4. *distinc.* 21. *quaest.* 3. *art.* 1. vocat erroneam, quæ tamen opinio communiter limitatur, vt non habeat locum, quando Hæreticus simulata confessione hæreses suas persuadere conatur ipsi Sacerdoti Confessario, cui confitetur Simancha, & Ignatius Lopez *locis citatis*, Menoch. *loc. cit. num.* 13. Suarez *d. disp.* 33. *sect.* 2. *verf. Secunda conclusio*, Bonacina *de pænitent. Sacrament. disp.* 5. *quaest.* 6. *sect.* 5. *punc.* 2. *num.* 5. & cæteri omnes. In puncto Barbosa *in cap. Omnis vtriusque sexus nu.* 17. *verf. Illud tamen aduertendum*, Trasmiera *d. cap.* 5. *num.* 13.

Sed de pluribus casibus, quibus liceat vel non, sine fractione sigilli, reuelare
98 confessionem, videndus est Diana *par.* 5. *tract.* 11. *de sigil. Confessionis*, qui *resol.* 6. dicit, quod si Confessarius extra confessionem loquatur de peccatis à pænitente confessis, frangit sigillum confessionis, & si à pœnitente accusetur apud Episcopum, puniendum esse pœna ordinaria, contra Hurtadum, & Granado, qui censuerunt, puniendum esse pœna extraordinaria.

99 Quæ autem pœnæ impositæ sint reuelantibus confessiones sacramentales, videndi sunt Suarez *d. disp.* 33. *sect.* 8. Farinaccius *d. quaest.* 51. *num.* 95. Card. de Lugo *d. disp.* 23. *sect.* 5. *num.* 146. Barbosa *d. cap. Omnis vtriusque sexus num.* 28. Menochius *d. cap.* 414. *num.* 3. Pasqualig. post hæc scripta visus *quaestion. moral. Iuridic.* 156. *num.* 1.

100 Abuteretur etiam pœnitentiæ Sacramento, qui confiteretur peccata sua per litteras, & Confessarius, qui absolutionem ei imperriret, vt constat ex Decreto Cle-

mentis Octaui *de mense Iunij* 1602. in Suprema,& Vniuersali Inquisitione habito, quod refert Prosper de August. *in addit.* ad Quarant. *in Summa Bullar. ver. Confessio sacramentalis*, & Barbosa *in dicto cap. Omnis vtriusque sexus num.* 12.

Nam opinionem illam, qua sustinebatur licere per litteras, seu per Internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, saltem vt falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, & prohibuit, præcepitque, ne deinceps ea publicis, priuatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neque vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut in praxim quouis modo deducatur, quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiuè tractauerit, nisi forsan impugnauerit, vel ad praxim directè, vel indirectè tractauerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiario, nisi à Romano Pontifice absolui, alijs etiam pœnis pro arbitrio infligendis subiaceat.

101 Et huiusmodi absolutionem esse inualidam, quamuis Confessarius priùs præsentis confessionem audiuerit, dixere Tolet. Valent. Suarez, Coninch. relat. à Barbosa *loco citato in fine*, & ità resoluit Suprema &c. *die* 13. *Nouembris* 1603.

102 Quod Decretum fundatur præcipuè *in cap. Quem pœnitet de pœnitentia distinct.* 5. Ibi: *Præcepit Dominus mundandis, vt ostenderent se Sacerdotibus, docens corporali præsentia, non per Nuncium, non per scriptum manifestanda peccata.*

Quod in Cathechismo Romano fuit etiam dictum, vt notat Auersa *de Sacram. pœnitentia quæst.* 10. *sect.* 4. *vers. Quinto demum.*

103 Sed an Confessarius, qui daret absolutionem per litteras pœnitenti possit puniri in Sancto Officio, quemadmodum & ipse pœnitens, qui illam per litteras, vel per Nuncium peteret, Bordon. *in Tribun. cap.* 22. *num.* 38. tenet opinionem negatiuam, ex eo quod licet contraueniat prohibitioni Pontificiæ, cum tamen non sit de fide meritò potest dici suspectus de hæresi; sed ego crederem affirmatiuè esse resoluendum per Constitutionem Pauli Tertij editam *die* 14. *Ianuarij* 1542. *registr.* post Director. *fol. mihi* 140. vt per eandem Bullam ità tenet Alberghin. *in Manual. Qualific. cap.* 12. *n.* 21. Trasmiera *de denunc. quæst.* 4. *cap.* 4. *num.* 13. *vers. Multis verò, & capitibus.*

In ea enim datur facultas Inquisitoribus, vt procedere possint contra eos, qui asserunt, & prædicant propositiones suspectas, scandalosas, periculosas, erroneas, &c. Christianæ pietati, ac bonis moribus non conformes.

104 Licèt enim opinio non sit declarata hæretica, vt notat Bauni *de Sacramento pœnitentiæ tract.* 4. *quæst.* 38. *in fine.*

105 Sufficit tamen, quod sit temeraria, & scandalosa, vt iudicio Inquisitorum subdatur Pegna *in praxi lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. vbi quod isti proferentes propositiones malè sonantes, vel scandalosas, vel blasphemas, vel alias, quibus hæreses formatæ non concluduntur, non facilè in secretis carceribus mancipandos, sed in aliquo Monasterio, vel propria domo, vel in Ciuitate detinendos ex Roias *de Hæret. par.* 2. *assert.* 1. *num.* 19. quod crederem habere locum in solummodo proferentibus, non autem in exercentibus.

Sed Fermosinus *dicta quæst.* 4. post hæc scripta visus latè de hac materia tractat; *& num.* 9. *&* 10. concludit, huiusmodi delinquentes posse puniri in S. Officio.

Abutitur quoque Sacramento pœnitentiæ Superior ille, qui notitia habita ex confessione vtitur ad gubernationem subditorum.

106 Licèt enim multi Doctores teneant, posse Superiorem vti scientia habita in confessione ad gubernationem externam subditorum, quos longa serie adducit Sanchez *de Matrimonio lib.* 3. *disput.* 16. *num.* 2. *vers. Vltimò*: Nihilominus contraria opinio verior est, & tenenda propter Decretum Clementis Octaui editum *die* 16. *Maij* 1594. de quo idem Sanchez *loco citato*, & Card. de Lugo *d. disput.* 23. *sect.* 5. *num.* 93. qui de hac materia latissimè tractat omnino videndus Castro-palao *de Sacram. pœnitentiæ tract.* 23. *disp. vnica punct.* 19. *à num.* 17.

107 Sed an talis Superior subdatur iudicio Inquisitorum, crederem negatiuè respondendum, quia hoc delictum pertinet ad fractionem sigilli confessionis: Ideo sicut frangens sigillum regulariter non punitur in Sancto Officio, vt supra diximus, sic iste Superior delinquens simpliciter contra Decretum, non erit obnoxius iudicio Inquisitorum.

108 Sed accidit casus in Sancto Officio; Nam cum quædam persona pia solita componere lites, & discordias notitiam habuisset, Assasinium machinari contra N. Consultorem Sancti Officij, & illum per suas schedulas monuisset, vt sibi caueret, non adeo fuit cautus, quin fuerit lethaliter vulneratus: Productis idcirco schedulis in judicio à pia persona recognitis, noluit illa detegere factum, asse-

rens sibi reuelatum sub sigillo secreti naturalis, fuit dubitatum, an posset cogi ad veritatem fatendam, & ad patefaciendos delinquentes, & Sacra Congregatio auditis Votis Consultorum affirmatiuè respondit *sub die* 10. *Maij* 1616.

109 Abutitur denique Sacramento pœnitentiæ ille, qui cum non sit Sacerdos audet Confessiones sacramentales audire; Nam & iste potest dici præsumptus Inconstans in fide, cum reddat se suspectum malè sentire de Sacramentis Ecclesiæ, vehementer quidem secundùm stylum Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis Romanæ, vt testatur Carena *par.* 3. *tit.* 11. §. 1. *num.* 3. Alberghinus *cap.* 25. *num.* 2. Iulius Carthar. *decis.* 13. *num.* 8. & 10. & *decis.* 14. *num.* 3. & *decis.* 15. *num.* 6. *vers. Atque ideo*, latè Bordonus *in Tribun. cap.* 22. *quæst.* 8.

110 Secundùm verò stylum Inquisitionis Hispaniarum sunt tantùm suspecti de leui, Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 14. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 11. qui dicit idem seruari in Inquisitione Sicula, nisi ex qualitate personæ, & circumstantiæ suspicio de vehementi oriretur, vt si Rei essent de Prouincia infecta hæresi Lutheri, quod voluit Alberghin. *loco citato*.

111 Quæ tamen abiuratio non habet locum, nisi in spontè comparentibus, vt dixi *supra* de celebrantibus non promotis; Nam & isti si sint confessi, vel conuicti traduntur etiam pro prima vice Curiæ seculari, vt ex eisdem patet Constitutionibus Clementis Octaui, & priùs ex Decretis Pauli Quarti, de quibus etiam per Farinacciun *quæst.* 193. *num.* 39. Castro-palao *d. tract.* 4. *disp.* 19. *punct.* 16. §. 9.

112 Et meritò hac pœna puniri debent tam celebrantes, quàm audientes confessiones non promoti ad Sacerdotium, quia est nefas grauissimum, quale antiqui Pontifices nunquam committendum præsumpserunt, & fortè ob eandem causam huic crimini pœnam non statuerunt, vt dicit Bernardinus Diaz. *in prax. Can. cap.* 12. *in principio*, Castro-palao *loco cit. num.* 1.

113 Sed falluntur viri doctissimi: Nam Hormisdas Papa statuit, Clericum in Diuino Officio ministrantem, hoc est in ordine, quem non habet, propter temeritatem abiiciendum esse ab Ecclesia, & nunquam ordinandum, *vt in cap.* 1. *de Cleric. non ordin. ministrante*.

114 Qui Textus licet videatur loqui de Clerico, iuxta *Rubricam*, vt notant doctores allegati à Barbos. *dicto cap.* 1. *num.* 5. habet tamen locum in laico, tùm quia Textus loquitur in genere de non ordinato ministrante, tùm quia eadem ratio vrget, imò maior, tùm denique quia *in MM.ss.* legitur *de non ordinato ministrante*, vt notat Zoesius *in eod. tit. num.* 4.

Nec semper valet argumentum de rubro ad nigrum, cum contingat, hoc esse illo generalius, & è contra, Euerard. *in loco à rubro num.* 11. Zoesius *loco citato*.

115 Crescente demum hominum malitia aliqua pœna graui coercere huiusmodi delictum iustum fuit: Et ideò pœna vltimi supplicij indicta fuit à Constitutionibus Pontificijs Pauli Quarti, Clementis Octaui, & Vrbani Octaui, quamuis hæc pœna non esset incognita tempore Diuæ Brigittæ, nam in eius reuelationibus *lib.* 6. *cap.* 79. habetur:

Quidam non ordinatus ad Sacerdotium celebrabat Missas, qui præsentatus Iudici adiudicatus est igni.

116 Pariter de tempore Alexandri Sexti fuisse quendam Hispanum Religiosum, qui celebrauerat non promotus, relaxatum Brachio seculari, & de mandato eiusdem Pontificis fuisse incineratum, testatur Paulus *de Irregul. par.* 9. *tit. de Clerico non ordin. ministrante*, quem refert Acunha *de Sollicit. cap.* 13. *nu.* 11. Carena *par.* 2. *tit.* 11. §. 6. *num.* 29.

117 Et quamuis aliàs dubitauerit Magna Curia Vicariæ Neapolitanæ, qua pœna plectendus esset Monachus non promotus celebrans, & audiens confessiones Fidelium, Thor. *in Compend. decis. par.* 3. *sect.* 2. *vers. Pœna quænam sit contra Laicum?* Nihilominus fuit resolutum, quod pœna erat mortis, & concremationis, quæ pœna concremationis etiam de iure Regni est approbata, vt testatur Carrer. *de Hæret. num.* 135. Thor. *loco cit.*

Ideò plures ex his scelestissimis fuerunt à Ministro Supremæ residenti Neapoli traditi Curiæ seculari, & per eandem Curiam morti addicti, & eorum cadauera concremata, vt testatur San-fel. *decis.* 239. & Thor. *loco cit.*

118 Fuit etiam post hæc scripta dubitatum à Senatu Ianuensi, qua pœna esset plectendus quidam Clericus, qui celebrauerat non promotus, & de ordine Supremæ fuerat traditus Curiæ seculari. Nam cum Constitutiones Apostolicæ dicant, *puniri debitis pœnis*, non putabat pœnam mortis intrare, quia de hac nec Canones, nec leges loquebantur. At ab eo consulta Rota Criminali, respondit Rota morti esse tradendum, & comburendum, vt ex voto signato ab Alphonso Palettonio Prætore, à Petro Matthæo Auditore, & à Ioanne Lucio Auditore *die* 24. *Nouembris* 1648. Et ratio est, quia eo ipso quod Iudex Ecclesiasticus tradit Reum Curiæ seculari indirectè eum in pœnam vltimi supplicij condemnat, Add. ad Panormit. *in cap. At si Clerici de Iudic. vers. Et sic Ecclesia*, San-

fesic. dicta decis.239.num.8.

119 Dignum autem esse morte scelus celebrandi absque ordine Sacerdotij, & audiendi confessiones, patet, quia delictum hoc est delictum magnæ falsitatis, quod regulariter punitur pœna mortis naturalis Diaz *in prax.crimin.Can. cap.117. ver.Falsarius num.* 1. Adden. ad Clarum *lib.* 5. *§. Falsum, litt. B*, Farinacc. *de simul. & falsit. quæst.*150. *conclus.* 4. *num.* 24. hos omnes in terminis Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 22. *num.*11. Thor. *dicto ver. Pœna*, San-felicius *dicta decis.*239. *num.*7.

120 Tùm etiam quia non Sacerdos celebrans dat occasionem idolatrandi, Diuus Thomas 3.*par. quæst.*80.*art.*6. *ad* 2. Carena *dicta par.*2. *tit.*11. §.6.*num.*28. *vers.Et Hæretici etiam*, Thor. & San-felicius *locis citatis*.

121 Pœna autem Idololatriæ erat in veteri Testamento mortis naturalis, vt Paralipomenon *lib.*2.*cap.*6. Thor. & San-felic. *locis citatis*.

122 Quouerò ad audientes confessiones, falsitas magna, & abusus Sacramenti in damnum grauissimum proximi, huiusmodi pœnam merebantur ex *supra* traditis.

123 Ab hac pœna licet excusaret minor ætas vigintiquinque annorum, *l.* 1. §. *Impubes, ff.ad Syllanian. l.ferè in omnibus, de Regul.iur.* Caball. *cas.*134. Farinacc. *quæst.* 92. *num.*41. *per tot.*

Nihilominus hodie stante Constitutione Papæ Vrbani 79. *Apostolatus*, sufficit, quod huiusmodi delinquentes compleuerint annum vigesimum.

124 Potuit enim Summus Pontifex stante atrocitate delicti statuere, vt minor ordinaria pœna puniatur, Farinacc. *quæst.* 92. *num.* 182. sicuti Summi Pontifices in crimine homicidij statuerunt, vt minor ætas non excuset, quorum Constitutiones refert Farinacc. *loco cit. à num.*184.

Vidi tamen pluries moderatam pœnam mortis naturalis tam in celebrante, quàm in audiente confessiones non promoto.

125 Nempe si quis mente esset læsus, vel fatuus, nam tunc pœna extraordinaria esset puniendus, vt euenit in quodam Clerico Neapolitano, de tempore sanctæ memoriæ Innocentij Decimi, de celebratione in Curia Archiepiscopali inquisito, qui cum ex processu reperiretur læsus mente, fuit Cardinali Archiepiscopo sciscitanti, qua pœna esset puniendus, rescriptum à Suprema, vt illum condemnaret ad triremes per decennium, & hunc esse puniendum pœna extraordinaria, dixit Bordon. *in Tribunal. cap.* 22. *quæst.* 18. *num.* 33.

126 Vidi etiam pœna extraordinaria punitum quendam Scholarem, qui nocte quadam, dùm celebrarentur Officia Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, se in Ecclesiam receperat, intra quoddam confessionale, ad quod accesserunt alij Scholares verè, vt confiterentur, sed reperto sodali ridendo aliqua peccata fassi sunt, & ipse similiter ridendo finxit, se absolutionem impertiri: Hi enim nulla pœna mulctati sunt, sed acri monitione expediti.

127 Sed huiusmodi Reos esse pœna extraordinaria puniendos, voluere Bordon. *d. quæst.*18. *num.* 33. Alberghin. *dicto cap.* 25. *num.* 10. P. Diana *par.*4. *tract.*7. *resolut.* 11. Castro-palao *par.*1.*tract.*4. *disput.*8.*punc.*16. §. 9. *num.* 2. vbi dicit se vidisse quendam adolescentem simplicem condemnatum fuisse à Sancto Officio ad annuam reclusionem, & pœnam pecuniariam.

128 Trasmiera verò *in tract. de denunciat. quæst.*4. *cap.*5. *num.*7. *vers. Sed qui per iocum*, dicit, quod audiens confessiones per iocum denunciandus est, si Pœnitens seriò peccata aperiret, credens eum esse verum Confessarium, secùs si vterque iocaretur, nisi iocus expressum contemptum cœremoniarum Sacramenti, aut ipsius Sacramenti præseferret, vel essent de natione infecta hæresi Lutherana, quia in his suspicio, quod malè sentirent de Sacramento Pœnitentiæ, oriri posset.

129 Sed an qui non promotus audiret confessiones, sed absolutionem non impertiret, subdatur pœnæ traditionis Brachio seculari; Doctores non in vnam cohærent sententiam; Nam affirmatiuam opinionem tenent Sousa *in Opusc. de Sollicit.tract.*1. *cap.*9.*nn.*3.4.*&* 7. & *in Aphorism. lib.*1.*cap.*33. Freitas ad Acunham *quæst.*13. *num.* 36. Trimarch. *de Confess. abutente Sacram.Pœnit.disp.*7. *sect.*2. *num.*11. Trasmier. *de denunciat.quæst.*4.*cap.*5.*num.*7. *vers.Secundo amplia*, Escobar. *de Confessar. sollicit. par.* 1, *quæst.*2. *num.*28. Salell. *de mater.Tribun.lib.*1. *cap.*15. *reg.*126.*num.*20.

130 Negatiuam verò opinionem, quod scilicet non pœna ordinaria, sed extraordinaria tenent Rodriqu. *to.*2.*quæstion.Regul. quæst.*28. *art.*2. *vers. Hæc Constitutio habetur*, Acunha *dicta quæst.* 13. *num.* 14. *de Hæresi cap.* 42. *dub. vnic. num.* 5. P. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 11. Barbos. *cap.*1. *num.*7. *de Cleric. non ordin. ministr.* Sanchez *in Select. disput. de Sacram. disput.*11. *num.*36. Carena *par.*2.*tit.*11.§.3.*num.*14. Bordon. *in Tribun. cap.* 22. *quæst.* 10. *num.* 15. Lupus *in edict. par.* 1. *lib.* 5. *distinct.* 1. *artic.* 4. Alberghin. *cap.*25. *à num.*6. *vsque ad num.*12. Trasmier. *loco cit.* Fermosinus *par.* 3. *quæst.*2. *num.* 12. qui *nu.*13. asserit, nec hunc sic delinquentem subdi foro Inquisitorum.

Dubium oriebatur ex verbis Bullæ Gregorij Decimitertij, ibi, *Et Confessiones*

audire, & absolutionem impertire, quæ videntur intelligi copularinè, itàut requiratur copulatorum concursus.

Secundò ex verbis Bullæ Clementis Octaui, ibi, *dum scilicet inique sibi assumerent gradum Sacerdotalem, & auctoritatem absoluendi à peccatis*.

131 Cæterum cessat hodie huiusmodi quæstio propter Bullam Vrbani Octaui, quæ vti dixi, non solùm confirmat Bullam Clementis Octaui, sed illam ampliat. Ideo cum in ea dicatur, *qui imposterum ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus Missam celebrare, aut Confessionem sacramentalem audire præsumpserit*, non requiritur amplius, quod Reus copulatiuè audiat confessiones, & absolutionem impertiatur; Et ità memini fuisse resolutum coram sanctæ memoriæ Vrbano Octauo *sub die 9. Februarij* 1640.

132 Hoc tamen intelligendum est, si verè non promotus cepisset audire confessiones, secùs si non inchoasset, quia in Bullis agitur de vera celebratione Missæ, & de vera auditione confessionis; sic Salell. *loco cit. num.22. vers. Quando verò.*

133 Item intelligendum est, quando sumus in sacramentali confessione, non autem in ea, quæ fit consolationis gratia, aut humilitatis, vt solet fieri, vbi deest Sacerdos in tempestate periculosa, quando nautæ, & alii sibi inuicem confitentur, Salell. *loco cit. num.23.*

134 Nullo etenim casu potest laicus sacramentales audire confessiones, & absolutionem impertiri, cum careat ordinis potestate, Viuald. *in Candelabr. tit. de Pœnitent. num.31.* Barbos. *in cap. Veniens num. 11. de Transact.* & *in cap. Pastoralis num.17. de Offic. Ordinar.* Iulius Carthar. *decis. 13. num. 3. & 4.* Suarez *in 3. par. D. Thomæ to. 1. disp. 33. art.4. sect.2.* Lupus *in Edict. Inquis. par.1. lib.3. distinct.1. artic.2. diff. 2. & art.3. diff.1. vers. Alterum est.*

135 Et certè si aliquis teneret opinionem, quod laicus etiam in casu necessitatis posset confessiones sacramentales audire, & absolutionem impertiri, tanquam de fide suspectus posset ab Inquisitoribus puniri propter Decretum Concilij *sess. 7. can. 10.* Lupus *loco cit.*

136 Sed quid, si laicus in articulo mortis absolueret excommunicatum ab excommunicatione? Dic, quod non solùm incideret in pœnas in Bullis contentas, sed licitum actum faceret, iuxta probabilem opinionem, quam tenent ex nostris Gloss. *in cap. Pastoralis, §. Præterea, in verb. Præterquam in art. mortis*, & ibi Abbas *num. 2. de Offic. Ordinar.* & eadem Gloss. *in cap. à nobis, in ver. Non potuerit*, & ibi Abbas *num. 10. de sentent. excommun.* Felin. & communiter omnes Doctores *in cap. 2. num.23. de iudic.* Oldrad. *consil.94.* Valer. *differ. ver. Absolutio differ.13. num. 2.* P. Diana, qui alios *par.3. tract.4. resolut.133. & par.5. tract.3. resol.77. & tract.9. resolut.7.* refert.

137 Quamuis multi teneant contrariam opinionem, quos longa manu refert Marchin. *de Bello Diuino par. 3. cap.13. num.2.* qui tamen *num. 7.* dicit, opinionem affirmatiuam non solùm esse probabilem, sed etiam illam sequendam, quia ista absolutio non potest nocere, sed valdè prodesse morituro, vt in loco sacro sepeliri, atque communibus Ecclesiæ suffragijs gaudere possit, charitas Christiana postulat, vt data probabilitate huius sententiæ, ille in tanto periculo non deseratur, Sanchez *loco cit. num. 13. vers. Cum ergò*. Et laicum sic absoluentem à censuris non subijci iudicio Inquisitorum, tenet Bordon. *in Tribun. cap.22. quæst.23. num.44.*

138 Idem dicendum est, si non promotus audiret confessionem, non ad effectum absoluendi à peccatis ipsum in articulo mortis constitutum, sed ad concedendas indulgentias, atque ideo absoluendo priùs à censuris, vt illas lucrari possit, Nauar. *de Indulg. notab.30. nu.9.* Rodriquez *in Summa cap.59. num.16. conclus.14.* Valer. *d. differ.13.* Marchin. *loco citato num.11.* P. Diana *dicta resol.7.*

139 Nec pariter locum habent Bullæ, quando Sacerdos audiret confessiones absque iurisdictione, vel esset irregularis, suspensus, excommunicatus, & degradatus, quia loquuntur de non promotis, non autem de promotis; Rodriquez, Acunha, Sanctarell. & alij à Carena *par. 2. tit. 11. num.15.* Bordon. *d. cap.22. quæst.11.* Alberghin. *in Man. cap.25. num.13.* Trimarch. *de Confess. abntente dispnt. 7. sect.4. à num. 26.* Escobar. *de Confess. sollicit. par. 1. quæst. 2. num. 29.* Imò huiusmodi delictum non subijcitur foro Inquisitorum, sed eius punitio spectat ad Ordinarium, vt dicunt *supracitati* Doctores.

140 Fermosinus autem *dicta quæst.4. nu. 15.* disputat, an Confessarius, qui absoluit aliquem sine sufficienti facultate, possit vocari ab Inquisitoribus, vt interrogetur, quid sentiat de Sacramento pœnitentiæ, & transit cum distinctione allata à Carena *in 2. par. tit.17. num.94. cum seq.* in casu reuelationis confessionis; nempe, aut sumus in Confessario bonæ famæ, vel malæ: Priori casu non possit vocari; Secundo verò possit: Sed in Sacra Congregatione obseruatur, quod talis sic delinquens remittatur &c. Ordinario &c. Non enim est de foro Inquisitoris, vt latè probat idem Fermosinus *quæst. 2. num.5.*

CAPVT XXXVI.

ARGVMENTVM.

De Abutentibus Sacramento Matrimonij. An Iudices laici possint cognoscere de delicto Polygamiæ: Materia latissimè tractatur, & respondetur ad fundamenta Iudicum laicorum. An contrahentes sponsalia cum alia muliere viuente vxore subdantur iudicio Inquisitorum. An qui contrahit matrimonium non seruata forma *cap. Dominus, de secundis nuptijs*, subdatur iudicio Inquisitorum. De Testibus deponentibus in causis Polygamiæ. An data per Polygamum exceptione nullitatis prioris matrimonij, causa nullitatis sit remittenda ad Ordinarium. An pendente iudicio nullitatis prioris matrimonij, si coniux aliud matrimonium contrahat, subdatur iudicio Inquisitorum. An contrahens secundum matrimonium per Procuratorem subdatur iudicio Inquisitorum: Et quid de ipso Procuratore. An Fiscus teneatur probare superuiuentiam primæ vxoris. De Polygamis similitudinarijs. An Summus Pontifex possit dispensare in voto solemni castitatis. An Ordinatus in sacris vi causatiua, seu conditionali teneatur seruare castitatem. De Polygamis Græcis. An vxoratus, si contra voluntatem vxoris, vel ea insciа promoueatur ad Ordines sacros, possit puniri in Sancto Officio. Quid si recipiat Ordines minores. An Catholicus contrahens cum Hæretica, absque dispensatione Pontificia, subdatur iudicio Inquisitoris.

SVMMARIVM.

1 *Abusus matrimonij inducit suspicionem fidei, & num. 11.*
Quid de abusu Sacramenti in genere, & numer. 11. ac 15.
Polygami sunt suspecti de hæresi, & contra eos procedunt Episcopi, & Inquisitores, priuatiuè ad Iudices laicos, & num. 13. 15. & 19. cum seqq. ac num. 32. ac 34. cum seqq.

2 *Factum habendi duas vxores eodem tempore inducit suspicionem hæresis, & de ratione num. seqq. ac num. 38. & 46. cum pluribus seqq.*

3 *Factum quod sit hæreticale, & num. seq. & num. 55.*

5 *Matrimonium quid, & quare vnam esse debeat, & num. 33. & 56.*
Verbum sentire *explicatur.*

6 *Factum hæreticale semper inducit suspicionem hæresis, siue fiat ex voluntate, siue ex ignorantia, vel malitia.*

7 *Christianis non licet eodem tempore habere plures vxores, & qui contrarium asserit Hæreticus reputatur, & numeris 36. 55. ac 68.*

8 *Hæretici licitum asserunt vxores plures eodem tempore habere, & num. 55.*

9 *Opus diuidens à communi vita, & conuersatione Fidelium, & à Ritibus, & à consuetudinibus ab Ecclesia probatis inducit suspicionem hæresis, & num. 56.*

10 *Polygamus abutitur Sacramento matrimonij, & de ratione, ac numeris seqq.*

12 *Et dicitur de eo malè sentire, & num. 35. cum seqq.*

13 *Iurisdictio Inquisitoris non commensuratur ab intentione, sed à facto.*

14 *Comedens carnes in diebus prohibitis cognoscitur ab Inquisitoribus priuatiuè ad Iudices laicos, & de ratione, & num. 79.*
Idem de sortilegijs, & blasphemijs hæreticalibus, & num. 57. 58. 70. & 79. cum sequ.

16 *Quid de Polygamo ducente secundam vxorem ex concupiscentia, & numeris sequentibus.*

17 *Cessatio doli facit cessare delictum, vel illius pœnam.*

18 *Polygamus ex quo motiuo secundam vxorem duxerit ab Inquisitore cognoscendum, & num. 21. ac 41.*

19 *Vitium nefandum est mixti fori.*

20 *Matrimonium duplex eodem tempore contrahens vtrumque inualidum, an, quomodo, & à quo Iudice puniri possit.*

22 *Polygamus occultus per quem Iudicem sit puniendus, & num. 38.*

23 *Polygamia prohibita per leges ciuiles sub pœna*

Polygamus

Polygamus contrahit impedimentum criminis ad matrimonium.
Polygamus efficitur infamis ipso iure.
Polygamus producens falsos testes ad probandam mortem primæ coniugis, quomodo puniendus, & num. 104. ac num. 119. cum seqq.
Papa potest statuere pœnas corporales pro delictis ab Ecclesia puniendis.
76 *Suspecti leuiter de hæresi, qui dicantur, & num. 80.*
Suspicio hæresis quotuplex sit, & num. 80.
77 *Hæresis quantumuis leuis, cognosci non potest per Iudices seculares.*
Suspectus leuiter de hæresi adhuc abiurare debet de leui.
78 *Abiuratio quotuplex sit, & quæ veniat respectiuè imponenda.*
Abiuratio omnis quem habeat finem.
Abiuratio quid sit.
79 *Celebratio Missæ incepta per non promotum, siue Clericum, siue laicum, & non perfecta, nec prolatis verbis consecrationis adhuc punienda, & per Iudicem Ecclesiasticum priuatiuè ad Iudices laicos, & de ratione.*
Idem de audiente confessiones Sacramentales, & absolutionem non impendente, & de ratione.
80 *Absolutio obtenta in vna iurisdictione, an pariat exceptionem rei iudicatæ in alia prorsus distincta, & separata.*
Crimen hæresis in dubio semper debet excludi.
Filius præsumitur potius naturalis, quàm spurius, & de ratione.
Suspecti vehementer, vel violenter de hæresi, qui dicantur.
Præsumptio an, & quomodo differat à suspicione.
Suspicio an sit sufficiens ad Inquisitionem, vel ad citationem.
Suspicio appellatur leue indicium, & leue argumentum, mouens aliqualiter animum Iudicis, sed non sufficiens ad condemnandum.
Suspicio primus gradus probationis.
Polygamia delictum atrox, exemplare, & graue.
Tortura tollit indicia, & probationes.
Tortura sustentata an debeat ferri sententia totaliter absolutoria, vel absolutoria ab obseruatione iudicij.
Iudex Ecclesiasticus an possit in causis procedere ratione peccati.
Adulterium peccatum contra Matrimonium.
82 *Suspicio arguitur ex qualitate personarum potius quam ex facto ipso.*
Abiuratio de leui ratione finit non differt à vehementi, & violenta.
83 *Sponsalia contrahentes viuente prima coniuge subduntur foro Inquisitorum, & quantum sint de hæresi suspecti.*
84 *Quid de contrahentibus bina sponsalia.*
85 *Quid si alteram ex sponsis cognouerit.*
86 *Sponsalia an per subsecutam copulam transeant in matrimonium.*
87 *Sponsalia si contraxerit vxoratus sub conditione non ineundi matrimonium nisi mortua coniuge, an subdatur iudicio Inquisitionis.*
88 *Quid de contrahente secundum matrimonium non certificata morte primi coniugis, & numeris seqq.*
89 *Adulterium an, & quando excludi possit in muliere cuius vir diu absuerit.*
90 *Polygamus allegare non potest bonam fidem, & de ratione.*
Nuncius certus de morte primi viri requiritur, vt possit contrahi secundum matrimonium.
Quis dicatur iste certus Nuncius.
Et quomodo probari possit hæc mors, & num. seqq.
91 *Testis saltem vnus an perneceße requiratur, qui de visu circa mortem primi coniugis deponat ad contrahendum secundum matrimonium, & num. seq.*
93 *Nuncius mortem primi coniugis certificans quando fidem mereatur.*
94 *Periculum committendi crimen an, & quando idem sit, ac illud committere.*
95 *Punitio eadem pro delicto attentato non infligenda, quæ infligeretur pro delicto commisso.*
96 *Decretum Iudicis præbet sufficientem excusationem.*
97 *Iudex Ecclesiasticus concedens licentiam contrahendi secundum matrimonium sine legitima probatione mortis primi coniugis puniendus, & num. seq.*
Iudex Ecclesiasticus cognoscere debet an probationes mortis primi coniugis sint sufficientes ad permittendum secundum matrimonium.
Probatio mortis primi coniugis an sit sufficient remittitur arbitrio Iudicis.
Arbitrium regulandum à iure.
Inquisitio Suprema quomodo rescribere soleat petentibus admitti probationes mortis primi coniugis ad contrahendum secundum matrimonium.
99 *Parochus an inquirere debeat de sufficientia probationum mortis primi coniugis contrahentes secundum matrimonium, & quando puniri possit ob assistentiam tali matrimonio præstitam.*
100 *Testes pro matrimonijs contrahendis quomodo debeant examinari, & interrogari, & num. seq.*
Fides de partibus ad concedendam licentiam pro contrahendis matrimonijs quando sint admittendæ.
Testes meliores pro contrahendis matrimonijs qui sint.
Parochi quas diligentias adhibere teneantur

in matrimonijs exterorum, & num.102.

101 *Testes ad annullandum secundum matrimonium sub prætextu alterius prius contracti, qui requirantur.*

Et qua probationes requirantur ad hunc effectum.

103 *Matrimonium in articulo mortis vbi est contrahendum, an, & qua adhiberi debeant diligentia.*

Forensis an, & quando primum, vel secundum matrimonium contrahere possit sine attestatione Ordinarij loci, in quo natus est, super statu libero.

104 *Testes falsum deponente ad probandum statum liberum pro contrahendo matrimonio quomodo puniendi, & num. 123.*

105 *Et an debeant abiurare saltem ob fautoriam in causa Polygamiæ, & numeris sequentibus.*

Mater consulens filiæ vt secundo nubat viuente primo coniuge, an debeat abiurare.

106 *Fautor Hæreticorum debet abiurare fautoriam.*

107 *Quid de fauente suspectum de hæresi.*

Suspicio suspicionis an detur.

108 *Polygamus excipiens de nullitate prioris matrimonij ab ipso contracti an sit remittendus ad Ordinarium, vt prius de huiusmodi exceptione cognoscat, & numero sequen.*

109 *Inquisitio Suprema ampliori vtitur potestate quam alij Inquisitores, & de ratione.*

Inquisitor sublata hæresis suspicione nullam habet iurisdictionem.

110 *Polygamus nulliter contrahens secundum matrimonium an sit remittendus ad Ordinarium, vt de nullitate cognoscat.*

Polygamia punitur non tam in effectu, quàm in affectu.

111 *Polygamus an iuuetur protestatione quod per quæcunque verba non intendit matrimonium contrahere.*

112 *Matrimonium secundum an sit irritum eo quod certus Nuncius mortis primi coniugis non præcesserit.*

113 *Matrimonium secundum metu contrahens viuente prima coniuge an subdatur foro Inquisitorum, & quomodo puniri debeat.*

114 *Quid de contrahente secundum matrimonium pendente lite super nullitate primi, & num. seq.*

Matrimonium secundum contractum pendente lite super nullitate primi matrimonij validum est.

116 *Matrimonium secundum contrahens mediante Procuratore, & prima coniuge adhuc viuente, an puniri possit in S. Officio.*

Matrimonium contractum mediante Procuratore est verum matrimonium.

117 *Matrimonium contractum à Procuratore reuocato est nullum, quamuis reuocationis notitia ad illum non peruenisset.*

Mandatum ad contrahendum matrimonium quale requiratur.

118 *Procurator contrahens secundum matrimonium adhuc viuente prima coniuge principalis, an, & quando subdatur iudicio Inquisitorum.*

119 *Fiscus tenetur iustificare superuiuentiam primæ vxoris, & per liquidissimas probationes contra Polygamum.*

122 *Possibilitas veritatis mortis primæ vxoris an excuset Polygamum, qui ad probandam eandem mortem falsos testes produxerit.*

124 *Polygami similitudinarij qui dicantur, & an sint suspecti de hæresi.*

125 *Assertio, quod Religiosi professi, vel in sacris Ordinibus constituti possint contrahere matrimonium est hæretica.*

126 *Matrimonium occultè contractum à Religioso professo, vel à Clerico in sacris Ordinibus constituto, an sit punibile in Sancto Officio.*

Polygami similitudinarij quomodo interrogari, torqueri, & abiurare soleant in Sancto Officio, & num. seq.

128 *Iesuitæ emittentes vota biennij sunt verè, & propriè Religiosi.*

Et quatenus post huiusmodi vota matrimonium contrahant, an dicantur Polygami, & quomodo puniantur, & num.130. cum sequen.

Societas Iesu est vera Religio, & aliter asserentes puniendi.

129 *Iesuitæ emittentes vota biennij Religiosi sunt verè, nec possunt tales dici ex priuilegio.*

130 *Vota biennij emissa per Iesuitas irritant matrimonium ab ipsis postea contractum.*

131 *Pœna commensuranda delicto.*

132 *Polygamus similitudinarius an dici possit Religiosus professus, vel Clericus in sacris constitutus qui Papa dispensante contrahat matrimonium.*

Cælibatus an sit annexus Ordini sacro de iure Diuino, vel de iure Ecclesiastico.

133 *Cælibatus dispensari potest à Papa, vt Religiosus professus, vel Clericus in sacris Ordinibus constitutus contrahat matrimonium.*

134 *Papa constitutos in sacris Ordinibus, aut Religiosos professos, an, quando, & in quibus causis dispensare soleat à cælibatu vt contrahant matrimonium, & numero 137.*

135 *Cælibatus Clericorum quantum afferat bonum.*

Statutum arbitrio Clericorum relinquens an velint nuptijs copulari, num foret salubre.

136 *Continentia Clericorum vnde introducta sit.*

137 *Sacerdotes cur nuptijs prohibeantur.*

138 *Polygami similitudinarij quomodo puniri soleant.*

contrahentibus matrimonium cum Hæretisis.

237 *Separatio coniugum, an, ex quibus causis, & quomodo fieri debeat.*

238 *Ignorantia quomodo excludatur.*

Contractus matrimonij non est reiterabilis, & de ratione.

Dispensatio conseßa per Pontifisem præsumitur rationabilis, & denegata irrationabilis.

Obligatio legis quando sesset cessante causa obligandi.

Inferior dispensare an, & quando possit aduersus legem superioris.

Itali euntes in Regiones Hæreticorum, vbi non est permissus Ritus Catholicus inquiri possunt tanquam suspecti de hæresi.

Quid de alijs Catholicis non Italis.

Impedimentum matrimonij ex disparitate cultus est de iure Diuino, & de ratione.

Papa quomodo dispensare possit Episcopum circa residentiam.

Dispensatio ad cohabitandum an sit necessaria Principi Catholico, qui matrimonium contraxit cum Hæretica Principissa, vel è contra.

Mulier nubens ignoranter Hæretiso, vel marito, qui in hæresim postea incidat, potest petere diuortium, & de ratione, & numero 240.

Obligatio esse non potest in eo, quod est voluntarium.

Coniux separari debet ab alio coniuge, qui in hæresim incidat, & de ratione, & numero 240.

Coniux continuans cohabitationem cum coniuge in hæresim lapso dicitur suspectus de hæresi.

240 *Hæresis an, & quando præbeat sufficientem causam diuortio.*

241 *Fautores Hæretisorum per quos absolui possint.*

SVNT pariter præsumpti Inconstantes in fide qui abutuntur Sacramento matrimonij; nam & hi sunt suspecti in fide ex regula abusus Sacramenti, Gloss. *in cap. Accusatus*, §. *Sanè, ver. Sapperent, de Hæret. in* 6. & per eam Lucerna Inquisitor. *ver. Sacramentis abuti*, & ibi Pegna latè Trasmier. *de Polygamia, lib.* 5. *qu.* 2. *num.* 14. 15. & 16. vbi benè distinguit, quando abusus Sacramenti in genere generet suspicionem in fide.

Cæterum quia inter hos, qui abutuntur Sacramento matrimonij sunt præcipuè illi, qui viuente prima vxore, secundam, vel vlteriorem ducunt, quos, vt videbimus, suspectos esse in fide, nemo nostrum dubitauit, & adhuc Iudices laici contendentes hoc delictum esse mixti fori, non desistunt turbare iurisdictionem S. Officij.

Videndum est primò, An delictum Polygamiæ verè sit mixti fori, itaut spectare eius punitio possit ad Iudices laicos, an verò pertineat priuatiuè ad Iudicem Ecclesiasticum, & ad Tribunal S. Officij.

Hanc quæstionem latiùs reassumpsi, dum eram Assessor Sancti Officij occasione turbationis iurisdictionis Ecclesiasticæ in Ciuitate N. ideò per extensum hic volui apponere meas allegationes.

DE IVRE communi Episcopi, & Inquisitores procedunt contra eos, qui, viuen-
1 te prima vxore, aliam ducunt, quia tales sic contrahentes sunt suspecti de hæresi, Lupus Abbas *in cap. Accusatus, num.* 2. *de Hæret. in* 6. & ibid. Franc. *nu.* 3. Geminian. ibid. §. *Sanè, num.* 7. Felin. *in cap. Ad abolendam, num.* 1. *de Hæret.* Io: Lupus *in cap. Per vestras de donation. inter virum, & vxorem*, §. 18. *num.* 25. Rosell. *ver. Hæreticus, num.* 6. Villadieg. *de Hæret. sap.* 9. *num.* 5. Squillacen. *de Fide Catholic. cap.* 15. *num.* 2. Couuar. *in* 4. *Decret. par.* 2. *cap.* 7. §. 3. *nu.* 6. Repertor. Inquisitor. *in ver. Contrahens, in princ.* Simanch. *de Cathol. Instit. cap.* 40. *tit. de Matrimonio, num.* 2. & *in Enchiridion. violata Religionis, tit.* 12. *num.* 5. Campegg. ad Zanchin. *de Hæret. cap.* 35. Roias *de Hæres. cap.* 35. Menoch. *de Arbitrar. cas.* 420. *n.* 114. & *de Præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *nu.* 35. Albertin. *de Agnoscen. quæst.* 23. *num.* 65. Alphons. de Castro *de Iusta Hæretic. punitione, lib.* 1. *cap.* 1. *vers. Idem*, Conradus Brunus *de Hæret. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. Carrer. *in praxi tit. de Hæret.* §. *Circa secundum, num.* 60. Rebuff. *in Concordat. Franciæ, tit. de public. concubinar.* §. *Et cum omnes, & in d. tract.* Bermund. *vers. Monemus omnes laicos, n.* 4. Decian. *tractat. crimin. tom.* 1. *lib.* 5. *Rubric. Inquisitores Hæres. quæ possint, num.* 41. Pegna *in* 3. *par. Director. comm.* 81. Lucerna Inquisitor. *in ver. Matrimonium*, Locat. *in Iudicial. in ver. Inquisiti, & in ver. Suspicio*, Nauarr. *cons.* 2. *num.* 8. *de Hæret.* Perez *in l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 5. *Ordin. pag.* 44. Azeued. *l.* 5. *tit.* 1. *lib.* 5. *Recopill.* Guttierez *practic. Quæstion. quæstione* 8. *in princ.* Farinacc. *de Inquisit. quæst.* 8. *num.* 127. & *de delictis carnis, quæst.* 140. *num.* 24. & *de Hæresi quæst.* 178. *num.* 71. & *in Appendice ad quæst.* 140. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 18. Narbona *in* 3. *par. nouæ Recopill. lib.* 4. *tit.* 1. *l.* 20. *Gloss.* 12. *num.* 66. Canter. *quæstion. crimin. tit. de Adulter. nu.* 29. Freita ad Acunham *de Sollicit. quæst.* 2. *num.* 3. Fr. Ignatius Lupus *in Edict. S. Inquisitionis par.* 2. *lib.* 14. *artic.* 2. *diff.* 1. Trasmiera *de Polygamia, lib.* 2. *quæst.* 2. *num.* 18. Carena *de Officio S. Inquisit. par.* 2. *tit.* 2. *num.* 20. Scaccia *de Iudic. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 55. Campanil. *Diuersor. iuris, rubr.* 1. *num.* 46. *ad* 49. P. Diana *Resolut. moral. par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 4. *in princ.* Barbosa *de potest. Episcopi, allegat.* 40. *n.* 44. Moura

de Ensalmis, & Incantationibus, sect.3.cap.1.
num.14. & cap.3. num.4. & 8. Alberghin.
in Man. tit. de Polyg. num.18. P. Bordon. in
Tribun. Sancti Officij, cap.22. num.63. P. Sa-
lelles de mater. Tribunal. S. Inquisit. cap. 20.
reg.149. num.104. Guazzin. ad defensam de-
fens.1.cap.11.nu.26. Iulius Carthar.decis.90.
num.21. Barbosa in cap. Gaudemus de diuor-
tio, num. 13. & in cap. Nuper de Bigamis,
num.3. Enriquez in Summ. lib.11. cap.2.n.3.
& lib.12. cap.6. num.4. Fragos. de Regimine
Reipub. par.3. lib.10. disp.22. num.89. Ca-
stro-palao oper. moral. tom.1. tract.4. disp.9.
punct.16. §. 8. Thom. Hurtad. resolut. mo-
ral. tom.1. tract.5. cap.2. resolut.4.

2 Oritur autem huiusmodi suspicio hæ-
resis ex facto ipso habendi duas vxores
eodem tempore, Trasmiera de Polygamia
lib.2. quæst.1. num.16.

Siue enim cum Textu in cap. Ad abolen-
dam, de Hæret. dicamus illud esse factum
3 hæreticale, quod opponitur directè Sa-
cramentis Ecclesiæ; siue cum Martino
del Rio Disquis. magic lib.5. sect.15.§. Axio-
ma primum, factum hæreticale illud esse,
quod quamuis non sit hæresis, quia per-
tinet ad enunciationem intellectus, atta-
men quasi materialiter enunciat hæresim,
& est materia, circa quam intellectus er-
rat, quæ ratio licet improbetur à Moura
de Incantat. sect. 3. cap. 3. illam tamen op-
timè defendit Trasmiera loco cit. num. 20.
vers. Intentio ergo Martini del Rio.

Siue cum Soto in tractatu de hæresi, fa-
ctum hæreticale esse illud, quod aliqui
4 Hæretici specialiter laudauerunt, vel non
esse peccatum affirmarunt, semper hoc
factum contrahendi binas nuptias erit fa-
ctum hæreticale.

Primo casu, quia certum est hunc mo-
dum contrahendi Matrimonium opponi
directè Sacramento Matrimonij, quod est
5 vnius cum vna legitima coniunctio, cum
ab initio vna Costa in vnum virũ conuersa
sit, vt loquitur Innocentius in cap. Gaude-
demus de diuortio, Trasmiera dicto tract. de
Polygam. lib. 2. quæst.96. nu. 17. Alberghin.
in Manual. cap.27.num.3. Campanil. loco cit.
qui dicit, quod illud verbum sentire, de
quo in dicto cap. Ad abolendam exemplifi-
catur in eo, qui in externo facit, aut dicit
aliquid, quo animus eius conuincatur ità
sentire; Sentire ergo non debet interpre-
tari de sola sententia intellectus, sed etiam
de sententia facti, vt dicit Io. And. in dicto
cap. Ad abolendam num. 27.

Et quidem optima ratione, quia factum
hæreticale secundum se consideratum
6 præscindendo ab animo, seu voluntate,
siue ignorantia, siue malitiam illud
exercentis semper inducit suspicionem
hæresis, Adrianus in 4. quæstione 1. de
confess. Ochamus par.1. Dialog.lib.2.cap.11.
Couuar. variar. resol. lib. 3. cap. 1. Torrens.
de Trinitate quæst.32. art. 4. Turre-cremata
in Summa de Eccles. lib.4. cap.2. par.2.cap.8.
Simancha de Cathol.tit.54. de Castro lib. 1.
de iusta Hæret. punit. cap. 3. Suarez de fide
disp. 19. sect. 2. num. 3.

Secundo verò casu, quia certum est de
fide non licere Christianis plures eódem
7 tempore habere vxores, & qui contrarium
asserit, hæreticus est reputandus, vt ex
Canon. Apostolorum 48. Concilio Nicæno
generali 1. cap. 24. & cap. 76. Innocentij
Primi Epist. 306. Siricio Epist. 1. num. 4.
vt in cap. de Coniug. violat. 27. quæst. 2.
Cælestino Primo cap. Videtur nobis 35. qu.6.
Nicolao Primo ad Consultat. Bulgar. cap.51.
Alexandro Tertio in cap. Gaudemus de Di-
uortio, Concilio Florentino in Decreto Ar-
menorum, Concil. Colonien. sub Paulo Ter-
tio par. 1. cap. 41. Concil. Maguntin. sub
eodem in Decreto fidei, & nouissimè per
Sacrum Concilium Tridentinum cap. 2.
sess. 24. de reform. vbi habetur.

*Si quis dixerit licere Christianis plures ha-
bere vxores, & hoc nulla lege Diuina esse pro-
hibitum, anathema sit.*

Ex his ergo, hoc factum habendi duas
vxores eodem tempore, est materia, circa
quam intellectus errat, vel errare potest,
quod sufficit ad inducendam hæresis sus-
picionem ex supra dictis.

Tertio verò casu, quia Hæretici, præ-
sertim nostri temporis, non solum
8 factum istud laudarunt, sed licitum esse
asseruerunt Card. Bellarm. to. 2. controuers.
de Matrimonio controuers. 3. cap. 3. Valent.
in 3. to. 4. disp. 10. quæst. 1. punct. 3. Cani-
sius to. 2. lib. 2. de Maria Deipara num. 13.
Alberghin. d. cap. 27. num. 1.

Secundò oritur huiusmodi suspicio ex
eo quod ducens duas simul vxores facit
9 opus, quod diuidit à communi vita, &
conuersatione fidelium, & ab Ecclesiæ
probatis Ritibus, & Consuetudinibus, vt
considerat Carena de Polygam. tit. 5. §. 2.
num. 14. Trasmiera d. tract. loco cit. num.18.
Tale autem opus inducere hæresis suspi-
cionem, benè docet Pegna ad Directorium
par. 3. comment. 24. vers. Denique, Carena
loco citato, vers. Probatur.

Tertiò oritur suspicio hæresis ex abusu
Sacramẽti matrimonij, & licèt Polygamus
10 possit induci ad sic contrahendum, non
ex praua voluntate, sed ex libidine, vel
auaritia, negari non potest, quin ad ex-
plendas huiusmodi peruersas cupiditates
non abutatur Sacramento matrimonij, vt
dicunt ferè omnes Doctores supracitati
præsertim Guttierez pract. quæstion. lib. 2.
cap. 8. num. 1. Iulius Carthar. d. decis. 90.
num. 21. Carena loco. cit. §. 11. num. 59.
vers. At ex abusu Sacramenti, Farinacc. de
hæresi quæst. 178. num. 2. Moura de incantat.

sect. 3. cap. 3. num. 6. Freitas ad Acunham *quaest. 2. num. 32. vers. Nec obstat.*

Et quamuis non omnis abusus Sacramenti inducat hæresis suspicionem; In ca-
11 su tamen, de quo agitur concurrunt plures circumstantiæ, nempe euersio primarij finis Sacramenti, imitatio morum Hæreticorum, recessio à Ritibus Ecclesiæ, quibus concurrentibus abusus Sacramenti matrimonij inducit hæresis suspicionem, vt benè ratiocinatur Trasmiera *de Polygam. lib. 3. quaest. 2. num. 61. & 62.* Moura *sect. 3. cap. 3. num. 8. & 10.*
12 Quartò tandem, quia qui sic contrahit malè sentire videtur de Sacramento matrimonij, vt dicunt omnes *citati* Auctores, nemine ferè excepto.

Firmata ergo conclusione, quod ex facto contrahendi secundum matrimo-
13 nium vxore legitima prima viuente, oriatur hæresis suspicio, & quidem manifesta, necessariò, & indubitatè infertur, cognitionem delicti Polygamiæ spectare ad Iudices Ecclesiasticos priuatiuè quoad Iudices laicos ex dispositione Text. *in c. Accusatus, §. Sanè de Haeret. in 6.* Ex quo Textu iuncta Glossa *in vers. Saperent*, deducitur, quod ad tribuendam Inquisitoribus iurisdictionem, non attenditur intentio, sed factum.

Et propterea, quamuis qui vescitur cibis prohibitis tempore vigiliarum, vel
14 Quadragesimæ, ex appetitu gulæ moueri possit, nihilominus subditur iurisdictioni Inquisitorum priuatiuè quoad Iudices laicos, quia vt *supra dictum est*, attenditur illud factum, quod sapit hæresim, præscindendo ab animo, siue voluntate ignorantiam, vel malitiam, vt vltra allegatos dicit Pegna *ad Directorium par. 3. comment. 24. & par. 2. comment. 80.* Repert. Inquisitor. *in ver. Cognoscere, vers. Sed an Iudex*, Zanchinus *de Haeret. cap. 35. num. 2.* Zerola *in prax. in ver. Casus, & in ver. Carnes comedentes*, Riccius *in praxi fori Ecclesiastici resol. 423.* Carena *in praxi par. 2. titul. 15. §. 4.* Alberghin. *in Manual. cap. 22. num. 2.*

Idem dicimus de sortilegio, quod sapit hæresim, & de blasphemia hæreticali, quia licèt possit abesse praua intentio à talia delicta perpetrantibus, attenditur tamen illud factum, quod dat iurisdictionem Iudici Ecclesiastico priuatiuè quoad Iudices laicos, vt ipsimet Iudices laici fatentur per San-felic. *decis. 233. per totam.*

Ex his ergo meritò Doctores nostri firmarunt, cognitionem delicti Polygamiæ
15 spectare ad Iudices Ecclesiasticos priuatiuè ad Iudices laicos, Albertin. *de agnoscend. quaest. 23. num. 64.* vbi quod hoc factum non solùm videtur sapere hæresim manifestè, sed esse factum hæreticale; & *num. 74.* dicit; quod hoc crimen esset mixti fori, nisi annexa esset illa qualitas, quæ sapit hæresim, vel nisi concurreret suspicio, quod Polygamus malè sentiret de Sacramento matrimonij.

Roias *de Haeret. par. 1. num. 549.* dicit, quod hodie cognitio huius criminis ad solos Inquisitores pertinet.

Azeuedo *ad leges Hispaniae lib. 5. tit. 1. l. 5. 6. & 7. num. 3.* asserit, quod quamuis præuentioni locus esset in hoc delicto inter iustitias Inquisitionis, & Iudices alios Ecclesiasticos, & seculares ità quod quilibet eorum, qui præueniret, cognosceret, & puniret; hodie propter frequentiam actuum, vel quia ob aliam causam aliud per Inquisitores prouideatur, vel prouisum sit particulari iussu, & mandato, ipsi Inquisitores cognoscunt.

Scaccia *de Iudic. lib. 1. cap. 12. num. 55.* quærit, an qui ducit plures vxores eodem tempore, committat delictum, cuius cognitio sit mixti fori, respondet, quod non, quia de eo cognoscit Inquisitor priuatiuè quoad laicum, & ità teneas quicquid dicat Clar. *lib. 5. recept. sentent. §. Fornicatio, vers. Dicendum etiam.* Et est ratio, quia iste videtur malè sentire de Sacramento matrimonij, vnde de eo venit diligenter interrogandus ab Inquisitore, & ità vidi sæpius seruari.

Narbona *in 3. par. nouae Recopill. lib. 4. tit. 1. l. 20. Gloss. 12. num. 66.* ait, quod ducens secundam vxorem viuente prima non est remittendus ad Iudicem secularem, quia hodie de hoc crimine, à quocunque fuerit commissum, Inquisitores cognoscunt, & delinquentes debitis pœnis afficiunt, nam qui cum duabus vxoribus simul matrimonium contraxit, sine eodem tempore eas retinet, de hæresi suspectus est, cum malè de Sacramento matrimonij sentire videatur.

Quin imò dico, Inquisitores solummodo cognitionem habere vt *supra*.

Sousa *in Aphorismis lib. 1. cap. 35. nu. 18.* dicit, quod hodie ad solos Inquisitores spectat punire contrahentium binas nuptias; & extat declaratio Summi Pontificis ad Inquisitores Lusitaniæ.

Farinaccius *quaest. 8. nu. 117. vers. Amplia*, ait, quod cum contrahens binas nuptias sit de hæresi suspectus, cognitio huius criminis nonnisi ad Ecclesiasticum Iudicem priuatiuè quoad secularem spectabit.

Et quamuis *in fine dicti numeri* dicat, quod quando qualitas istius suspicionis hæresis
16 non adest, puta, quia iam apparet, quod id fuerit factum potiùs ex concupiscentia, quàm quod malè sentiat de fide, delictum huiusmodi est mixti fori, tamen *in tract. de haeresi quaest. 178. num. 171.* dicit, quod in ducente secundam vxorem prima viuente, vix porest dari casus, in quo cesset suspicio hæresis, ad effectum, vt huiusmodi

crimen possit reputari mixti fori; Et hæc
est veritas; Quia licèt constaret ex solo
concupiscentiæ affectu secundam vxorem
duxisse, nihilominus, quia ad hoc abutitur
Sacramento matrimonij, videtur suspe-
ctus de hæresi, Farinaccius *loco citato vers.*
Verùm.

Et quando cessaret abusus Sacramenti,
quia bona fide Polygami contraherent,
17 hoc casu, nec Ecclesiasticus Iudex, nec
secularis procedere possent, quia cessante
dolo, cessat delictum, vel saltem illius
pœna, *l. si putator, ff. ad l. Aquiliam, cap. Satis*
peruersum distinc. 6. cap. Inuentum 16. quæst. 7.
Regula siue culpa de regul. Iur. in 6. vt in ter-
minis tradunt Clar. §. *Fornicatio, vers. Sed*
pœnæ, Gaspar. Anton. *quæstion. forensium*
lib. 1. quæst. 14. num. 8. Carthar. *d. decis. 90.*
à num. 7. vsque ad 31. Ansald. *de iurisdictione*
par. 4. tit. 2. cap. 3. num. 8.

In dubio autem, an bona fide Polyga-
mus contraxerit, est cognitio solius In-
18 quisitoris, vel Iudicis Ecclesiastici, Freitas
ad Acunham *loco supra citato*, Moura *de*
Ensalmis sect. 1. cap. 1. num. 14. sicuti etiam
an id fecerit ex concupiscentia carnis, aut
ex alio motiuo, huius probatio, & exa-
men ad nullum alium Iudicem pertinet,
nisi ad Inquisitores, Thomas Hurtado
resolut. moral. tom. 1. tract. 5. resolut. 4.
num. 37.

Idem Farinacc. *in appendice ad quæst. 140.*
de mente Roias dicit, quod licèt commu-
19 niter teneatur, cognitionem huiusmodi
criminis esse mixti fori, hodie tamen ad
solos Inquisitores dicta cognitio pertinet
per Extrauagan. Clementis Sexti ab Al-
bertin. *dicto tract. quæst. 23. num. 75.* Sed
errant Roias, & Farinaccius, quia Consti-
tutio illa relata ab Albertino non est Cle-
mentis Sexti, sed Clementis Septimi, &
non loquitur de delicto Polygamiæ, sed
de vitio nefando.

Didacus Cantera *quæstionum crimin. tit.*
de adulterio quæst. 4. num. 29. vers. Sed quod,
20 ait, quod si vtrumque matrimonium non
valeret, quia erat consanguineus cum vna,
& affinis cum altera, videtur, quod etiam
de iure punitur pœna ordinaria, quia iam
fecit, quod in eo fuit argumento Textus
in cap. Nuper de Bigamis, sed certè de hoc
dubito, & hoc casu possent saluari Iudices
seculares cognoscentes de binis nuptijs,
quamuis ego semper tenuerim contra-
rium, videlicet, quod Iudices seculares
non possunt congnoscere de illo, qui bis
contraxit matrimonium, nam semper de-
bent cognoscere ad punitionem, an bis
contraxerit, vel non, & sic incidenter de-
bent tractare de matrimonio, licèt non
tractent de vinculo matrimonij, quod
totum prohibitum est laicis.

Moura *de Ensalmis sect. 3. cap. 3. num. 8.*
postquam recensuit aliquos Auctores,
21 qui dicunt huiusmodi delictum esse mix-
ti fori allegat Farinaccium *in praxi quæst. 8.*
num. 127. & dicit ibi optimè, quod non-
nisi ad Iudicem Ecclesiasticum priuatiuè
spectabit, poteritque esse mixti fori in
terminis, de quibus Salzedo, vbi qualitas
suspicionis non adest, puta, quia iam appa-
ret, quod id fuerit factum potiùs ex con-
cupiscentia, quam quod malè senttiat de
fide: Tu verò adde prædictum examen
pertinere priuatiuè ad Inquisitorem:

Sed meliùs omnium hanc opinionem
tenuit Inquisitor Trasmiera *in peculiari*
tract. de Polygamia lib. 2. quæst. 2. vbi latissi-
mè respondet omnibus contrarijs, & Tras-
mieram sequuntur Carena *par. 2. titul. 5.*
num. 20. qui etiam respondet ad contra-
ria, Bordonus *in Tribun. cap. 22. num. 63.*
Salelles *cap. 20. reg. 149. num. 104.*

Et hæc opinio habet locum, siue Poly-
gamus contraxerit clam, seu palam, quasi
22 ille, qui clam contraxerit potiùs dolosè,
quàm ex praua voluntate videatur con-
traxisse; Nam huiusmodi distinctio refel-
litur à citatis per Carthar. *decis. 90. nu. 22.*
& per Salelles *loco cit. num. 107.*

Iudices verò laici suam prætensionem
fundant in eo, quod tale delictum puniatur
per leges Ciuiles, nempe per *l. Eum qui duas*
C. ad l. Iuliam de adulter. vbi qui duas simul
23 habet vxores non solùm notatur infamia,
sed pœna stupri tenetur, quam legem ho-
nestam appellant, Addentes *ad cons. 165.*
Alexandri *volum. 7.* tametsi lata sit à duo-
bus impijs Ethnicis Imperatoribus, patre,
& filio, videlicet Valeriano, & Gallieno,
qui Religionem Christianam, & fidem
Catholicam persecuti sunt, quare iudicio
Diuino puniti fuerunt, & sic propter hanc
legem dixerunt delictum Polygamiæ esse
mixti fori, Anchar. *in cap. Eam, quæ de*
reg. Iur. in 6. Barbat. *in cap. Cum sit generale*
num. 226. de foro compet. & ex his Decian.
tract. crimin. to. 1. lib. 4. cap. 26. num. 7. vers.
Septima conclusio, & post eum Caballus
cas. 98. num. 3.

Sed hæc ratio nullius est momenti, quia
etiam per leges Ciuiles punitur delictum
hæresis, puniuntur blasphemiarum, & sor-
24 tilegiorum delicta, & tamen, quãdo in his
delictis adest suspicio hæresis, veluti quan-
do blasphemiæ sunt hæreticales, vel sor-
tilegia hæreticalia, perdunt naturam mix-
ti fori, & ad Iudicem Ecclesiasticum pri-
uatiuè quoad laicum pertinent, vt *supra*
fuit dictum, & notant Albertin. *de agnos-*
cend. quæst. 22. num. 63. Simanch. Roias, &
alij allegati ab Alberghino *in Man. cap. 16.*
num. 13. & à Carthario *decis. 35. num. 1.*

Secundò dicunt, quod etsi ad Iudices
Ecclesiasticos, & fidei Quæsitores spectet
25 in hoc delicto aliqua iurisdictio, eis spe-
ctat

ſtat dumtaxat, vt intelligant, vtrum Reus malè ſentiat de Sacramento matrimonij, an non,& hoc vbi perceperint functi ſunt eorum officio; Nam ſi conſtiterit, Reum in fide non aberraſſe, neque vnquam credidiſſe, licere ſimul duas habere vxores, videtur quidem, quod Inquiſitores vltra procedere nequeant, & hanc opinionem tenent Belluga *in ſpeculo Principum rubr.* 11. §. *viſo num.* 9. *&* 10. Regens à Ponte *in ſuo tractatu manuſcripto* ſuper hac controuerſia occaſione differentiæ ortæ tempore Clementis Octaui inter Curiam Archiepiſcopalem Neapolis, & Regios Miniſtros; Nam quidam Polygamus præmiſſa publica abiuratione in Eccleſia Metropolitana dictæ Ciuitatis, fuit ad triremes tranſmiſſus, quod ęgrè tulerunt Miniſtri Regij,vt infra videbimus, idem tenet Simancha *de Cathol. tit.* 4. *de Matrimonio*, Genuen. *in prax. Neapolit. cap. mihi* 68. *num.* 13. qui tamen cum diſtinctione loquitur, nempe ſi præuentus ſit Polygamus à Curia ſeculari, tunc remittitur ad Eccleſiaſticum, vt torqueat ipſum ſuper intentione, & abiurare faciat; deinde poſt hæc debeat illum remittere ad Curiam ſecularem, vt ipſum puniat; Si autem præueniat Curia Eccleſiaſtica in totum puniatur ab ipſa, neque amplius ſeculares ſe intromittant; Et ità dicit ſcriptum fuiſſe à Sacra Congregatione Supremæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis; Sed horum Doctorum opinio nec vera eſt, nec in praxi ſeruatur; Non vera, quia Eccleſia non ſolùm habet Ius purgandi hæreſis ſuſpicionem per torturam, ſed purgata hæreſi poteſt hos Reos punire pœnis temporalibus, vt voluit Abbas *in cap. Cum haberet num.* 2. *de eo, qui duxit*; Sicur purgata hæreſis ſuſpicione punit ſortilegos, & blaſphemos hæreticales.

Purgata enim per torturam hæreſis ſuſpicione, adhuc remanet in foro Eccleſiaſtico cum Polygamo agendum, nam ei
26 indicitur abiuratio de vehementi iuxta praxim Sancti Officij Italiæ, quia etſi per torturam purgata ſit in Polygamo mala intentio quoad Iudicem, ſi catholicè reſpondeat, debet nihilominus Polygamus etiam ſe purgare coram populo,apud quem redditus eſt ſuſpectus ob factum hæreticale ab eo commiſſum, ſaltem materialiter,vt tollatur ſcandalum ei illatum, & eo modo verus Catholicus agnoſcatur, Repertor. Inquiſit. *in verb. Abiuratio, verſ. Item*, Rota *deciſ.* 51. *num.* 5. *poſt ſecundum volum. conſ. Farinaccij*.

Et hanc Simancæ opinionem reprobat in ſpecie Traſmiera *de Polygam. libro* 2. *quaſt.* 12. *num.* 12. ſed audiamus in hac materia doctiſſimum Molinam in quodam eius *tract. M. S. de correpr. Iudic.* relat. à Moura *de Enſalmis ſect.* 3. *cap.* 1. *num.* 54. cuius verba ſunt infraſcripta:

Errant ergo Ordinationes huius Regni lib. 5. tit. 2. §. 2. *dum dicunt cognoſcere de crimine Apoſtaſia à fide, & punire tale crimen pertinere ad poteſtatem ſecularem, & reddunt rationem, quia Eccleſia non habet niſi cognoſcere, vtrum talis erret in fide, quaſi cognoſcere de crimine hæreſis ex eo ſolùm pertineat ad Eccleſiam, quod ad ipſam ſolùm pertineat declarare, vtrum aliquis erret in fide, quia ergo ad Eccleſiam pertinet non ſolùm declarare, quis ſit error in fide, ſed etiam punire crimen, quo quis culpabiliter errat in fide, eo quod ſit contra Eccleſiam directè, & contra ea, quæ ſunt Eccleſiaſtica, non verò contra Rempublicam temporalem, qua talis eſt, & ob id ſit cauſa purè Eccleſiaſtica, fit, vt cum id non minùs cernatur in crimine Apoſtaſia à fide, quàm in quocunque alio errore in fide, non minùs ad Eccleſiam ſolùm pertineat punire tales Apoſtatas,& cognoſcere de cauſis eorum, quàm punire quoſcunque alios hæreticos,& de cauſis ipſorum cognoſcere; Quo ſit, vt Iudices ſeculares ante ſententiam declaratoriam, & condemnatoriam de crimine intromittere ſe non debeant, quia illa pertinet ad ſuperiùs Tribunal Eccleſiæ.*

Quod autem aſſerit Genuen. *loco citato* Sacram Congregationem iuxta hanc opinionem reſcripſiſſe, ſcio ego plurics, & Archiepiſcopo Neapolitano, & Nuncio Apoſtolico,& Miniſtro Sancti Officij Neapoli degentibus contrarium ſcripſiſſe, & mandaſſe, vt omninò ſibi curarent remitti Polygamos à Iudicibus ſecularibus carceratos, & ità obſeruatum fuiſſe, vt videbimus *infra*.

Fundant pariter ſuam prætenſionem Miniſtri laici in diſpoſitione Concilij Tridentini *cap.* 7. *ſeſſ.* 24. *de reform. Matrim.* vbi habentur hæc verba.

27 *Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent Sedes, & vt improbi ſunt ingenij prima vxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa viuente, diuerſis in locis ducunt; Cui malo cupiens ſancta Synodus occurrere,omnes,ad quos ſpectat paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facilè recipiant, & Magiſtratus etiam ſeculares hortatur, vt eos ſeuerè coerceant.*

Sed reſpondetur, ex hoc Textu Concilij non inferri, quod ſit laicis attributa facultas cognoſcendi cauſas Polygamiæ, ſed ſancta Synodus Magiſtratus laicos hor-
28 tatur, vt vagos, & Polygamos ſeuerè coerceant modo eis licito, hoc eſt in vinculis conijciendo, & ad Eccleſiaſticum Iudicem remittendo, vel ad inſtantiam eiuſdem Iudicis Eccleſiaſtici per Brachij ſecularis auxilium.

Vox enim illa,*coerceant*, ex ſubiecta materia interpretari debet pro auctoritate,auxilio,& fauore,quem ſeculares Iudices Eccleſiaſtico exequenti impēdunt argumento

Textus *in cap.* 1. 62. *distinct. & in cap. Sicut 2. quæst.* 7. *l. Thais.* §. *Lucius, ff. de fideicommiss. libert.* vt in terminis dicit Molin. *de Brach. secular. Eccles. præstan. cap.* 8. *num.* 11.

Est enim valdè inuerisimile sapientissimos Patres, qui Hæreseos notauerant, & anathematizauerant eos, qui secundam vxorem viuente prima ducere sibi licere asseuerant, vt habetur *in can.* 2. *sess.* 24. *de reform. Matrim.* voluisse tribuere iurisdictionem laicis in causa, vel hæresis, vel suspicionis illius, quæ nonnisi ab Ecclesiastico Iudice cognosci potest.

29 Nituntur etiam Iudices laici auctoritate Abbatis *in cap.* 1. *per illum Textum, de offic. Ordinarij, & in cap. Quàm sit generale nu.* 23. *de foro compet. & in cap. Cum haberet, de eo, qui duxit.*

Sed nec ille Textus *in cap.* 1. nec auctoritates Abbatis faciunt ad rem; Loquuntur enim de delicto simplicis adulterij, cuius cognitio absque dubio est mixti fori, quando non agitur de validitate, vel inualiditate matrimonij.

30 Denique fundant laici suam prætensionem super asserta consuetudine, & quasi possessione cognoscendi huiusmodi causas, vt testantur in Regno Neapolitano, Grammat. *voto* 17. Farinace. *decis.* 36.

Sed respondetur, hanc consuetudinem esse potiùs abusum, quàm consuetudinem,

31 vt dicit Carena *par.* 2. *tit.* 5. §. 3. *in fine:* Nam vbi est incapacitas in Iudice, consuetudo nihil operatur, Rota *decis.* 3. & 10. *de consuetud. in antiquis,* & alias sæpe: Quoverò ad quasi possessionem dicimus non fuisse pacificam, cum semper Iudices Ecclesiastici restiterint, & si quid Iudices laici in hac materia operati sunt, violenter, & de facto egerunt.

Hinc propterea, quia compertum est, præsertim post modernas hæreses non dari

32 Polygamiam, quæ saltem non habeat in se hæresis suspicionem, vt post Farinaccium *loco superiùs citato* defendit Carena *d. tit.* 5. §. 4. 5. 6. & 7. cessatum est ab huiusmodi consuetudine; tam in Hispania, vt testantur Simancha, Azeuedo, Cantera, Narbona, & Sousa *loco citato,* Trasmiera *dicto lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 13. quàm in Italia: Nam in Statibus Mediolani, & Pedemontium, in quibus aliàs Iudices seculares de huiusmodi delicto cognoscebant, vt videre est apud Boss. *in prax. tit. de coitu damnato num.* 7. Clar. §. *Fornicatio num.* 20. Gaspar. Anton. Thes. *quæst.* 14. *lib.* 1. amplius de eo non cognoscunt, sed Inquisitores cum Episcopo, vel Episcopus cum Inquisitore, sicuti tempore mei Assessoratus vidi obseruatum in illis Regionibus.

Hęc sunt quę scripsi, dum eram Assessor pro tuenda iurisdictione Ecclesiastica, & Sancti Officij; sed postquam assumptus fui ad Cardinalatum, deuenerunt ad manus meas quædam manuscripta bo. me. Peniæ, inter quæ aliam allegationem inueni in hac materia, quam hic inserere decreui.

De Bigamis, seu Polygamis, & de eorum legitimis Iudicibus, & pœnis.

§. 1.

33 Quia (seclusa dispensatione Diuina) Bigamia, & Polygamia est omni iure prohibita, ex quo matrimonium est coniunctio vnius maris, & fœminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, ideo in specie à diuersis legibus tanquam adulterina reperitur prohibita, & punita 34. *quæst.* 1. & 2. *cap.* 1. 2. & 3. *cap. In præsentia de sponsal. cap. Dominus, de secundis nuptijs, cap. Gaudemus de diuortio, l. Nemo Iudæorum, C. de Iudæis* Leo Imperator *Nouella* 91. *l.* 1. *C. de Concubin.* Constantinus Herminopol. *lib.* 4. *tit.* 7. Quoniam autem Polygamia omni iure prohibita est, ideo ne quis incurrat in pœnas contra Polygamos constitutas iure Canonico, & Ciuili prouisum est, ne quis secundas nuptias contrahat, nisi præcedente probatione, de morte primi coniugis, *cap. Dominus, de secundis nuptijs Auth. Hodie C. de Repud.*

Est autem Polygamia plurium vxorum viuentium retentio, vt cum quis vna viuente, aliam, vel alias vxores ducit, aut vna mulier viuente viro vno, alio, vel alijs nubit.

Bigamia, seu Polygamia an sit crimen seculare, vel Ecclesiasticum, vel mixti fori.

§. 2.

Perplexa quæstio quibusdam esse videtur, quale crimen sit Polygamia, an se-

34 culare, vel merè Ecclesiasticum, vel mixti fori, magis autem perplexam, & ancipitem reddiderunt curiosæ mentis quorundam disputationes, qui dum sibi fortassis indulgent, nihil tantum est clarum, quod non arbitrentur in dubium reuocandum, in quorum numero non immeritò referri posset, Arnald. Albertin. *de agnoscendis assertionibus quæst.* 23.

Qui putant Polygamiam seculare crimen esse, legibus Ciuilibus potissimùm vtuntur, quibus acriter puniuntur, qui simul duas vxores habent, *l. eam, qui duas, C. ad l. Iuliam de adulter.* vbi constitutum est, habentes duas vxores infames fieri, & datum pro matrimonio putatiuo repeti, & promissum non peti; adduntque Text. *in l. Miles, §. Mulier, ff. ad l. Iuliam de Adulter.*

vbi vendicatur in eam, quæ secundo nupsit, non expectata certa probatione de morte mariti absentis.

Qui Ecclesiasticum crimen arbitrantur, sacris Canonibus vtuntur, quibus & Polygamia prohibetur, & punitur, *cap. Dominus, de secundis nuptijs, cap. Gaudemus, de diuortio, cap. in præsentia de sponsalibus*.

Alij animaduertentes, & iure Canonico, & iure Ciuili Polygamiam coerceri, & in vtroque foro contra huiusmodi Polygamos tanquam contra Adulteros iudicium exerceri, Polygamiæ delictum esse mixti fori dixerunt, Abbas *in cap. 1. num. 6. & seq. de offic. Ordinarij*, idem *in cap. Cum haberet, de eo, qui duxit in matrimon.* Conuar. *in epitome lib. 4. par. 2. cap. 7. §. 3. num. 7.* quos refert Ignatius Lopez *in comment. ad pract. crimin. canonic.* Bernardini Diaz *super cap. 80. vers. Receptum tamen est*.

Isti tamen de adulterio loquuntur, quod mixti fori esse arbitrantur, sed magis in specie pro hac opinione, quod Polygamia sit mixti fori faciunt, quos allegat Arnal. Albertin. *d. quæst. 23.*

Qui sint legitimi Iudices in causis Polygamiæ.

§. 3.

Qui Polygamiam fori secularis esse contendunt, legibus Ciuilibus vtuntur, quas cum asseuerent per sacros Canones non esse correctas, obseruandas tenaciter in suis foris secularibus putant, & consequenter se legitimos Iudices super hoc delicto constituunt, adduntque in aliquibus Regnis introductam consuetudinem, vt non alij, quàm Iudices seculares de Bigamis, aut Polygamis cognoscant, idque pro viribus contra quoscunque Iudices defendunt.

Regulariter Iudices seculares, cum sacros Canones tam apertè, & clarè de Bigamia, & Bigamis loquentes negare non audeant, libenter amplectuntur sententiam dicentem, hoc crimen esse mixti fori, & consequenter esse locum præuentioni, vt ille procedat, cui priùs innotuit, aut cui priùs crimen denunciatum fuit: Itaque si Episcopus præuenerit, de crimine iudicialiter cognoscat, & Bigamum iuxta sacros Canones puniat, quod Iudex secularis, id ipse iuxta suas leges præstabit; & hæc sententia multo tempore retenta est.

Cæterum labentibus seculis Romani Pontifices prudenter animaduertentes matrimonium non tantùm vt contractum ciuilem (vt à legibus Ciuilibus fuerat consideratum) sed potissimùm tanquam Sacramentum esse considerandum, diuinitùs constituerunt, vt Bigami tanquam de hoc Sacramento malè sentientes, à Iudicibus Ecclesiasticis iudicentur, interrogarenturque, quid de hoc Sacramento sentirent; Nam Lucius Tertius *circa annum Domini* 1183. de hac re legem tulit, quam habemus *in cap. Ad abolendam, de Hæreticis*, qua constituit, vt vniuersi, qui de Eucharistia, de Baptismo, vel de Confessione, vel de Matrimonio, vel de reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentirent, aut docerent, quàm Romana prædicat, & obseruat Ecclesia, ab Episcopis locorum Hæretici iudicarentur, & anathemate percuterentur, & nisi parerent, iuris ordine seruato tam Clerici, quàm laici Curiæ etiam seculari vltimo supplicio feriendi traderentur, quæ cum à Iudicibus secularibus præstari non possint, cum istius iurisdictionis sint incapaces, consequenter est, vt ad solos Iudices Ecclesiasticos cognitio Polygamiæ pertineat, vt paulò post probabimus.

De Episcopis locorum minor, aut nulla est dubitatio, quia sacri Canones apertissimè hanc illis tribuunt iurisdictionem, & Textus *in dicto cap. Ad abolendam*, tam est apertus, & clarus, vt nullam probabilem recipiat dubitationem.

Sed quoniam inter Iudices seculares, & & Episcopos vna opinio proximè relata affirmat locum esse præuentioni, & hoc iure multi vtuntur de Inquisitoribus Hæreticæ prauitatis, quæsitum est, an & ipsi de Polygamia verè cognoscere possint; Et circa eos probabilis dubitatio ex duobus potissimum fundamentis oriri poterat.

Primò, quia Lucius Tertius *in dicto cap. Ad abolendam*, nullam de Inquisitoribus mentionem facit.

Secundò quia Inquisitores hæreticæ prauitatis non possunt cognoscere nisi de hæresi, vel de delictis manifestè hæresim sapientibus, *cap. Accusatus, §. Sanè* vbi Gloss. *in ver. Saperent*, & ibi communiter Canonistæ *de Hæret. in 6.* vnde cum Bigami non videantur Hæretici, nec Polygamiæ delictum hæresim sapiat, manifestè eius cognitio ad Inquisitores hæreticæ prauitatis non pertinebit.

Et quoniam per ista, & alia leuiora argumenta, qui non aliter sapiunt, & iudicant, quam sapere, & iudicare oporteat, hic articulus diligenter discutiendus est, vt in casu tanti momenti veritas intelligatur, & iuxta Regulas veritatis in foro, vbi has causas tractari oportet, illæ iudicentur, & definiantur.

An Inquisitores hæreticæ prauitatis sint legitimi Iudices in causa Polygamiæ.

§. 4.

36 Primò, Inquisitores posse procedere contra huiusmodi Bigamos communis est Canonistarum in omni Orbe Christiano sententia, qui secuti Lapum ante tercentos ferè annos id asserentem, ità pronunciarunt.

Et ratio est, quia, qui viuente prima ducit secundam vxorem, malè videtur sentire de Sacramento Matrimonij, de cuius substantia est, vt cum vna retineatur indiuiduæ vitæ societas, Lapus Abbas *in cap. Accusatus num. 3. vers. Numquid si quis contrahat, de Hæret. in 6.* vbi refert ità fuisse resolutum, & benè.

Geminianus *in eodem cap. §. Sanè num. 7. vers. Sed quid, si quis contrahat.*

Philippus Francus *in eodem cap. Accusatus in princip. num. 3.* vbi dicit, posse procedi contra talem delinquentem tanquam Hæreticum.

Felinus *in cap. Ad abolendam num. 1. vers. Et idem dicas de contrahente, de Hæret.* vbi dicit, talem delinquentem esse suspectum de hæresi.

Menoch. *de Arbitrar. cas. 420. num. 110.* vbi ait, talem delinquentem puniri tanquam suspectum de hæresi, idem Menoch. *præsumpt. 6. num. 37. lib. 5.*

Camillus Campeggius *in addit. Zanchin. cap. 35. vers. Idem quoque dicit.*

Vmbertus Locatus *in Iudiciali Inquisit. ver. Hæresis num. 22. vers. Hinc est, quod si quis contrahet.*

Maiolus *de Irregularitate lib. 1. cap. 33. num. 11.*

Decian. *in prax. lib. 5. cap. 22. num. 41.*

Franciscus Squillacen. *de fide Cathol. cap. 15. num. 2.*

Gundisaluus de Villadiego olim Rotæ Auditor *insignis tract. de Hæret. quæst. 9. nu. 5.* qui licet distinxerit, an palam, vel clam contraxerit, tamen, vt paulo post dicetur indistinctè hæc sententia vera est.

Petrus Belluga *in Speculo Principum rubr. 11. §. Viso num. 9. & 10. vers. Et pari ratione*, vbi licet dixisset non posse procedi contra talem tanquam contra Hæreticum, fatetur tamen, quod stante dubio potest Inquisitor inquirere ad sciendum, qualiter sentiat Bigamus de Sacramento Matrimonij, & eum inuentum Hæreticum tanquam talem punire; aliàs licet (inquit Auctor ille) delinquat, & sit per suum Iudicem puniendus, non est tamen vt Hæreticus iudicandus.

Palatius Rubeus *in repetit. cap. Per vestras, de donation. inter virum, & vxorem, §. 18. num. 25.* vbi ait contra hos Bigamos præsumi de hæresi.

Alphonsus de Castro *lib. 1. cap. 1. de iusta Hæret. punit. paulò post medium, vers. Et idem censeo dicendum.*

Arnaldus Albertinus *tract. de agnoscend. quæst. 23.* vbi latè de hoc disputat, & *nu. 90.* concludit, contrahentes binas nuptias suspicionem hæresis incurrere.

Repertorium Inquisitorum *in ver. Contrahens*, vbi affirmat, posse Inquisitores procedere contra talem contrahentem, tanquam contra malè sentientem de Sacramento; & *in ver. Hæreticus, in princip. vers. Item Hæreticus est ille.*

Simanch. *de Catholicis tit. 40. de matrim. num. 2.*

Couuarr. *in Epitome lib. 4. decret. par. 2. cap. 7. §. 3. num. 6. vers. Suspectus de hæresi censendus est.*

Roias *de Hæreticis par. 1. num. 540. & sequ.*

Gregorius Lopez *par. 7. tit. 17. l. fin. in Glossa super ver. Mandamus in fine, vers. An autem Inquisitores*, qui cum simpliciter referat Lapum, Dominicum, Villadieg. & Couuarr. cum illis quoque sentire videtur, licet cum Villadiego distinguat inter contrahentem palam, vel clam.

Didacus Perez *l. 5. Ordinat. tit. 1. lib. 3.* super illis verbis, *que son casadas, vers. Potest etiam inquiri contra talem contrahentem pagina 44.*

Ioannes Matienzo *l. 5. nouæ recopill. tit. 1. l. 5. glos. 2. num. 3. & 4.*

Ioannes Guttierez *pract. quæstion. lib. 2. quæst. 8. num. 1. vers. Nihilominus tamen Inquisitores*: licet iste Auctor, & aliquot alij tanquam parum versati in foro Inquisitorum quædam dicant, & à veritate aliena, & à recepto stylo Sacri Tribunalis diuersa.

Ignatius Lopez de Salzedo ad Bernardum Diaz *in cap. 80. versic. Nec illud hoc loco.*

Azeued. *to. 3. lib. 5. tit. 1. l. 5. n. 3.* super *verb. Non temiendo*, vbi dicit, Hæreticos esse censendos; & concludit ipsos Inquisitores cognoscere.

Alphonsus à Vera-cruz *in Spec. coniugat. tit. 42. de impedimento ligaminis circa finem, vers. de pœna illius*, vbi ait, suspectos esse de hæresi.

Henriquez *in Summa lib. 12. de impedim. matrimon. lib. 2. cap. 6. num. 4.* vbi ait, suspectum esse de fide, quasi malè sentiat de Sacramento, aut quasi duret dispensatio plurium vxorum, quæ fuit ante Euangelij promulgationem.

Pena ad Director. Inquisitor. *par. 2. comm. 81. super quæst. 56. vers. de eo, qui viuente prima vxore.*

Summa Rosella *ver. Hæreticus num. 6.*

verſic. Quod ſi aliquis.

Rebuffus *ſuper concordatis tit. de publicis Concubinarijs*, §. *Et cum omnes*, *verſic. Imò etiam*.

Conradus Brunus *lib. 1. de Hæret. cap. 2. num. 4. verſ. Qui autem duas ſimul vxores*.

Choueronius *de publicis Concubinarijs*, *tit. Mouemus omnes laicos num. 4. verſ. Prædictis addite*.

Omnes ſupradicti Doctores, & aliqui alij, qui breuitatis gratia omittuntur ad hanc ſententiam aſſerendam mouentur hac firma, & valida ratione ſupra breuiter indicata, quia qui viuente prima ducit aliam, vel alias, directè peccat contra Matrimonium, quod eſt vnum de Eccleſiæ Sacramentis, de cuius ſubſtantia eſt, vt vnus vnam vxorem, & vna vnum maritum in indiuidua matrimonij ſocietate habeat, & qui verbo contrarium doceret, tanquam Hæreticus poſſet puniri, *cap. Ad abolendam, de Hæret.* magis autem eſt facto ipſo demonſtrare ſe ità ſentire, quia plus eſt facto, quàm verbo agere, *cap. Delicti, il 2.* vbi Gloſs. *in ver. Facto prouocare*, *de appell. l. Si tamen*, §. *Ei qui*, *ff. de ædilit. edict.* Albertin. *de agnoſcend. quæſt. 8. num. 12. & quæſt. 34. num. 53. & quæſt. 36.* Pena ad Director. *par. 2. comm. 75. ſuper quæſt. 50. verſ. Magis ſtandum eſt facto*.

Et ſic rectè Palatius Rubeus *præcitato loco*, & Albertin. *quæſt. 23. num. 90.* & aliquot alij ad hoc propoſitum allegant Textum *in cap. Ad abolendam*, vbi Pontificiæ deciſioni quid reſponderi poſſit non video. Nec refert, quod Textus *in dicto cap. Ad abolendam*, non dirigatur ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis, ſed ad Epiſcopos locorum, quia reſpondetur id contigiſſe, quia tempore Lucij Tertij nondùm erant inſtituti Apoſtolici Inquiſitores, qui ex delegata poteſtate procederent contra Hæreticos, & de hæreſi ſuſpectos.

Superuenerunt poſtmodum Apoſtolicæ Conſtitutiones *in cap. Accuſatus*, & *in cap. Vt Inquiſitionis*, §. *Prohibemus*, *de Hæreticis in 6.* & aliquot aliæ relatæ inter litteras Apoſtolicas Directorij Inquiſitorum, quibus cautum fuit, vt Inquiſitores generaliter procederent contra Hæreticos, & ſuſpectos de hæreſi, quales ſunt Polygami, ex quorum facto Polygamiæ eo ipſo oritur hæreſis, vel hæreſis ſuſpicio.

Illa enim qualitas, quæ oritur ex facto Polygamiæ facit illud eſſe fori Eccleſiaſtici, itaut ad Indices Eccleſiaſticos omnino pertinere debeat, vt prudenter Albertinus indicauit *dicta quæſt. 23. num. 74.* & paulò poſt concludenter probabitur.

37 Itaque Epiſcopi in ſuis Diœceſibus tanquam Iudices Ordinarij in cauſis fidei contra Polygamos inquirent, interrogabunt, & punient iuxta pœnas à ſacris Canonibus inductas, quos ſi Hæreticos formales deprehenderent, quia verbi gratia tenent, aut opinantur cum Mahometanis, licitum eſſe ſimul plures habere vxores, & ad Catholicam fidem redire voluerint, poſtquam de formali abiurauerint, recipientur ad Eccleſiæ gremium, ſi autem errorem mentis confeſſi non fuerint, iuxta qualitatem ſuſpicionis abiurabunt.

Supradicta ſententia veriſſima eſt, & nedùm iure Pontificio benè munita, ſed recepto ſtylo Supremi Tribunalis Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis Romanæ comprobata: Nam huiuſmodi Polygami etiam ſponte comparentes, regulariter abiurant de vehementi ſuſpicionem illam, quæ ex ipſo facto Polygamiæ oritur contra delinquentem, tanquam peccantem contra vnum de Sacramentis Eccleſiæ, & malè de illo ſentientem.

Procedit etiam eadem ſententia, ſiue clam, ſiue publicè quis ſcienter binas nuptias contrahat, reiecta opinione contrarium ſentientium, quæ planè ratione caret, cum plerumque fiat, vt vehementi ſuſpicione laboret, qui clanculum talia committit, nam qui malè agit, odit lucem, & ſic veriùs voluerunt, Simanch. *de Cathol. tit. 4. de matrimon. num. 9.* & Roias *loco cit. num. 541.* Salzedo ad Diaz *cap. 80. verſ. Nec illud hoc loco*.

Præterea eadem ſententia locum habet, nedùm contra Clericos, vel Religioſos, qui duas, vel plures vxores ſimul ducere de facto tentarent, quàm etiam contra laicos: Nam omnes ſupradicti Doctores de laicis binas nuptias contrahentibus loquuntur, & Textus *in dicto cap. Ad abolendam*, dùm contra vniuerſos de Sacramentis Eccleſiæ, & in ſpecie de matrimonio malè docentes, vel ſentientes, pœnas conſtituit, laicos proculdubio comprehendit, & hæc ſententia communis eſt, & veriſſima, non habens contradictorem, vt loco proximè citato affirmauit Lopez de Salzedo.

38 Ex prædictis infertur, minùs verè dixiſſe Simanch. *de Cathol. dicto tit. 40. nu. 2.* in Hiſpania Inquiſitores ſæpè ſolere cognoſcere de Polygamia; *& num. 3.* vſque eò duntaxat cognoſcere poſſe, vti planè intelligant, vtrum Reus malè ſentiat de Sacramento matrimonij, vel non, quod vbi peregerint, functi ſunt officio ſuo; & Simancham ſequuti ſunt Gutierez *pract. quæſtion. lib. 2. quæſt. 8. num. 1. & 2.* & Marienzo *lib. 5. nouæ recopillat. tit. 1. gloſs. 2. num. 3. & 4.* ſimiliter videri allucinatos, quoniam eo ipſo, quod quis contrahit binas nuptias, præſumitur Hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus: Ex illo enim facto oritur iſta qualitas hæreticæ prauitatis,

vel suspicionis hæresis.

Exempla verò, quæ ab istis Doctoribus connumerantur aliena videntur ab hac facti specie, nempe de ea muliere, quæ propter longam mariti absentiam credidit probati viri testimonio super morte mariti,& sic secundo nupsit,& similibus,quæ minus probabilem habent dubitationem.

An Episcopi, & Inquisitores hereticæ prauitatis in Prouincijs, & Ciuitatibus, in quibus exercent Officium Inquisitionis, habeant iurisdictionem contra laicos Bigamos priuatiuam quoad Iudices seculares.

§. 5.

Potissimum fundamentum, quo vtuntur seculares ad vindicandam sibi in laicos Polygamos iurisdictionem, consistit in eo, quod vel non est ipsis in specie interdictum per sacros Canones procedere contra Polygamos,vel Polygamia est mixti fori.

Sed re maturè considerata contrarium est pro veritate respondendum ex infrascriptis rationibus viuis quidem, & efficacibus.

39 Prima est, Iudices Ecclesiastici, verbi gratia Episcopi in suis Diœcesibus, & Inquisitores in eorum Prouincijs super crimine hæresis iurisdictionem habent in laicos priuatiuam quoad alios Iudices, Textus est *in cap. Vt Inquisitionis, §. Prohibemus, de Hæret. in 6.* quod in Regno Neapolitano affirmat Io: Franciscus à Ponte *consl. 73. incipien. Tota vis præsentis causæ num.18.* vbi allegat prædictum Textum, & Oldrad. *consl.86. incip. Quæritur an Ecclesia,* dicens in criminibus Ecclesiasticis posse Ecclesiam punire laicum, & eum capere.

40 Sed laicus, qui aliter docet de Eucharistia, Matrimonio, vel alijs Ecclesiæ Sacramentis, quam Romana tenet Ecclesia, potest esse formalis Hæreticus, vt præsupponit Textus *in d. cap. Ad abolendam*, nam propterea potest tradi Brachio seculari vltimo supplicio plectendus, ergo Iudices Ecclesiastici in casu Polygamiæ habent iurisdictionem in laicos Polygamos priuatiuè quoad omnes Iudices seculares.

Nec dicatur, quod ex facto Polygamiæ non oritur semper formalis hæresis, sed suspicio tantùm, quæ interdum solet esse leuis, interdum verò nulla, iuxta sententiam Simancæ, Guttierez, & Io: de Matienzo *in locis citatis.*

41 Quia respondetur, quod inquirere, an Polygamus sit formalis Hæreticus, vel de hæresi suspectus, & qua suspicione laboret, ad Iudices Ecclesiasticos proprio iure pertinet, & consequenter non potest se intromittere Iudex secularis directè, vel indirectè, *vt in dicto cap. Vt Inquisitionis, §.Prohibemus, de Hæret. in 6.*

Et quamuis ex facto Polygamiæ non oriatur nisi suspicio hæresis, adhuc, de ea non possunt cognoscere Iudices seculares, quia saltem indirectè intromitterent se in causa pertinente ad fidem, quod est illis expressè prohibitum *in dicto §. Prohibemus.*

42 Secunda ratio est viua quidem, & irrefragabilis deducta ex materia iurisdictionis, pro qua tantopere solet hoc sæculo contra Ecclesiam certari.

Quotiescunque in aliquo casu, vel delicto venit imponenda, vel potest imponi aliqua pœna delicto debita, quam non potest exercere, neque imponere Iudex, qui prætendit habere iurisdictionem super illo casu, vel delicto, tunc iurisdictio priuatiua quoad Iudicem, qui non potest imponere illam pœnam, non obstante quocunque priuilegio, vel consuetudine, pertinet ad illum Iudicem, qui potest imponere illam pœnam, Gloss. *in cap. Eum, & plantare, §.In Ecclesijs, in ver. Pleno Iure in fin. de Priuileg.* vbi Ancharan. & Zabarella *vers. Quæro tunc*, Anton. de Butrio *num.27.* idem Anton. de Butrio *consl.19. incipien. Quia hic agitur, num. 18.* Roman. *consl.375. incipien. In proposita quæstione,nu.1. vers. Nisi sit tale crimen*, Berous *in cap. 1. num. 26. de rebus Eccles. non alien.* Burgas *de Irregular. par. 6. de sentent. deposit. num. 26. fol.448.* vbi exemplificat in Abbatibus, & alijs Prælatis Episcopo inferioribus exemptis habentibus magnam, & quasi Episcopalem iurisdictionem, qui nihilominus non habent potestatem deponendi, nec cognoscunt, vt ait Berous de causis matrimonialibus, nec possunt ordinare, quamuis isti actus sint iurisdictionis.

Sed pro crimine Bigamiæ regulariter venit imponenda abiuratio, vel de hæresi formali, si Polygamus contra Sacramentum Matrimonij haberet errorem in intellectu, vel de vehementi propter suspicionem hæresis ex ipso facto ortam, vt definiuit Lucius Tertius *in d. cap. Ad abolendam*, quos actus non possunt exercere Iudices seculares ex defectu iurisdictionis, ergo Iudices Ecclesiastici, à quibus solis possunt ista Polygamis iniungi, habent priuatiuam iurisdictionem contra istos Polygamos quoad quoscunque alios laicos. Ista verò debent fieri à Iudicibus Ecclesiasticis propter periculum hæresis, antequam quoquomodo Iudices seculares in facto Polygamiæ sese intromittant, & propterea tenentur captos Polygamos Iudicibus Ecclesiasticis consignare, vt ipsi primum de fide, ac credulitate ipso-

rum inquirant, iuxta Decretum fel. rec. Pij Papæ Quinti, *incipien. Sanctissimus Dominus Noster*, §. *Reges verò*, *vers. Necnon Carceratos*, quod habetur inter Bullas Apostolicas pro Officio Sanctissimæ Inquisitionis.

De pœnis, quibus Polygami plecti solent.

§. 6.

43 Diuersis pœnis plecti solent Bigami, quas commemorat Abbas *in cap. Cum haberet num.3. de eo, qui duxit*, Albertin. *dicta quæst. 23. num. 76.* Simanch. *dicto num. 40. num. 6. & 7.* Lopez ad Diaz *dicto cap. 80. vers. Et Pœna.*

Romæ in foro Sanctæ, & Generalis Inquisitionis Bigamis spontè comparentibus, præter abiurationem aliæ pœnæ salutares imponuntur. Non spontè comparentes, præter abiurationem, ad triremes mittuntur, sed hæc non sunt huius speculationis.

Sæpè quæsitum fuit, an Bigamus iudicatus, & punitus in foro Ecclesiastico per Iudicem Ecclesiasticum, possit deindè puniri pœnis ciuilibus in foro seculari.

§. 7.

44 Quæstio est ardua, Antonius Gomez *to.3. variar. cap.1. concl.47.* pro affirmatiua allegat multos Doctores antiquos, Bald. *in l. Cunctos Populos num.44. C. de Sacrosanct. Eccles.* Gulielm. de Cuneo *in l. Placet nu.3. C. eodem tit.* qui loquitur in crimine Sacrilegij, & concludit, quod si laicus committat tale crimen, vtraque Curia poterit procedere, & Curia Ecclesiastica imponet pœnas secundùm Ecclesiasticas regulas, & Curia secularis imponet pœnas ciuiles, vt alijs transeat in exemplum, Alberic. *in l.2. §. Ex hoc Edicto, ff. de vi bonorum raptor.* vbi dicit, quod si Iudex Ecclesiasticus puniat laicum pro aliquo crimine Ecclesiastico, nihilominus Iudex secularis poterit eum punire saltem in eo, quod pœna secularis excederet Ecclesiasticas: Et alias, & signanter Panormitan. *in cap. Tuæ, de Procurat. num. 5.* vbi latè disputat quæstionem; *& vers. Sed in contrarium* concludit pro affirmatiua, pro qua allegat Textum, quem multum commendat *in cap. Felicis, de Pœnis in 6.* vbi postquam Bonifacius Octauus imposuisset grauissimas pœnas contra persequentes, percutientes, aut capientes Cardinales, *in fin. §. Per hoc*, adiungit hæc verba:

Per hoc quoque secularibus potestatibus non adimimus facultatem vtendi legibus contra tales, quas aduersus Sacrilegos Catholici Principes tradiderunt, hæc ibi.

Verum tamen est, quod Gomesius, & multi alij Doctores loquuntur, quando crimen est mixti fori. Bigamia autem secundùm veram sententiam non est mixti fori, licet aliqui Doctores teneant contrarium.

Io: Andr. *in dicto cap. Felicis num.8. super verbo ediderunt*, disputat quæstionem, & per illum Textum dicit; *Sic patet ergò, quod per hanc pœnam Canonicam non tollitur pœna legalis*, hæc ille; vbi postquam allegasset, & induxisset leges ciuiles *in vers. Hic fuit disputatum*, dicit, in disputatione super illa facti specie habita Bononiæ fuisse factam hanc distinctionem.

Quod, aut pœna, quæ imponitur per nouam Constitutionem est diuersa penitùs à prima, quam imponit ius commune, & tunc vtraque pœna potuit exigi, ad quod probandum allegat tres leges ciuiles, videlicet *l. Qui sepulchra, C. de sepulchr. violat. l. Tertiam, ff. de libero homine exhibendo, & l. Quoties, ff. de action. & obligation.*

Aut pœnæ sunt similes, verbi gratia, quia vtraque imponit pœnam pecuniariam, & tunc quatenus concurrunt, vna tollit aliam, idest vna imposita, non potest alia imponi.

In casu proposito, idest in delicto Polygamiæ Sanctum Officium præter abiurationem, regulariter imponit pœnam ad triremes ad quinque annos, & sic secundùm Io: Andream non posset similis pœna imponi per Iudices seculares, possent tamen imponi pœnæ diuersæ fori secularis videlicet, quod Polygamus priuaretur dote recepta, vel alijs pœnis illius fori.

Anton. Genuen. *in prax. Curiæ Archiep. Neapolit. edita anno* 1602. *cap.* 82. & *in ead. prax. edit. Romæ anno* 1609. *cap.84. circa fin. vers. Item seruatur*, scribit:

Si Bigamus est præuentus à Curia seculari, debet remitti ad Curiam Ecclesiasticam, quæ torquet ipsum super intentione, & abiurare facit, deindè tenetur illum remittere ad Curiam secularem, quæ ipsum punit pro Bigamia. Quando verò est præuentus à Curia Ecclesiastica, in totum punitur ab ipsa, & non potest ampliùs Curia secularis se intromittere, vt ex litteris Congregationis S. Officij, quæ conseruantur in hac Curia; hæc ille.

Videndæ essent illæ litteræ, vt iuxta illarum tenorem vniformiter procederetur, ne contentiones imposterum oriantur.

Hæc sunt, quæ à Penia, siue alio doctissimo viro scripta sunt.

45 Quod attinet ad assertas litteras Sacræ Congregationis, supposito quod adsint,

illas tamen non obseruari in practica, nec posse obseruari *diximus supra*, & sæpiùs Sacram Congregationem Supremæ contrarium rescripsisse. Placet tamen hic litteras scriptas à Comite de Lemos Pro-rege Neapolis ad Cardinalem Sanctæ Seuerinæ tunc temporis Sacræ Congregationis Præfectum super hac controuersia,& eiusdem Cardinalis responsum apponere.

Litteræ Comitis de Lemos.

Illustris. e Reuerendiss. Signore.

46 *DAll'Audienza di Lucera mi è stato dato conto, come per ordine di V. S. Illustriss. si è spedito vn Monitorio, ordinando all'Auditore Ottauio Lanario, ed al Fiscale Pietro Albizzini, che compariscano in cotesta Corte in termine di quindici giorni sotto certe censure, a relazione fatta dal Vicario di S. Seuero, che tenendo egli preso nel suo carcere Giouanni Cola di Domenico Barbiero di Sant'Elia per cose del Sant'Offizio, lo leuorono di là, e lo condussero all'Audienza, essendo differente il caso, perche il Vicario richiese il Maestro Mercato di là, che è vn'Offizio, il qual dura, mentre dura vna Fiera, che tenesse prigione nel suo carcere quell'vomo, perche aueua due mogli, il qual vedendo, che il gastigo di questo delitto competeua alla giurisdizzione Regia, ne diede conto all'Audienza, ed inuiò là il carcerato. E certo Signore, che essendo V. S. Illustrissima tanto diuoto, & affettionato Seruidore di Sua Maestà, mi sono marauigliato, che si sia spedito vn Monitorio come questo, stando V. S. Illustrissima in cotesto Tribunale della Santissima Inquisizzione, poiche come naturale di questo Regno sà V. S. Illustrissima molto bene, come la giurisdizzione temporale da tempo immemorabile a questa parte per concessione di molti Pontefici conosce di tal'eccesso, e di altri casi misti, come non sia in caso, che il delinquente tenga, che lecitamente si possa pigliare la seconda moglie, viuente la prima; perche essendo questo così, non vi è dubbio, se non ch'è contro la fede, ed ha da conoscere di esso l'Inquisidore: E per verificar questo è solito in questo Regno esaminarlo nel proprio carcere oue stà; e quando depone, che non l'ha fatto, se non per vigliaccheria, si suol lasciare in quel medesimo carcere, e conoscere di esso la Giustizia secolare, come si fà ognidì per l'Arciuescouo di questa Città de' Prigioni, che stanno in Vicaria, e per altri casi misti. E così supplico V. S. Illustriss. poiche sà quello, che in questo Regno è di tanta antica consuetudine, non permetta, che si faccia nouità in tempo, che Sua Maestà tratta di comporre, & aggiustare tutte queste cose, ed altre di questa qualità con Sua Santità, che non potria lasciar di sentir molto, che a tempo mio si facesse quello, che non si è fatto a tempo di alcun Vice-rè. Se V. S. Illustrissima per alcun rispetto della fede volesse in suo potere questo vomo, me lo faccia sapere, che subbito se gl'inuiarà, con questo, che se non aurà delinquito in cosa di fede, mi sia rimandato, perche quì si riconosca di esso, e sia gastigato, come merita. E perche il Sig. D. Alonso Manrique darà pieno conto di questo a V. S. Illustrissima, e della ragione, che teniamo dalla parte nostra, non mi estenderò più oltre, se non che V. S. Illustrissima, &c. Di Napoli li 21. di Febraio* 1601.

Seruidore di V. S. Illustrissima

Il Conte di Lemos.

Responsum Cardinalis Sanctæ Seuerinæ ad dictas litteras.

Illustriss. & Eccellentiss. Signore.

47 *IN risposta della lettera di V. Eccellenza de i 21. riceuuta a i 23. del passato, debbo per sua vera informazione dirle, che Giouanni Cola di Domenico Barbiere di Sant'Elia fu denunziato al Vicario del Vescouo di S. Seuero, ch'egli, viuente la prima moglie, abbia presa la seconda; onde precedenti i debbiti indizi, come sospetto di eresia fu carcerato, e consegnato al Maestro di Fiera, e Gouernadore di quella Città, acciocchè fosse custodito in quelle carceri, e si ritenesse ad istanza sua per interesse di questa Santa, ed Vniuersale Inquisizione; ma con ordine del Dottor Ottauio Lanario Auditore, e di Pietro Albizzini Fiscale, fu questo carcerato leuato di là, e condotto alle carceri dell'Audienza in Lucera. E se bene il Vescouo sudetto co' mezzi ciuili trattò prima con detti Offiziali per la restituzione del prigione, e poi per la contumacia loro li dichiarò anco scommunicati, non solo non operò quel buon'effetto, che conueniua, ma la disubbidienza, e pertinacia di essi Offiziali diuentò maggiore, poiche carcerarono il denunziante; e niente stimando la scommunica, essendo già dichiarati scommunicati, ed affissi i Cedoloni, esercitarono con tutto ciò i loro offizi di giurisdizzione con molto scandalo, e mal'esempio. Di che essendo la Santità di Nostro Signore appieno informata, e non douendo, o potendo dissimulare, ne comportare pregiudizi tanto notabbili alla giurisdizzione Ecclesiastica, ordinò, che contro questi due come turbatori, ed impeditori di questo Tribunale del Sant'Offizio, e sospetti di sentir male delle censure Ecclesiastiche, si spedisse il Monitorio, che già si è spedito, pubblicato, ed in diuersi luoghi affisso, acciocchè vengano a comparire, ed ispurgarsi in questa Santa Inquisizione, nella quale, se non vbbidiranno, seruati i debiti termini di giustizia, si procederà contro di loro conforme al giusto, santa mente, ed espresso ordine di Sua Beatitudine: Poiche chiara cosa è, e ben fondata in buona dottrina de' primi valenti Vomini, e Giurisconsulti, che in simil causa,*

causa, di chi, viuente la prima, prende anco la seconda moglie, la cognizione di essa appartiene, e tocca al Sant'Offizio, ed in cotesto Regno, doue non è il Tribunale dell'Inquisizione, appartiene al Vescouo Ordinario, conforme all'intenzione di Sua Maestà, e suo Conseglio. Ed oltre le dottrine chiare, qui, e do per tutto si stà in pacifico possesso, ed antico di conoscerle, senza che contradizzione alcuna fatta in contrario sia preualuta, non si potendo negare, che chi pretende esser lecito auer due, o più mogli in vn'istesso tempo, erra circa la santa fede, e malamente sente del Sacramento del Matrimonio. Però V. Eccellenza si quieti, rimedi coll'auttorità sua, e non permetta per l'innata, e singolar pietà sua, che a questi tempi il nome della Santa Inquisizione riceua questo pregiudizio; e tenga per certo, che quando si verrà al ristretto di pruouare questo immemorabile possesso, e li tanti priuilegi, e concessioni fatte da' Romani Pontefici, e da questa Santa Sede Apostolica a' Rè di cotesto Regno, ne' quali pare, che si faccia costì il principal fondamento per fauorire questa pretensione, non ve ne sarà quell'abbondanza, che gli è presupposta, anzi apparirà del contrario. Non presti orecchio à quei, che le dicono, che da i Giudici Ecclesiastici in materia di giurisdizzione s'inauoua nel tempo del Gouerno di V. Eccellenza, perche non ha giusta cagione di dolersi; anzi seguendo la pietà de' Signori Vice-rè suoi predecessori, sarà effetto della santa mente, e bontà sua, non solo vgualiarli, ma superarli in questa parte, perche le sarà di molto merito appresso Dio, e di molta lode, e commendazione, non solo con questa Santa Sede, ma con tutti i buoni: oltre, che sarà conforme al santo zelo, e retta intenzione del Rè Cattolico di nome, e di fatti, che ne' suoi Regni imitando i suoi Progenitori di eterna, e gloriosa memoria, ha fin'ora professato, e professa, che l'Offizio della Santa Inquisizione, che non ha per fine altro, che la salute dell'anime, e la vera, e solida conseruazione de' Regni, sia illeso conseruato da ogni offesa, e violenza, tenuto in sommo grado, fauorito, ed vbbidito da tutti. Io dal canto mio mi gloriarò sempre di esser naturale di cotesto Regno, e non niego versato da miei primi anni ne' negozi, e riti suoi, ma non mi souuiene, che in alcun tempo caso come questo si sia auuto controuerso: Come fedelissimo, e deuotissimo Vassallo, e continuo Oratore di Sua Maestà non potrei consentir già mai, che all'auttorità, e giurisdizzione di essa Maestà si pregiudicasse in alcuna parte, ma all'incontro con sincerissimo affetto, e desiderosissimo, che candida, e senza neuo alcuno sia appresso tutti celebre, e splendida, come chiara luce, la somma pietà di Sua Maestà, sono forzato riuerentemente dire a V. Eccellenza, che non stà bene, che s'introduca questo mal'esempio, che può seco auer pessime conseguenze, con porgere occasione a' puoco amoreuoli di mormorare, e detrarre; Ed à dire con santa libertà tutto questo mi c'induco più volontieri per la particolare affezzione, con che osseruo V. Eccellenza, ed ho a cuore, che in ogni parte sia conforme a se stessa, e che regoli ogni sua azzione coll'immensa bontà, e pietà sua, colla quale spero, che Sua Beatitudine restarà particolarmente in ciò colla debbita vbbidienza sodisfatta, la giustizia aurà il suo luogo, ed i miei prieghi da lei esauditi. Con che, &c. Roma li 2. Marzo 1601.

Seruidore

Il Cardinal di S. Seuerina.

Finis huius controuersiæ fuit, quod
Polygamus fuit restitutus Nuncio Neapo-
48 lis cum protestatione, quod finita causa
spirituali deberet remitti ad carceres Re-
gios, cui protestationi nullatenus fuit à
Nuncio præstitus consensus, sed dictus
Polygamus expeditus fuit cum abiuratio-
ne de vehementi, & damnatus ad trire-
mes, ad quas cum effectu fuit transmis-
sus.

Octauius Lanarius, & Petrus Albizzinus fuerunt ab excommunicatione publicè absoluti Neapoli præ foribus Ecclesiæ Sancti Ioannis Nationis Florentinæ.

Aliud exemplum habemus in persona Ioannis Francisci à Ponte Marchionis Morconi, & Regentis Collateralis Neapolitani, qui vana prætensione ductus petijt à Vicario Capitulari, Sede Archiepiscopali vacante, processum in prædicta Curia Archiepiscopali fabricatum contra Gabrielem Sorianum Polygamum, pro quo delicto publicè abiurauit de vehementi, & damnatus ab eadem Curia ad triremes per quinquennium; & cum recusasset Notarius processum prædictum illi consignare, de facto mandauit illum carcerari, & loco depositi posuit in triremibus Regiis. Quo facto audito Romæ Clemens Octauus Breue infrascriptum Comiti de Benauente Pro-regi direxit.

Dilecto filio Nobili viro Ioanni Pimentello Comiti Benauenti Neapolis Pro-regi.

CLEMENS PAPA VIII.

49 *DILECTE fili Nobilis vir salutem, &c. Perlatum est ad Nos, non sine graui animi nostri perturbatione, quod cum nuper dilectus filius Curtius Palumbus Vicarius Capitularis Sede Archiepiscopali vacante Ecclesiæ Neapolitanæ de mandato etiam Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis contra hereticam prauitatem, ac nostro, causa in Tribunali Curiæ Archiepiscopalis cognita quendam Gabrielem Sorianum ob Polygamiam inquisitum, ac processatum, demum seruatis seruandis præuia publica abiuratione de vehementi ad trire-*

mes per quinquennium damnaßet, Ioannes Franciscus à Ponte Marchio Morconi Regens in eadem Ciuitate Neapolis existens, dilectum filium Io: Camillum Preciosum Notarium Actuarium dicti Tribunalis, qui priùs ab ipso Ioanne Francisco Regente accersitus, & requisitus, vt processum in causa dicti Gabrielis fabricatum ad ipsum Regentem deferret, responderat, se dictum processum à Vicario Capitulari dictæ Ecclesiæ Neapolitanæ dictæ causæ Iudice obtinere non potuisse, per Satellites Curiæ sæcularis subitò apprehendi, ac temerè, nulliter, & de facto ad triremes deduci, ibique inter captiuos, & remiges mancipari fecit, immunitatem Officialium Sanctissimæ Inquisitionis contra hæreticam prauitatem violando, & pœnas in Sacris Canonibus, & præsertim fel. rec. Pij Quinti, incipien. Si de protegendis, *& aliorum Pontificum Nostrorum Prædecessorum Constitutionibus contentas aduersus eos, qui huiusmodi Officiales, & Ministros quouis modo molestant, seu perturbant inflictas incurrendo, in maximum dicti Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, & Auctoritatis Ecclesiasticæ, ac nostrum contemptum, in Dei offensam, & scandalum plurimorum. Nos itaque impium, & temerarium hoc facinus, vt æquum est, improbantes, illudque celeri prouisione omninò reuocandum esse censentes, Tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub Diuini interminatione iudicij per præsentes districtè præcipimus, & mandamus, vt prædictum Ioannem Camillum ex dictis triremibus penitus solutum dimitti, & relaxari iubeas, & cum effectu facias; etsi autem non dubitemus, quin tu huiusmodi mandato Nostro promptè obtemperaturus sit, sicut decet virum Catholicæ Religionis cultorem, & Nostræ, & Apostolicæ Sedis obsequentissimum, non id tamen grauitatem, facere non possumus, quin te seriò moneamus, ac præcipuè pro Tribunalis Sanctæ Inquisitionis auctoritate, ac Nostra, quam tu in isto munere tueri maximè oportet, & pro ea, qua profiteris erga Nos, & Apostolicam Sedem fide, & reuerentia, id ipsum statim, ac omni prorsùs mora, ac dilatione postposita, facias, & exequaris, ne si tu, quod minimè vellemus, aliquo modo huic nostro mandato parere distuleris, ipsi hac in re adhibitis iuris, & facti remedijs, grauius aliquod statuere cogamur. Datum Romæ apud Sanctum Marcum die 17. Septembris 1604. Anno decimotertio.*

Controuersia hunc finem habuit; post Breue Clementis per Nuncium Apostoli-
50 cum Pro-regi præsentatum illicò, & nulla interposita mora Preciosus Sanctæ Inquisitionis Notarius fuit à triremibus liberatus; præuio monitorio ad comparendum Romæ personaliter dicto Ioanni Frãcisco Regenti intimato, cum fuisset declaratus excommunicatus; ipse humiliter petijt absolutionem, & fuit absolutus à Nuncio Apostolico in forma Ecclesiæ consueta, & Polygamus pœnam triremium à Vicario Capitulari ei impositam absoluit.

Decreta verò præcipua, quæ habentur in hac materia in Suprema, & Vniuersali Inquisitione sunt infrascripta.

Feria v. die 17. Februarij 1619.

51 *ILlustrissimi Cardinalis Carafæ, & Nuncij Apostolici lectis litteris datis 2. Februarij, in quibus recensent quid egerint cum Pro-rege, & Ministris Regijs occasione prætensionis quam ijdem Ministri habent, quod causæ Polygamiæ de consuetudine, & præscriptione spectent ad eos priuatiuè quoad Iudices Ecclesiasticos; Sanctissimus mandauit scribi Nuncio, vt curet, quod sententia lata in Curia Episcopali contra Ioannem Sabbatum damnatum ad triremes ob prædictum delictum Polygamiæ executioni demandetur, & declarauit esse intentionem Suæ Sanctitatis, vt huiusmodi causæ cognoscantur in Sancto Officio, tanquam causæ Fidei spectantes ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis ob hæresim, vel hæresis suspicionem delicto annexam.*

Sententia prædicta fuit executioni demandata, & Ministri Regij acquieuerunt.

Die 20. Septembris 1625.

Fuit in Sacra Congregatione dictum, causas Polygamiæ spectare ad Sanctum
52 Officium priuatiuè quoad Iudices laicos; ideò Pro-legato Auenionis fuerunt scriptæ infrascriptæ litteræ.

HA inteso questa Sagra Congregazione con merauiglia la pretensione del Giudice secolare della Corte di San Pietro di cotesta Città di voler conoscere la causa di Roberto Sartore reo di Poligamia con presupposto, che essendo tal delitto di misto foro, ed auendo egli preuenuto, ad esso tocchi di punirlo, ne il Sant' Offizio v' abbia da far' altro, che indagare la sua intenzione, e purgare il sospetto, che per auuentura egli aueße di mala credulità. Di che essendosi tenuto proposito auanti la Santità di Nostro Signore, Sua Beatitudine col parere di questi miei, &c. mi hà ordinato di scriuere à V. S. che faccia rimettere onninamente la suddetta causa al Tribunale del Sant' Offizio, a cui spetta priuatiuè ad ogn' altro Giudice, perche quando anco il sospetto di mala eredenza si purgaße del tutto con l' abiura, lo che non è, compiendosi di cacuare colla pena, e quando alla sola incontinenza si riferiße il delitto, ad ogni modo sempre vi resta l' abuso del Sagramento, e de i Riti sagrosanti della Chiesa, de' quali il Poligamo indegnamente si serue per mezzi di sfogare le sue sfrenate voglie, e questo sacrilego abuso non può, ne dee eßer punito, ne

gastigato in altro Tribunale, che in quello, al quale propriamente appartiene la cura, e mantenimento della purità della Religione, e de'Sagramenti, che è il Tribunale della Santa Inquisizione. Sarà però V.S. contenta d'essequire la mente di Nostro Signore, e di fare, che in altre occasioni al Sant'Offizio si lasci totalmente la cognizione di simili cause, &c.
Di Roma li 20. *Settembre* 1625.

In eandem sententiam scriptum fuit Archiepiscopo, & Inquisitori Auenionensi.

Sed quia aliqui ex Ministris Regijs adhuc in Ciuitate Neapolis, nec dispositioni Sacrorum Canonum, nec Decretis Pontificiis acquiescunt, *de anno* 1651. Hector Capiciuslatro Regens Collateralis mouit huiusmodi prætensionem, & quodam suo scripto satis scandaloso, & iurisdictioni Ecclesiasticæ infenso conabatur illam defendere.

Paulus Squillantes Ministri Sacræ Congregationis Supremæ Neapoli Residentis Fiscalis, demum me procurante ad Episcopatum Theanen. euectus illi scripto, responsum dedit, *vt infra*.

53 PER magnam Curiam Vicariæ fuit nuper de facto carceratus quidam laicus, sub prætextu, quod contraxerit secundum Matrimonium adhuc viuente prima legitima vxore, prætendens posse cognoscere de huiusmodi delicto Polygamiæ priatiuè à tempore immemorabili ex concessione Summorum Pontificum (quandò hæresis qualitatem non habet, siue illa purgata per Catholicam responsionem circa credulitatem) tanquam vnum ex casibus mixtis, quorum in hoc Regno præsupponit stare in possessione cognoscendi priuatiuè; & fuerunt nouissimè expeditæ litteræ hortatoriales per Regium Collateralе Reuerendissimis Episcopis, seu Vicarijs Melphien. & Potentię pro remissione ad Curiam laicalem duorum laicorum, qui in Curijs prædictis reperiuntur inquisiti, & carcerati pro eodem delicto Polygamiæ.

Cum id totum fuisset delatum Sacræ Congregationi Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis ab eadem de ordine Sanctissimi fuit rescriptum Illustrissimo Episcopo Sorano Ministro Generali in prædicto Regno, & Consultori eiusdem Sac. Congregationis per litteras Eminentiss. Domini Cardinalis Barberini, *sub dat. Romæ die* 9. *Mensis Augusti* 1651. non sine admiratione de huiusmodi nouitate, iniungendo eidem, vt nullo modo permitteret præiudicium Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis, attento quod prætensio prædicta fuerit iàm decisa, & resoluta à quadraginta annis, & plus sub Clemente Octauo fel. rec. quod cognitio huius criminis spectet ad Inquisitores, & Episcopos in hoc Regno priuatiuè quoad Iudices laicos, non obstantibus deductis, & allegatis tunc pro asserta possessione per olim Regentem Ioannem Franciscum de Ponte Commissarium Regalis iurisdictionis, & sic communiter practicari scribit Carena *de offic. Sanct. Inquisit. par.*2. *tit.*5. *num.* 20. Sigismund. Scaccia *de Iudic. lib.*1. *cap.*12. *numero* 15. & sine controuersia seruari in Hispania restantur Simanch. *de Cathol. Instit. cap.*4. *num.*2. Roias *de Hæret. par.*1. *numero* 549. In Lusitania Emanuel à Valle *de Ensalmis, & Incantat. sect.*3. *cap.*1. *n.*14. cum Freita ad Acunh. *de Confess. sollicit. cap.*2. *num.*32. & in Regno Siciliæ fatetur Didacus Trasmiera *de Polygam. lib.*2. *qu.*2. *num.*18. *&* lib.3. *quæst.*1.

Imò ità declararunt Summi Pontifices Paulus Quintus *sub die* 7. *Februarij* 1619. & Vrbanus Octauus 11. *Aprilis* 1630. & pluries san. mem. Innocentius Papa Decimus, præter declarationem 24. *Octobris* 1612. transmissam ad Inquisitores Lusitaniæ, de qua testatur Sousa *in Aphorism. lib.*1. *cap.*35. *num.*17. cumque refert Diana *par.*4. *tract.*7. *de Pœnis, resolut.*4. quæ quamuis dictis Inquisitoribus directa sit, omnibus normam præbet iuxta tradita à Pegna ad calcem Directorij de Auctor. Extrauag. *num.*14. Et quod iustissimè, & rationabiliter per prædictos Summos Pontifices fuerit decisum, & declaratum, delicti Polygamiæ punitionem spectare ad Episcopos & Inquisitores priuatiuè quoad Iudices laicos, non est in dubium reuocandum, dum Polygamia in sua figura sapit hæresim, Albertin. *de Agnoscend. quæst.*23. *n.*60. propter vehementem suspicionem hęresis & abusum Sacramenti Matrimonii, prout Summi Pontifices pro tempore aliàs declarauerunt circa crimen hæresis, & aliàs sacros Canones condiderunt, siquidem de fide est, quod Papa in his quę fidei sunt, vel rem fidei trahunt, & in his, quę ad mores spectant, non possit errare, iuxta promissionem Christi Domini, *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: Valentia 2.2. *disp.*1. *punct.*7. §. 4. Carena *par.* 2. *titulo* 12. §. 6. *num.*45. *&* *tit.*16. §. 3. *nu.* 14. *& alij*.

54 Et in hac possessione etiam in contradictorio à tempore immemorabili reperiuntur Episcopi in hoc Regno, & Inquisitores, vt patet ex publicis documentis, sententijs, Processibus, ac litteris Sacrę Congregationis Supremi Tribunalis Sanctissimę Inquisitionis, de quibus in Summario, pręter innumeros Processus cum sententijs, & illarum executione, qui seruantur in Archiuio Curię Archiepisc. Neapolitanę, de quibus pariter in Summario.

Et quamuis Ministri Regij acquiescere deberent, nec aliquid attentare, & innouare circa pretensionem prędictam cognoscendi de delicto Polygamiæ, propter ea, quæ satis, & affluenter fuerunt per dictum olim *Regentem de Ponte* tunc allegata, & discussa, necnon potissimè stantibus dictis declarationibus Summorum Pontificum, & alijs declarationibus Sacræ Congregationis, dum cognita per eos huiusmodi veritate, & iustitia spectare cognitionem illius ad officium Sanctissimæ Inquisitionis, amplius non attentauerunt, nec prætensionem aliquam habuerunt per decursum tot annorum.

Nihilominus ad saturitatem, & ad magis elucidandam veritatem, & iustitiam prædictam afferuntur, & in memoriam reuocantur sequentes rationes, & auctoritates, per quas euidenter apparet, cognitionem delicti prædicti Polygamiæ ad Episcopos, & Iudices Sanctissimæ Inquisitionis spectare priuatiuè quoad Iudices laicos.

Siquidem inter cæteras hæreses damnatas *in sacro Concilio Tridentino can.2. sess.24.*
55 *de Matrimon.* est asserere, licere homini Christiano duas simul vxores habere, dum in necessariam consequentiam resultat, quod accipiens secundam vxorem, redditur de hæresi suspectus, quia malè videtur sentire de Sacramento matrimonij, Albertinus *de agnoscend. cap. 23. numer. 14.* Couuar. *de sponsal. par. 2. cap. 7. num. 6.* Bordonus *in Tribunal. cap. 22. num. 11.* & alij communiter: Et quod reddatur de hæresi vehementer suspectus qui binas simul viuentes vxores ducit, patet, tum quia regulariter abusus Sacramenti infert vehementem suspicionem hæresis, tum etiam quia faciens de facto aliquod malum, quod pro bono habetur apud Hæreticos, reddit se suspectum vehementer; Sed Hæretici tenent licitum esse ducere plures vxores viuentes, vt sunt Lutherani, & Caluinistæ, ideo qui illas de facto ducit, reddit se suspectum de hæresi prædicta vehementer; Ità docent Farinacc. *qu.178. num. 71.* Piasec. *in praxi par.2. cap.4. art. 6. num. 6.* Barbos. *de offic. & potestate Episcopi allegat. 40. num. 44.* Carena *in prax. par. 2. cap. 8. art. 6. tit. 5. num. 58.* Diana *par. 4. tract. 7. de pœnis resol. 4. & alij*, & talis est obseruantia Supremi Tribunalis Sanctissimæ Inquisitionis.

Hoc autem probatur quoque ex eo, quod regulariter hæresis formalis, siue materialis, idest ex facto ipso, in quo hæresis continetur, aut exprimitur, cognitio datur Inquisitoribus priuatiuè quoad laicos etiam de iure communi, vt *in Authen. Gazarof. C. de Hæret.* Afflict. *in Constitut. Regni inconsutilem num. 58. quæ est prima sub rubr. de Haret.* Penia *ad Director. par. 2. comment. 59. vers. Si verò*, Sousa *in Aphorism. lib. 1. cap. 16. num. 12. & alij.*

Formalis autem hæresis dicitur, quando est error in intellectu verbi gratia licere eodem tempore habere duas vxores viuentes.

Materialis autem hæresis, quando materialiter factum ipsum enunciat hæresim.

Factum autem propriè hæreticale dicitur illud, quod quamuis non sit hæresis (quia pertinent ad enunciationem intellectus) attamen quasi materialiter, seu est, materia, circa quam intellectus errat, & dicitur factum hæreticale, quia qui teneret posse fieri id, quod fit, esset hæreticus, seu induceret peculiarem hæresim, nempe Lutheranam, vel Caluinianam, vt esset, si quis exerceret ea, in quibus Hæreticorum Ritus continentur, vel obseruaret eosdem Ritus, Farinacc. *de hæresi quæst. 182. §. 3. num. 124.*

Vnde si de Bigamia, de Repudio, vel circa alia præcepta error versetur, circa quæ aliquando ortæ sunt difficultates, & ab Ecclesia decisiones conditæ contra Hæreticorum contumaciam, siue esset aliquod factum hæreticum, quod Hæretici specialiter laudauerunt, aut non esse peccatum affirmarunt, præsertim in ijs, quæ ex eo, quod aliquando ex Diuina dispensatione concessa fuerunt, deinde tali concessione sublata, prosecuti sunt Hæretici talem morem retinere, vt Bigamiam ante Christum Dominum concessam, post Christum verò sublatam retinuerunt Hebræi, & alij Ethnici, & amplexati sunt de nouo Hæretici, & Mahomettani; Ideo qui duas simul haberet vxores, absque dubio suspicionem inducit sufficientem ad hoc, vt ab Inquisitoribus cognoscatur, cum tale factum sic Hæretici nostri temporis Lutherani, & Caluinistæ nulla retenta Religione approbant, & amplexantur, vt per Bellarm. *lib. vnic. de Matrimon. cap. 10.* & ità Didacus Trasmiera *de Polygamia lib. 2. quæst. 1. num. 21.* Martin. del Rio *lib. 5. Magic. sect. 15. §. axioma 1.* Sousa *in Aphorism. lib. 1. cap. 22. num. 3. & alij.*

Si quis ergo contrahens binas nuptias ex ipsius facti circumstantijs reperiatur ità contrahere, quia putat ità licere, iam citra controuersiam est, quod hoc ex Lutherana, vel Caluiniana hæresi proueniat, atque adeo Hæreticorum pœnas taliter contrahens subire debet.

Si verò non adsint huiusmodi circumstantiæ, adhuc restat, quod sit suspectus
56 propter factum ipsum hæreticale; Nam etsi non constet de eius mente erronea, nec de pertinacia, quæ duo sunt formalia Hæretici, atque adeo taliter contrahens non sit Hæreticus iudicandus, nec pœnis

Hæreticorum puniendus, est tamen suspectus de hæresi, & contra eum vti suspectum de hæresi potest procedi, quia contrahere plura matrimonia eodem tempore est factum hæreticale.

Primò, quia iste modus contrahendi contrariatur Sacramento matrimonij, quod est vnius cum vna legitima coniunctio, *ex Matthæi cap.* 19. Quare cum taliter contrahens aliter contrahat, ac Deus ipse constituit, meritò factum hæreticale appellari potest, vt habetur *in cap. Ad abolendam de Hæret.*

Secundò, quia qui taliter contrahit, vita, & moribus à fidelium moribus dissentit, & ad mores accedit Hæreticorum, & Saracænorum, vt habetur *in cap. Gaudemus de diuortio*, Trasmiera *d. lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 24. Carena *par.* 2. *tit.* 5. §. 2. *num.* 13. & patet ex dictis per Peniam *ad Director. par.* 3. *comment.* 24.

Et licèt cessaret specialis concessio de huiusmodi delicto facta Inquisitoribus, adhuc ipsi procedere deberent contra Polygamos, vel ex eo, quia agitur de graui iniuria facta Sacramento, & sub prætextu Sacramenti, vel quia Bigamia continet factum ex natura sua inducens suspicionem de hæresi, quandoquidem est factum imitans mores Lutheranorum, & aliorum Hæreticorum, & Mahometanorum, vel quia cum Bigamus peruertat primarium finem Sacramenti, qui est significatio vnius Christi cum vnica Ecclesia, sicuti sollicitatio in confessione est peruertere primarium finem Sacramenti pœnitentiæ, qui est delere peccata, vt ex se patet, quod apertè habetur ex Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 10. à quo quatuor fines matrimonij recensentur, vt optimè considerat Trasmiera *d. tract. lib.*1.*quæst.*6. *num.*10. *& lib.*3.*quæst.*2. *num.* 61. Albertin. *de agnoscend. quæst.* 23. Ricciull. *de iure personarum extra Ecclesia gremium lib.* 5. *cap.*11. *num.* 19. Carena *par.* 2. *tit.* 5. §. 2. *num.*13. qui alios refert.

Corroborantur prædicta ex eo, quia semper quod quis delinquendo profert
57 verba hæreticalia blasphemiæ, vel abutitur aliquo Sacramento, vel sacramentali etiam sine errore intellectus, & sine mala credulitate, cognitio spectat ad officium Sanctissimæ Inquisitionis priuatiuè quoad Iudices laicos etiam in casibus mixti fori; Nam licèt crimen blasphemiæ sit mixti fori, & detur præuentioni locus inter Iudicem Ecclesiasticum, & secularem iuxta Textum *in cap.* 2. *de Maled.* quem ad hoc notat Soccinus *cons.* 119. *lib.* 4. & concludunt Albertin. *de agnoscend. quæst.* 6. *nu.*24. & communiter Doctores, tamen vbi adest qualitas hæreticalis, siue sint propositiones hæreticales, quibus Deo, vel Sanctis maledicta, iniuriæ, & inconuenientia dantur attributa, etiam absque errore intellectus, ex quo blasphemia propriè dicta non in sentiendo aliquid contra Deum, sed in dicendo consistit, Sanchez *in Summa tom.* 1. *cap.* 32. *num.* 3. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 3. procedit Ecclesiasticus tam ad pœnas temporales, quàm spirituales priuatiuè quoad laicos, ita Simancha *de Cathol. titul.* 8. *num.* 16. Sanctarell. *de hæresi tract. de blasphem. cap.*8. *dub.* 1. Sousa *loco cit. lib.* 1. *cap.* 19. & alij apud Sanchez *in Summa lib.*2. *cap.*32. *nu.*36. Carena *par.* 2. *de blasphem. tit.*7. §. 2. *num.* 9. *&* §. 3. *num.* 13. *&* §. 8. *num.* 43. *& tit.* 16. §. 3. *num.* 12. Riccius *in prax. fori Ecclesiast. par.* 3. *resolut.* 495.

Item sortilegium non qualificatum, sed simplex, licèt antiquo iure fuerit mix-
58 ti fori, & daretur præuentioni locus inter Ecclesiasticum, & laicum Iudicem iuxta notat. per Clar. §. *hæresis in fine*, Caball. *resolut.* 223. *num.* 71.

Nam de sortilegio qualificato, siue cum abusu Sacramentorum, vel sacramentalium absque errore intellectus, sine difficultate omni iure siue nouissimo, siue antiquo pertinet ad Inquisitores priuatiuè quoad laicos, vt tradunt Clar. & Caball. *vbi supra*, Farinaccius *de hæres. quæst.* 181. *num.* 193. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 10. Simancha *de Cathol. tit.*62. *de sortileg. nu.*2. Carena *par.* 2. *de sortileg. tit.* 12. §. 16. *num.* 140. *&* 146. Riccius *d. resol.* 495.

Nihilominus secundùm hodierna iura post Bullam Sixti Quinti incipien. *Creator Cœli*, Iudex tam sortilegiorum hæreticalium, quàm non hæreticalium est Inquisitor, qui de eo cognoscit priuatiuè quoad Iudices laicos, Scaccia *de Iudic. lib.*1. *cap.*12. *nu.* 51. Farinacc. *de hæres. quæst.* 181. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 3. Zanard. *in Summa par.* 2. *num.* 64. *vers. Tertio nota*, Carena *loco citato*, §. 13. *num.* 140. *&* §.16. *num.*146. qui *sub nu.*147. testatur, non multis ab hinc annis de ordine Sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis fuisse quendam Prætorem benignè absolutum ab excommunicatione lata contra turbantes iurisdictionem Sancti Officij, ex eo quia carcerare fecerat quasdam sortilegas, quæ sortilegia non qualificata commiserant, dum spontè in Sancto Officio comparuissent.

Item fœdantes, & conspurcantes Imagines Sanctorum facto blasphemare di-
59 cuntur, vt docent Castro *lib.* 1. *de iusta Hæret. punitione cap.*12. Menoch. *de Arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 376, Sousa *d. tract.* 1. *cap.* 19. *num.* 5.

Et licèt cognitionem huius criminis aliqui voluerint esse mixti fori, itaut sit præuentioni locus inter Iudicem laicum

& Ecclesiasticum, vt referunt Clar. §. *fin. quæst.* 68. *ver. Imagines*, Caball. *cas.* 91. Simancha *de Cathol. tit.* 33. *nu.* 17. Farinacc. *de delict. & pœn. quæst.* 20. *num.* 68. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resolut.* 9. Vincent. de Franch. *decis.* 504.

Nihilominus cognitionem huius criminis ad Iudices fidei spectare priuatiuè quoad Iudices laicos probant, & defendunt Doctores *mox citandi*, & talis est obseruantia Tribunalis Sanctissimæ Inquisitionis, ex eo quia si is, qui taliter deliquit, verbo dixisset, *Imagines Sanctorum non esse venerandas*, vtique hæreticaliter blasphemasset contra determinationem Ecclesiæ, & sacri Concilij Tridentini *sess.* 25. *de venerat. Sanctorum*, & per consequens esset puniendus ab Inquisitoribus priuatiuè quoad laicum: Sed voluntas alicuius non minùs verbo, quàm facto declaratur *l. reprehendere*, vbi Doctores *C. de instit. & substit.* Quinimò voluntas magis facto, quàm verbis declaratur Barbos. *axiom.* 230. *num.* 4.

Fractione autem, seu conspurcatione alicuius Imaginis clarè patet, Reos velle fateri, Imagines non esse venerandas; Igitur etiam ij hæreticaliter blasphemantes subduntur iurisdictioni Inquisitorum priuatiuè quoad laicos; Hoc enim factum manifestam hæresim sapit, & nunquam videtur ab hæresi separatum, Carena *par.* 2. *de blasphem. tit.* 7. §. 7. *num.* 41. Qui testatur ità fuisse decisum in facti contingentia in Supremo Consilio Hispaniæ, Azeued. *ad Regias Constitutiones lib.* 1. *tit.* 1. *l.* 3. *num.* 7. Lazar. *de blasphem. quæst.* 6. *num.* 14. & alij, & de hoc non restat dubium post hæresim Lutheri, & Caluini asserentium, sacras Imagines non esse venerandas iuxta Decretum Vrbani Octaui *de anno* 1625. tenoris infrascripti:

Die 20. *Nouembris* 1625.

60 *IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Vrbano Diuina prouidentia Papa Octauo, & Illustrissimis, ac Reuerendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

Sanctissimus Dominus Noster Vrbanus, &c. auditis votis decreuit, & mandauit, causas percussionis sacrarum Imaginum cognosci in Sancto Officio priuatiuè &c.

Vnde concludendum est, quod hodie non est amplius disputandum, sed absolutè asserendum, delictum prædictum Polygamiæ spectare ad Episcopos, & Iudices Sanctissimæ Inquisitionis priuatiuè quoad Iudices laicos, tum ex prædictis rationibus, tum etiam quia fuit sic per Summos Pontifices, & Eminentissimos Supremi Tribunalis Sanctissimæ Inquisitionis totius Reipublicæ Christianæ resolutum, & indubitanter vbique obseruari debet, vt testantur Doctores etiam Hispani maximæ auctoritatis, & inter alios Sousa Lusitanus *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 35. *n.* 18. *sic ait* [Stando in iure communi culpa contrahendi binas nuptias ad vtrumque Iudicem spectabat, nunc autem ad solos Inquisitores, Albertinus *de agnoscend. qu.* 23. *nu.* 36. Farinacc. *de delictis carnis quæst.* 140. *par.* 1. *num.* 1. & est declaratio Summi Pontificis ad Inquisitores Lusitaniæ:] *Hæc ille.*

Narbona *lib.* 4. *par.* 1. *tit.* 1. *l.* 20. *Gloss.* 12. *num.* 66. ponens dubium, an à Iudicibus secularibus iudicari possit, qui duplex simul matrimonium contrahit, respondit his verbis:

61 [Hodie de huiusmodi crimine à quocunque fuerit commissum Inquisitores cognoscunt, & delinquentes debitis pœnis afficiunt: Nam qui cum duabus vxoribus simul matrimonium contraxit, seu eodem tempore eas retinet, de hæresi suspectus est, cum malè de Sacramento Matrimonij sentire videatur, quare de eo solummodò Inquisitores cognitionem habent] vt post alios tradunt Palatius Rubeus *in repetit. cap. Per vestras*, §. 18. *nu.* 25. *de donat. inter virum, & vxorem*, Couuarr. *de sponsal.* 2. *par. cap.* 7. §. 3. *num.* 6. Didacus Perez *lib.* 3. *tit.* 1. *l.* 5. *Ordin. pag.* 44. *in fin.* Menoch. *de Arbitrar. cas.* 420. *num.* 114. Nauarr. *cons.* 2. *de Haret. num.* 3. *& lib.* 12. *cap.* 6. *num.* 4. *in Man.* Azeuedo *in l.* 5. *nu.* 3. *tit.* 1. *lib.* 5. *recopill.* Guttierez *pract. quæstion. lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 1. Farinacc. *quæst.* 140. *num.* 24. Alfar. *de Offic. Fiscal. gloss.* 20. *nu.* 396. *vers. Narbona*, Canter. *quæstion. crimin. de Adulter. num.* 29.

Farinacc. *de Hæresi quæst.* 178. *num.* 71. referens dicta per Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 40. *rubr. de Matrim.* quibus relatis dicit: [Verum ad dicta per Simanch. aduertendum duxi, quod vbicunque interuenit abusus alicuius Sacramenti, talis abutens redditur suspectus de hæresi, quod scilicet malè sentiat de illo Sacramento, quo abutitur, quo fit, vt cognitio causæ ducentis secundam vxorem, viuente prima, ob præsumptam suspicionem hæresis orientem ex abusu Sacramenti Matrimonii, semper spectare videatur ad Inquisitorem, itaut vix dari possit casus, in quo cesset suspicio hæresis in ducente secundam vxorem, viuente prima, ad effectum, vt huiusmodi crimen possit reputari mixti] vt dixit Simanch. *in loco allegato*, Bor-

don. *in Tribunal.cap.22. num.63.* Freitas ad Acunham *de Confess.sollicit.quæst.2.num.32.* Lupus *ad Edictum Sanctiss. Inquisit. par. 2. lib.14. dist.6. art.2. diff.1.*

: Trasmiera *de Polygamia lib. 2. quæst. 2. num.18.* sic concludit post longam disceptationem.

[Prima conclusio. Etiamsi non constet sic contrahentem binas nuptias habere
62 errorem in intellectu, vel in fide errasse, adhuc eius cognitio ad Inquisitores pertinet.

Et ratio est, quia taliter contrahens, vt *supra* diximus, est suspectus saltem leuiter in fide ex facto ipso, vt probauimus: Ergo etiamsi non constet de mala eius intentione per alia adminicula, quibus potiùs ad vehementem suspicionem transiret, vt leuiter suspectus debet ab Inquisitoribus corrigi] *Et paulò post*:

63 [Secunda conclusio. Etiamsi per torturam constet, taliter contrahentes plures nuptias non errasse in fide, nec credidisse licitas, adhuc tamen iurisdictioni Inquisitoris subditur taliter contrahens, vt corrigatur, & abiuret de leui.

Et ratio est euidens, quia etiamsi per torturam, accusationem, probationemque euacuet Reus quoad prauam intentionem, non tamen ità perfectè vt ex facto ipso Hæretico, vt *supra* probauimus, quod tamen supponimus constare, non remaneat saltem leuiter suspectus.]

Subditque inferiùs num. 21.

[Et confirmatur nostra conclusio ex praxi Romanæ Inquisitionis, secundùm quam bina matrimonia contrahens torquetur super intentione, & in ea quamuis Reus tortus, & negatiuus sit, abiurat tamen de vehementi ob suspicionem huius actus materialis:] Hactenùs Trasmiera.

Carena *de Officio Inquisitionis par.2. tit.5. nu.20.* Sousa *in Aphorism.lib.1.cap.35.nu.18.* vbi, quod ex declaratione Summi Pontificis ad Inquisitores Lusitaniæ hoc crimen spectat priuatiuè quoad laicos ad Sanctum Officium, etsi adhuc instetur, quod post torturam datam Polygamo super intentione, omnis hæresis suspicio purgatur, & delictum manet non Ecclesiasticum, benè respondet Trasmiera *dicto lib. 2. quæst. 2. num. 20. & seq.* Quod etiam post torturam manet factum hæreticale contra veritatem matrimonij, & sic hæresis suspicio purgata per abiurationem est punienda per pœnas à iure statutas.

Videatur etiam idem Auctor *lib.3.c.1. per tot.* vbi latissimè firmauit, Inquisitorem esse Iudicem competentem, & quidem solùm in hoc crimine Polygamiæ.

Ratio conclusionis est, quia non videtur dari posse casus, in quo cesset hæresis suspicio in tali ducente duas vxores, cum semper in tali casu adsit abusus Sacramenti Matrimonij, ex quo manat hæresis suspicio.

Ad exempla autem adducta à Simancha *infra in sequente §. Erit respondendum.*

Confirmatur ratio generalis conclusionis ex eo quod, cum causæ omnes hæresis, & suspicionis delegatæ sint Inquisitoribus, & Polygamiæ causa sit ex his, quæ suspicionem hæresis in Polygamo constituunt, sequitur etiam causam hanc in necessariam consequentiam esse Inquisitoribus delegatam. At causæ Inquisitoribus delegatæ semper intelliguntur priuatiuè delegatæ, vt dixit egregiè Scaccia *dicto lib.1. cap.12. num.53.* igitur causa hæc Polygamię priuatiuè quoad Iudices laicos spectabit ad hæreticæ prauitatis Inquisitores.

Et ob id Roias *de Hæret. par.1.num.540. & seq.* quem sequitur Farinacc. *in addit. ad quæst.140.ad num.24.* dixit, quod licet communiter dicant Doctores, cognitionem huius criminis esse mixti fori, hodiè ad solos Inquisitores huiusmodi cognitio spectat.

Matienzo *l.5.nouæ recopill.tit.1.l.5. gloss. 2.num.3.* vbi postquam dixit, Polygamiam esse mixti fori, addit, persæpè ob eius frequentiam cognoscere Inquisitores; *& ibi* Azeuedo *in gloss. Non temiendo à Dios nu.3. in fin.* addit, quod nunc in Hispania soli Inquisitores contra Polygamos procedunt &c. Vnde si Processus contra Polygamos sit ceptus ab Episcopo tanquam Ordinario loci, qui vti talis potest cognoscere omnes causas iure Ordinario, quas potest cognoscere Inquisitor iure delegato, licet ab eodem possit Processus perfici, non tamen sine Inquisitore poterit Episcopus causam expedire, nec Reum torquere, vt notat Grilenzon. *consf.137. nu.9. & seq.* & sic fuit practicatum in Episcopatu Cremonæ in his causis Polygamiæ :] Hactenùs Carena.

64 Suppositis igitur præfatis solidissimis rationibus, & tot grauissimorum Doctorum auctoritatibus, non obstat quod dicit Vincent. de Franchis *decis. 36.* & Petra de Capic. *decis.7.* punitionem delicti Polygamiæ, quando hæresis qualitatem non habet, spectare ad Iudicem laicum priuatiuè, quia ex dictis *supra* colligitur decipi, vel loqui potiùs secundùm abusum, qui quandoque olim de facto fuit à laicis Iudicibus attentatus in Regno, licet non præualuerit propter resistentiam illis factam in defensione Ecclesiasticæ iurisdictionis, & Sanctissimi Tribunalis, cum censuris contra eos fulminatis, vt patet ex quibusdam casibus, de quibus in Summario, & præcipuè contra D. Regentem de Ponte, qui fuit citatus ad personaliter

comparendum in Vrbe, & excommunicatus à Papa *de anno* 1604. Quod etiam colligitur ex nonnullis declarationibus, & resolutionibus Sacræ Congregationis Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis; & resolutiones huiusmodi habere vim legis docent Rodriqnez *quæst.regul.to.1.quæst.11. art.12.* Garzias *de Benef. par.1.cap.5.nu.138.* Cened. *quæstion. Canon. quæst.6. num.8.* Salas *de Legibus disput.21. sect.12.* Lazar. *de Blasphem.quæst.10.num.39.* Mirand. *in Man.to.2. oper.moral. disput.4. cap.4. dub.12. num.168.* Et ità respondisse Sacram Congregationem testatur Zerola *in prax. par.1.§.Auctoritas, in fine, & par. 2. §. Absolutio.* Ex eo quia Sacræ Congregationes faciunt huiusmodi declarationes auctoritate accepta à Papa. Imò declarationes, quæ fiunt à Sacra Congregatione Supremæ, & Vniuer-
65 salis Inquisitionis fiunt ab ipso Papa, cum ipse qualibet feria quinta adsit eidem Congregationi, & non sunt tantùm declarationes doctrinales, sed authenticæ, & iuridicæ, vt fatetur Merolla *loco citato num. 173.*

Vnde licet quandoque in Regno Siciliæ antea Iudices seculares has causas iudicarint, multis tamen ab hinc annis, & sic post prædictas declarationes solent se ijs expedire, & Ecclesiasticis Iudicibus relinquere, & ità obseruari testatur Trasmiera *lib.3. quæst.1. num.12.*

Nec similiter obstat, quod asserunt aliqui scribentes, quod in dicto crimine detur præuentio inter Iudicem Ecclesiasticum, & secularem, vti vnus de casibus mixtis, quando hæresis qualitatem non habet.

Nam præfati Doctores scripserunt moti ex diuersis tunc opinionibus existentibus, vel absque ratione, & fundamento, antequam fuisset declaratum per Summos Pontifices, & Sacram Congregationem, cognitionem illius delicti spectare ad Iudicem Sanctissimæ Inquisitionis priuatiuè quoad laicum, & sic hodie non competit ei nomen casus mixti, quia in eo semper adest abusus Sacramenti Matrimonii, siue formaliter propter malam credulitatem, siue materialiter ex facto ipso hæretico, vt *supra* dictum est, & sic de eorum dictis nulla est ampliùs habenda ratio propter
66 prædicta, præterquam quod vbi in mixto crimine adest suspicio hæresis, prout in Bigamia, illa qualiscunque sit, excludit Iudicem secularem à criminis cognitione. Trasmiera *dicto lib.3. quæst.1. num. 4.* Nam cum qualitas hæreticalis sit potentior, trahit ad se totum negotium, Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 22. num. 12.* Et quamuis causa dari possit, per quam crimen possit trahi ad aliud, quam ad hæresim, tamen sola potentia non sufficit ad impediendum Iudicem Ecclesiasticum, ne procedat in totum, vt post alios egregiè declarat Moura *de Ensalm. sect.3. cap.3. num.8.*

Nec pariter obstat, quod refert Gennen. *in prax. cap.68. num.13.* quod vbi Bigamus
67 est præuentus à Curia seculari debet remitti ad Curiam Ecclesiasticam, quæ torquet ipsum super intentione, & abiurare facit, quod deinde ipsa Curia Ecclesiastica tenetur illum remittere ad Curiam secularem, quæ ipsum punit pro Bigamia, quando verò est præuentus à Curia Ecclesiastica in totum punitur ab ipsa, & non potest ampliùs Curia secularis se intromittere, vt habetur ex litteris Congregationis Sancti Officij, quæ conseruantur in Curia.

68 Nam id nullo modo ampliùs seruatur in praxi, vt benè aduertit Trasmiera *dicto lib. 3. quæst. 1. num. 4.* propter præfatas declarationes, & rationes adductas.

Nec obstat allegata possessio, quam prætendunt habere Iudices laici cognoscendi casus mixtos à tempore immemorabili ex concessione Summorum Pontificum, & sic de Polygamia vti vnus de casibus mixtis priuatiuè quoad Ecclesiasticos, & quia sic fuit dictum per plures Consultationes factas Catholicæ Maiestati *de anno* 1591.

Nam huiusmodi possessio non probatur, nec de tali concessione apparet, imò in contrarium est veritas, vt patet ex publicis scripturis, & documentis iam dictis.

Sed quicquid sit de casibus mixti fori, de Polygamia non remanet ampliùs dubitandi locus, cum inter crimina hæreticalia connumerari debeat, & non mixti fori, prout nonnulli censuerunt, quia est punibile de iure ciuili, *vt in l.Eum qui duas, C.ad l.Iuliam.de Adult.* cum aliis apud Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 40.* nam cum inter hæreses à Sacro Concilio damnatas vna sit asserere, quod liceat Christianis plures simul vxores habere, *vt in Canone 2.sess.24. de reform. Matrimon.* post Concil. fatentur omnes hoc iudicium spectare ad Iudices Sanctissimæ Inquisitionis, eo quia qui plures vxores eodem tempore ducit, malè videtur sentire de Sacramento Matrimonij, vt dictum est.

Nec Consultationes assertæ factæ Catholicæ Maiestati circa cognitionem delicti Polygamiæ obstare possunt ex defectu iurisdictionis, si veluti sententiæ, & decreta facta sunt, quia circa Ecclesiastica
69 negotia, & ad fidem spectantia non extenditur iurisdictio laica, *cap. Decernimus, de Iudic.* Marta *de Iurisdict. tract. 1. & 2.* Sousa *in Aphorism. lib. 1. cap.31. num. 2.* in tantum quod, cum indubitati iuris sit, non posse Principes temporales aliquid dispo-

nere,

nere, vel decidere in causis hæresis, vel saplentibus hæresim, aut spectantibus siue in iis, quæ spectare possunt ad Religionem Catholicam, aut circa abusum Sacramentorum, prout est crimen Polygamiæ, vt ex iam dictis, & colligitur ex *cap. Vt Inquisitionis, §. Prohibemus, de Hæret. in* 6. Bald. *in l. Priuilegia nu.* 3. *C. de Sacrof. Eccles.* & Felin. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num.* 4. *de Constit.* quos etiam refert Trasmiera *dicto lib.* 3. *quæst.* 18. *num.* 46.

Nec minùs obstat fundamentum, quod affertur per Iudices laicos in materia Sortilegii per Text. *in cap. Accusatus, §. Sanè, de Hæret. in* 6. qui disponit, quod nisi Sortile-
70 gium manifestam hæresim contineat, Inquisitores in eo se intromittere non debent, sed Reos Iudicibus suis puniendos remittere: Ex quibus verbis Textus dicunt, quod tunc tollit penitùs iurisdictionem Iudici Ecclesiastico, & Inquisitoribus, & illam dat in specie Iudici laico, reseruans tantùm casum manifestæ hæresis. Nam si rectè considerentur verba Textus prædicti clarè apparebit, non sustulisse iurisdictionem Iudici Ecclesiastico, sed Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, quando tale Sortilegium non sapit hæresim, & cum permittat, tale crimen cognosci à suis Iudicibus, non dat in specie illam iurisdictionem Iudici laico, vt patet ex lectura dicti Textus: Nam dùm dicit, quod Inquisitores debent eos relinquere suis Iudicibus puniendos, verba prædicta debent intelligi de Iudicibus Ecclesiasticis, qui possunt cognoscere de crimine Sortilegii, *can. Contra Idolorum* 26. *quæst.* 5. & *can. Cum Episcopi, eadem quæst.* & tenet Abbas *in cap.* 1. *de Sortileg.* & *in cap. Cum sit Generale de foro compet. num.* 26. vbi dicit, quod pro illis verbis positis *in dicto cap. Accusatus, §. Sanè, de Hæret. in* 6. intelliguntur Episcopi, & Legati.

71 Nec etiam tueri se possunt Iudices laici ex dispositione Sacri Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 4. *de reformat. Matrimon. Multi sunt, &c.*

Nam si attentè legantur verba Sacri Concilii Tridentini, hoc non dicunt, nec est verisimile laicis Iudicibus voluisse delegare causas suspicionis hæresis contra dispositionem sacrorum Canonum, sed potiùs se voluisse conformare dispositioni eorundem sacrorum Canonum, quando scilicet debiles sunt iuribus Episcopi, & Inquisitores, & propter aliquam difficultatem in coercendis criminibus ad eos spectantibus imploratur Brachium seculare, quod denegari non debet, vt tradunt communiter Doctores *in cap.* 1. *de Offic. Ordinar.* & apud Ricciùm *in prax. fori Ecclesiastici par.* 1. *resolut.* 287. vt debitæ executioni demandentur eorum sententiæ, prout in diuersis casibus hoc expressè cauetur in eodem Sacro Concilio, & Sacris Canonibus; cumque in personis vagis laicis hanc difficultatem agnosceret Sacrum Concilium Tridentinum propter illorum improbitatem, voluit paternè monere omnes Iudices Ecclesiasticos, ad quos causa spectat, vt non facilè admittant illos ad matrimonium, & hortari Magistratus seculares, vt requisiti à Iudicibus Ecclesiasticis pro punitionis executione prædictorum improborum hominum, quando opus fuerit seuerè illos coerceant, idest cogant ad subeundum pœnas contra illos impositas à suis Iudicibus, si fuerit imploratum illorum Brachium, hoc enim importat illud verbum *coerceant*, idest cogant.

Vel dicendum est, Sacrum Concilium Tridentinum ibi non loqui de punitione illorum, qui binas nuptias contraherent, sed monet Episcopos Iudices, vt non facilè vagos admittant ad matrimonium, prout etiam fuit per Sacram Congregationem cautum pro diligentiis adhibendis, & hortatur Magistratus seculares, vt vagos seuerè coerceant, siue cogant ad finem præcauendi, ne incidant in talem errorem, vt patet ex illo verbo *coerceant*, & non dicit *puniant*.

Nec obstat dictum Simancæ *de Cathol. instit. tit.* 40. *de Bigamis num.* 3. scilicet, quod si Reus aliquo colore excusetur à suspicione hæresis, tunc consultiùs facerent Inquisitores, si cognitionem istius delicti Iudicibus Ordinariis relinquerent, & sic videtur sentire, quod si constiterit, Reum in fide non aberrasse, nec vnquam credidisse licere simul duas vxores habere, Inquisitores vltra iam inquirere non deberent.

Nam cum in hoc crimine agatur de errore intellectus, nullo modo id constare potest, non credidisse licere simul duas vxores habere, cum factum ipsum sit hæreticale, & in fide suspectum, vt dictum est, ideo in taliter contrahente semper remanet suspicio, quod malè sentiat de Sacramento Matrimonii, & per consequens de fide, dùm non potest constare, quod intentio praua, vel recta sit à tali facto per solam confessionem ipsius, ex quo ad effugiendam pœnam quilibet posset suum prauum animum celare, ideo non est standum confessioni Polygami.

72 Et licet per torturam datam Polygamo super intentione constaret, talem contrahentem binas nuptias non errasse in fide, nec credidisse illas licitas, & sic euacuaret accusationem, & probationem, quoad prauam intentionem, non tamen euacuatio est ità perfecta, vt non remaneat adhuc suspectus ex facto ipso hæreticali contra vnitatem matrimonii, quæ suspicio

purganda venit per abiurationem, & punienda ab Inquisitoribus per pœnas à iure statutas, vt benè aduertunt Trasmiera lib.2.quæst.2.num.8. & Carena par.2. tit.5.de Polygam. §.3. num.20.

Similiter obstare non potest, quod asseritur per Ministros Regios, nempe licet possit deueniri contra Polygamum ad abiurationem de vehementi, & extra ordinem puniri per Ecclesiam, tamen non poterit puniri pœna corporali,& sic remigationis, per Text. in cap.Litteras, §.fin. de Præsumpt. vbi dicitur [Quocirca mandamus quatenùs cum per solam suspicionem (quamuis vehementem) nolumus illum de tàm graui crimine condemnari, talem, ac tantam securitatem accipiatis ab ipso, vt præter iuratoriam cautionem, quod timore pœnæ temporalis debeat coerceri, discretam ei pœnitentiam iniungentes, ex qua valeat apparere; vtrum in tenebris ambulet, an in luce].

73 Nam Textus ille loquitur in alijs casibus, vt non debeat quis condemnari pro delicto ex sola suspicione, sed in casu nostro in terminis Bigamiæ cessante mala credulitate, & errore à fide, remanet adhuc probatum delictum propter factum ipsum hæreticum contra vnitatem matrimonii, & punibile per Inquisitores, vt dictum est etiam pœnis corporalibus, & sic remigationis, iuxta stylum, & obseruantiam Sacri Tribunalis.

74 Neque obstat alia assertio, in qua se fundant Ministri Regij, quod cessante in Bigamo mala credulitate de Sacramento Mattimonij, & facta diligentia per Inquisitores, quomodo sentiat de Sacramento, &c. redderetur Bigamus leuiter suspectus, in quo non cadit abiuratio formalis, nec de vehementi, cum suspicio de per se non faciat aliquo modo crimen merè Ecclesiasticum, sed remaneat delictum simplex stupri, vel adulterij, in quibus casibus lex ciuilis dedit cognitionem, & punitionem Iudicibus secularibus, & punit eos pœnis grauissimis, quæ non sunt impositæ, nec cognitæ per Sacros Canones.

75 Nam Reus Bigamiæ semper est suspectus vehementer de hæresi propter abusum Sacramenti Matrimonij, siue formaliter cum mala credulitate, siue materialiter propter factum ipsum hæreticale, vt est contrahere plura Matrimonia simul, vt supra probatum est, & cum regulariter abusus Sacramenti vehementem suspicionem hæresis pariat, meritò Biganus semper debet abiurare de vehementi ex inueterato stylo Supremi Tribunalis, vt testatur Farinacc. de hæresi quæst. 178. num. 69. Carena par.2. tit.5. §.12.num.61. Quo casu nunquam cognitio competit Iudici laico, sed punitur condignis pœnis impositis per ius Canonicum, iuxta tradita per Abbatem in cap. Cum haberet, de eo, qui duxit, Albertin. de agnoscend. quæst. 23. num. 7. Farinacc.quæst.140.par.1.num.19. Menoch. de Arbitrar. lib.2. centur.5. cas.420. num. 96. qui recenset quinque pœnas Bigamorum, Reginald.in prax. fori Pœniten.lib.31.cap.12. num. 79. vbi ait, quod ille, qui sciens vxorem adhuc viuere,ducit secundam, præter peccatum mortale, quinque pœnas incurrit: Nam in cap. 2. de Sponsa. duorum, illi imponitur, vt quadraginta diebus in pane, & aqua ieiunet, & septem sequentibus annis pœniteat; deinde fit irregularis, ex cap. Nuper, de Bigamis: Tertiò contrahit matrimonij impedimentum, vnum de minoribus significatum nomine criminis: Quartò efficitur ipso iure infamis, ex dicto cap. Nuper. Bellett. disquis. Cleric. par.1. tit. de discipl. Cleric. §.6. num. 5. Et tandem incurrit alias pœnas Adulterij, & Stupri, Couuarr. in Epit. par.2. cap.7.§.3.num.5. & Carena quæstion. Crimin. tit. de quæst. tang. punit.delicti quæst.5.aliàs 4. de fragilit. carnis, pag.477. nu.28. refert, pœnas Bigamorum de iure Canonico, Ciuili, & Regio.

Et cum iam hoc delictum ad Inquisitores pertineat priuatiuè quoad Iudices laicos, Polygamus post iniunctam abiurationem afficitur varijs pœnis salutaribus, nempe ieiunij, orationibus, & alijs similibus, & post prædictas damnatur ad triremes per quinquennium. Et si produxit falsos testes ad probandam mortem prioris coniugis, per septennium, & etiam plus arbitrio Inquisitoris, & cum præcepto de redeundo ad primam vxorem, vt tradunt Simanch. de Cathol. tit. 40. de Matrim.num.6. Trasmiera lib.3.quæst.8.num.24. P.Diana par.4.tract.7.de pœnis delict. num.4. Castro-palao par.1.tract.4.disput.8.punct.16. §.8. nu.2. & alij apud Carenam par.2. tit.5. §.12.num.61.

Ex quibus omnibus satis constat, quod per ius Canonicum, & Summos Pontifices, & Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis dignis, & grauibus pœnis puniuntur huiusmodi Polygami, siue pœnis impositis per antiquos Sac.Canones, siue per posteriores leges, Constitutiones, & Ordinationes Apostolicas, cum Papa possit ex plenitudine suæ potestatis condere leges, & statuere Canones cum pœnis corporalibus pro qualitate delictorum ab Ecclesia puniendorum, quod est indubitati iuris, prout de praxi Sanctissimi Tribunalis testantur Simancha, Carena locis cit. Trasmiera lib.3. quæst.8. num.22.

Nec vrgeant Iudices laici, quod Polygamus post catholicam responsionem redderetur solùm leuiter suspectus, & propterea non intrat abiuratio de vehementi, & per consequens ad eos spectat

cognitio, & punitio illius delicti tanquam simplicis Stupri, & Adulterij.

76 Quia allucinantur; nam non potest dari casus, in quo verè Polygamus etiam absque errore in intellectu, & post catholicam responsionem reddatur leuiter suspectus de hæresi (quicquid sit de consuetudine in Hispania) quod apertè colligitur ex eo quia quis tunc redditur leuiter suspectus de hæresi, quando non deprehenditur ex confessione propria, facti euidentia, aut Testium productione legitima, aut quando aliàs non sunt fortia, ac vehementia indicia, sed modica, & lenia, vt tradunt Eymer. *par.2. qu.55. & par.3. rubr. de quarto modo num.* 161. & ibi Pegna *comment.*40. *& comm.*80. Sousa *in Aphorif. lib.*2. *cap.*40. *num.* 11. Farinacc. *quæst.* 189. §. 1. *num.* 31. *& quæst.* 190. §. 2. *num.* 17. Sed in Polygamia ob euidentiam ipsiusmet facti hæretici, & in fide suspecti propter abusum Sacramenti, non potest dici concurrere solùm modica, & leuia indicia, cum factum ipsum ex binis nuptijs sit probatio delicti abusus Sacramenti, & non indicium modicum, vel leue, & per consequens propter abusum Sacramenti oritur vehemens suspicio hæresis, in qua cadit abiuratio de vehementi, quo casu nunquam competit cognitio Iudici laico, vt ipsimet Iudices laici negare non possunt, nec contradicunt.

Neque insistant Iudices Laici dicentes, cum quis incidat in tale crimen, vbi potest capi coniectura, quod fuerit per lasciuiam commissum, non debet aggrauari, quod malè sentiat de Sacramento Matrimonij, nisi euidentissimis, & notorijs coniecturis hoc dilucidetur, dùm aliquis tripliciter dici possit suspectus, nempe de leui, de vehementi, & de violenta secundùm casuum qualitatem, in tantum quod si aliquis inquiratur de contingentibus raro, vt in aliquibus, erit suspectus de leui; si de contingentibus frequenter (vt in pluribus) erit de vehementi; si de contingentibus semper (vt in omnibus) erit violenter suspectus; de quibus suspicionibus apud Farinacc. *quæst.*36.*nu.*110. Pegna *par.* 2. *comm.* 80. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 10. & proinde inferunt Iudices laici, quod cum rectè dici non possit, delictum Polygamiæ esse de contingentibus frequenter, vt in pluribus, sed rarò, vt in aliquibus, sequitur de vehementi Bigamum non esse suspectum, si absit aliqua coniectura, sed de leui.

77 Nam gratis asseritur absque ratione, & fundamento, delictum Polygamiæ esse de contingentibus rarò, vt in aliquibus, & ideò Bigamum esse suspectum de leui, non de vehementi, si absit aliqua coniectura, quia licet sint vera relata de triplici suspicione hæresis, non tamen potest adaptari suspicio leuis, vt de contingentibus de raro in eo, qui binas simul contrahit nuptias, tùm quia hoc delictum est de contingentibus frequenter, vti est notorium, & patet ex innumeris sententijs super hoc crimine prolatis, & executis, prout in *Summario*, tùm quoque nulla existente mala credulitate, aut errore circa fidem, sed tantùm coniectura, quod fuerit per lasciuiam, adhuc euidentissimis coniecturis ex ipsomet facto esse vehementer de fide suspectum propter abusum Sacramenti Matrimonij ad suam lasciuiam explendam, quod non solùm est de contingentibus frequenter, sed semper, prout in omni casu quacunque de causa id fiat, semper interuenit abusus Sacramenti, vnde vehemens suspicio hæresis, & non leuis oritur, & propterea Polygamus quauis de causa contrahat, de stylo Supremi Tribunalis abiurat de vehementi, Farinac. *d. qu.*178. *num.*69.

Et quamuis daretur casus, quod Polygamus propter aliquas circumstantias redderetur solùm leuiter suspectus, neque Iudicibus laicis posset competere aliqua cognitio, cum incapaces sint ad cognoscendum de hæresi, etiam vbi suspicio est leuis, tam de iure communi, *vt in l.*2. *C. de Hæret.* quem Textum non de leui probatione, sed de leui hæresi intelligunt Doctores, quos refert, & sequitur Farinacc. *de Hæresi quæst.*178. §. 2. *num.* 61. tùm quoque ex Constitutione peculiari Regni, quæ incip. *Inconsutilem*, §. *Ac Inquisitione notatos*, vt hoc notat Andreas de Isern. & Afflict. eamque refert Pegna *inter Litteras Apostolicas*: Nam siue suspicio hæresis sit vehemens, siue leuis, non potest procedere Iudex laicus, sed semper formatur processus per Ecclesiasticum, iuxta formam traditam ab Eymerio *in direttor. par.* 3. *tit.*4. *de modo formandi processum de leui*, & Reus adhuc abiurare debet de leui, vt ait Trasmiera *lib.*2. *quæst.*2. *num.*18. Ex quo leuis suspicio hæresis, non quia Reus lenis est, sed talis dicitur in ordine ad suspicionem de vehementi, dum huiusmodi suspicio leuis secundum se considerata arbitrio prudentum virorum est grauis, vnde ob id Ecclesia eam leuem suspicionem habet in consideratione, dum Christifideles ea suspicione laborantes cogit ad abiurandum, *cap. Accusatus, in princ. de Hæret. in* 6. vt obseruat Freitas ad Acunham *de Confess. sollicit. qu.*5.*nu.*37. Carena *par.*2. *tit.*7. §.12. *num.*66.

78 Et licet hæc abiuratio quadruplex sit, vt ait Pegna ad Eymer. *par.*3. *comment.*40. nempe de leui, de vehementi, de violenta, de formali, sicuti quis pro qualitate suspicionis leuiter, vehementer, aut vio-

lenter suspectus iudicatur, dùm aliquid facit, vel dicit, ex quo hæresis suspicio infertur, vt ait Sousa *in Aphoris. lib.1. cap. 10. num. 8.* Nihilominus omnes istæ abiurationes ratione finis non differunt, cum in id potissimum referantur, vt abiurantes virtute earum adducti in Catholica vnitate contineantur, cum abiuratio, vt tradunt allegati à Farinacc. *quæst. 194.* Sousa *in Aphorism. lib. 2. cap. 40.* sit quædam hæresis detestatio cum attestatione catholicę veritatis, & obligatione, iuramento, ac pœna vallata permanendi in fide Catholica, & sic est medium præseruatiuum ad ampliùs non labendum, quod præstare non possunt Iudices laici. Propterea non est habendum in consideratione, quod tale delictum Polygamiæ reperiatur punibile de iure ciuili, *vt in l.Eum qui duas,C.ad l.Iuliam, de Adulter.* Nam etiam crimen hæresis ab Imperatoribus olim punitum reperitur, *vt in tit. C. de Haret.* & tamen indubitati iuris est, cognitionem criminis hæresis nequaquam ad Iudicem laicum spectare, vt aduertit Carena *dicta par. 2. tit.5. §.3. num.23.*

Reiectis igitur oppositis per Ministros laicos, firma remanet conclusio ad Iudicem Sanctissimæ Inquisitionis spectare cognitionem, & punitionem delicti Polygamiæ priuatiuè quoad Iudices laicos propter abusum Sacramenti, & vehementem suspicionem hæresis inde resultantem ex facto ipso hæretico, etiamquod nullus interueniat error intellectus, nec mala
79 credulitas, licere duas simul habere vxores, sicuti ad Inquisitorem spectare non dubitatur priuatiuè quoad Iudicem laicum, quando quis profert verba blasphemiæ hæreticalis absque errore intellectus, aut coniurationibus, & superstitionibus expresè inuocat Dæmonem pro inueniendis thesauris, vel ad amorem, vel alium effectum, siue comedit carnes sine causa legitima in diebus ab Ecclesia vetitis, etiam sine mala credulitate.

Nam licet is non sit Hæreticus formalis in foro interiori, nihilominus in foro exteriori est suspectus vehementer de hæresi ex facto ipso hæretico, vt post alios obseruat Riccius *in praxi fori Ecclesiastici par. 3. resolut. 495.* Sicuti etiam subditur iudicio Inquisitorum laicus, sine Clericus, qui in gradu Sacerdotali non constitutus celebrat Missas indutus vestibus Sacerdotalibus, quamuis illam non perficeret, nec verba consecrationis proferat, etiam absque errore intellectus, & sine mala credulitate, quia facto catholicam veritatem impugnat: Similiter si idem confessiones audiat sine errore intellectus, & sine mala credulitate, quamuis absolutionem non impendat, ab Inquisitoribus puniri debet, quia facto approbat, quod Hæretici huius temporis falsò licere assenerant, vt notat Sousa *in Aphorism. Inquisitor. lib.1. cap. 32. & 33.* quod etiam de nonnullis alijs fateri oportet, quando in facto ipso hæresis continetur, aut exprimitur: Quod de alijs casibus in facto tantùm hæretico, etiam sine errore intellectus, & mala credulitate dicendum est spectare illius cognitionem ad Iudicem Ecclesiasticum, siue ad Inquisitorem priuatiuè quoad Iudicem laicum, vnde consequenter, & euidenter apparet, quod ex solo facto hæretico resultante ex Polygamia absque errore intellectus, & mala credulitate totalis cognitio spectat ad Inquisitores.

Hæc sub censura, &c.

Paulus Squillantes Canon. Neapol. & Fiscalis.

Ex his quæ doctè (licet fortasse longius quam par erat) & post transmissum meum Votum Neapolim, scripsit in hac materia Episcopus Theanen. tolluntur omnia, quæ in suo tractatu manuscripto, vt se defenderet à comminata excommunicatione per fel.recor.Clementem Octauum, Ioannes Franciscus Regens à Ponte exarauit: Et quia Codex rarus est, apponam hic eius dicta per extensum.

80 De iure communi in delicto Polygamię datur locus pręuentioni,tanquã de casu mixto, sed in Regno per Bullam peculiarem Honorij Tertij, & antiquissimam consuetudinem non datur locus præuentioni, sed Ordinarij, quando delictum est notorium, possunt procedere contra delinquentes quoad censuras Ecclesiasticas Sacramentorum priuationem, & correctionem paternam, *cap.1. de vsur. in 6. cap. Statutum, de maled.* Iudices verò laici procedunt in puniendo eos pœnis corporalibus, & pecuniarijs, & ita pro eodem delicto in eadem persona concurrunt ambo, vt inquit Felin. *in cap. de his, num.10. de Accusat.* Hinc sequitur, quod accusatus de crimine mixto coram Iudice Ecclesiastico, & ab eo causa cognita absolutus, poterit non obstante ea absolutione coram Iudice laico accusari, & puniri, vt omnium consensu attestatur receptum esse, Couarr. *lib.2. variar. cap.1. num.6.* & ratio est, nam iurisdictio Ecclesiastica, & secularis sunt prorsùs separatæ, ac distinctæ, ideò absolutio data in vna iurisdictione non parit exceptionem rei iudicatæ in alia, Bald. *cons.260. lib.3.* sequitur Clarus *in praxi, qu.57. vers. Sed hic occurrit, & vers. Sed quaro*, & hoc iure vtimur in hoc Regno. Ideò cum Biga-

mus non habet errorem in intellectu, non potest dici suspectus de hæresi, imò si examinatus catholicè responderit, omnis abolita est suspicio, vt benè aduertit Baldus in propria materia, *in l. Nemo, C. de Trinit. & fide Cathol.* quem allegat, & secutus est Felinus inferens ad casum de quo agimus, *in cap. Ad abolendam, de Haret. in princ.* Et propterea cum Doctores in hoc articulo loquuti fuerunt, non dixerunt nisi, quod ex hac suspicione potest procedi ad interrogationem; quomodo sentiat Bigamus de Sacramento Matrimonij, & fuit dictum originaliter Lapi communiter secutum, & per Gemin. & Franchum *in cap. Accusatus, §. Sanè, de Haret. in 6.* quod pariter dixit Decian. *in 1. par. tract. crimin. lib. 5. fol. mihi 239. vers. Item si quis publicè*; Melius omnium Belluga *in suo Speculo rubr. 11. §. Iure*, dicens, quod potest interrogari ad sciendum, qualiter sentiat de Sacramento Matrimonij, & si catholicè respondeat dicens, quod voluptate ductus contraxerat, dicit, quod non est hæreticus iudicandus, licet ex delicto sit per suum Iudicem puniendus, subdens [& sic intellige, & limita notata per Lapum, & Geminian. *in d. cap. Accusatus, §. Sanè,*] & Iacobus Simanch. *de Cathol. instit. cap. 40. de Matrim.* dicit, ad secularem Iudicem spectare punitionem huius delicti ex regula Textus *in l. Eum, qui duas, C. de Adulter.* & Iudex Ecclesiasticus debet cognoscere propter suspicionem orientem ex abusu Sacramenti Matrimonij; subdens, quod vsque adeò dumtaxat debet cognoscere, vt planè intelligat, vtrum Reus malè sentiat de Sacramento Matrimonij, quod vbi peregerit functus est officio suo. Nam si constiterit Reum in fide non aberrasse, quia nunquam credidit licere simul duas vxores ducere, videtur equidem, quod Inquisitores vltrò procedere nequeant. Nihilominùs dicit, quod consuetudo inoleuit, loquens in Regnis Hispaniarum, vt interdum istos Reos puniant, sed ista consuetudine abuti non debent, nam si colore aliquo Reus se excuset à suspicione hæresis, consultiùs facerent Inquisitores, si cognitionem hanc Iudicibus Ordinarijs relinquerent, & idem tradit Guttierez *pract. quæstion. lib. 2 cap. 8.* dicens, quod tali casu debent remittere Inquisitores Reum ad Iudicem Ordinarium, quando aliquo colore ductus quis contraxit. Idem tenuit Matienzo *lib. 5. tit. 1. l. 5. Glos. 2.* & Arnald. Albertin. qui fuit Inquisitor in partibus Hispaniarum, in suo tract. *de Agnoscend. par. 2. quæst. 25.* dicit, quod si fuisset Iudex Ecclesiasticus, huiusmodi malefactores remitteret ad suum forum à Iudice seculari puniendos, nisi euidenter constaret, illos de Sacramento Matrimonij malè sensisse; & demùm concludit, quod quando notoriè non adest aliqua qualitas, quæ tribuat iurisdictionem Ecclesiæ, quod nullo modò se intromitteret, & sic videtur, quod requiratur aliqua qualitas necessaria, & euidens, & sic vltra Bigamiam simplicem, & absolutam de per se, & hoc propter grauitatem delicti, & genus pœnæ non cognitum à iure Canonico; & sufficienter per leges ciuiles, & propterea diuersimodè proceditur in hoc delicto, prout facti qualitas expostulat, & semper est capienda coniectura benignior, *vt in Director. Inquisit. cap. 80.* & Pegna *in eodem Direct. par. 2. quæst. 56.* dicit, quod etsi per Inquisitores proceditur contra Bigamos, quia malè videntur sentire de Sacramento Matrimonij, & vt vehementer suspecti solent abiurare; subdit, quod multa solent quandoque suspicionem leuem efficere, interdum etiam omnem suspicionem excludere, quod est à iudicante diligenter obseruandum, & hoc etiam vult docere, Zanchin. *de Hæret. par. 2. cap. 35.* quod ex suspicione hæresis Inquisitores procedunt habita ratione loci, & temporis personarum, & suspicionis qualitate benè considerata, & in hoc crimine hæresis semper capi debet coniectura, & præsumptio hæresim excludens latè Menoch. *lib. 1. Præsumpt. quæst. 100.* Simanch. *de Cathol. tit. 5.* & proptera dicimus, quod filius potiùs præsumitur naturalis, quàm spurius ad euitandum maius delictum, Bald. *cons. 448. 3. dub. vol. 1.* Crauett. *consil. 138. num. 1.* Et sic dum quis in tale incidit crimen, dum potest capi coniectura, quod fecit propter lasciuiam, non debet aggrauari, quod fecerit, quia malè sentiebat de Sacramento Matrimonij, nisi euidentissimis, & notorijs coniecturis hoc dilucidetur, secundum Abb. *vt supra*, & licèt Pegna *in loco præcit.* dixerit, quod Bigamus abiurat de vehementi, tamen si terminos traditos à Doctoribus attendamus, hæc sua opinio, satis dubia videtur; siquidem tripliciter quis potest esse suspectus de leui, de vehementi, & violenter, vt dixit Albertin. *d. suo tract. q. 34. num. 46.* Istæ suspiciones erunt secundum qualitatem casuum; nàm si quis inquiritur de contingentibus raró, vt in aliquibus, erit suspicio de leui; si frequenter, vt in pluribus erit de vehementi; si verò de contingentibus semper, vt in omnibus erit violenter: Similem distinctionem facit Menochius *loco supra alleg.*

Quis enim dicit delictum Bigamiæ esse de contingentibus frequenter, vt in pluribus, sed verè raró vt in aliquibus, de quo experientia rerum magistra, & sic dicimus, minimè de vehementi esse Biga-

mum suspectum, quandò aliqua coniectura non adsit, sed de leni, quod in indiuiduo, Simanc. qui fuit vnus ex Inquisitoribus Regni Hispaniæ *in loc. supra alleg num.6.* & hoc est quod dicitur *in alleg. cap.80. in Director. Inquisit.*

Nam etsi facienda sit in hac materia distinctio de suspicionibus maximis, seu violentis, tamen dicit, quod ex vnaquaque ipsarum proceditur, sed diuersimodè, prout facti qualitas expostulat; *Nam de leui non debet quis imputari*, dicit ipse, *ad præsumendum tam graue delictum, sed semper benignior lectura capienda est*, ergò non cadit abiuratio formalis, & debet ad Iudicem laicum remitti, cumque secundum eundem Albertinum *quæst. 74. num. 45.* præsumptio differat à suspicione, quia præsumptio euidentiora requirit, quam suspicio, multò magis hoc erit in leui suspicione, & hic cadit, quod Doctores dicunt, quod ex suspicione potest procedi ad Inquisitionem, non autem ad citationem, nisi grauiora sint indicia, nam tunc erunt præsumptiones, & argumenta, de quo per Iul. Clar. post Boss. *in praxi lib. 5. §. fin. quæst.20.* & Bartol. *in l. Admonendi, ff. de Iure iuran. num.21.* dixit, quod vt leue indicium, vel vt leue argumentum appelletur suspicio, quæ aliqualiter mouet animum Iudicis, & quod non potest quis ex suspicionibus condemnari, allegat Text. *in l. Absentem, ff. de Pœnis*, vbi est casus, *vt dicit ipse*, quod appellatur suspicio primus gradus probationis, propterea dico, quod mysteriosè Doctores in hoc casu dixerunt, quod potest procedi ad interrogandum, siue inquirendum, quomodo sentiat Bigamus de Sacramento Matrimonij, non enim dicit, quod procedat, sed inquirat, & quod interroget, & de hoc tantum fuit lex contenta ex leui suspicione, quæ potest fieri violenta ex qualitate responsionis, & facti, & tunc transit in vehementem, & cadit abiuratio, vtpura si dixisset, quod quandoque credidit posse contrahi Matrimonium cum duabus, vel descendit ex Secta Mahometana, vel adest aliqua coniectura ad idem tendens, tunc iustè cadit abiuratio, sed in eo, qui nunquam errauit de Sacramento Matrimonij, non videtur ex leui suspicione posse procedi, & meritò in illis casibus ciuilis lex dedit cognitionem, & punitionem Iudicibus laicis, quæ punit tales Bigamos pœna stupri, vltra alias indifferenter à Doctoribus positas, de quo per Arnald. Albertin. *loc. cit.* & per Couarr. *de sponsal. 2.par. cap.7. §. 3.* latè Menoch. *de Arbitrar. lib.2. cas.* 420. & cumulatè Siluester Aldobrand. Pater dignissimus Sanctissimi Pontificis *in repetit. §. Affinitatis Instit. de Nupt. num.11.* qui nihil dixit de Iudice Ecclesiastico in hoc delicto, quod tamquam atrox, & exemplare, & graue, Doctores omnes pœnis grauissimis impositis per leges ciuiles semper tractauerunt de punitione danda per eosdem ciuiles, seu seculares Iudices, quæ pœnæ non sunt impositæ, nec cognitæ per Sacros Canones, & in hoc casu etiam loquuntur *Decisiones supra allegatæ*, quod facta diligentia per Inquisitores, quomodo sentiat Bigamus de Sacramento matrimonij, vlterius procedere non debeant, nam remanet tunc simplex delictum stupri, vel adulterij; Nam suspicio in casu, de quo agitur, remanet extra omnem dubitationem purgata per torturam illatam, cum per eam veritas elucidetur, omniaque indicia, imò probationes, & sic multò magis suspiciones tolluntur ad Textum *in l. Edicto Diui, ff. de quæstion.* vt ibi Albericus notat, & Bossius *de Confessis* voluit, quod per torturam non solùm purgentur indicia, sed etiam probationes veræ, quod etiam tradit Farinace. *tit. de Inquisit. qu.4. num. 26.*

Hinc Doctores quærunt, si debeat sequi sententia absolutoria totaliter, stante purgatione omnium indiciorum, an verò absolutoria ab obseruatione indicij, de quo Menoch. *de præsumpt. quæst. 93.* & si ratione peccati Iudex Ecclesiasticus vellet cognoscere, suspicando, quod potuerit fieri peccatum tanquam permissum, & sic contra præcepta Ecclesiæ dicit notabiliter melius omnium, Anchar. *in cap. Ea, de Reg. iur. in 6.* quod per hunc medium indirectum infinitæ causæ laicorum deducerentur ad Ecclesiasticum forum, & per consequens absorberetur tota iurisdictio secularis contra mentem omnium legum, & Canonum, ob quod dicit ipse, quod obtinuit, quod accusatus de Bigamia coram Iudice laico cognosceretur, & totum esse, Iudicem Ecclesiasticum de iis non se intromittere, aliàs *dicit ipse*, quod per istam rationem Directorium spiritualitatis generaliter consideratum Papa ad suum forum traheret plura genera causarum, quæ Ciuili iure agitari debent coram Iudice Ecclesiastico, & esset quædam iurisdictionis confusio, & esset turbare officia iurisdictionis, quæ sunt penitus distincta; Et idem notabiliter tradit Barbat. *in cap. Cum sit generale, de foro compet. num. 227.* sequens in omnibus, Anchar. dicens, quod cognoscit Iudex laicus de Bigamia, nec remittit ad Iudicem Ecclesiasticum, & sic non attenditur illa leuis suspicio, præsumendo etiam maius delictum, & sequendo partem benigniorem, quod ex lasciuia successisset delictum, & non quia malè sentiebat de Sacramento matrimonij, &

propterea ad maiorem cautelam consuetum fuit interrogandi Bigamum, qui si catholicè respondeat, remittitur cognitio ad Iudicem secularem.

Hinc Abbas *in d. cap. Cum sit Generale* dicit, quod licèt per adulterium peccatur contra matrimonium, quod est vnum de Sacramentis Ecclesiæ, & sic videtur peccare contra Ecclesiam, tamen Iudex laicus cognoscit, licèt possit etiam cognoscere Ecclesiasticus de iure communi ad diuersos tamen effectus, & genera pœnarum, & proinde dicitur crimen mixtum, vt per eundem Abbatem *in cap. 1. de offic. Ordinar. & in cap. Cum haberet, de eo, qui duxit*, & idem voluit in effectu, Bald. *in Auth. Clericus quoque, C. de Sacrosf. Eccles.* vt non de omni crimine debeat Iudex Ecclesiasticus cognoscere ratione peccati, nam alias posset sibi vsurpare totam iurisdictionem temporalem, quem refert, & sequitur Episcopus Nicoteren. *in addit. ad Andream in cap. Imperialem, §. Illud quoque, num.83. verf. Nec tamen onerosus, de prohibit. alien. feud.* vbi Andreas benè loquitur, & ratione peccati non debet Papa taliter esse onerosus, & delicatus, vt quærat colorem absorbendi Regiam iurisdictionem, à quibus non est alienum, imò satis ad propositum, quod Doctores communiter tradiderunt in materia sortilegij per regulam Textus *in cap. Accusatus, §. sanè de Hæret. in 6.* qui disponit expressè, quod nisi sortilegium manifestam hæresim contineat, Inquisitores in eo se intromittere non debent, sed Reos Iudicibus suis puniendos remittere, ex quo notant Doctores, quod licèt sortilegia de per se sapiant hæresim, seu habeant illius suspicionem, licèt non sit hæresis manifesta, vt per Oldrad. *cons. 210. verf. Secundò tamen*, quia potest committi absque alia hæresis suspicione, voluerunt propterea esse crimen mixti fori, & posse Iudicem laicum de illo cognoscere, vt per eundem Abbatem *in cap. 1. de sortileg.* Paulus Ghirland. *de sortileg. quæst. 10. nu. 4.* & hæc est communis opinio, vt per Iulium Clar. *in prax. in verbo hæresis*, Multa cumulat Hippol. Riminald. *cons. 414. volum. 4.*

Igitur sicuti in sortilegio requiritur manifesta suspicio ad finem cognoscendi priuatiuè per Iudicem Ecclesiasticum, cum alias delictum est mixti fori, & consequenter erit etiam competens Iudex laicus, & non sufficit simplex suspicio ad abdicandam iurisdictionem; ità pariter dicendum est in casu, de quo agitur, ex quo apparet malè sensisse sentientes hoc delictum Bigamiæ spectare priuatiuè ad Ecclesiasticum forum, & quod eo ipso, quod quis est Bigamus debet abiurare de vehementi, nam si hoc esset verum, sequeretur, quod nunquam daretur cognitio Iudici seculari, sed consequens est falsum, quia est delictum mixti fori, & datur præuentio, ergo sola suspicio de per se ortum tantùm habens ex Bigamia, non est sufficiens, nec facit aliquo modo delictum Ecclesiasticum; & sicut notorium est, quod existimus in Regno in possessione, vel quasi cognoscendi priuatiuè de sortilegiis non continentibus manifestam hæresim, quare debet admitti possessio, vel quasi, in qua stamus cognoscendi de delicto Bigamiæ, quando qualitas aggrauans aliàs non adest, *vt supra* latiùs dictum est.

Quæ omnia terminare debet sacrum Concilium Tridentinum *sess.24.c.7.de refor. matrimonij, incipien. Multi sunt qui vagantur*; Vnde postquam per Tridentinum Concilium laicis Magistratibus commendatur seuera Bigamiæ coercitio, ergo ipsi sunt verè, & propriè Iudices, vt ad eos punitio spectet, & Concilium Tridentinum non attendit leuem suspicionem, sed præsupponendo omnia ex lasciuia, casu, & voluptate procedere voluit per laicos Iudices, & per suas leges istos punire, nullamque mentionem facit de Ecclesiasticis Iudicibus; *Hactenus Io: Franciscus Regens à Ponte.*

Doctrinam hanc Regentis à Ponte secuti sunt, & sequuntur Ministri Regij ad fundandam eorum prætensam iurisdictio-
81 nem in causis Polygamiæ; sed quàm futilia, & debilia sint fundamenta adducta in hac Regentis consultatione, nemo non videt, & credimus satis abundè fuisse responsum, tum à me, tum ab aliis, qui pro Ecclesiastica iurisdictione scripserunt, & quorum consultationes fuerunt superiùs impressæ, & si quid deficeret, latissimè respondet doctissimus Trasniera *in suo peculiari tractatu de Polygamia, seu Polynuria*, & per Carenam *loco superiùs citato*, & nouissimè per Fermosinum post hæc scripta visum *in cap. Nuper, de Bigamis non ordinandis à num. 9.* vbi *num. 40.* reprobat assertam consuetudinem Neapolitanam, ex qua prætendunt Ministri laici cognoscere de huiusmodi delicto, & reijcit *decis. 36.* Vincent. de Franch.

Nam tota vis *consultationis* à Ponte in eo consistit, quod Polygamus reddatur tantummodo leniter suspectus, quæ leuis suspicio non debet auferre iurisdictionem à Iudice seculari, & tradere eam Inquisitori, qui non potest cognoscere, nisi de sapientibus hæresim manifestè, in qua
82 conclusione enormiter errat; Nam ad tribuendam iurisdictionem attenditur factum, non suspicio, ex facto enim merè hæreticali potest leuis suspicio tantummodo insurgere, quia illa arguitur ex quali-

tate perſonarum potiùs, quàm ex facto ipſo, latè Carena *par. 3. de abiurat. tit. 12. §. 9. num. 45. verſ. Primo.*

Et quamuis Polygamo deberet indici abiuratio tantùm de leui, vt fit ex conſuetudine Tribunalis Sanctiſſimæ Inquiſitionis Hiſpaniæ; Illa tamen abiuratio ratione finis non differt à vehementi, & à violenta, vt benè doctiſſimus Pegna *3. par. Director. comment. 40. verſ. Quamquam*, & poſt hæc ſcripta viſus Franciſcus de Magiſtris Canonicus Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolis, & in ea Curia Cauſarum Iudex, & Conſultor *in 2. to. Sylua Eccleſiaſtica lib. 2. cap. 16. num. 8.* tenet etiam in Regno Neapolitano crimen Polygamiæ ſpectare ad Iudices Eccleſiaſticos priuatiuè quoad Iudices laicos, reprobando aſſertionem, ſiue doctrinam Gennen. *& deciſionem* Vincentij de Franchis *36. num. 4.* qui liber impreſſus eſt Neapoli *anno* 1658. cum omnibus licentijs requiſitis, quam opinionem latiſſimè defendit etiam poſt hæc ſcripta impreſſus Pignatell. *Conſult.* 114. *per totam.*

Sed meliùs omnium poſt hæc ſcripta pariter à me viſus, vt dixi, doctiſſimus Hiſpanus Nicolaus Rodriquez Fermoſin. *ad cap. Nuper de Bigam. non ordinan. quæſt. 4. à num. 1. vſque ad 84. incluſiuè*, vbi noſtris ferè rationibus, & alijs tuetur, delictum Polygamiæ ſpectare priuatiuè quoad Iudices laicos ad Tribunal Sanctiſſimæ Inquiſitionis.

Et in Hiſpania ob priuilegium Summorum Pontificum etiam quoad Epiſcopos, & refert, quod cum *de anno* 1659. orta eſſet controuerſia inter Conſilium Aragoniæ, & Sanctiſſimum Inquiſitionis Officium ſuper cognitione cauſæ cuiuſdam Michaelis Polygami, & Conſilium Aragoniæ prætenderet ad ſe ſpectare, tanquam delictum mixti fori, relatis conſultationibus Sereniſſimo Regi Philippo Quarto mandauit, quod Conſilium Aragoniæ deſiſteret à cognitione prædictæ cauſæ, & eam omnino remitteret Sanctiſſimo Tribunali Inquiſitionis, cuius Decreti verba idiomate Hiſpano ſunt infraſcripta:

El conocimento de eſta cauſa pertenece ala Inquiſicion, y an ſi è mandado que por el Conſejo de Aragon ſe ordene, que la Iuſticia ordinaria alze la mano de ella, y remita el preſo, y los acutos ala Iuquiſicion de Cerdenna:

Apprehendant ergo Miniſtri laici nonnullorum Italiæ Principum, qui putant hoc delictum eſſe mixti fori, & mordicùs tuentur ſuam opinionem ex hoc Decreto Regis piiſſimi (quatenus diſpoſitioni ſacrorum Canonum obedire nequeant) quàm longè à veritate, & à pietate aberrent.

Hinc fit, quod non ſolùm contrahentes binas nuptias, ſed contrahentes ſolùm
83 ſponſalia cum alia, viua priori coniuge, ſubduntur foro Inquiſitorum, quamuis huiuſmodi ſint ſolùm ſuſpecti leuiter de hæreſi, vt latè contra Riccium probat Carena *par. 2. tit. 5. §. 6. & 7.* De Magiſtris *loc. cit. num. 29.* poſt Coſtam *de remed. ſubſid. remed. 15. num. 18.*

Et iſte eſt ſtylus inconcuſſus huius Supremæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis, de quo teſtatur bo. mem. Cardinalis Scaglia *in ſua praxi cap. 6.* & cum eo alij moderniores, nempè Alberghin. *cap. 27. nu. 18.* Bordon. *cap. 22. quæſt. 39. num. 74.* Diana *par. 4. tract. 7. reſolut. 4.* Traſmiera *de Polygam. lib. 2. quæſt. 3. num. 16.* De Magiſtris *loco citato num. 19. & 20.*

Et propterea huiuſmodi ſecundum matrimonium puniuntur ab Inquiſitore Hiſpaniarum priuatiuè quoad laicos, quamuis apud eos non abiurarent, vt dicit Traſmiera *dicto num. 16.*

An autem contrahens bina ſponſalia ſubdatur iudicio Inquiſitorum, negatiuè
84 reſolutum eſt cum Diana *par. 4. tract. 7. reſolut. 4. in fine*, quem ſequitur Traſmiera *de Polygam. lib. 2. reſolut. 4. nu. 15.* Fermoſin. *in cap. Nuper, de Bigamis non ordinandis*, & priùs *in rubr. quæſt. 1. num. 25.* vbi hoc dicit procedere, etiam quod alteram ex ſponſis cognouiſſet, P. del Bene *par. 2. dubit. 209. num. 12. verſ. Secùs.*

85 Et propterea cauendum eſt à Cantera *cap. 4. de adulterio, num. 29. verſ. Sed dubitari poſſet*, dicente, quod contrahens bina ſponſalia, ſi alteram cognouit, ſubditur Iudicio Inquiſitorum, & ſic fuiſſe iudicatum in Inquiſitione Murciæ contra quendam Merinum, ea ratione, quia per copulam ex fictione iuris reſultat matrimonium, quem ſequitur Carena *dicto §. 7. num. 46. in fine*: Nam poſt Concilium Tridentinum ſponſalia, ſecuta copula, non tranſeunt
86 in matrimonium, nec verè nec fictè, vt per Traſmieram *de Polygam. quæſt. 4.* & reſolutionem Cantheræ eſſe periculoſam dicit Fermoſinus *dicto cap. Nuper, num. 73.* Cum ergo non fiat iniuria Sacramento, dicendum eſt, bina ſponſalia contrahentem, etiam copula ſubſecuta, non ſubdi Iudicio Inquiſitorum.

Et certè meo tempore nunquam vidi contrahentes bina ſponſalia fuiſſe in Sancto Officio denunciatos, nec contra illos Suprema, &c. proceſſiſſe.

87 Si autem vxoratus contraheret ſponſalia ſub conditione non ineundi matrimonij, niſi mortuo coniuge, non ſubderetur Iudicio Inquiſitionis, quia præſeruatur iniuria Sacramenti, Bordonus *in Tribunal. cap. 22. num. 74. in fine*, quem ſequitur Fermoſinus *d. cap. Nuper, num. 71.*

Idem dicendum eſt de eo, qui contrahit, non ſeruata forma *cap. Dominus, de* *ſecundis*

secundis nuptijs, nam & is subditur iudicio Inquisitorum priuatiuè quoad Iudices laicos, licèt his iniungatur solummodo abiuratio de leui, sic Farinacc. *de haeresi qu.* 178. §. 7. *nu.* 71. Masin. *in prax. par.* 9. *assert.* 43. Salelles *to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 20. *reg.* 140. *nu.* 28. Carena *par.* 2. *tit.* 5. §. 4. *num.* 27. *& seq.* Franciscus de Magistris *d. cap.* 16. *num.* 13. qui dicit, his iniungendas esse abiurationes de vehementi.

AT in hac re mihi ratiocinandum est; Nam aut quaerimus, an subdatur foro In-
88 quisitorum ille, qui non seruata forma *cap. Dominus, & cap. In praesentia, de sponsal.* reperitur verè Polygamus, & iste proculdubio subditur iudicio Inquisitorum, non tantùm quia non seruauit solemnitates, sed quia verè detecta Polygamia, debet puniri vti Polygamus, vel denunciari, quod contraxerit secundum matrimoniũ non seruata forma, *cap. Dominus, & cap. In praesentia*; Aut non probatur per Fiscum superuiuentia prioris coniugis, & isto casu fortassè tutiùs facerent Inquisitores, si cognitionem huius remitterent Ordinarijs, & in hoc casu verificari potest opinio Simanchae *de Cathol. tit.* 40. *de Matrim.* & Guttierez *pract. quaest.* 8. *num.* 3. *lib.* 2.

Quod praesertim haberet locum, si essemus in muliere, quae virum militem ha-
89 buit, & Testes deponerent, famam ortam fuisse, ipsum decessisse in conflictu, vel deponerent mare fuisse ingressum, nec vnquam amplius comparuisse, famamque irrepsisse, ipsum naufragio sublatum, vel aliàs per longissimum tempus absuisse, quia tunc non negari potest, quin adsit in sic contrahente bona fides, vel saltem aliqua excusatio, quae sicuti excusat mulierem ab adulterio, *cap. Quoniam frequenter, §. Porrò, vers. Si autem, vt lite non contestata*, iuncta Glossa *in ver. Praesumitur*, ità multò magis debet eam liberare ab haeresis suspicione, vt benè ratiocinatur idem Guttierez *loco citato num.* 3. facit Textus *in cap. Cum per Bellicam* 34. *quaest.* 2. ibi:

Nec tamen culpabilis iudicetur, & tanquam alieni iuris peruasor habeatur, qui personam eius mariti, qui iam non esse existimabatur, assumpsit, & inculpabile iudicandum est, quod necessitas intulit.

Nec obstat, quod non possit dari in Polygamo bona fides, quia hodie per Textum *in d. cap. Dominus, & in d. cap. In praesentia*
90 requiritur certus Nuncius de morte viri, quia licèt per illos Textus correcta sint iura Ciuilia, & praesertim *Authen. hodiè C. de repud.* (quicquid dixerit Bartol. *in l.* 2. §. *si dubitet num.* 1. *ff. Quemadmodum testamenta aperiantur*) vt notat Anchar. *in dicto cap. Dominus in fine*, & Glos. *in cap. Quoniam frequenter, ver. Praesumatur, vt lite non contestat.* & benè docent Canonistae *in dicto cap. In praesentia*, & alii, quos refert Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *de matrim. consens. disp.* 47. *num.* 2. *vers. Sed dicendum*.

Nihilominus non est adeo arctata probatio mortis viri ad certum Nuncium, quod non possit probari per aliud genus probationis, quod constituat certitudinem moralem, vt benè docet Auersa *de Sacramento matrimonij, quaest.* 14. *de impedimento ligaminis sect.* 3. *vers. Communiter*; Imò & per famam iunctis adminiculis Glos. *in cap. Quoniam frequenter, ver. Praesumatur, vt lite non contestat.* Doctores *in cap. In praesentia de sponsal.* vbi Butr. *num.* 7. Alexand. de Neuo *num.* 15. *&* 19. Abbas *num.* 6. cum alijs per Sanchez *d. lib.* 2. *de matrim. consens. disput.* 46. *quaest.* 3. *num.* 15. Farinaccius *quaest.* 140. *num.* 62. *&* 63. ad quem recurre,

Et aduertendum est, quod licèt Doctores *in d. cap. Dominus, & in d. cap. In*
91 *praesentia*, declarando illa verba *Certum Nuncium* dicant saltem, vnum testem de visu debere deponere de morte coniugis; quod voluere etiam Sanchez *d. disput.* 46. *num.* 10. Farinaccius *d. quaest.* 140. *num.* 73. Barbosa *d. cap. In praesentia, num.* 3.

Hoc tamen non ità accipiendum est, vt nisi adsit testis, qui deponat vidisse mor-
92 tuum coniugem, non possit concedi licentia nubendi, sed debet intelligi, vt coniux, siue Iudex mittant certum Nuncium ad indagandam mortem coniugis, qui factis diligentijs referat, quid inuenerit super morte coniugis, ità Petrus de Soncino *cons.* 25. *num.* 4. *inter cons. matrim.* quem sequitur Farinaccius *d. quaest.* 140. *num.* 67. *&* 68.

93 Cui Nuncio tamen non est passim credendum, sed ex qualitate personae, & alijs circumstantijs, quanta sit illi fides adhibenda prudens Iudex arbitrabitur, Petrus de Soncino, & Farinacc. *locis citatis*.

94 Minus obstat, quod talis sic contrahens exponat se morali periculo committendi Polygamiam, & sit eiusdem malitiae constituere se in morali periculo committendi aliquod crimen, atque illud committere.

Quia haec benè possunt habere locum in foro conscientiae, secùs autem in foro externo, aliàs sequeretur, quod quis posset puniri eadem poena pro delicto attentato, qua puniretur pro delicto commisso.

95 Et bona fides tantò magis adesset, si de licentia Iudicis Ecclesiastici coniux secundum matrimonium iniret, quia tunc ab eo omnis suspicionis labes arcetur; Cum decretum Iudicis sufficientem excusationem illi praebeat Bartol. *l. Frater à fratre nu.* 51. *ff. de condit indebit.* Dec. *cap. Quoniam contra n.* 42. *de prob.* Hond. *cons.* 33. *n.* 25. *lib.* 2.

97 Sed in isto casu Iudex Ecclesiasticus pœnam non euitaret, si verè non seruata forma *d. cap. Dominus*, *& d. cap. In præsentia*, licentiam celebrandi matrimonium concederet, quia ad eum spectat cognoscere, an sufficienter probata sit mors coniugis; licèt enim, an probatio mortis sufficiens sit, reponatur in illius arbitrio, Abbas *in d. cap. In præsentia num.* 6. & ibi Alexander de Neuo *num.* 16. Farinaccius *quæst.* 140.*nu.*75. Hoc tamen arbitrium debet esse regulatum à iure; Ideo inoleuit praxis in Suprema, &c. Quod si quis porrigat supplicem libellum petendo, vt admittantur probationes super morte viri, vel vxoris, semper huiusmodi petitiones remittuntur ad Eminentissimum Cardinalem Vicarium Vrbis, qui pro sui arbitrio, & prudentia prouideat.

Qui Iudex tantò magis obnoxius esset pœnæ, si admissis ab eo insufficientibus
98 probationibus prædictæ mortis, vir, vel vxor viui reperirentur. Et memini Ioannem Baptistam Ciarlinum (alioquin virum doctum, Vicarium Generalem Episcopi Regij Lepidi, cum admisisset pro legitima probatione mortis vnius ex remigantibus in triremibus Venetis quandam attestationem, quæ supponebatur facta à Capitaneo triremis, in qua infelix ille morabatur, quæ tamen legitimè recognita non fuerat, & licentiam dedisset contrahendi secundum matrimonium vxori dicti remigis, quo contracto vir primus comparuit) fuisse vocatum à Suprema, &c. ad Vrbem, licèt postea ob eius doctrinam fuerit statim dimissus sola monitione per Me de mandato Sacræ Congregationis illi facta.

Quod verò asserit Carena, Parochum fuisse suspensum ab officio per quinquen-
99 nium, eo quia non adhibuit diligentiam in indagando à muliere suam qualitatem, hoc fortasse accidit, quia suo marte, & non præcedente licentia Curiæ Episcopalis processit ad celebrationem matrimonij, aliàs cum non spectet ad eum indagare, quando adest copia Iudicis, an probationes sufficientes sint, necne, nullo modo poterit puniri, si de licentia Iudicis matrimonium celebrasset.

Qualiter autem debeant deponere testes, qui inducuntur ad probandam mortem coniugis, seu libertatem volentis matrimonium contrahere, docetur in sequenti Instructione, quæ de mandato Supremæ, vt euitarentur falsorum testium depositiones, quæ frequentes erant, fabricata fuit.

INSTRVCTIO

Pro examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimonijs, tam in Curia Eminentiss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Vrbis Vicarij, quàm in alijs Curijs cæterorum Ordinariorum.

100 IN primis, *Testis moneatur de grauitate iuramenti in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Diuina simul, & Humana Maiestas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & grauitatem, & quod imminet pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.*

Secundò, *interrogetur de nomine, cognomine, Patria, ætate, exercitio, & habitatione.*

Tertiò, *an sit ciuis, vel externus, & quatenus sit externus, à quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.*

Quartò, *an ad examen accesserit spontè, vel requisitus*: Si dixerit accessisse spontè à nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax. Si verò dixerit accessisse requisitum; *Interrogetur à quo, vel à quibus, vbi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.*

Quintò, *interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.*

Sextò, *interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, qua occasione, & eorum qualitatis, vel conditionis existant.*

Si responderit negatiuè, testis dimittatur, si verò affirmatiuè.

Septimò, *interrogetur, an contrahere volentes sint ciues, vel exteri*: Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarij ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Ciuitate, vel Diœcesi.

Ad probandum verò eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet vsque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo, quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si verò responderit, contrahere volentes esse ciues.

Octauò, *interrogetur, sub qua Parochia*

hactenus contrahere volentes habitauerunt, vel habitent de præsenti.

Item, an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

Si verò testis responderit, non habuisse vxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, vt supra.

Nonò, *interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit vxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, & quod ipse testis nesciat.*

Si responderit affirmatiuè, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse vxorem, vel maritum, neque vllum aliud impedimentum, &c.

Si verò responderit negatiuè.

Decimò, *interrogetur de causa scientiæ,* ex qua deinde Iudex colligere poterit, an testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habuisse vxorem, vel maritum, sed esse mortuos.

Vndecimò, *interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, & nunc esse mortuos.* Et si respondeat, mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse à militibus, non detur licentia contrahendi, nisi priùs recepto testimonio authentico à Rectore Hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel à Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadauera, vel si fieri potest, à Duce illius Cohortis, in qua descriptus erat miles.

Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ, & sufficientes.

Duodecimò, *interrogetur, an post mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volendibus, transierit ad secunda vota.*

Si responderit negatiuè.

Decimotertiò, *interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo, quod ipse testis sciat.*

Si responderit affirmatiuè, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negatiua coarctetur concludenter.

Si verò negatiuè.

Decimoquartò, *interrogetur de causa scientiæ,* qua perpensa, Iudex poterit iudicare, an sit concedenda licentia, vel nè.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, & in aliis seruata forma Concilij Tridentini *in cap. Multi, sess. 24.*

Fides aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarij, & recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, & sigillum, & attentè consideretur, quod fides, seu testimonia benè, & concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quàm extranei, quia præsumuntur meliùs informati, & ciues magis, quàm exteri; nec admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio; Et Notarius exactè describat personam testis, quem si cognoscit, vtatur clausula: *Mihi benè cognitus.* Sin minus examen non recipiat, nisi vna cum persona testis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum.

Et huiusmodi examinibus debet interesse in Vrbe vltra Notarium, Officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario, & extra Vrbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, & idonea ab Episcopo specialiter deputanda; aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarij præcipiant omnibus, & singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus, vt pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, à quo, vel eius Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum Tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, &c.

Contrauenientes autem seuerè puniantur.

Romæ ex Typographia Reu. Cameræ Apost. MDCLXX.

101 Aduertendum tamen est, quod Testes, qui ad annullandum secundum matrimonium probare intendunt coniugem aliud primo matrimonium contraxisse, debent esse omni exceptione maiores, *cap. 1.* vbi Gloss. *in ver. Maiores, de consang. & affinit.* Cæsar de Grass. *decis. 5. de Sponsal.* Rota *decis. 209. num. 1. & seq. par. 1. diuers.* & coram Martino Andrea *decis. 55. sub num. 3.* vbi alias allegat decisiones.

Ad istum enim effectum requiruntur plenæ, & concludentes probationes, Pa-

ris. conf. 54. *num.* 15. *lib.* 4. cum aliis *in dicta decis.* 55. coram Martino Andrea *allegat.*

102 Sed cum nihilominus delictum Polygamiæ frequenter committeretur, præsertim in Ciuitate Neapolitana, fuerunt de mandato Sanctissimi datæ litteræ ad Eminentissimum Cardinalem Archiepiscopum, tenoris infrascripti:

Essendosi visto per isperienza, che la frequenza del delitto di Poligamia proviene dalla facilità, colla quale si ammettono, e si esaminano i Testimoni, ancorche non conoscinti, senza farli specificare le circostanze necessarie, per pruouare la libertà di coloro, che gli inducono, per contrarre matrimonio, fu per ordine della Sagra Congregazione del Sant'Offizio, non è molto tempo, mandata agli Ordinari tutti copia dell'alligata Istruzzione, affinche se ne seruissero negli esami di quelli; ma perche la moltitudine de' Poligami, che s'ispedisce dal Sant'Offizio dinota la puoca osseruanza di quella: Ha Sua Beatitudine, col parere di questi Eminentissimi miei, risoluto, che di nuouo la mandi a V. Em. ed a tutti gli Ordinari, acciochè sopra tutti gl' Interrogatori contenuti in essa s'interroghino i Testimoni, che verranno indotti da i contrahenti, e si facciano nelle risposte euacuare bene le cose, che si domandano, con auuertirli, che deponendo il falso, saranno seueramente gastigati con pena di Galera, e con altre pene.

E perche l'ignoranza de' Notari, congionta all'interesse, è di molto danno in questo affare, ordina la Santità Sua, che i Testimoni non si esaminino da' soli Notari, ma auuanti di Vostra Eminenza, o del suo Vicario, a' quali, perche sieno più occulati, ed auuertiti, proibirà il pigliar cos'alcuna per simile esame, sotto pena della priuazione dell'Offizio, e di altre pene corporali; ma il tutto si faccia gratis, etiam quoad scripturam.

In oltre per ouuiare alle frodi, che si possono commettere, V. Em. per ordine di questa Sagra Congregazione farà far precetto a tutt'i Curati della sua Diocese, che quando si auranno a celebrar Matrimoni frà persone forastiere, non facciano le pubblicazioni nelle loro Chiese, senza darne auuiso all' Ordinario di essi, da cui, o dal suo Vicario, debbano prima riportar fede autentica, che pel Matrimonio, che s'hà da contrarre, sono stati esaminati Testimoni, i quali pruouano lo stato libero de' contraenti; e per commandamento precisö di Nostro Signore, significo a V. Em. che non osseruandosi le cose sudette, e seguendo per ciò il delitto di Poligamia, la Sagra Congregazione farà risentimento contro i Vicari, Parochi, e Notari, come quelli, che auranno dato causa ad vn tanto eccesso.

Affinchè adunque non si trascurino questi ordini, si compiacerà V. Em. di far registrare, ed affigere copia della presente, e dell' Istruzzione, in cotesta sua Cancellaria, e di farle riporre nell'Archiuio Archiepiscopale per memoria de' suoi Successori.

Restarà anco seruita di dar parte de' sudetti ordini a' Vescoui suoi Suffraganei per l'esecuzione, ed osseruanza di essi. E per fine, &c. Di Roma li 30. Agosto 1636.

Di V. Em.

Humiliss. ed affezzionatiss. Seru.

F. Card. Barberino.

Et quia nonnulla circa executionem prædictarum litterarum, & Instructionem emerserunt dubia, Sacra Congregatio resoluit vt infra:

Prima difficultas est: An prædictarum litterarum forma sit obseruanda in casu necessitatis, & sic existentibus contrahere volentibus exteris in articulo mortis.

Secunda. An attestatio Ordinarij requiratur pro illis exteris, qui discesserunt ab eorum infantia, vel tempore non nubili, & peruenerunt ad locum, vbi matrimonium contrahere cupiunt, ibique continuò permanserunt.

Tertia. An requiratur pariter attestatio Ordinarij pro exteris, qui per decennium, & vltra, domicilium acquisiuerunt in loco, vbi matrimonium sunt contracturi, si eorum status liber probetur per Testes fide dignos tam originis, quàm domicilij.

Quarta. An requiratur attestatio Ordinarij pro illis exteris, qui vnicam, vel plures duxerunt vxores, & è contra, si mortæ fuerint in loco, vbi iterum matrimonium contrahere desiderant, ac ampliùs post mortem non discesserunt.

Die 3. Iunij 1637.

103 *IN Congregatione Generali Sancti Officij Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinales Generales Inquisitores.*

Ad primam responderunt: *Non esse seruandam Instructionem in articulo mortis, intra quem probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias, quod si infirmus fortè conualuerit, debent fieri diligentia iuxta Instructiones, antequam coniuges insimul conueniant.*

Ad secundam: *Attestationem in casu proposito, vt iacet, non requiri.*

Ad tertiam: *Attestationem requiri.*

Ad quartam: *Attestationem requiri.*

Et *sub die* 28. *Iulij* 1638. eadem Sacra Congregatio rescripsit, non esse seruan-

dam Instructionem cum eo, qui periculosa infirmitate detentus, vult se liberare à peccato; sed sanato infirmo non posse, nec deuenire debere ad cohabitationem, nec ad copulam cum altero coniuge, nisi factis diligentijs.

Pariter *die 7. Ianuarij 1643.* rescripsit cum Vltra-montanis, cum quibus ob longinquitatem Regionis difficile sit exequi dictas Instructiones, posse dispensari arbitrio Cardinalis Archiepiscopi, adhibito consilio Ministri Supremæ residentis Neapoli.

Quæ omnia Decreta, & litteræ Sacræ Congregationis fuerunt registrata à Francisco de Magistris, à Me post hæc scripta viso, *in sua Sylua Ecclesiastica lib.1. cap.21. à num. 47.* & nonnulla addit *dicto tract. lib.2. cap.16. à num.15.*

Notandum est etiam, quod licet multi Auctores impresserint antiquas Instructiones à Sacra Congregatione editas super examine horum Testium, vt Bosſ. *de Matrimon. cap. 4. in fin.*

Nihilominus hæc à nobis hic inscripta, est à Sacra Congregatione reformata, & ampliata, ideò illi inhęrendum.

104 Huiusmodi autem Testes conuicti de falso puniuntur pœna triremium ad quinquennium, etsi Polygamus eos induxit, vt ferè semper accidit, tunc pœna Polygami augetur de quinquennio ad septennium.

105 Notandum tamen est, quod licet nonnulli velint, quod Testibus in causis Polygamiæ falsum deponentibus debeat indici abiuratio saltem propter fautoriam, vt dicit Trasiniera *lib.3.quæst.17.nu.29.* Sicuti de matre consulente filiæ, vt secundo nuberet, voluit Moura *de Ensalm. sect.3.cap.6. num.11. vers.Vnde vidi.*

106 In Suprema tamen non indicitur huiusmodi abiuratio; licet enim fautor Hæreticorum debeat abiurare fautoriam, Repertor. Inquisit. *ver. Fautores*, Locat. *ver.Suspicio num.3.* cum alijs per Farinacc. *quæst. 182. num. 133.* Duard. *in Bulla Cœnæ lib.2. can.1. quæst.33. num.34.*

107 Hoc tamen habet locum, quando ille, cui fauetur, est verè Hæreticus, non autem si suspectus sit tantummodo de hæresi, per ea, quæ tradit Sanchez *ad præcept. Decal.lib.2.cap.10.num.14.* Suarez *de Censur. disput.21. sect.1.num.14.* aliàs daretur suspicio suspicionis, quæ in praxi in Tribunali Sancti Officij respectu abiurationis non datur.

108 Quid autem si Polygamus det exceptionem nullitatis prioris matrimonij à se contracti, an debeat remitti causa ad Ordinarium, itaut priùs de huiusmodi exceptione cognoscat?

Et quidem Mogolionus *in tract. de metu cap. 5. num. 15. & 16.* dicit, quod praxis Dominorum Inquisitorum hæreticæ prauitatis est, quod si procedendo contra Binubos opposuerint, se primum matrimonium metu contraxisse, remittant causam ad Ordinarium super dicta exceptione examinandam, vt ex ea quid faciendum sit intelligant.

Trasmiera *de Polygamia lib. 2. quæst. 7. nu.5. & 6.* dicit, non esse per Inquisitores puniendum eum, qui primas nuptias sciendo nullas esse, contrahit secundas, cum cesset suspicio hæresis, sed per Iudices Ordinarios, si ità contrahit, quod scandalum oriatur, esse puniendum.

Carena *par. 2. tit. 5. §. 5.* & Farinacc. *qu.178. num.71. vers. Sic & is*, distinguunt, quod si nullitas non est patens, tales sic contrahentes subduntur iudicio Inquisitorum, coram quibus probanda est allegata nullitas.

Si autem est patens, & tunc causa spectabit ad Episcopum, qui punit sic delinquentem pœnis, de quibus *in cap. Apostolica, de Sponsalibus.*

109 In hac materia vidi diuerso modo in Suprema actum: Nam quandoque in eadem Sacra Congregatione exceptio nullitatis prioris matrimonij fuit cognita, & Reus illa probata non fuit remissus ad Ordinarium, vt eum puniret, sed ab eadem Sacra Congregatione fuit mulctatus.

Nam Suprema, præsertim quando habetur Congregatio coram Sanctissimo, vtitur ampliori potestate, quam vtantur Inquisitores, ideo isti probata nullitate Reos debent remittere ad Ordinarium, quia, vt benè aduertit Castro-palao, *inferius citandus*, sublata hæresis suspicione, nulla remanet apud eosdem Inquisitores iurisdictio.

Vidi etiam quandoque remissam causam nullitatis prioris matrimonij ad Ordinarium, præsertim quando nullitas est patens, & tunc relaxatur Reus à carceribus Sancti Officij, & reponitur in carceribus secularibus, vel in aliqua domo particulari, addita fideiussione de tuto carcere, quod vidi adnotatum à Castro-pal. *to.1. tract.4. disput.9. punct.16. §.8. vers. Secundò aduerte.*

110 Eodem modo philosophandum est, si secundum matrimonium esset nullum, quia, vt benè Castro-palao *loco cit.* in hac materia, non tam matrimonium in effectu, quàm in affectu punitur, vt per Text. *in l.Eum qui duas, C.ad l.Iul. de Adulter.* & *in l. Qui contra,* & *in Authen. Incestas, C.Incest. Nupt.* & *in cap. Nuper, extrau. de Bigamis*, voluit Gomez *in l.80. Tauri num.30.* Albertin. *de Agnoscend. quæst. 23. num. 10. & 11.* Farinacc. *de delictis carnis quæst. 140. nu.25.*

Sousa *in Aphorism. lib.1. cap.35. num.4.* Alberghin. *in Man. cap.27. num.7.* Trasmiera *de Polygamia lib. 2. quaest. 9. per tot.* Salelles *reg.149. num.99. & 109.* Carena *dicto §. 5. num.32. vers. In qua re*, qui tamen dùm sequitur limitationem Trasmierae, dicentis non habere locum, si matrimonium nullum esset ex defectu consensus, fallitur cum ipso Trasmiera, quia ex solo facto contrahendi secundum matrimonium viuente prima vxore, & è contra, oritur iurisdictio Inquisitionis, licet posset elidi, & euitari per exceptionem, ergo exceptio ista probanda est in foro Inquisitoris, qui vel postea remittet declarationem nullitatis matrimonij ad Ordinarium, vel ipsemet eam cognoscet *ad supra tradita*.

111 Nec Carena loquitur consequenter: Nam dùm dicit, quod subditur foro Inquisitoris ille, qui protestatur, quod per quaecunque verba, quod ille proferat, non intendit contrahere matrimonium, saltem ad effectum cognoscendi, an sit valida protestatio, certè ex hac protestatione eliditur consensus, ergo non benè loquitur non subdi foro Inquisitorum, qui contrahit matrimonium nullum ex defectu consensus.

112 Cauendum est etiam à Basilio Pontio de Leon *in tract. de Matrimon. lib.7. cap.53. num. 5. & 6.* quem sequitur Barbos. *in cap. In praesentia, num.4.* dùm dicit, quod si matrimonium contrahatur, non seruata forma *dicti cap. In praesentia*, matrimonium esse irritum, etiamsi de tempore contracti matrimonij coniux mortuus esset, ea ratione, quia ex Textu *in dicto cap. In praesentia*, redditur coniux inhabilis ad matrimonium contrahendum, donec certum nuncium habuerit de morte prioris coniugis, quia reuera Textus *in cap. In praesentia*, licet reddat inhabilem coniugem ad contrahendum, non tamen irritat matrimonium, si ab eo sic inhabili contrahi contingat, erit benè illicitum matrimonium sic contractum, non autem irritum, vt benè, reprobando Pontium, tenet Pater Auersa *dicta quaest.14. sect.3. num.6. vers. Hoc tamen acceptandum non est*, vbi sic concordat Textum *in cap. Dominus*, & *in cap. In praesentia*, qui videntur inter se contrarij; vt scilicet matrimonium sit illicitum, non autem irritum, non enim reuocatus est Textus *in cap. Dominus*, per Text. *in dicto cap. In praesentia*, vt falsò asserit idem Pontius.

Idem voluit, licet tacito Pontio, Fr. Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacramento Matrimon. par.4. disput.6. quaest.12. num.124. vers. Dices Matrimonium*, & haec opinio obseruatur in Sancto Officio.

113 Pariter declaranda est opinio Trasmierae *dicta quaest. 9. num. 22.* dicentis, non esse puniendum ab Inquisitoribus illum, qui secundum matrimonium viuente prima vxore contraheret metu cadente in constantem virum, Quia hoc procedit respectu suspicionis haeresis, & punitionis, secùs verò respectu cognitionis Polygamiae in Sancto Officio, saltem quousque probet vel in Sancto Officio, vel coram Ordinario, se metu in constantem virum cadente contraxisse. Aliud enim est subijci foro; aliud posse puniri ab eo foro probata exceptione excludente fori iurisdictionem. Si autem sic contrahens non probet metum cadentem in constantem virum, sed leuem, putat Trasmiera misericorditer talem esse puniendum; quod & Ego approbo, quia non potest negari, quin ille metus aliquo modo plenam tollat libertatem, vt dicit idem Trasmiera.

114 Quid autem si pendente lite super nullitate prioris matrimonij coniux contrahat aliud matrimonium, an iste possit puniri in Sancto Officio; Casus iste elapsis diebus accidit, & visum fuit Supremae, causam non esse tractandam in Sancto Officio, quia secundum matrimonium validum est, vt statuitur *in cap. Cum Apostolica, de Sponsal.* & ibi Abbas *num. 3.* Ruin. *cons. 150. num. 19. lib.2.* Bald. de Vbald. *consil.3. num.11. to.1. inter consil. Matrim.* Cardos. *in prax. Iudic. ver. Sacramentum, §. de Sacramen. Matrimon. nu.36.* Conuarr. *de Sponsal. par.1. cap. 8. §. 1. num. 8.* meliùs omnium Lancellott. *de Attentat. par.2. cap. 4. limit. 17. à num.3.* Barbos. *vot. decisiu. to. 2. vot. 114. à num. 5.*

115 Et hanc opinionem substinet Trasmiera *de Polygam. lib.2. quaest.7. à num. 15.* cum quo tamen conuenire non possum, dùm dicit, quod si feratur sententia pro validitate prioris matrimonii, tunc talis sic contrahens punitur vti Polygamus, nisi adhibeatur talis distinctio: Aut iste habebat pro se opinionem probabilem inualiditatis prioris matrimonij, & tunc non est puniendus in Sancto Officio, quia non redditur suspectus malè sentire de Sacramento Matrimonij, & de haeresi, cum nitatur opinione probabili: vel nullam habebat opinionem probabilem pro se circa inualiditatem prioris matrimonij, nec aliquo suffultus erat fundamento, ex quo suspicio haeresis excluderetur, & tunc vera est opinio Trasmierae.

116 Quod dictum est de contrahente secundum matrimonium viuente priori vxore, habet locum etiam, si quis illud contrahat per Procuratorem, quia matrimonium taliter contractum, verum est matrimonium tam ante, quàm post Concilium Tridentinum, latè Barbos. *tom. 2.*

votor.decisiu.voto 85. *num.*8. *&* 15. Sanchez *de Matrimon. lib.*2. *disp.*11.

117 Quod quidem verum est existente mandato Procuræ in suo robore: Cæterum si inconstans mandans reuocasset mandatum, etiamquod ad Procuratoris notitiam reuocatio non deuenisset, nullum esset matrimonium, *cap. fin. de Procur. in* 6. Glos. *in Clement.vnic. ver.Ignorantem, de renunc.* cum alijs per Sanchez *d. disp.*11. *num.*6. *& seqq.* vbi latè de materia Barbos. *to.*2. *vot.decisiu.*85. *num.*25. qui plures, vbi, quod requiritur speciale mandatum ad contrahendum cum certa, & determinata persona; nec sufficit generale contrahendi cum qualibet, & per consequens à delicto Polygamiæ mandans excusaretur.

118 Cæterum, an Procurator non reuocatus contrahens secundum matrimonium subdatur iudicio Inquisitorum tanquam de hæresi suspectum, Trasmiera *dicto tract. lib.* 2. *quæst.* 13. tenet subdi, si Procurator sciens suum Principalem habere legitimam vxorem pro eo secundas contrahat nuptias: Nam in eo maior militat hæresis suspicio, quia Principalis posset moueri vel ob luxuriam, vel ob auaritiam respectu dotis; quæ motiua non militant in Procuratore, nisi fortasse vel magno pretio allectus, vel timore ingenti adductus facinus perpetraret, nam eo casu excusarem illum à suspicione de vehementi, non autem de leui.

119 Sed nunquid ille, qui viuente prima vxore contraxit secundum matrimonium, & super sua libertate induxit falsos testes, qui vel deposuerunt non habuisse vxorem, seu esse mortuam, non probata tamen per Fiscum superuiuentia primæ vxoris, prout debet omnino probari, & per liquidissimas probationes, Carena *loco cit.* §.9. *num.* 54. Matienzo *tit.* 2. *lib.* 5. *l.*2. *glos.* 3. *num.*8. Fermosin. *d. cap. Nuper num.*8. possit condemnari in pœnam ordinariam Polygamiæ.

120 Eminentissimus Cardinalis Scaglia *in sua praxi, tit.de Polygamia,* §.*Suole anco, vers. In questi, e simili casi*, dicit, quod facta diligenti perquisitione super superuiuentia primæ vxoris, & non probata, nihilominus Reus condemnatur in pœnam ordinariam Triremium, & ad abiurandum de vehementi post torturam super intentione, cuius opinionem sequitur nouissimè Franciscus de Magistris *in sua Sylua Ecclesiastica lib.*2. *cap.*16. *num* 27.

Ea ratione, quia quamuis non constet de actuali Polygamia, tamen quoad se consumauit crimen, & abusus est Sacramento Matrimonij, dicitque sic fuisse decisum à Sacra Congregatione *de anno* 1620. referente Carena *par.* 2. *tit.*5. §.11. *num.* 59. quod tamen in meo Codice non reperi, & id videtur etiam innuere Moura *de Incantat. sect.*3. *cap.*6. *num.*11.

121 Examinata quæstione *die* 6. *Iunij* 1664. in Congregatione habita coram Sanctissimo fuit sic resolutum, non tamen sine contradictione, quia de tempore mei Assessoratus nunquam vidi, non probata superuiuentia primæ vxoris, etiamsi Reus falsos testes induxisset, damnatum fuisse in pœnam ordinariam, quia non potest dici, quod formaliter sit Polygamus, cum possit esse, quod de tempore contracti matrimonij verè mortua sit prima vxor.

122 Neque obstat, quod quoad se consumauerit delictum, & reddatur suspectus de hæresi, quia abusus est Sacramento; Nam hoc procedit respectu abiurationis, non autem respectu pœnæ.

Data enim possibilitate veritatis mortis primæ vxoris, nullum exinde sequitur delictum saltem respectu pœnæ ordinariæ, Bos. *tit. de defens. Reor. num.*70. *& tit. de falsis num.* 133. cum alijs per Farinacc. *quæst.*152. *num.*8.

123 Fuerunt tamen tales sic delinquentes pœna aliqua propter inductionem falsorum testium etiam graui mulctati, sicuti & ipsi testes, qui deposuerunt, nunquam Reum duxisse vxorem, quia verè falsum deposuerunt, cum ex partita matrimonij, & ex confessione eiusdem Rei constaret, ipsum duxisse vxorem.

124 Quod dictum est de vero Polygamo, idem dicendum est de Polygamo similitudinario, hoc est de Religioso professo, vel de Clerico in sacris Ordinibus constituto, qui vxorem ducunt; hi enim sunt suspecti de hæresi, Roias *singular.* 98. Simanch. *de Cathol. cap.* 40. *num.* 1. Sousa *in Aphorism. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 16. Farinacc. *quæst.*183. §.6. *à num.*70. Pegna *par.* 2. *Director. comment.* 74. P. Diana *par.* 4. *tract.*7. *de Pœnis, resolut.* 5. Cantera *quæstion.crimin. cap.*1. *de Hæret. num.*71. Trasmiera *de Polygamia lib.*2. *qu.*17. *num.*16. 17. *&* 18.

125 Nam qui asserit, posse Religiosum professum, vel in sacris Ordinibus constitutum contrahere matrimonium, propositionem hæreticam profert, vt definiuit Sacrum Concilium Tridentinum *cap.* 9. *sess.* 24. *de reformat. Matrimon.* Trasmiera *loco citato*, vbi *num.* 8. refert Concilia, & iura prohibentia huiusmodi matrimonia.

126 Quod procedit siue matrimonium fuerit ab his palam, siue clam contractum: Nam hæc distinctio, quam faciunt nonnulli relati à Farinacc. *dicta quæst.* 183. *num.* 72. *&* 73. scilicet, quod Inquisitores possunt solùm procedere contra Professos, & in Sacris constitutos si palam contrahant, secùs si clam, fuit reprobata in Sacra Congregatione: Cum in Suprema

passim procedatur contra tales, siue palam, siue clam contrahant.

Nam semper verum est, quod isti abutuntur Sacramento Matrimonii, & Ordinis, & interrogantur super intentione, & super ea subiiciuntur torturæ, etsi respondeant catholicè, abiurant de vehementi, Farinacc. *dicta quæst.* 183. *num.* 73. & damnantur ad pœnas Polygamorum.

127 Dixi, *si catholicè respondeant*, hoc est credere, non licere Religioso professo, vel Clerico in Sacris constituto vxorem ducere, aliàs si dicat credidisse, vel credere hoc fore licitum, tanquam Hæreticus formalis deberet abiurare de formali, si se corrigat, & pœnitentiam exquirat, Anan. *in cap. Ad abolendam num.* 27. *extravag. de Haret.* post Bald. *in l. fin. ante finem, de Summ. Trinit. & fide Cathol.* Farinacc. *dicta quæst.* 183. *num.* 76.

128 Idem dicendum est de Religiosis Societatis Iesu, qui vota biennij emiserunt, quia tales sunt verè, & propriè Religiosi, vt definiuit Gregorius Decimustertius in Bulla *Ascendente Domino*, quod in terminis latè docet Trasmiera *dicta quæst.* 17. *num.* 22. *vers. Et iure Iesuitæ, & num.* 24. asserit, Inquisitionem Vallisoletanam seuerè animaduertisse in quendam Religiosum asserentem *in quodam suo quolibeto*, Societatem Iesu non esse veram Religionem, quia in ea non emittuntur vota solemnia, nisi à paucis.

129 Et dum hæc transcriberem proscriptus fuit à Sacra Congregatione Indicis liber conscriptus à quodam Marco Vitali Clerico Regulari, in quo asserebat, emittentes vota biennij in Societate Iesu esse Religiosos ex priuilegio.

130 Et vota huiusmodi irritare Matrimonium ex eadem Constitutione Gregorij Decimitertij dixere Sanchez, & Bellarmin. ab eodem Trasmier. *cit. num.* 27. qui tamen *num.* 28. subdit hos mitiùs esse puniendos, quia huiusmodi vota per se, & ex natura sua non inualidant subsequens Matrimonium.

131 Quod crederem procedere, quando tales non mouerentur ad contrahendum Matrimonium praua opinione, quod emittentes huiusmodi vota non essent verè Religiosi, vel eos non obligare, quia tunc cum crescat malitia, crescere debet & pœna, quæ commensuranda est delicto.

132 Fallit conclusio, si ex dispensatione Papæ Religiosus professus, siue in Sacris constitutus contraheret matrimonium; cum enim secundùm communem opinionem cœlibatus non sit annexus Ordini sacro de iure Diuino, sed solùm de iure Ecclesiastico, vt benè notat Sanchez *de Matrimonio lib.* 7. *disput.* 27. Marchin. *de Sacram. Ordinis* 2. *par.* 6. *diffic. num.* 1. & 2. Auersa *de Sacram. Ordinis*, qui plures *q.* 4. *sect.* 3. *vers. Nunc præsenti sectione.* Ex nostris Abbas *in cap. vt Clericorum, num.* 5. *de vita, & honest. Cleric.* & *in cap. Cum olim, de Cleric. coniug.* Bellett. *disquis. Cleric. par.* 1. *tit. de Disciplina Cleric.* §. 15. *num.* 61. Rota *decis.* 560. *num.* 10. & *decis.* 561. *nu.* 11. *par.* 1. *diuers.* Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 15. *num* 3. & *num.* 20.

133 Certè Papa potest in hoc præcepto dispensare, vt in Sacris constitutus contrahat matrimonium, Sot. *lib.* 7. *de Iustit. & iure, quæst.* 4. *art.* 1. & *in* 4. *distinct.* 38. *qu.* 1. *art.* 1. Henriquez *in Summ. lib.* 10. *cap.* 14. §. 5. ex nostris Abbas *dicto cap. Cum olim, num.* 5. *de Cleric. coniugat.* Bellet. *de Discipl. Cleric.* §. 8. *num.* 9. Barbos. *d. allegat.* 15. *n.* 23. Vt de Religioso professo Canonistæ, *in cap. Cum ad Monasterium de statu Monacorum*, Couuarr. *cap.* 2. *num.* 10. *de Testam.* Nauarr. *cap. Nouit. num.* 50. *de Iudic. consil.* 12. & 13. *de sponsal.* Transmier. *de Polygam. lib.* 2. *quæst.* 17. *num.* 30.

134 Quod attinet ad praxim, Ego tempore meì Assessoratus vidi pluries Sanctissimos Pontifices dispensasse, vt qui erat in ordine Subdiaconatus posset contrahere Matrimonium: In Diaconatu constitutos ferè nunquam, in Sacerdotio nunquam, dispensatos; multò minùs in Episcopatu: & memini Episcopum Tridentinum N. Madruccium, qui prætendebat per vim, & metum fuisse initiatum Sacris Ordinibus petiisse dispensationem, vt posset Matrimonium contrahere, quæ non solùm ei fuit denegata, sed nec admissa illius petitio.

Quæ dispensatio data est ob causam publicam, non tamen ob bonum priuatum, Sanchez *de Matrimonio, lib.* 8. *de dispens. disp.* 8. *num.* 2. & factis multis, & exquisitis diligentijs, licèt enim multi Doctores teneant, causas dispensationis remissas esse arbitrio Summi Pontificis, Menoch. *de Arbitrar. cas.* 421. *n.* 11. Trasmier. *d. quæst.* 17. *num.* 31. Et etiam ob bonum priuatum posse dispensationem concedi, vt Caietan. & Riccard. citati à Sanchez *d. disp.* 8. *num.* 2. Et causam esse sufficientem dispensandi cum Clerico in Sacris constituto, vt Matrimonium contrahat, si stirps nobilis deficeret sine hærede, Baldus *in l. Si tibi filius, in fin. de Adopt.* Ioannes Andreæ *in cap. Actus legitimi, de reg. iur. in* 6. Anchar. *cons.* 333. Bellett. *Disquisit. Cleric. par.* 1. *de Disciplina Cleric.* §. 9. *nu.* 13. *in fin.* Attamen non vidi dispensatum pro hac simplici causa, nisi quando familia nobilis decedendo sine hærede, status ipsius temporalis ad Hæreticos deuolueretur.

135 Nam bonum priuatum nequit tanti momenti

momenti occurrere, quanti opus est, vt tanto malo, scandaloque publico valeat comparari, quantum ex matrimonio Clerici sequeretur, quodque compenset tantum bonum, quantum est Clericorum continentia, vt optimè Sanchez *loco citato num.* 2. vbi *nu.* 3. inuehit contra Abbatem tanquam liberiùs, quàm par est, locutum *in cap. Cum olim, num.* 5. *de Cleric. coniugat.* dicentem, salubre fore statutum arbitrio Clericorum relinquens, an velint nuptijs copulari, necne; ex eo quod experientia doceat, plerosque non continere, ac votum castitatis in ipsorum detrimentum redundare, quare ait, par esse, vt Ecclesia se haberet erga ipsos instar periti Medici cessantis vti medicinis, dum eas non prodesse experitur.

136 Quam libertatem Abbatis redarguit etiam Azor. *lib.* 13. *Instit.moral.cap.* 13.*q.*5. Quod enim circa continentiam Clericorum statuit Ecclesia habet certam, ac perpetuam decentiæ rationem ab ipsa Scriptura, & Sanctis Patribus deductam, quare iniqua aliquorum Clericorum consuetudo non debet prębere ansam, vt tanquam antiquum, & valdè decens Statutum abrogetur, quem sequitur hisce verbis, Sanchez *loco citato num.* 2.

137 Sed hic præterire non possum verba eruditissimi Cardinalis Sfortiæ Pallauicini, non minus Purpura, quam omni genere doctrinarum Eminentissimi, qui *in lib.* 24. *Histori æ Concilij contra Petrum Suauem, cap.* 12. *num.* 9. sic ait:

In raccontare simili domande de Tedeschi, molte cose obliquamente introduce il Soaue contro il divieto delle nozze a'Sacerdoti; sopra ciò, che appartiene all'autorità, ed antichità di questa proibizione io non voglio parlare, essendo materia tritissima fra' Controuersisti, ma in quanto risguarda all'vtilità di essa, ogni persona auueduta consideri, qual distrazzione dalle cose Diuine; e qual attacco alle carni, ed al sangue apportarebbe ne' Ministri del Santuario l'amor delle mogli, e quello de' figliuoli, essendo l'vno, e l'altro i più intensi, che abbia la natura; e se troppo muoue talora quello de' trasuersali, il qual'è di gran lunga più tiepido, e non porta sempre obbligazione di prouuedere ad essi, che farebbeno gli altri due tanto più ferventi, ed onestati dal debito naturale d'auerne sollecitudine? Quanto scemarebbeno l'applicazione allo studio? Quanto crescerebbe alla robba? Quanto meno l'Ecclesiastico sarebbe amato, e venerato nelle famiglie, mentre recasse diuisione di patrimonio? Certamente non senza validissima necessità i Preti si sono legati da se medesimi a questa legge, per altro dura, e la qual tocca a lor soli, e non insieme a'laici, come quella de' digiuni. Che poi si fatto diuieto dia occasione a molti peccati, è opposizione assai friuola, e commune a tutte le leggi Diuine, ed humane. Si pesi il bene ch'ei porta, il male, che seguirebbe, s'ei si togliesse; l'vso antichissimo simigliante di tutti gl'ordini Religiosi, nella cui generica essenza è rinchiusa quell'incapacità delle mogli; e quindi argomentisi la conuenienza di tal diuieto; Ne di allentarlo nacque pur mai nel Pontefice vn picciol dubbio, non ostante le richieste degli Alemanni rappresentategli viuamente da Cesare.

Quod verò attinet ad Professos in Religione approbata, Ego nunquam vidi cum illis dispensatum, vt possint vxorem ducere.

138 Hoc autem delictum Polygamiæ similitudinariæ non est frequens in Italia, sicut in Gallia, & Germania. Plures enim in illis Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses, siue Religiosi professi, siue in Sacris constituti, apostatando à Religione, & à fide transeunt ad Hæreticos, & libidine ducti contrahunt matrimonium.

Sanctè demùm Inconstantes ad cor reuersi supplicant Sanctissimo, & Sac. Congregationi, vt velint illos absoluere à censuris, & pœnis per eos incursis, qui si non sint præuenti, prout ferè non sunt, cum ab illis Regionibus exulet Tribunal Sancti Officij, vti spontè comparentes tractantur cum abiuratione de formali, si dicant corde adhæsisse opinionibus Hæreticorum: Si autem asserant retinuisse interiùs fidem Catholicam cum abiuratione de vehementi, quamuis Ritus hæreticales exteriùs exercuisse fateantur.

Non tamen vnquam dispensantur, vt possint remanere in matrimonio, sed si Religiosi velint redire ad propriam Religionem, tunc iniungitur Superioribus, vt illos charitatiuè recipiant, & tractent, condonata illis pœna apostasiæ à Religione.

Nam cum Sancta Mater Ecclesia sic spontè comparentibus maius delictum, hoc est hæresis condonet, congruum videtur, quod Religio pœnas simplicis apostasiæ remittat, & hoc iure vtimur in Suprema.

139 Quia tamen nonnulli ex prædictis Religiosis magnam habent difficultatem reuertendi ad propriam Religionem, à qua apostatarunt, eis indulgetur, vt ad aliam, etiam laxiorem, possint transire Religionem, in qua beneuolos inuenerint receptores, & quandoque etiam rarò eis indulgetur, vt possint in seculo remanere in habitu Presbyteri secularis, & tunc quando vxorem, vel filios ad catholicam Religionem profitendam induxerunt, semper tamen, vt remaneant separati ab vxore.

140 Dispensantur etiam prædicti Religiosi, & in Ordinibus sacris constituti, vt pos-

sint in suis Ordinibus ministrare, & Clerici seculares, vt possint obtinere beneficia Ecclesiastica, non tamen curam animarum habentia: Licet quandoque ad instantiam Episcoporum fuerint rehabilitati ad curam animarum exercendam: Sic enim contrahentes efficiuntur irregulares, vt ex Maiolo, & alijs, tenet Barbos. *in Extrauag. Antiqua de Voto num.7.*

Curatur etiam, vt vxor apud aliquam Catholicam Matronam resideat, & filij alantur in aliquo Seminario, vel Collegio.

141 Et quamuis sciam, arduam esse quæstionem, an Summus Pontifex possit dispensare in voto solemni castitatis, nam opinionem negatiuam tenet D.Thom. 2.2. *quæst.88. art.11.* motus ex Textu *in cap. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum*, vbi Innocentius Tertius ità loquitur: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit, cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit indulgere licentiam*: Et hanc opinionem Diui Thomæ sequuntur ferè omnes Thomistæ, vt dicit P.Diana *par.8. tract.1. de potest. Pontificis ad Sacram. resolut.73. vers. Probat autem*, Barbos. *in dicto cap. Ad Monasterium num.* 12. Et magistraliter iuxta morem pro eadem sententia D.Thomæ Eminentiss. & Reuerendiss. Dominus Raimundus Capisuccus, tunc Magister Sacri Palatij Apostolici *in suis Theologicis Controuersijs, controuersia* 11.

142 Contrariam tamen opinionem tenent Canonistæ *d. cap. Ad Monasterium*, nempe Innocent. *num.1. & 4.* Ioannes Andr. *num. vlt.* Hostien. *num.30. cum seqq.* Butr. *nu.28.* Abbas *num.21.* Zabarell. *num. vlt.* Anchar. *num.14.* Henric. *num. 9. & 10.* Et ex Thomistis Caietanus, D. Antoninus, Paludanus, & Durandus allegat. à P.Diana *dicta resolut.73. vers. Sed ego.* Plures ex nostris refert Barbos. *dicto cap. Cum ad Monasterium, num. 13.*

143 Ad Textum *in dicto cap. Cum ad Monasterium*, licet variæ adaptentur responsiones, illa tamen genuina, & vera est, vt procedat in sensu composito, hoc est, vt manente Monacho, Papa non possit dispensare, vt proprium statum retineat, & castitatem non seruet; non autem in sensu diuiso, idest faciendo eum de Monacho non Monachum, & extrahendo eum à Religione, vt interpretatur præ cæteris Paludanus *in 4. distinct. 58. quæst. 4. art.3.* Basil. Ponce, Nicolaus Garzias, Valerius, Reginaldus, Sanchez, & Bartholomæus à Sancto Fausto, relati à Barbos. *dicto cap. ad Monasterium num.* 14.

144 Exempla autem dispensationum Apostolicarum cum Monacis professis, vt vxorem ducant, referuntur ab eodem Barbos. *loco cit. num.13.* à P. Diana *dicta resolut.73.* à Trasmiera *dicta quæst.17. à nu 31.* à Belletto *disquisit. Cleric. par.1. de Discipl. Cleric. §.9.* qui dicit, quod causa dispensandi cum his esset, si aliquis Rex Infidelis vellet amplecti fidem catholicam cum toto suo Regno, si posset Monialem ducere in vxorem ex Hostien. & Abb. *in dicto cap. Ad Monasterium*, Archid. *in dicto cap. Sunt quidam num. 5. 25. quæst. 1.* vel si tota Christianitas, vel aliqua eius pars esset in periculo, nisi Monachus fieret Rex, Hostien. *ibidem num. 32.* siue pro magno bello sopiendo, vel vitanda strage animarum, aut pro cultu Dei ampliando; quo casu Papa posset dispensare, vt Clericus duceret in vxorem Monialem, Archid. *in dicto cap. Sunt quidam num.5.* aut ne stirps nobilis deficiat sine hærede, ex Baldo, Io: Andrea, & Anchurano.

145 Sed quicquid factum fuerit temporibus antiquis, hodiernis seculis non vidi dispensatum super voto solemni ad matrimonium contrahendum, nisi, *vt supra dixi*, in constituto in ordine Subdiaconatus, & parcissimè in ordine Diaconatus, & pro causa publica: Aliàs si Pontifices pro arbitrio possent dispensare cum his, periculo peccandi se exponerent, licet aliàs valeret matrimonium, Sanchez *de dispens. lib.8. disput.8. num.3.*

146 Fallit secundò, si per vim, & metum quis recepisset Ordinem sacrum, vel professus esset Religionem, quia cum metus excludat consensum, nec recipitur character Ordinis, nec valida remanet professio, vt de Ordinato Textus est *in cap. Maiores, de Baptismo, cap. Presbyteros 50. distinct. cap. Sacris, de his, quæ vi, metusue causa.*

147 Sed hoc intelligendum de vi absoluta, seu præcisa, non autem de vi conditionali, siue causatiua: Nam priori casu non imprimetur character, vt apparet ex Textibus *allegatis*, Rota *decis 560. par.1. diuersor.* In secundo verò casu benè imprimitur argumento Textus *in cap. de Iudæis, 45. distinct. cap. Vbi ista, 85. distinct. cap. Quod quidem prima, quæst.1.* Quia voluntas coacta coactione conditionali, est voluntas saltem indirectè, *cap. Merito 15. quæst.1.* Rota *dicta decis. num.2. & 3.*

148 Et propterea magna fuit contentio inter Doctores, an ordinatus in Sacris vi causatiua, seu conditionali, teneatur seruare continentiam, eo quia sic ordinatus characterem ordinis recipit, cui annexa est continentia, *cap. Diaconi, 28. distinct. cap. In præterito, 83. distinct.* De qua quæstione videndus est Sanchez *de Matrimon. lib.7. disp.29. per totam.*

149 Et cum hæc controuersia fuisset agitata

in Rota Romana *de anno* 1574. coram D. de Grassis, fuit dictum, quod variè Doctores in hac materia locuti sunt, & propterea difficile sit ex auctoritatibus rem diffinire, hinc deuentum fuit ad examinandas rationes, quibus examinatis, & accuratè discussis, resolutum fuit, ordinatum vi conditionali, seu causatiua, non teneri ad continentiam ea irrefragabili ratione, quod omnis actus, in quo requiritur voluntas non solùm simplex, sed ità qualificata, vt sit libera, & spontanea, si fiat coactè, siue per voluntatem coactam non valet, iuxta Textum, iuncta Gloss. solemni, & recepta, *cap. Notificasti* 33.*qu.*5. *in ver. Licentiam*, quam commendat Panormitanus *in cap. Cum locum, num.*6. *de Sponsal.* Continentia autem sui natura requirit qualitatem libertatis à coactione, & est voti, non præcepti, quia continentia suaderi potest, non præcipi nolenti, *cap. Integritas* 32. *quæst.*1.

150 Secundò, quia sicuti vis, & metus annullant votum expressum, Berous pulchrè *in cap. In præsentia, num.* 121. *de probat.* ità, & tacitum: Et propterea qui huiusmodi votum emittit, non tenetur continere, Innocent. *in cap. Non est compos nu.*1. *de tempor. Ordin.* & eum sequuntur Hostiensis, & alij.

151 Tertiò, quia continentia non est de substantia ordinis Subdiaconatus, sed tantùm accidentalis ex statuto Ecclesiæ.

Fuit enim tempus, quando Subdiacono licebat contrahere matrimonium, *cap. Placuit*, 32. *distinct. cap. Ante triennium*, 31. *distinct.* Et propterea Ordo per se inspectus non impedit matrimonium, sed constitutio Ecclesiæ facta ratione Ordinis, Vgolin. relat. ab Archid. & Turre-crem. *in cap. In præterito*, 83. *distinct.*

152 Et propterea ex his rationibus, reiectis contrarijs, Rota resoluit coram dicto Domino de Grassis, qui sub coactione causatiua recipit Subdiaconatum non teneri continere, *vt in decis.*561.*par.*1.*diuers.* recedendo à decisione priùs facta, nempe *decis.*560. *eadem par.* vbi in fine dixit, quod tutius erat, quod ille Subdiaconus impetraret dispensationem à Papa, quia huiusmodi metus præstat iustam causam illam concedendi. Quæ decisiones sunt inter illas Cæsaris de Grassis 19. & 20.

153 Sed opinio non procederet, si fuisset purgatus metus, nempe si ordinatus in Sacris, in ordine Sacro ministrasset, quia tunc teneretur ad continentiam, vt ex Hostien. *in cap. Maiores, num.* 37. & 38. *de Baptismo, & eius effectu*, resoluit Rota coram Penia *decis.*1285. *num.*5. & iterum coram Ghislerio, *vt in decis.*40. & 341. *par.*6. *recent.* Sed qui plura de hac materia scire cupit, videat Barbos. *tom.* 2. *votorum decisiuorum, vot.* 77. *per totum.*

154 Quod autem vis, & metus annullet professionem, pluries respondit Rota, vt coram Gregorio Decimoquinto *decis.*326. & in alijs relatis a Tarraconen. Archiepiscopo *decis.*491. *num.*2.

155 Is etiam annullata professione, si non sit in sacris Ordinibus constitutus, non cogitur continere, sed potest inire matrimonium, *cap.*1. *de his, quæ vi, metuue*, Valer. Reginald. *in praxi fori pœnitent. lib.*18. *num.* 373. *in fin.* cum alijs per Barbos. *ad d. cap.*1. *num.*2. & 3.

156 Aduertendum tamen est, quod si ante iudicium Ecclesiæ, & latam sententiam super nullitate professionis, vel susceptionis sacri Ordinis sic professi, & sacris ordinibus initiati matrimonium contraherent, puniri possent in Sancto Officio, saltem ratione temeritatis, si tanquam Polygami capti essent, & sic vidi sæpiùs practicari ad Text. *in cap.*1. & 2. *de Matrim. contract. contra Interdic. Ecclesiæ*, vbi *in cap.*1. dicitur, quod coniux, qui contra impedimentum Ecclesiæ contraxit, debet per aliquod tempus separari, sicuti notant Couuarr. *de Sponsal. par.* 2. *cap.* 6. *in initio num.* 6. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disput.*2. *num.* 14. cum alijs per Barbos. *dicto cap.* 1. *num.* 4.

Et licet *in dicto cap.*2. decernatur huiusmodi matrimonium minimè separandum esse, nihilominus ibi intelligitur de perpetua separatione, non de temporanea vnius mensis, vel alterius temporis arbitrio Iudicis, quia *in dicto cap.* 1. rempus mensis ponitur exempli gratia, vt notant Sanchez, & ex eo Barbos. *dicto cap.*1. *nu.*4. *in fin.*

157 Quod dictum est de sacris Ordinibus initiatis in Ecclesia Latina, idem dicendum est de Græcis in Ecclesia Græca: Nam secundùm veriorem opinionem, nunquam licuit Græcis post sacros Ordines susceptos contrahere matrimonium, sed tantummodo vti matrimonio ante sacros Ordines acceptos contracto, vt probat post Azor. *lib.*13. *Instit. moral. cap.*12. *quæst.*4. & 5. Sanchez *lib.*7. *de Impediment. disput.* 28. *num.* 3. & post eum Trasmiera *dicta quæst.*17. *num.*15.

158 Imò si post matrimonium contractum quis initiaretur Ordinibus sacris, & mortua ea vxore, cum alia matrimonium contraheret, posset puniri vt Polygamus similitudinarius, Trasmiera *de Polygam. lib.* 3. *quæst.* 12. *num.* 24. vbi ex Beroo, & alijs dicit, Clericos Græcos, & Orientales more Græcorum viuentes teneri Canonicis Latinorum Constitutionibus, de quo *aliàs dixi*: Sed videndus est circa punctum matrimonij post sacros Ordines susceptos à Græcis ineundi Arcudius in suo erudi-

tissimo tractatu *de Concordia Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis circa Sacramenta, de Matrimonio lib.7. cap.40. per totum.*

159 Quid autem è contra, an si vxoratus Inconstans in statu matrimoniali, inscia, vel contra voluntatem vxoris Ordines sacros susciperet, possit puniri in Sancto Officio.

Posse, respondet Simanchas *de Cathol. tit.40. de Matrim. num.* 14. vbi dicit, quod iste instar eorum, qui post sacros Ordines vxorem ducunt, punietur. Neque enim, vt ille ait, magni refert, an matrimonium antecedat, vel consequatur, quandoquidem vtroque casu, & Sacramento matrimonii, & sacrorum Ordinum, & cælibatui Clericorum par fit iniuria; Simancham sequitur Farinacc. *de Hæresi qu.* 183. *nu.*74. P. Diana *par.4. tract.7. resolut.4. in fin. vers. Nota secundo*, licet malè alleget Canter. qui nihil de hoc dicit, sed solummodo de Clericis in Sacris constitutis, & Religiosis professis matrimonium contrahentibus.

160 Quia autem prædicti Doctores non loquuntur de aliqua abiuratione huiusmodi vxorato imponenda: Crederem saltem illi imponendam abiurationem de leui, nisi ex aliis circumstantiis appareret malè sentire de Sacramento Matrimonij, & Ordinis: Alioquin si essent immunes ab abiuratione, fortassè non deberet cognosci huiusmodi delictum ab Inquisitoribus, sed ab Ordinario, & puniri pœnis statutis à Ioanne Vigesimosecundo *in Extrauag. Antiqua, de voto.*

Et ità in terminis, hosce esse suspectos de leui, dicit Trasmier. *de Polygamia lib.3. quæst.13. num.31.*

161 Et hoc procedit siue matrimonium solummodo sit ratum, siue consumatum: Nam quoad promotionem ad Ordines nil refert, an matrimonium sit ratum, siue consumatum, Sanchez *de Matrimon. lib.7. disput. 38. nu.* 7. sequitur Barbos. *ad dictam Extrauag. Antiquæ, de voto, num.4.*

162 Sed an si is tantummodo susciperet Ordines minores, vel primam tonsuram, poterit ne in Sancto Officio puniri; crederem affirmatiuè responderi posse, quia eadem ratio est, nempe propter iniuriam, quæ fit matrimonio, & Ordini.

Iniuria matrimonio, quia ab hoc sic ordinato exigendum est votum continentiæ, Gloss. *in cap. Episcopus, 77. distinct.* Canonistæ *in cap. Coniugatus*, vbi Io: Andreas *num.4.* Butr. *num.3.* Abbas *num.3.* Cardinal. *quæst.2.* Anchar. *num.2. de Conuers. Coniugat.* Sanchez *dicto lib.7. disput.37. num.8.* quod videtur repugnare principaliter iuri matrimonij.

Iniuria autem fit Ordini, quia iste coniugatus non potest ad primam tonsuram promoueri, nisi velit Religionem intrare, vel ad sacros Ordines promoueri, *cap. final. de tempor. Ordinat. in 6.* & ibi Gloss. *in ver. Diffinitum*, Canonistæ *in cap. Coniugatus, de Conuers. Coniugat.* & ibi Gloss. *in ver. Ad sacros Ordines*, Sanchez *dicta disputat. 37. num.9.*

Quando autem vxoratus possit Inconstans in matrimonio transire licitè ad sacros Ordines, vel ad Religionem, vel castitatem vouere, videbimus in tractatu *DE INCONST. IN CONTRACTIBVS.*

163 Abutitur pariter Sacramento Matrimonij Catholicus, qui contrahit cum Hæretica, de quo *supra* diximus. Is enim redditur suspectus de hæresi, & contra eum Inquisitores posse procedere, tenet Gloss. *in cap. Decreuit, de Hæret. in 6.* & ibi Io: Andr. *num.1.* Geminian. *num.2.* Franc. *num. 1.* Cantera *quæstion. crimin. de Hæret. cap.1. num. 22.* Sanctarell. *de Hæresi cap.41. dub. 3. num.* 1. P.Diana, hos referens, *dicta par.4. tract.7. resol.5. ver. Notandum est etiam*, Trasmier. *de Polygam. lib.1. quæst.17. num.31.* Et quod contra tales possit procedi tanquam contra Fautores Hæreticorum, tenent Cantera, & Trasmiera *locis citatis.*

Sed cum hæc scriberem dubitatum fuit, quid agendum esset cum N. N. Catholica nupta Principi Hæretico absque dispensatione Apostolica.

Quidam Religiosi Romæ degentes consuluerunt, nec debere petere remissionem pœnarum, nec dispensationem Pontificiam, vt sibi permittatur remanere in cohabitatione matrimoniali cum marito.

Vnus ex illis aiebat:

164 [Videtur non debere exigi primò, quia illa contraxit optima fide, persuasa à viris doctis id sibi licere, iuxta sententiam valdè communem, quam seclusо peruersionis periculo in locis vbi impunè grassatur hæresis, & vbi non est consuetudo petendi dispensationem Pontificiam, substinent quamplurimi Doctores, vt Nauarr. Pontius, Sanchez, Azor. Filiuccius, Bonacina, Reginaldus, Layman. Card. de Lugo *disput.22. sect.2. num.20.* & apud hos alij.

165 At in ea Regione dominatur hæresis, nec est vlla consuetudo petendi talem dispensationem Pontificiam pro personis nobilibus, quæ sæpè talia contraxerunt matrimonia, & vbi non est consuetudo petendi pro subditis, nec esse obligationem ex rei natura petendi pro Principibus, sentire videtur contra Hurtadum Card. de Lugo *loco cit. num.16.*

166 Secundò, etiamsi peccasset contrahendo (quod tamen facilè credi non debet)

tamen cum hoc peccatum nullibi sit reseruatum Papæ, nec annexam habeat cum iure prohibitionem ad cohabitandum, iam illa legitimè est absoluta à suo Confessario, & quatenùs opus esset, iam dispensata ad cohabitandum, quia Missionarij in eo Principatu plerique habent facultatem à Sede Apostolica dispensandi in matrimonijs contractis super omnibus impedimentis iuris positiui, excepto secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis. Quare cum legitimam dispensationem in quantum opus esset obtinuerit, non potest ab ea exigi, vt petat aliam.

167 Tertiò, quia, vt affirmat Dominus N. missus à Principissa Catholica, dicere illa potuit se præstitisse, quæ suarum partium erant, & commisisse N. curam, vt si esset necessaria dispensatio, eam peteret à Sanctitate Sua, N. verò hoc ipsum significasse Suæ Beatitudini, cui non placuit, tam iustis de causis exigere vt peteret, quare interpretati sunt silentium pro consensu, iuxta Regulam Iuris 43. *in 6. qui tacet consentire videtur*.

Quartò, quia nullæ sunt pœnæ spirituales excommunicationis, vel similes statutæ in iure, quarum remissionem ipsa petere debeat, etiamsi peccasset in contrahendo, nec habuisset consensum tacitum.

De temporalibus verò, vti de dote, & similibus non curaret, sed si peteret licentiam perseuerandi in cohabitatione cum marito, posset grauem incurrere maculam & sibi, & proli nasciturae, quasi hactenùs illicitè cohabitasset, & ingens oriretur inde scandalum per totum Principatum, possetque subministrare semen bellis grauissimis futuris.

Quintò, hæc exactio affligeret supra omnem modum dictam N. Catholicam, quæ cum sit piissima, & tenerrimæ conscientiæ, & zelantissima pro fide Catholica, inconsolabiliter inde contristaretur, & cum passim dicatur esse grauidam, timeri posset inde sinixter euentus.

168 Sextò, offenderet grauissimè Principem maritum, à cuius metu, & protectione pendet conseruatio, propagatio, vel etiam euersio Catholicæ Religionis in ea Regione, & metuendū valdè, ne exinde offensus subtrahat suam protectionem, permittatque, vt mandet executioni leges pœnales contra Catholicos pridem latas, & tunc sequerentur innumeræ confiscationes bonorum, proscriptiones Sacerdotum, incarcerationes, & mortes aliorum, & denique clades grauissimæ, si non exterminium Religionis Catholicæ in ijs Partibus.

Septimò, pietas, & constantia Catholicorum in defendenda per centum, & ampliùs annos auctoritate Sedis Apostolicæ, pro qua sola tot substinuerunt carceres, tormenta, mortem, rapinam bonorum, & alia innumera incommoda, mereri videtur, vt eadem Sedes, quæ est pia Mater omnium credentium, sed maximè certantium in agone, nunc non det hanc afflictionem præsentibus Catholicis, quorum multi multa retrolapsis annis pro fide passi sunt, exponendi illos hac de causa iræ Principis, periculis innumeris, cum maxima strage animarum]

Alter verò ex Consultoribus dicebat:

[An Catholica contrahens matrimonium cum Hæretico, absque dispensatione Pontificia, vbi hæresis dominatur, & Catholici cum Hæreticis permixtim degunt, atque inuicem familiariter agunt, teneatur petere à Pontifice, aut remissionem pœnarum, aut permissionem cohabitationis coniugalis imposterum.

169 Respondetur negatiuè quoad vtramque partem respectu contrahentium cuiuscunque gradus, siue Regius is sit, siue infra Regium,

Et quidem quoad remissionem pœnarum: In Ecclesiasticis Canonibus, in quibus prohibentur matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, nulla legitur censura, aut alia pœna spiritualis aduersus contrahentes, præsertim reseruata Summo Pontifici: Pœnam autem illam temporalem, qualis est illa de priuatione dotis, *in cap. Decreuit, de Hæret. in 6.* si quam meruit, potest velle eam subire, nec tenetur petere remissionem. Nulla est igitur in casu obligatio petendæ remissionis.

170 Iam necessitas petendæ permissionis ad cohabitandum coniugaliter imposterum cessat, quia cum adhibitæ fuerint ab initio, vt supponitur, præcautiones necessariæ pro incolumitate propriæ professionis catholicæ, & pro educatione prolis, quo satisfactum est toti iuris naturalis in hac re obligationi.

De reliquo postquam sponsa tradita est marito, atque apud eum manet, vtitur iure illius patriæ consuetudine stabilito, & ab omnibus ibi pacificè possesso.

Ius autem consuetudine stabilitum in Prouincijs, in quibus regnat hæresis, & Catholici degunt Hæreticis permixti, atque inuicem familiariter agunt, hoc est, vt Catholici ineuntes matrimonia cum Hæreticis, cohabitent coniugaliter cum iisdem absque vlla speciali pro singulis dispensatione Pontificia, & nemine reclamante, vt tradit Thomas Sanchez *lib. 7. de Matrimonio disput. 72. num. 5.* alijque communiter dicentes, ità passim fieri in Germania, Gallia, Polonia, nec quoad hoc ius, & consuetudinem iamdiu toleratam

in illis Partibus est aliquod discrimen inter personas Principum, & subditas, vt tradit Cardin. de Lugo *disput. 22. de fide, sect. 2. num. 16. aduersus P. Hurtadum*, qui excipit quidem Principes, sed nullo prorsus iure, nullaque sufficienti ratione probat exceptionem, vt indicat ibidem Card. de Lugo, nec enim eum Auctorem videre mihi licuit, &c.]

Addebat vnus ex illis.

171 [Video ex communi Doctorum sententia, quod matrimonia inter Catholicam, & Hæreticum licitè celebrantur, absque dispensatione Pontificia, in Patria, in qua regnat hæresis, quando ambo contrahentes sunt ex eadem Patria, atque inibi commorantur, tanquam Concives.

Video inquam ex ea sententia nullam posse deduci consequentiam pro casu, in quo, alter contrahentium Hæreticus manet in Patria infecta hæresi, altera verò Catholica erat in Patria immuni prorsus ab hæresi, quia in hoc posteriori casu Catholica, ratione matrimonij, & transitus in Regnum hæreticum, exponeretur periculo peruersionis, cui independenter ab eodem matrimonio nequaquam suberat.

Hoc autem inconueniens non adest certè, non vsque adeò viget quando Catholica contrahens cum Hæretico degebat antecedenter inter Hæreticos, atque cum eisdem familiariter iam agebat. Accedat consuetudinem, qua vnicè nituntur *præcitati* Auctores quoad honestatem matrimoniorum inter Catholicam,& Hæreticum absque dispensatione Pontificia inualuisse quidem palam pro Catholica, & Hæretico ambobus degentibus in Patria hæretica, non verò pro iis, quorum alter degit in Parte prorsus Catholica, penitusque immuni ab hæresi; Vndè quoad hunc punctum non potest non agnosci discrimen præindicatum.

172 Cæterùm Ego non fui requisitus de Matrimonio contrahendo, sed de iam contracto, & consequenter neque fui requisitus de necessitate dispensationis Pontificiæ ad celebrandum licitè tale Matrimonium contractum absque dispensatione: atque ad hoc præcisè respondi, iterumque respondeo, nullam esse necessitatem Pontificiæ absolutionis, seu remissionis pœnarum, quia celebrationi Matrimonij inter Catholicam,& Hæreticum (qualescunque sint) nullæ ex Sacris Canonibus sunt annexæ pœnæ excommunicationis, aut aliæ reseruatæ Summo Pontifici, idque est verum, etiamsi in tali Matrimonio admittatur, & consideretur suspicio, aut fautoria hæresis inibi inclusa:

Neque in hoc,de quo solo requisitus fui; quod videtur solùm esse præsentis inspectionis, quando non agitur de Matrimonio contrahendo, sed de iam contracto, lectis attentè, & relectis Sacris Canonibus, in quibus agitur de hac materia, nullam reperio rationem dubitandi.

Similiter non reperio necessitatem dispensationis, seu permissionis specialis Pontificiæ pro cohabitatione post contractum Matrimonium, & postquam sponsa Catholica tradita est marito hæretico, atque insuper constituta simul cum illo in Principatu hæretico, vbi Catholici, & hæretici consueuerunt pacificè cohabitare, & coniugaliter, & non coniugaliter, quia sponsa his iam peractis non est amplius sui iuris, vt recedat, nisi superueniat speciale periculum peruersionis ex malignitate, & violentia, aut quasi violentia mariti; quod periculum non datur in casu, ideoque tenetur cohabitare, & coniugaliter adesse marito, eo vel maximè, quia quoad hoc vtitur iam legitime iure, & consuetudine Patriæ, ad quam est permanenter translata.

173 Nec Sedes Apostolica est in possessione, & iure, vel consuetudine dispensandi specialiter quoad cohabitationem post contractum Matrimonium, ac consumatum inter Principes, & subditos, sicut est in possessione dispensandi quoad celebrationem Matrimonij inter Principes, vndè in hoc puncto præciso cohabitationis, videor bona fide, nec malo iure adduxisse pro me Eminentissimum de Lugo, qui videlicet nullum agnoscit discrimen inter personas Principum, & non Principum in materia Matrimoniorum cum disparitate cultus quoad necessitates dispensationis, nisi fortè ex consuetudine, quæ certissimè nulla existit circa dispensationem, seu permissionem specialem cohabitationis supposito, & iam consumato Matrimonio, de qua sola nunc agitur: Sed quicquid sit de mente Cardinalis de Lugo fauentis in hoc puncto, vel non fauentis, & certè non contradicentis assertioni meæ, fundamentum supra positum per se subsistit sufficienter, nec inuenitur Auctor, qui catenus contradicat inter eos non paucos, quos legi circa hanc materiam.

174 His nil obstantibus agnosco fore maximum inconueniens, & valdè perniciosum, si inualesceret consuetudo celebrandi Matrimonia absque dispensatione Pontificia inter Principes alterum Catholicum, & alteram Hæreticam, idque maximè in superlatiuo gradu,quando alter habet, vel prætendit ius sanguinis succedendi in Principatu Catholico, & propterea subsit periculum inducendi in domina-

tionem illius conſortem Hæreticum. Agnoſco etiam conſequenter iure optimo Sanctiſſimum negare, atque teneri omninò negare omnem ſuam, & quamlibet, vel minimam conniuentiam celebrationi talium Matrimoniorum abſque diſpenſatione ſua, & opportuna pro tempore, & loco modificatione.

Verum id fieri, neque debet, neque poteſt adigendo Principiſſam, quæ iam contraxit, & conſumauit ad petendam vel abſolutionem pœnarum, vel permiſſionem cohabitandi impoſterum, cum neutrius indigeat petitione, & conſecutione à Sede Apoſtolica in eo videlicet ſtatu, in quo reperitur iam, vt apparet *ex dd.*

Quo autem alio modo, & via occurri poſſit, ac debeat tanto malo, cum non ſit punctum doctrinale, ſed potiùs arbitrarium, ac prudentiale, nil ad me attinet.]

175 HIS autem Conſultationibus cum fuerim requiſitus, vt reſponderem, dixi, non eſſe veram primã rationem à Conſultoribus traditam, ſcilicet non eſſe impoſitam aliquam pœnam ſpiritualem contra Catholicam contrahentem cum Hæretico.

176 Nam in Concilio Calcedonenſi Generali ſub Leone Primo *Can.* 14. expreſsè habetur: *Non poſse Catholicum accipere vxorem alterius Sectæ, nec Catholicam iungi Hæretico, Iudæo, vel Pagano, niſi fortè ſpoponderit ſe venire ad Orthodoxam Fidem.* Statimque Concilium ſubiungit: *Si quis verò hanc diffinitionem Sanctæ Synodi præterierit, Correctioni Canonicæ ſubiacebit*; vel vt habetur in alio Còdice Regularium, *Condemnationibus ſubiaceat*.

177 Porrò cum correctio Canonica ſonet in pœnam, iuxta Text. *in Can. Quid autem, 45. diſtinct.* ſumenda eſt hoc caſu à Sacris Canonibus prohibentibus, Catholicam mulierem iungi in Matrimonio Iudæo, vel Pagano, quia cum Concil. Calcedon. æquè prohibuerit Matrimonium Catholicorū cum Hęreticis, ac cum Iudæis, vel Paganis, data huiuſmodi æquiparatione, licet argumentari à prohibitione, & pœna vnius ad prohibitionem, & pœnam alterius, vt doctiſſimè conſiderat in terminis Franciſcus Duſſeldorpius *in tract. De non ineundo Matrimonio cum his, qui extra Eccleſiam ſunt, par.4. cap.1. per totum*.

178 Eo maximè quia maior ratio adeſt prohibendi Matrimonium Catholicę cum Hæretico, quam cum Iudæo, vel Pagano, quia, vt inquit D. Chryſoſt. *in Homil. 30. in Matthæum, in fine Operis imperf.* Hæreticos peiores eſſe Iudæis nemo dubitat, & rectè ad propoſitum monet Clemens *lib.6. Conſtitut. Apoſtol.cap.18.* fugiendos eſſe Hæreticos, qui magis impij ſunt, quam Iudæi, & magis ſine Deo, quam Gentiles.

179 Et ratio eſt, quia maius periculum timetur à conſuetudine maximè matrimoniali Hæreticorum, quam eorum, qui nunquam in Chriſto crediderunt, vt pluribus comprobat idem Duſſeldorpius *cit. cap.1. §. 2.*

180 Si ergo licèt argumentari in hac materia à pœnis inflictis Catholicis contrahentibus Matrimonium cum Iudæo, vel Pagano, dici non poteſt, nullam pœnam ſpiritualem fuiſſe ſtatutam à Sacris Canonibus contrahenti Matrimonium cum Hæretico.

181 Nam in Concilio Nicęno Vniuerſali *Can.53. & 67.* ſtatutum fuit, vt quæcunque mulier fidelis viro Infideli nupſerit, ab Eccleſia eijciatur, & à Synodo excommunicetur, nec recipiatur ad pœnitentiam, niſi virum Infidelem dimiſerit.

182 Et has pœnas Concilium non ſolùm ſtatuit in Chriſtianam ipſam contrahentem, ſed etiam in parentes, vel conſanguineos, qui filiam, aut ſororem non conſciam, neque volentem, neque præſentem dederint nuptui non credenti, vt patet ex Canone 69.

183 Et quamuis Eccleſia Romana ex iſto Concilio non habuerit niſi viginti Canones, non reſpuit tamen alios Canones, qui in eodem Concilio ſtatuti fuerunt, vt eſt concors Doctorum ſententia, ſicuti ex Bellarmino, Baronio, & Turriano tenet Verricellus *de Apoſtol. Miſſionibus, quæſt.86. num. 12.*

Idem ſtatuerunt Concilia nonnulla Prouincialia, nempè Elibertinum, Arelatenſe, Meldenſe, Aurelianen. *ſecundum, & tertium*, Toletanum *quartum*, de quo *in cap. Iudæi 28.quæſt.1.* Quæ Concilia fuerunt à Sede Apoſtolica approbata, vt dicunt Simanchas *de Cathol.Inſtit.tit.40.nu.2.* Sanchez *de Matrim. lib.7. de Impedim.diſputat.72. num.4.* Bannes *2.2. quæſt.1. artic.10. pag.153.*

184 Et propterea quamuis ſola confirmatio Pontificia non efficiat, vt leges in illis latæ vltra territorium ſuum extendantur, vſu tamen, & traditione Eccleſiæ approbatio, & confirmatio Papæ operatur, vt etiam vltra territorium proprium extendantur, & deſeruiant pro norma Eccleſiæ Vniuerſalis; ſic Suarez *de legib lib.4.cap.6. num.10. in fin.* Bonacin. *de Legibus, diſp.1. quæſt.1. punct.3.*

185 Secundò ſumenda eſt probabiliter à pœna, quæ inflicta eſt à iure contra Hæreticorum fautores, quia Catholica contrahens Matrimonium cum Hęretico abſque Pontificia diſpenſatione, dicitur Hæreticorum fautrix, & poteſt puniri tanquam Hæretica, vt dicit Geminian. *in cap. Decreuit, num.2. de Hæret. in 6.* vel ſaltem tanquam ſuſpecta de hæreſi, Gloſſa

in d. cap. Decreuit in figuratione casus, versic. Nota vlterius, Sanctarell. *de Hæresi, cap.41. dub.3. num.1.* P. Diana *par.4. tract.7. resolut.5.* Trasmier. *de Polygam. lib.1. quæst.17. num.11.* Et de fautoria Hæreticorum puniri posse, dicunt Franch. *d. cap. Decreuit, num.1.* Canter. *Quæstion. crimin. tit. de Hæret. cap.1. num.22.* Trasmiera post Canteram *loco cit.* vbi latè, quamnam suspicionem sic contrahentes incurrant, an leuem, an vehementem.

Inter alias autem pœnas contra Hæreticorum fautores latas illa est excommunicationis maioris Summo Pontifici reseruatæ, de qua in Bulla Cœnæ, & in alijs Constitutionibus Apostolicis relat. à Farinacc. *de Hæref. quæst.182. num.38.*

186 Dixi *probabiliter*, quia benè noui plurimos ex Doctoribus nostris asserere, non habere locum excommunicationem in Bulla Cœnæ latam contra fautores Hæreticorum, nisi ij, qui fauent, faueant quà Hæretici sunt, & non si alia de causa, etiamsi per indirectum in fauorem Hæretici resultet, vt post multos tenet Sanchez *ad præcept. Decalog. lib. 2. cap. 10. num. 4.* & post eum Fragos. *de Regim. Reip. par. 2. lib. 1. disput. 3. num. 29. vers. Excusantur autem.*

187 Nam contrarium tenent multi, nempe excommunicationem latam in Cœna Domini comprehendere non solùm eum, qui fauet Hæretico, vt hæretico, sed qui fauet Hæretico, ex alia causa, si fautoria redundet in fauorem hæresis, sic Toletus *in Summa in Bulla Cœnæ excommunic. 1. nu.2. & 23,* Sayr. *in Thesaur. casuum. to. 1. lib. 3. cap. 5. num. 3. in fine*, Vgolinus *de Censur. Papæ reseruat. 2. par. cap.1. ver. Receptatores. in fine principij, & §. 1. num. 3. vers. Sexto, in fine*, Sanctarell. *de hæres. cap. 11. dub. 1. num. 11.*

188 Sed supposita pro veriori contraria opinione, illa quidem locum habere potest in foro conscientiæ, non autem in foro externo, vt benè Sanchez *loco citato num.4.* Suarez *de Censur. disp.21. sect.2.nu.8.* Bauni *de Censur. de Bulla Cœnæ quæst.1. vers. Secunda non stringit, in fine* post Nauarr.*consf. 14. de Hæret.* & Fagundez *in primo præcepto Decalogi lib. 1. cap. 12. num. 6.*

189 Præterea cum fautoria, de qua agitur, consistat non solùm in affinitate, siue matrimonio contracto cum Principe hæretico, ac fœdere cum eo inito, Pegna *ad Directorium par. 2. comment. 80.* Sanctarellus *d. cap. 11. dub. 1. in fine.*

190 Verùm etiam in traditione amplissimę dotis, & quod peius est in concessione Ciuitatis Catholicæ, & à qua fuerunt expulsi Catholici, & introducti Hæretici; Negari non potest, quin hæc omnia non solùm indirectè, verùm etiam directè tendant in fauorem hæresis ex doctrina Diui Thomæ *de malo qu.1. art. 3. ad 15.& in 1.2. quæst. 73. art. 8. & quæst. 20. art. 5.* doctè in proposito Patricius Armacannus in tractatu *de Iustitia fœderum Gallicorum cum Infidelibus cap. 25.* quo casu nemo dubitat hanc excommunicationem incurri.

191 Verùm etsi in casu præsenti non intraret pœna excommunicationis latæ in Bulla Cœnæ, non possunt tamen euitari aliæ pœnæ, & quidem grauissimæ pro arbitrio Summi Pontificis imponendæ, vt docet Sanchez *ad præcepta Decalogi lib. 2. cap. 10. num. 5. vers. Sic ergo Receptatores*, Suarez, & alij *supra citati*.

192 Tertiò, Sumenda est à dispositione eorum sacrorum Canonum, qui imponunt pœnam contrahentibus matrimonium contra Interdictum Ecclesiæ, vt *in cap. 1. 2. & 3. de matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ*. Ibi enim Alexander Tertius rescribit Paduano, Vigorien. & Baronen. Episcopis, quod huiusmodi matrimonia contrahentibus imponatur condigna pœnitentia, nec absoluantur à peccato, nisi facta separatione ad inuicem.

193 Condigna autem pœnitentia illa est, quam pro sui arbitrio Episcopus, vel Summus Pontifex imponere vult, vt dicit Io. Andreas *in d. cap. 1. num. 5. de matrimonio contract. contra Interdictum Ecclesiæ*, Cardos. *in prax. Iudic. ver. Sacramentum, §. de Sacramento matrimonij num. 36.* relat. à Barbosa *vot. 114 num. 8.*

194 Et ratio est, quia quotiescunque Canon mandat quem puniri, nec certam pœnam exprimit, tunc declaratio pœnæ residet in arbitrio Iudicis *cap. de causis, §. fin. de offic. Deleg. l. 1. §. Expilatores, ff. de Effractor. & Expilat. l. Hodie, ff. de Pœnis.*

195 Certum est autem matrimonium Catholicæ cum Hæretico, & è contra, esse canonico, & Ecclesiastico Decreto interdictum *cap. Caue, & seq. 28. quæst.1.* Azor. *Instit. moral. to. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 5.*

196 Et propterea omnes Doctores concludunt, non posse contrahi sine labe peccati mortalis, Sotus, Nauarr. & alij relati à Sanchez *de impediment. lib. 7. quæst. 72. num. 4.*

197 Radix autem, & causa huius peccati est, quia coniunctio matrimonialis cum Hæretico, per quam mulier scienter, & voluntariè tradit se in hanc perpetuam, & indiuiduam coniunctionem, & consuetudinem viri hæretici, qui se proprio (vt ait Diuus Paulus) iudicio ab Ecclesia separauit, est actus non solùm malus, quia prohibitus, sed prohibitus, quia malus, & damnabilis sui natura, quia corruptionem habet debiti Ordinis ad Deum, & Ecclesiam. Prostituuntur enim membra Christi Diabolo cum reatu sacrilegij, vt post Ambrosium,

Ambrosium,Cyprianum,& Tertullianum docet Dusseldorpius *dicto tractatu part. 3. cap. 17.*

198 Secundò, quia huiusmodi coniunctio habet innatum,& insitum periculum subuersionis, cui periculo nemo vllo casu se voluntariè, & scienter potest exponere absque peccato mortali, Diuus Ambrosius *lib. 2. de Abraham cap. 9.* Vnde desumptus est Canon, de quo *in cap. Caue 28. qu. 1.* Soto *in 4. sententiarum distinct. 39. art. 2. in fine.*

199 Non solùm autem huiusmodi matrimonia coniunctum habent continuum periculum subuersionis, verùm, & continuum impedimentum bonarum operationum, & continuum periculum transgressionis mandatorum Dei, & Ecclesiæ, vt egregiè Tertullianus *2. lib. ad vxorem.*

200 Tertiò, ratio huius peccati est, quia matrimonium cum Hæreticis haber innatum fauorem Hæreticorum: Et ideo mulier scienter cum Hæretico contrahens, dotem ammittit, vt *in cap. Decreuit*; & ibi Doctores præsertim Io. Andreas, & Franchus *de Hæret. in 6.* Quod si hoc regulariter est verum, multò equidem magis in casu præsenti; Nam ampla dos tradita est magno Reipublicæ Christianæ, & Religionis Catholicæ incommodo, quo fit, vt Hæretici superiores, & audaciores facti sint, quod auget peccatum, vt per Abbat. & alios *in cap. Veritatis, de dolo, & contumacia*: Fauere autem Hæretico voluntariè, & scienter non solùm est malum, quia prohibitum, sed prohibitum, quia malum est de sui natura.

201 Verùm ab hoc peccato mulier Catholica absolui non potest, nisi priùs separata à viro hæretico, vt statuit Concilium Nicænum *supra allatum*, vbi quod mulier Catholica nupta scienter viro hæretico, non recipienda est ad pœnitentiam, nisi virum dimiserit; donec saltem per auctoritatem Pontificiam fuerit absoluta, & dispensata, vt in eo remanere possit matrimonio, vt habetur *in dictis capitulis 1. 2. & 3. de matrimoni contracto contra interdictum Ecclesiæ*, quod docent etiam Sanchez *de impediment. disp. 2. num. 4.* Pontius *de matrimon. lib. 6. cap. 7. num. 7.*

Et ex his sublatum est primum Consultorum argumentum.

Secunda ratio, siue fundamentum Consultorum est, quod simus in Regione vbi impunè grassantur hæreses, & ideo Catholica, quæ in talibus Regionibus contrahit matrimonium cum Hæretico, nec indiget Pontificia dispensatione.

202 Sed hoc fundamentum in casu,de quo agitur, non subsistit; Nam esti verum esset, quod tamen non ita simpliciter admittendum est, sed cum aliquibus conditionibus, hoc est, vt cesset omnino periculum peruersionis, quod esset scandalum, nullum afferatur impedimentum Catholicæ vxori in exercitio propriæ Religionis, vt proles in Catholica Religione educetur, alioquin cum iure Diuino, & naturali hæc omnia pugnent, & illicitum sit ex eisdem iuribus periculo peruersionis se exponere, etiamquod non adesset aliqua prohibitio Ecclesiastica, vel haberetur quæcunque dispensatio Ecclesiæ, non posset huiusmodi matrimonium contrahi, vt considerat P. Auersa *de Sacram. matrimonij quæst. 18. de impediment. disparis cultus sect. 2.* vbi pariter ex Coninchio dicit, non videri tutum in praxi etiam in illis Regionibus tale matrimonium, quia vix talia pericula cessant, & solent alij Catholici videntes sic contrahi scandalizari, præsertim quando coniux nororiè profitetur hæresim, quod dixit etiam Verricellus *de Apostol. Mission. quæst. 174. sect. 7. num. 30. vers. 6.* Layman. verò *de impedim. matrim. tract. 10. par. 4. cap. 14. num. 2.* dicit: *Experti sumus ex matrimonio hominis Catholici cum Hæretica, tam multa sequi incommoda spiritualia ipsi coniugi Catholico tum liberis, ac Christianæ Reipublicæ, vt naturali plerumque legi Charitatis repugnet*, ac proinde tunc neque Summum Pontificem dispensatiuè id permittere possit.

203 Huiusmodi tamen conclusio non potest adaptari casui nostro, quia non tractatur de Catholica nata, & educata in Regione, in qua impunè grassantur hæreses, sed nata, & educata in Regione, in qua sola viget Catholica Religio, nec vlli ibi permittuntur Hæretici, sed seuerissimè puniuntur, & propterea illi suffragari non potest illarum Regionum consuetudo, nam in eis tolerantur talia matrimonia, quia videtur adesse tacitus consensus Pontificis, qui legi Ecclesiasticæ derogare potest, vt benè Pontius *in append. cap. 8. num. 4.*

204 Sed quando tractatur de matrimonio ineundo à Catholica Principissa cum Principe hæretico consensus Pontificis præsumi non potest,quia talia matrimonia nunquam contracta fuerunt, nisi petita, & obtenta Pontificia dispensatione: Et propterea benè Hurtado *de fide disp. 76. §. 233.* dixit, consuetudinem illarum Regionum non suffragari Regibus, atque Principibus.

205 Et quamuis bonæ mem. Cardinalis de Lugo *de virtute fide Diuina disput. 22. sect. 1. num. 16.* nimium pronus in refellendo opiniones Hurtadi, dicat, non videri sufficiens fundamentum huius exceptionis, sufficiens tamen inde patet, quia inest maius præiudicium Catholicæ Religioni in huiusmodi matrimonijs cum

Regibus, & Principibus, quàm cum hominibus Gregariis; Et propterea Diana *par. 8. resolut. moral. tract. 1. resolut. 74.* reprobat hac ratione opinionem Card. de Lugo, contraria ergo consuetudine etiam in illis Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses introductum est, ne Reges, & Principes Catholici matrimonia contrahant cum Hæreticis, nisi prævia dispensatione Pontificia; Et si de facto contrahant, non conceditur illis dispensatio, nisi facta separatione ad tempus iuxta *superiùs dicta*.

206 Luculentulum exemplum habemus in Gallia seculo præterito. Cum enim Dux Barensis Catholicus, non petita dispensatione matrimonium cum Principissa hæretica contraxisset, monitus à Clemente Octauo Summo Pontifice, vt se ab vxore separaret, ipsemet Dux Romam accessit, vt dispensationem impetraret, cuius supplicatio remissa ad nonnullos Eminentiss. Cardinales, & Theologos, coram quibus per plures annos materia discussa, & examinata, nunquam Clemens voluit dispensationem concedere, nisi priùs obtenta promissione à Principissa hæretica, se cupere amplecti Religionem Catholicam, quæ tamen dum adhuc tergiuersaretur, iusto Dei iudicio factum est, vt concessa dispensatio propter eius mortem executioni non fuerit demandata.

Tota huius dispensationis negotiatio apparet ex litteris Cardinalis de Ossat, & Gallico, & Italico idiomate impressis.

Placet tamen hic inserere, & litteras datas ab eadem Principissa ad Clementem Octauum, & Breue ad eam directum ab eodem Pontifice.

Beatissimo Padre.

207 *Avendo questi giorni adietro per sodisfare all'esortazioni di Vostra Santità, ed alle preghiere del Re mio fratello, e del Duca di Bar mio marito, risoluto di ricercare le vie di chiarirmi della verità della dottrina, la quale vi piace esortarmi, che io segua: è succedùto, che il Sig. Vescouo di Eureus, e Quello, che aueuo chiamato per conferir seco sopra questo soggetto, non si sono potuti accordare circa i mezi della loro conferenza, intorno a che nondimeno mi è paruto, come sono risoluta, chiamarne altri, i quali si ritrouino seco colle medesime condizioni a loro proposte, e sopra la conferenza, o rifiuto loro seguire l'ispirazione, che piacerà a Dio di darmi, promettendo alla Santità Vostra, che non vi apportarò dal canto mio alcuna passione, resistenza, ne ostinazione, anzi sarò lietissima di poter ritrouare la verità in vna causa, alla quale l'esortazione di Vostra Santità, le preghiere del Re mio fratello, ed il consenso del Sig. Duca di Bar mio marito m' inuitano; frattanto, Beatissimo Padre, poiche la coscienza del detto Sig. Duca di Bar mio marito resta in trauaglio, per non auer potuto ottenere dalla Santità Vostra la dispensa del nostro matrimonio, ho preso ardire di assicurarmi tanto della Vostra Bontà, di congiugnere in questo caso le mie preghiere con le sue, e supplicarui vmilissimamente di volerla accordare, e credere, che quest' obbligo aggiugnerà molto all'altre obbligazioni, che m' inuitano a riceuer i mezi per darui contento, e darui testimonianza, che sono, Beatissimo Padre,*

Di Vostra Santità

Vmiliss. figlia, e Serua

Catherina.

Exemplar verò Breuis Clementis Octaui est, vt infra.

Dilectæ in Christo filiæ Nobili mulieri Catherinæ Franciæ charissimi in Christo filij nostri Henrici Franciæ, & Nauarræ Regis Christianissimi sorori.

CLEMENS PAPA VIII.

208 *Dilecta in Christo filia Nobilis mulier salutem. Dominus mentem tuam lumine Sancti Spiritus illustret. In eo mærore, quod de tua salute sollicisi semper fuimus ex litteris tuis spiritualem lætitiam hausimus, & non mediocriter in Domino recreati sumus. Scribis enim te Catholicæ veritatis indagandæ desiderio teneri, eamque cum inueneris deposita omni obstinatione amplecti; Cum itaque tu hactenus, filia, tanquam arcendo falsæ doctrinæ vento ex omni ferè parte confracta, hoc tempore, Deo adiuuante, in veritate fidei consolidari cupias, ac propterea in ipsa errorum caligine aliquam pietatis scintillam retinere videaris; Si ità est, vti optamus, in eam spem venimus, Auctore Christo Domino, qui vt Isaias Propheta testatur calamum quassatum non conterit, & lignum fumigans non extinguit, breui tempore futurum, vt per abundantiam Diuinæ gratiæ abiecta omni erroris impietata in Apostolicæ fidei doctrina fulciaris, & clarissimis Catholicæ veritatis ignibus illustreris, quod verò anteqnam veritatem doctrinæ Catholicæ agnoscas, velis rem à tuis diligenter examinari, id quidem non ingratum est. Tamen cum Nos eandem Petri Apostolorum Principis Sedem, ac fidem teneamus, & doctrina, quam profitemur, vna, & eadem sit, quam Christus, & Apostoli docuerunt, quæ in omnibus sacris Conciliis, & Synodis generalibus, atque à Sanctis Patribus tam Græcis, quàm Latinis approbata est, atque per tot annorum seriem constans, atque integra in vniuersa Ecclesia perpetuò viguit, & vsque ad consumationem seculi vigebit, quam Maiores*

tui Reges Christianissimi semper coluerunt, atque acerrime propugnarunt, quam denique charissimus in Christo filius noster Henricus Franciæ, ac Nauarræ Rex Christianissimus frater tuus summa nostra, totiusque Ecclesiæ Catholicæ Lætitia, suscepit. Miramur quid te remorari possit, quominus eandem statim amplectaris; Compatimur sanè tibi, & dolemus, te sic à teneris annis educatam esse, vt in tenebris hactenus erraueris, nunc tamen, quando matura iam ætate, ac integro iudicio es, ac tot rationum momenta te circumstant, quibus ad lucem veritatis percipiendam adduci potes, noli nouas errantium opiniones veteris doctrinæ auctoritati anteponere, neque illorum sententiam tanti facere, vt eis potiùs, quàm venerabili fratri Iacobo Episcopo Ebroicen. & cæteris, qui te ad rectum vitæ, & salutis tramitem ducere contendunt, credere velis, quin imò nostris, eorumque consilijs acquiescere, & quæ te filiam nostram in litteris tuis vocas, ità te gerere vt filiam decet, & sicut Nos Patrem, ità Romanam Ecclesiam Matrem agnoscere, ac relicta pristina opinione, veritatem doctrinæ, quam tibi offerimus, admittere, à qua suscipienda non vano pudore, aut leuitatis, & notæ alicuius timore deterreri debes. Prudentis enim est mutare consilium in melius etiam humanis in rebus, quanto magis in Diuinis, & ijs, quæ salutem animæ concernunt, quam etsi ante omnia spectare debeas, tamen quia error, in quo hactenus versata es, singulari Dei beneficio in vniuerso Franciæ Regno ità minui captus est, vt à Principibus omnino relictus sit, & à Nobilibus viris sensim deseratur, dignitati, ac Nobilitati tuæ non conuenit in ea diutiùs remanere, nam vera nobilitas sine fide Catholica retineri non potest: Quicunque inhonorificauerit me, *dicit Dominus,* erunt ignobiles. *Tua verò ad Catholicam fidem conuersione non modo nulla honoris iacturam facies, sed magna cum gloria, & ornamento pristinam apud homines existimationem augebis, & maiorem in te nostrum, fratrisque tui Regis Christianissimi, Ducis Barensis, totiusque Populi, ac Cleri Lotharingiæ, ac Franciæ amorem, ac beneuolentiam conciliabis, in quo etiam imitaberis claræ memoriæ Brunechildem Sigiberti Regis Metensium, & Galsuindam eius sororem Regis Suessionum vxores, quæ ab Ariana hæresi, quam à parentibus hauserant, ad fidem Catholicam maritorum precibus se transtulerunt. Imitaberis & fratrem tuum Regem Christianissimum, qui vt iam diximus summa cum laude, & suo, totiusque Regni Franciæ bono Religionem Catholicam est amplexus. Denique imitaberis Sanctum Thomam Apostolum, qui alijs credentibus aliquando incredulus fuit, postea tamen mutata sententia credidit, eiusque incredulitas cæteris ad credendum profuit. Tu similiter credendo maximam in primis laudem per vniuersum Orbem consequi, atque alijs ad te imitandum prodesse poteris; Atque vna spe freti, vt nostra erga te benignitate inducaris ad cognoscendam veritatem, ad quam Nos te in primis antea hortati sumus, & frater tuus Rex Christianissimus, & Dux Barensis, & vniuersa Ecclesia Catholica te iuuant; Dispensationem, quam litteris tuis à Nobis humiliter petijsti, matura nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Theologorum, & Iuris Canonici peritissimorum virorum consultatione adhibita, & certa forma præscripta, prout in re tanti momenti fieri debuit, quanquam vt verum ingenuè fateamur, propter ipsius difficultatem, & nouitatem quodammodo renuentes, & inuiti concessimus, totiusque rei executionem Henrico Episcopo Verdunen. Præsuli singulari prudentia, & pietate prædito, & erga te propenso, atque benigno delegauimus, cuius eloquia, quia homo Deum timens est, tibi, vt confidimus optatum adipem frumenti, & oleum lætitiæ Christi Domini copiosè ministrabit, & quæ hac in re secundùm Deum, atque cor nostrum à te fieri oportet, sanctè, & religiosè suadebit, quæ, si vt decet, audieris, ac eius salutaribus monitis, ac consilijs acquieueris, misericordiarum Pater, ac Deus totius consolationis accelerabit adiutorium suum, effundet aquas super sitientem, & fluenta super aridam, teque tandem à Cisternis dissipatis, quæ continere non valent aquas, ad fontem perducet salientis aquæ in vitam æternam. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die octaua Februarij* 1604. *Pontificatus nostri anno duodecimo.*

209 Aliud nobile exemplum habemus in Germania: Nam cum Dux Neoburgicus Vuolfangus à Bauaria obtenta subreptitia dispensatione ab Archiepiscopo Philippensi Vicario Hollandiæ super impedimento tertij, & quarti consanguinitatis gradus duxisset filiam tertiogenitam Ducis Bipontini hæreticam; nihilominus conscientia ductus dispensationem petijt à Summo Pontifice Vrbano Octauo, vt posset in eo remanere matrimonio, non obstante diuersitate Religionis prædictæ vxoris; Sanctissimus noluit eam concedere, nisi priùs vxor hæretica hæreses abiuraret.

Sed cum instantibus Electoribus Treueren. & Maguntino, necnon Hispaniarum Rege, ac Infanta Hispaniarum fuisset admissa supplicatio, & negotium remissum fuisset Sacræ Congregationi Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, in ea maturè discussum, & ab anno 1630. vsque ad annum 1633. protractum; demum cum infrascriptis conditionibus à Summo Pontifice concessa fuit dispensatio.

Feria tertia die 8. Martij. 1633.

210 IN Congregatione habita in Conuentu Beatæ Mariæ supra Mineruam Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinales Bentiuolus Sancti Honuphrij, Gypsius, Barberinus, & Ginettus primum; & feria V. die 10. eiusdem in Palatio Apostolico, coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Vrbano Papa Octauo rursùs ijdem, & insuper Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinales Borgia, & Sancti Sixti contra hæreticam prauitatem Generales Inquisitores, quibus Sanctitas Sua incessantibus Vvolfangi Gulielmi Neoburgi Ducis, ac Comitis Palatini precibus, & quamplurium Principum, & potissimùm Serenissimi Hispaniarum Regis, & Serenissimæ Isabellæ Belgij Infantis, necnon Electorum Sacri Romani Imperij rogatibus permotus, commisit, vt nouiter deducta iura in causa efflagitatæ dispensationis ab ipso Vvolfango Neoburgi Duce Catholico cum Catherina Carlotta Principis Bipontini filia imbuta hæresi, Matrimonio coniunctis præuia (subreptitiæ tamen) dispensatione per Archiepiscopum Philippensem Vicarium Apostolicum Hollandiæ impartita discuterentur; perpensis matura deliberatione rationum vtrinque ponderibus.

Et primum eius, quæ proponitur, eductæ rationis ab vnanimi Principum, & Prælatorum, quibus earum Regionum explorati mores esse debent, asseueratione, nullum ex hoc Matrimonio ritè permisso Fidei Catholicæ in ijs locis fieri præiudicium; nullum in ipso Vvolfango, eiusque liberis, aut subditis subuersionis periculum subesse, quin potius magnam effulgere spem conuersionis ipsius Catherinæ ad Auitam Romanam Fidem, ex consuetudine potissimum tanti viri, tamque eximij zeli, & vt virorum fide dignorum testimonio acceptum est in rebus fidei controuersis, etiam scientiæ, qui tum magnam partem Prouinciarum sibi subiectarum ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ perduxerit, feliciùs carissimam sibi coniugem teneræ ætatis & optima indole præditam, Orthodoxam Fidem edocturus creditur. Rursùs aliud perpensæ rationis à propositis ingentibus scandalis eis in locis, nisi dispensaretur pertimescendis; necnon multorum lapsibus, aliorum dissidijs, bellorum periculis ab ipsius Catherinæ consanguineis pariter Hæreticis, sed potentiæ formidandæ in hæreditarias Vvuolfangi possessiones imminentibus, si fortè Catherina post tanti temporis cohabitationem, iam tandem repudiaretur. Demum illius potissimæ rationis, quod cum nonnisi vnicum filium, eumque vix puberem, & imbecillis valetudinis Vvolfangus modò habeat, Ducatus sui hæredem, post quem ad ipsius Vvolfangi fratres Hæreticos iure successionis deuolueretur Status, plurimum suadet incumbendum, vt ea in ditione, ac nouello grege Catholica ipsius Vvolfangi propago in vnius filij incerta vita, ac salute iam nutans protendatur, stabiliatur; consultòque huiusmodi rationes aduersis plurimum præpollere, quippè publicam causam præseferentes, in eam vnanimi voto sententiam deuenerunt, remittendum hac vice aliquid de rigore Canonicæ disciplinæ, dispensationemque tanto iam tempore, ac tanta cum humilitate imploratam, ad euitanda potissimùm maiora mala, prælibato Vvolfango Neoburgi Duci, aliorum potissimùm suasionibus prolapso, ex Paterna Sanctissimi Domini Nostri benignitate concedendam fore: Verùm sub infrascriptis conditionibus priusquam dispensatio sortiatur effectum purificandis.

Primò, vt Catherina Matrimonij hactenùs contracti nullitas indicetur: Dux Vvolfangus ratum habens, quod suo nomine petitum est à R.P.D. Cornelio Henrico Motmanno Sacræ Rotæ Auditore, & à Fratre Cosma Morellis Coloniæ Inquisitore, de indulta sibi erroris venia suis litteris Apostolicæ Sedi, ac Summo Pontifici humillimè gratias agat.

Secundò, Princeps Vvolfangus sub verbo Principis spondeat, se omnem operam adhibiturum, vt Principissa Catherina ad Catholicam veritatem traducatur. Ipsa verò Catherina suis litteris, vel syngrapha, aut coram testibus Catholicis probitate, & auctoritate præstantibus ad hunc effectum adhibitis, & rogatis, qui de his fidem legitimam perhibeant, promittat, se passuram instrui in Fide Catholica, seque Ducis viri sui nixibus ad id, minusque Spiritui Sancto fore, vt obsistat, quominus Catholica dogmata doceatur.

Tertiò, idem Vvolfangus sub eodem verbo promittat, prolem masculinam, & fœmineam ex hoc Matrimonio edendam statim ac nata erit, pijs, & exploratæ probitatis, ac Catholicæ Religionis zelo præstantibus viris tradere, qui eam à Catholicis Nutricibus ali, & in dies Catholicè educari, & in eadem Fide Catholica instrui omni studio curent, & hæc omnia seorsum etiam à Principe Matre, & Hæreticorum semper omni conuersatione semota; Necnon idem Dux sub eodem verbo promittat, nedum prolem, vt supra alendam, educandam, & instruendam, sed etiam dominia sua in casum mortis ipsius alicui magno Catholico Principi nominatim vtì Tutori, vel Curatori, tuenda, custodiendaque ab Hæreticorum incursibus, inuasionibus, ac subdolis machinationibus, ne proles, & subditi subuertantur, sed in Catholica Fide conseruentur, aliqua irreuocabili dispositione committere, & commendare, quatenus is Princeps volet, & poterit hoc subire munus: Si verò magnus is Princeps respueret, aut id muneris subire non valeret, idem Dux Vvolfangus promittat vt supra, se in eadem irreuocabili dispositione regatam habiturum Cæsaream Maiestatem, vt Proli, & dominijs ipsius Ducis Vvolfangi ad prædicta omnia, & singula vt supra præsentanda ipsa Maiestas Cæsarea alium magnum Catholicum Principem substituat, nisi ipsamet Cæsarea Maiestas sub

suam protectionem, & prolem, & dominia recipere, & prædicta omnia præstare dignetur: Et interim, ne prædicta casu vnquam aliquo sua careant executione, idem Vuolfangus Dux simili modo promittat, se in Instrumento, vt infra conficiendo, & ad Sedem Apostolicam transmittendo, dispositurum, quod in euentum in quem ipse nedum facta supradicta dispositione decederet (Deus autem exoratur, ne id vllatenus permittat) rogatam ex nunc pro tunc efficaciter esse vult, & expressè intendit eandem Cæsaream Maiestatem, vt aliquem magnum Catholicum Principem ad prædicta omnia, & singula deputare, vel ipsa Cæsarea Maiestas id totum in se assumere, & præstare benignè velit: Et nihilominus idem Dux profiteatur, se ad præmissarum omnium, & singularum obligationum obseruationem teneri, nullatenus ab eis liberatum ob id, quod in prænunciato Instrumento is ordinauerit, ac disposuerit, vt supra; & iunctim pro executione omnium præmissorum idem Dux eiusdem Cæsareæ Maiestatis, ac Sacri Romani Imperij Electorum Catholicorum auctoritatem, Brachium, & vires, etiam nunc pro tunc efficaciter imploret.

Quartò, *promittat etiam Dux Vuolfangus pariter sub verbo Principis quamprimùm poterit, è latere coniugis Ministros, ac Sectatores hæreticæ prauitatis amouere, & Famulos, & Officiales Catholicos pietate insignes circa ipsam constituere, vt Deo adiuuante, abdicata hæresum impietate, eandem, vt thori, sic & fidei sociam habeat.*

Quintò, *inter ipsos Principes Vuolfangum, & Catherinam nouus iterùm* per verba de præsenti *publicè, vel secretò intercedat consensus coram Parocho, & Testibus.*

Sextò, *de his omnibus præmissis obligationibus Dux Vuolfangus publicum Instrumentum confici, & confectum ad Sedem Apostolicam transmitti cum effectu se curaturum, sub eodem verbo promittat.*

Necnon sub his alijs postmodum adimplendis conditionibus, executionem tamen gratiæ non retardaturis, vt.

Primò, *Dux Vuolfangus Principem coniugem cauere moneat, ne ipsorum cohabitatio in contumeliam Creatoris redundet, nullaque ratione permittat quicquam publicè, aut priuatim apud Principem coniugem agi, proferriue, quod redolere possit Nouatorum errores.*

Secundò, *Coniugem suam commoneat, quatenùs non resipiscat in Domino, sed in errore persistat, ipsam grauiter peccaturam, si ad hoc vnum ex Ecclesiæ Sacramentis accedat, antequam Romanam Ecclesiam communem Fidelium Matrem agnoscat.*

Tertiò, *Enixè operam det, vt Cæsar, Rex Hispaniarum, Isabella Belgij Infans, Electores, Principes, ac Præsules, qui pro impetranda dispensatione intercesserunt, pro viribus curent, vt Principissa Catherina ipsius Ducis viri exemplum imitetur.*

Quartò, *Quamcitiùs dilecto filio suo Catholico ex præmortua coniuge suscepto, Catholicam coniugem deligere satagat, ne is fortè patris exemplum imitetur, hocque malum veluti hæreditarium ad posteros transmittatur: Verùm hac via omnibus ipsius Vuolfangi Ducis filijs aditus ad id attentandum intercludatur, vt omnes planè intelligant, Apostolicam Sedem huiusmodi connubia vehementissimè auersari.*

Quintò, *Permittat, imò curet, Principem Catherinam coniugem suam in Catholica fide à pijs, & Orthodoxæ Religionis viris instrui, quo ipsa pluribus sibi prædicantibus verbum Dei, ac vni tantùm viro suo non tam facilè resistat.*

Vides Lector, qua maturitate, qua diligentia, & quibus conditionibus trahatur Sedes Apostolica ad dispensationem concedendam, vt Princeps Catholicus ducat Hæreticam, & è contra.

211 Et cum antequam Tractatus iste prælo subijceretur; Instante Rege Christianissimo, vt sanctæ memoriæ Clemens Papa Nonus dispensationem concederet Principissæ Benedictæ Gonzagæ Catholicæ, vt nubere posset filio Principis Palatini Hæretico: Consuluit Sanctitas Sua nonnullos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Supremos in tota Republica Christiana Inquisitores, qui pluries congregati, tandem consuluerunt, dispensationem cum multis conditionibus esse concedendam.

Sed quia Palatinus eas recipere noluit, dispensatio non habuit effectum, & Principissa Benedicta nupsit Duci de Bransnich Catholico.

Nec dicatur tam Ducem Barensem, quàm Neoburgi Matrimonium inijsse intra gradus prohibitos.

212 Quia difficultas dispensationis facta non fuit super gradu, sed super diuersitate Sectæ: Sic enim testatur Cardinalis de Ossat quoad dispensationem petitam à Duce Barensi in suis litteris Gallico idiomate, exaratis Domino de Villeroy directis *sub die* 29. *Iulij* 1602. ibi:

Que si tous deux estoient Catholiques il n'auroit facit ideuant, & ne seroit à present aucune difficulte sur le dite dispense mais l'vne de parties estant heretique, & ne recognoissant le saint Siege à qui le dispense est demandè, & errant ancore au Sacrament de Mariage, & au de gre de consanguinitè dont est question il ne s'estoit mais peù induire à la donner: Cum his quæ sequuntur.

213 Idem fuit responsum Romæ Domino Mormanno Agenti Ducis Neoburgi.

Quamuis tamen f.m. Vrbanus Octauus concesserit dispensationem petitam à Duce Neoburgi, noluit tamen eam conce-

dere Regi Poloniæ, qui filiam Comitis Palatini Hæreticam ducere volebat.

214 Cum autem innotuisset Paulo Quinto sanctæ memoriæ, Ducem Sabaudiæ tractatum iniisse cum Rege Angliæ Iacobo, vt filiam in matrimonium traderet Principi eius filio, ad Ducem adlegauit Fratrem Paulum à Cæsena tunc temporis Ordinis Capuccinorum Generalem, vt eidem suaderet, ne in tractatu prædicto prosequeretur, quod fœliciter Fr. Paulo successit.

Denegauit eam etiam Magno Duci Hætruriæ.

Quouerò ad dispensationes petitas à Regibus Galliarum, & Hispaniarum, vt suas sorores respectiuè possent in matrimonium collocare Carolo eiusdem Regis Iacobi filio.

215 Sciendum est, semper Pontifices huiusmodi matrimonia dissuasisse: Cum enim Philippus Tertius Paulo Quinto indicasset, suam filiam peti in matrimonium à Rege Angliæ pro Carolo eius filio, se autem in negotio tàm graui nihil operaturum, nisi habito respectu ad Dei seruitium, & Religionis Catholicæ. Pontifex mandauit illi significari vt infra:

216 *LA Santità di Nostro Signore loda, e commenda molto il zelo, e prudenza di Sua Maestà, che in negozio tanto graue, ed importante, com'è quello dell'accasamento con Inghilterra, abbia auuanti gli occhi il seruizio di Dio, e della Religione Cattolica.*

E quanto à detto accasamento dice, che non può se non improuarlo, e detestarlo, come altre volte fece intendere à Sua Maestà per mezo del Signor Conte di Castro, e dell'Arciuescouo di Capua, se prima non precede l'effettuale conuersione di quel Prencipe, con l'vso, ed esercizio libero della Religione Cattolica, per esser simil Matrimonio di sua natura illecito, proibito da legge Diuina, da più Concili, e Sagri Canoni, e sottoposto a peccato mortale grauissimo, e pieno di molti pericoli pel commerzio con Eretici, scandalo ch'egli darebbe a' Cattolici, e pessimo esempio ad altri Prencipi; Oltre che vi concorrono tre ragioni efficacissime per escludere affatto questa prattica.

Il primo è il pericolo euidente della subuersione della Prencipessa per la continua compagnia del Principe d'Inghilterra Eretico, ed altri Eretici, che aurebbe attorno.

La seconda, che i figli, che nascessero, i quali sarebbeno nipoti di Sua Maestà Cattolica, si alleuarebbeno Eretici.

La terza è il pericolo del repudio, che si permette in Inghilterra.

Onde pare alla Santità Sua, che la Maestà Sua debba insistere nella pussima risposta, degna da essere imitata da tutt'i Prencipi Cattolici, altre volte data al Rè d'Inghilterra per mezzo del Sig. D. Alonso di Velasco, cioè, che aurebbe abbracciato volontieri il Principe d'Inghilterra, se fosse stato buon Cattolico.

E non sà vedere Sua Santità, come al presente si possa ne anco ascoltare simil proposta, trattandosi di dispensare sopra vn' atto tanto illecito, e cooperatiuo di peccato mortale, come si è detto, se insieme non gli si proponessero cause, e condizioni giustissime, e di euidentissima vtilità per seruizio di Dio, e della santa fede Cattolica: Le quali se tali gli saranno proposte, Sua Santità le intenderà, e maturamente considerarà, per pigliarui poi quella risoluzione, che Sua Diuina Maestà gl'ispirarà.

Il che è anco conforme ad vn'altra risposta, che Sua Maestà colla solita sua prudenza ha fatto dare vltimamente al medesimo Rè d'Inghilterra, cioè, che non si poteua parlare di questo negozio senza auer prima il beneplacito, e dispensa di Sua Santità, e che non la domandarebbe, se le condizioni in materia di Religione non fossero tali, che obbligassero Sua Santità a concederla.

E quel che si dice per parte d'Inghilterra de gl'inconuenienti, che resultarebbeno, etiam in danno de' Cattolici, dalla pubblicazione della negatiua, che dasse Sua Santità, si conosce bene, ch'è vn pretesto molto friuolo, e delli soliti artifizi degli Eretici, perche ben si sà, che si seruarà il segreto: Oltre che dalla negatiua, che da Sua Santità fù data al Gran Duca, non ne risultò alcun'inconueniente in Inghilterra, come ogni giorno più ne risulta dalla crudelissima persecuzione, che quel Rè fà a' poueri Cattolici, facendoli ben spesso spargere il sangue, e darli la morte.

Fuerunt maturè à Sede Apostolica examinatæ conditiones, & capitula inita, quæ cum in maximum Religionis Catholicæ bonum, & fidei propagationem concernere visa fuerunt, Vrbanus Octauus eam concessit Henriettæ Mariæ Regis Galliarum sorori, cum tractatus Matrimonii cum Infanta Hispaniarum effectum non habuisset, vt ex Breui infrascripto apparet.

Charissimo Ludouico Francorum Regi, &c.

VRBANVS PAPA VIII.

217 *DOmus Dei zelus &c. Siquidem Maiestas Tua nuper Nobis exponi fecit, se magnoperè desiderare, vt sibi per Sedis Apostolicæ indulgentiam liceret, dilectissimam in Christo Filiam Nobilem Puellam Henriettam Mariam Maiestatis Tuæ Sororem Nobili Iuueni Carolo Vualliæ Principi nuptui collocare; Idque ob maximas, & grauissimas causas vniuersæ Christianæ Reipublicæ bonum, & Catholicæ fidei propagationem concernentes notas exponere Nobis propterea, &c. Idcircò Nos, &c. licet*

probè teneamus, Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia omnino fugienda esse, & quantum in Nobis est à Catholica Ecclesia procul arcere intendamus. Tamen cum grande veræ fidei, & animarum plurimarum bonum speretur: Negotium priùs accuratissimè examinatum cum pluribus granibus viris, ac doctrina, & prudentia præstantibus Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus mandauimus, qui post longam rei consultationem, videri sibi huiusmodi Matrimonium permittendum Nobis retulerunt: Nos pro ea, qua Maiestatem Tuam amplectimur paterna, ac singulari charitate, Maiestatis Tuæ desiderijs non abnuendum duximus. Ideò &c. Quod Heurietta Maria Soror Maiestatis Tuæ cum Carolo Vualliæ Principe Matrimonium per verba de præsenti *publicè contrahere, illudque deinceps consumare possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium permittimus, & indulgemus; non obstante, &c. Quare Nos Deum enixè exoramus, ac Sanctam Dei Matrem, ac Beatissimos Principes Apostolorum, vt sicut pro maiori securitate conseruanda fidei Catholicæ in Ducatibus, & Prouincijs tuis, quod per numerosiorem sobolem fieri potest hoc Matrimonium permittimus, ità per viscera misericordia suæ rata efficiat vota nostra, & Ecclesiam suam Sanctam lætificare dignetur. Datum Romæ 30. Decembris 1624. Pontificatus Nostri Anno Secundo.*

218 Conditiones autem initæ inter Regem Christianissimum, & Regem Angliæ, ac Carolum Principem, sunt infrascriptæ, quæ antequam dispensatio concederetur Romam missæ fuerunt per Patrem Berullum Superiorem tunc temporis Congregationis Oratorij, mox ad Purpuram euectum; fueruntque sæpè sæpiùs in Congregatione Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis examinatæ, & non proprio marte admissæ.

[*Primò*. Soror Regis omni libertate ad exercendam Religionem Catholicam Apostolicam Romanam vnacum Ministris, eorumque liberis gaudeto, & in eum vsum per singula domicilia Regia Sacellum cum Episcopo, & vigintiocto Sacerdotibus ad Sacramenta, & verbum Dei administrandum, omniaque Officia cultus peragenda parato.

Secundò. Liberi ex isto Matrimonio orti à matre in Religione Catholica vsque ad annum ætatis decimumtertium alantur, & instruuntur.

Tertiò. Omnes illius domestici in Angliam deducendi, Catholici, & Galli, à Rege Christianissimo lecti sunto, quibus mortem oppetentibus, ipsa alios Gallos, & Catholicos cum Regis Magnæ Britanniæ consensu substituito.

Quartò. Rex Magnæ Britanniæ vnacum filio Principe Vualliæ iure iurando caueto, nulla ratione animum nouæ nuptæ de mutanda Religione sollicitandum, aut ad vllam rem contrariam deducendum, scripto etiam fide verbisque Regis, ac Principis obligantor, se curaturos, vt Catholici tùm Ecclesiastici, quàm seculares ab vltimo Edicto captiui in libertatem asserantur.

Quintò. In Catholicos Angliæ propter Religionem omnis inquisitio inhibitor, ij à iure iurando Catholicæ Religioni aduersante immunes sunto, facultates, quæ extant ab vltimo Edicto ijs restituuntor.

Sextò. In summa Catholici in honorem istius Matrimonij ampliora, quam Hispaniæ fuerat ob eandem causam promissum obtinentor.]

Quæ conditiones, & capitula ante consumationem matrimonij iure iurando à Rege Angliæ, & Principe Carolo eius filio firmata fuerunt, vt hæc omnia constant ex libro, cui titulus *Ministerium Cardinalium Richely, & Mazarini, cum obseruationibus politicis ab anno 1624. vsque ad 1652. à pag. 12. vsque ad 20.*

Sed hæc omnia meliùs patent ex Registris Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis Romanæ, ex quibus etiam colligitur, primam conditionem fuisse conceptam his verbis:

Sà Maiestè pour rendre plus d'honneur au Sainte Siege, & pour tesmoigner aux Anglois son obeissance à Sà Sainctetè, à voulù que le premier article fut, quou rechercheroit la dispense de Sà Sainctetè, faisant cognoistre aux Anglois, que sans elle Sà Maiestè ne vouloit, ni pouuoit traiter, à fin de donner plus de benediction à pette action par cette humble, e solemnelle obeissance, e de rendre à cette Nation vn tesmoignague public de son respet l'authoritè de Eglise.

Quæ conditio idiomate latino sic se habet:

Rex Christianissimus, vt debitam Sanctæ Sedi Apostolicæ obseruantiam præstaret, suamque erga Summum Ecclesiæ Pastorem obedientiam Anglis ab ea alienis testaretur, ante omnia voluit, vt de dispensatione ageretur, atque coram illis hoc primùm statuit, se nec velle, nec posse de hoc matrimonio cogitare absque Summi Pontificis assensu, atque benedictione.

Laudandum sanè Regis Christianissimi consilium, sic enim, & se Ecclesiæ filium esse, & illos esse ab ea extorres in initio istius conuentionis declarauit, quandoquidem ex solo titulo benedictio

illa necessaria est, atque hac solemni, & publica suæ fidei professione, & erga Sanctam Sedem Apostolicam his temporibus impugnatam obseruantia, piè cogitauit, se huic negotio tanti momenti magnam à Deo benedictionem impetraturum.

Secunda conditio.

En second lieu Sà Maiestè à stipulè que Madame seroit fiancee au nom du Prince en la forme resistee en l'Eglise Catholique Apostolique, & Romaine.

Hoc est:

Rex Christianissimus voluit, vt sponsalia inter ipsos more recepto in Ecclesia Catholica Romana, & eodem Ritu Matrimonium contraheretur.

219 Vides etiam consuetudinem Principum Catholicorum, etiam in iis Regionibus, in quibus impunè grassantur hæreses, non tradendi filias Catholicas in Matrimonium Hæreticis, nisi priùs obtenta dispensatione à Sede Apostolica, quam consuetudinem admittit etiam Cardin. de Lugo *loco cit. num. 16. in fine.*

220 Et si hæc consuetudo viget in illis Regionibus, multo magis habet locum, quando Principissa nata, & educata in Regione, in qua non solùm impunè non grassantur hæreses, sed seueriſſimè mulctantur, ab ea Regione trahitur, vt Principi Hæretico in Regione, vbi non permittitur Religio Catholica in Matrimonium collocetur.

Tunc enim omnino cessat ratio conuictus, & commoditas Matrimonij, vel tranquillitas, & pax Catholicorum, quæ solent reddere ex præsumpto Pontificis consensu consuetudinem in priuatis personis tolerabilem, vt dicunt Cardin. de Lugo *dicta disput. 22. sect. 2. nu. 28.* P. Auersa *dicta quæst. 18. sect. 2. vers. Nauamus.*

Tertium argumentum Consultorum est, quod Principissa Catholica bona fide contraxit, cum adhibitæ priùs fuerint præcautiones necessariæ pro libertate propriæ professionis Catholicæ, ac incolumitate educationis prolis, quibus videtur satisfactum iuri naturali Diuino, quod illicitum reddit tale coniugium.

221 Sed hoc argumentum manifestè erroneum est, cum non possit dari bona fides in Catholica contrahente Matrimonium cum Principe Hæretico notorio, cuius hæresim sponsa ignorare non poterat.

Neque adhibitio assertarum præcautionum in partibus facta, sufficiens est ad bonam fidem inducendam, itaut Matrimonium, de quo agitur, potuerit licitè contrahi.

222 Quia iudicium harum præcautionum spectat ad Summum Pontificem, & Sanctam Sedem Apostolicam, Card. de Lugo *dicta disput. 22. sect. 1. num. 31.* & priùs *nu. 18.* vbi ait, quod si huiusmodi Matrimonia possent fieri sine iudicio Sedis Apostolicæ, vnusquisque posset sibi fieri Iudex in hac materia, & contrahere cum Hæretico, fingendo sibi pro suo desiderio, vel spem conuersionis coniugis Hæretici, vel alia, quæ cadunt sub solo iudicio Pontificis; vnde sæpè cum spe solùm apparenti, & fallaci contraheret, sed cum vero periculo peruersionis,

223 Et Pontius *in appendice cap. 8. in fine*, dicit, in hac materia sine scrupulo operari non posse, quam si res ad Pontificem deferatur, & ab eo dispensatio petatur.

Cum enim lege Pontificia Ecclesiastica sint talia Matrimonia interdicta, solus Summus Pontifex potest declarare, an lex Ecclesiastica eo casu obliget, vel illius finis cesset.

Quartum argumentum deducunt ex ordine asserto dato Domino N. vt si dispensatio necessaria esset eam peteret à Sanctissimo Domino Nostro, N. verò hoc ipsum significasse Sanctitati Suæ, cui non placuit iustis de causis exigere, vt peteret; quare interpretati sunt silentium pro consensu.

224 Sed hoc argumentum tollitur ex facto, quia nec N. saltem modo consueto petijt dispensationem, quam probe sciebat illi esse necessariam, iuxta consuetudinem Principum Catholicorum ab Ecclesia receptam, nec Summus Pontifex, vt ipsemet in Sacra Congregatione Sancti Officij declarauit, significauit N. ne eam peteret.

225 Præterea in hac materia, silentium Pontificis pro tacita dispensatione deseruire non potest, obstante Textu *in cap. Cum iam dudum, de Prabend.* iuncta Gloss. *in ver. Patientiam*, in terminis Bos. *de Matrim. cap. 2. num. 93.*

Quintum argumentum est, fuisse Principissam dispensatam vel à Missionarijs, vel à quodam delegato ab asserto Clero.

226 Sed hoc etiam facilè diluitur, quia Missionarij nullam habent facultatem dispensandi, vt Catholicus possit inire Matrimonium cum Hæretica, & è contra, sed solummodo, vt dispensare possint cum contrahere volentibus, si ambo sunt Catholici, vel si Hæreticus conuertatur ad fidem, vt patet in facultate, ibi:

Dispensandi in tertio, & quarto simplici, & mixto in contrahendis, in contractis verò cum Hæreticis conuersis etiam in secundo simplici, & mixto.

227 Præterea dispensationis illa facultas est localis, nempe vt solùm concessa sit pro Catholicis natis, & educatis, & commorantibus

morantibus in ea Regione, non autem pro Catholicis aliorum Regnorum ad eam post Matrimonium contractum conuolantibus, vt contigit in casu nostro, in quo Matrimonium non fuit contractum in Regione Hæretica, sed in Regno Catholico.

Nam non est eadem potestas absoluendi à peccatis, & dispensandi super his: Forenses enim licet habitent ibi, benè poterunt à Missionarijs in foro conscientiæ à peccato absolui, sed non dispensari, vt de mente Sacræ Congregationis Concilij testatur Garz. *de Benef. par.*11. *cap.*10. *num.* 139.

228 Et ratio est, quia respectu absolutionis Sacramentalis ex generali Ecclesiæ consuetudine, seu Prælatorum interpretatiua quicunque exteri sunt æquè, & incolæ subditi Episcopis, & tunc sufficit ibi reperiri, Suarez *de Censur. disp.*41. *sect.*1. *nu.*10. & 12. & Garzias *loco cit. num.* 9.

229 Respectu verò dispensationis consuetudo hoc non introduxit, quia non est tantæ necessitatis, Sanchez *ad præcept. lib.* 4. *cap.*37. *num.*24.

230 Sed dato quod facultas concessa Missionarijs comprehenderet etiam Catholicos contrahentes cum Hæreticis, illa non debet extendi ad hoc impedimentum, quamuis non dirimens, sed strictè venit interpretanda in impedimentis dirimentibus expressis, cum in hac materia non valeat argumentum à maiori ad minus, Caputaq. *decis.* 8. & 174. *par.* 1. Gregorius Decimusquintus *decis.*353.*num.*15. Garzias *dicto tract. par.*1. *cap.*6. *num.*58. & 59.

231 Stante præsertim contraria consuetudine, & scandalis, quæ possent oriri, si Missionarijs talis facultas concessa intelligeretur, vt probat Text. *in cap. Quod dilectis, de consanguin.* Sanchez *de Matrim. lib.*8. *disput.*1. *num.*33.

232 Quouero ad dispensationem concessam à Delegato ab asserto Clero, somnium est, quia Sedes Apostolica nunquam agnouit Clerum prædictum pro legitimo, quamuis protegat, & tueatur Sacerdotes, & Clericos Catholicos tanquam singulos, nec vnquam Sacerdotibus illis, vel Missionarijs tanquam Clero aliquam facultatem concessit: Propter huiusmodi ergò assertas dispensationes Principissa tuta nec in foro exteriori, nec conscientiæ esse potest, sed vt absque peccato in matrimonio illicitè contracto, cum securitate conscientiæ, & cum benedictione remanere possit, omnino illi necessaria est dispensatio, siue indulgentia Summi Pontificis, quæ si iustæ causæ adsint illius concedendæ, poterit à pietate Summi Pontificis concedi, & mederi grauissimo scandalo orto in Ecclesia Dei ob istud Matrimonium sic de facto contra leges Ecclesiasticas, & contra consuetudinem Principum Catholicorum contractum.

Sextum argumentum est, quod simus in Matrimonio iam contracto, ideò nulla requiratur dispensatio, vel permissio quicquid dicendum esset, si essemus in Matrimonio contrahendo.

233 Sed hoc argumentum penitùs insulsum est, quia Mulier Catholica post contractum Matrimonium cum Hæretico non liberatur à periculo peruersionis, & propterea cum eadem sit obligatio non contrahendi, & post contractum, & consumatum Matrimonium non permanendi, vtique requiritur indulgentia Pontificia, vt licitè in eo Matrimonio permanere possit, aliàs ex proprio errore commodum reportarer contra Text. *in cap. Legat.*24.*qu.* 2.& *in cap. Sedes* 15. *de rescriptis*, Bellamer. *conf.*28. *num.*9. *vers. Sed oppones*, *in fin.*

234 Et quamuis regula sit in hac materia, quod multa facta tenent, quę ab initio fieri prohibentur, *vt in cap.*1. *de Matrimon. contracto contra interdic. Eccles. cap. fin. de Diuortio*, *cap. Ad Apostolicam* 46. *de Regular.*

235 Hæc tamen Regula non procedit, quando adhuc remanet eadem causa prohibitionis post factum, prout in casu, de quo agitur, ob dedecus, & iniuriam Christianæ Religioni illatum, periculum peruersionis Catholici, & educationis prolis in hæresi, vt benè Sanchez *lib.* 7. *de impement. disput.* 5. *num.* 13. quem sequitur Card. de Lugo *de Sacram. Pœnit. disput.* 16. *sect.*6. *num.*343. qui dicunt, ideo copulam Fidelis cum Hæretico, cum quo contraxit, remanere illicitam, & eam circumstantiam necessariò explicandam esse in confessione: Pertinet enim, vt dicit Sanchez, ad Sacrilegium.

236 Facit praxis continua Datariæ, & Sacræ Pœnitentiariæ, quæ etsi non soleant dispensare in Matrimonio contrahendo, vel contracto cum Hæretico, sed referuetur dispensatio solo Summo Pontifici. Nihilominus in alijs impedimentis impedientibus, & ante, & post contractum Matrimonium dispensat.

Sic enim se habent formulæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Quatenus si ità est, dictum Oratorem audita prius ipsius Sacramentali confessione à transgressione huiusmodi absolui hac vice in forma Ecclesiæ consueta, iniuncta ei pro modo culpæ pœnitentia salutari, ipsumque (si aliud non obstet canonicum impedimentum) in dicto Matrimonio remanere, & debitum coniugale reddere, & exigere valeat, posse declarari.

Et ex his tollitur, Sedem Apostolicam non esse in possessione, iure, vel consuetudine, quod dispenset post contractum, quia in indiuiduo habemus exempla Du-

cis Barensis, & Ducis Neoburgi *supra* relata.

237 Et certum est, quod sic contrahentes debent separari ad tempus in pœnam delicti, ne pœnæ immunitate, præceptum Iudicis, siue legis Ecclesiasticæ contemnere audeant, vt constat *ex cap. 1. de matrimonio contracto contra interdict. Ecclesiæ*, in quo enim licèt assignetur vnus mensis pro dicta separatione, ibi: *per mensem steterit*. Tempus tamen est arbitrarium, quia mensis ille in eo Textu ponitur, exempli gratia, atque ità docent Gloss. *in cap. Tua fraternitas, ver. Poteris de sponf. duor.* Turre-cremata *in cap. Non oportet il primo 33. quæst. 4. vers. Ad secundum*, vbi quod coniunctos matrimonialiter separat Ecclesia quosdam simpliciter quantum ad vinculum, ostendens, inter eos non fuisse matrimonium, ex hoc quod interuenit aliquod impedimentum, quod est contra substantiam matrimonij, vel ex parte consensus, vel ex parte legitimitatis personarum, & illud dicitur impedire matrimonium contrahendum, & dirimere iam contractum.

Quosdam autem separat simpliciter quoad thorum, & habitationem in pœnam, & hoc propter aliquod crimen, quod est contra matrimonij bonum. Quosdam separat ad tempus quoad pœnitentiam agendam, & hoc quando interueniat aliquod impedimentum, quod non est contra matrimonium quantum ad substantiam, nec est contra bonum matrimonij, sed inducit peccatum, & tale est Ecclesiasticum interdictum, & de tali separatione intelligitur auctoritas *Canonis, Non oportet, il secondo, eadem quæst.* vbi idem Turre-cremata dicit, quod sit ista separatio ad tempus in pœnam, vt puniantur in quo delinquetunt, quia transgressi sunt præceptum Ecclesiæ; Et subiungit ex Petro de Palude, quod si sit periculum incontinentiæ, alia pœnitentia imponitur, & in ipsa dispensatur; Sequuntur Turre-crematam Sanchez *lib. 7. de impedim. disp. 2. num.* 14. Pontius *lib. 6. cap. 7. num. 7. & 8.*

Sed doctissimè, & eruditissimè prædictis consultationibus respondit clar. mem. Eminentiss. Dominus meus Cardinalis Pallauicinus, cuius responsio est sequens.

Tria sunt inquirenda.

238 PRimùm, an Principissa Catholica nubens Hæretico peccauerit saltem in foro externo.

Alterum, an posteaquam re ipsa nupsit, debeat petere à Summo Pontifice remissionem alicuius pœnæ, in quam propterea incurreret.

Tertiò, an debeat petere dispensationem ad remanendum in cohabitatione matrimoniali cum viro suo.

Circa primum euidens mihi videtur pars affirmatiua: Nam constat apud omnes, matrimonium inter Catholicam, & Hæreticum esse prohibitum, tum *ex canone 14. Concilij Generalis Calcedonen.* tum *ex canone 67. Concilij Aghaten.* confirmati à Sede Apostolica, vt notat Sanchez *lib. 7. disp. 72.* relat. *in cap. Non oportet 28. quæst. 1.* tum *ex cap. Decreuit de Hæret. in 6.* in quo Bonifacius Octauus ità interpretatur Constitutionem Innocentij Quarti eximentem dotem vxoris à confiscatione bonorum viri hæretici, vt non habeat locum, quando vxor scienter hæretico nupsit, adeoque implicitè declarat, talem vxorem puniendam propter id priuatione dotis.

Et quamuis *in primo Canone* à me relato, & aliquantulum etiam in *secundo* excipiatur casus, in quo coniux promiserit, se ad Catholicam fidem rediturum, de qua exceptione, an hodie locum habeat, latè disputant *Doctores*, cum tamen non versemur in tali casu, nihil attinet super hoc commorari.

Non obstat prima euasio, quæ affertur pro contraria parte scilicet, Principissam egisse bona fide, quia vtcunque hoc possit verificari, adeoque eam excusare in foro interno, non tamen præsumitur, neque excusat in externo; alioquin posset hoc semper allegari, itaut vix vnquam haberent locum pœnæ canonicæ.

Ideo in prædicto *cap. Decreuit* exigitur quidem ad amissionem dotis, vt mulier sciuerit hæresim viri, quia id tanquam quid facti præsumitur ignoratum, non autem quod sciuerit prohibitionem Ecclesiæ; Nam hoc tanquam ius notorium præsumitur scitum.

Multò verò magis id habet locum in præsenti facti specie; Agitur enim de fœmina Principe, & de matrimonio diù agitato, antequam iniretur, & aduersùs quod multi Catholici in Principatu Catholico palam loquebantur, & scribebant; Item notissimæ, & recentes erant dispensationes impetratæ à Sede Apostolica pro simili matrimonio ineundo, ex quibus omnibus excluditur præsumptio ignorantiæ in foro externo; Quicquid fuerit apud Deum.

Neque obstat secunda euasio, quod nimirum D.N. præbuerit se paratum Pontifici ad petendam dispensationem nomine eorum, ad quos pertinebat, Pontifex verò non existimauerit eam petitionem opportunam, ex quo censebatur, eam tacitè concessisse.

Nam primò retorquetur, quia si ex huiusmodi significatione D. N. Domina Principissa putauit se tutam in conscientia, ergo sciebat impedimentum, & neces-

sitatem dispensationis, quod in priori euasione negabatur.

Contra est secundò directè, quia non esset ignorantia inuincibilis, & excusans à pœna, putare secum fuisse dispensatum, eò quod Pontifex oretenus dixerit alicui, non esse opportunum, vt dispensatio peteretur; Quin id potiùs ostendit magnam repugnantiam dispensationis concedendę, pro quo ne supplicationes quidem accipere voluit.

Quis enim prudens in animum sibi induxerit, voluisse Pontificem vno verbo, & sine vllo examine conditionum dispensare in eo matrimonio, quando in similì tam diuturnè, tamque maturæ consultationes præmissæ fuerunt, & tot conditiones antea exactæ pro bono spirituali, tum ipsius sponsæ, tum prolis, tum Catholicorum in eo Principatu, cum concessæ sunt aliæ duæ dispensationes supra memoratæ, quæ diligentiæ magis requirebantur in casu præsenti, cum ageretur de tali sponsa, quæ vnico fratre præmoriente, prætenderet sibi ius esse ad integrum Principatum Catholicum, quod proinde caderet sub dominio mariti hæretici.

Tertia euasio est, hoc matrimonium non eguisse dispensatione, quia contractum fuit in Regione, vbi impunè grassatur hæresis, ac proinde hæc matrimonia sunt licita.

Id tamen refellitur ex facto, si quidem D. Principissa antea contraxit cum Procuratore ipsius Principis per verba de præsenti in Ciuitate Catholica, vbi nulla grassatur hæresis, quapropter tunc deliquit, & incidit in pœnas canonicas; Postea verò quando iterum contraxit in Ciuitate hæretica illud non fuit verè matrimonium, sed pura cæremonia, quia eiusmodi contractus inter eosdem coniuges non est iterabilis, quippe qui consistit in traditione corporum, quæ vbi semel tradita sunt, non possunt iterum tradi.

Refellitur secundò ex abundanti, quia omissis disputationibus, quæ latè habentur apud *Doctores*, an verè talia matrimonia sint permissa ex tacita tolerantia Ecclesiæ propter mutuam pacem, & propter minus periculum peruersionis in iis locis, vbi Catholici cum Hæreticis permixti palam, & pacificè viuunt, & an saltem hoc habeat exceptionem in Principibus propter maiora pericula, & propter maiorem necessitatem Pontificiæ examinationis, præsertim accedente consuetudine petendæ dispensationis à Romano Pontifice, quæ consuetudo mentem Pontificis declarat pro hac exceptione.

Iis, inquam omissis, ea doctrina non applicatur casui nostro, in quo sponsa discessit à Regione, vbi permittitur solùm exercitium Religionis Catholicæ, & accessit ad sponsum Hæreticum in tali Regione manentem, vbi idem exercitium est omnino prohibitum, & ibi Hæretici non solùm non conuiuunt pacificè cum Catholicis, sed eos hostiliter prosequuntur, quas ob causas cessant in eo casu omnes congruentiæ, quibus eiusmodi sententia innititur: Et confirmatur ex tam luculento exemplo duorum Regum, qui nuper in simili casu Pontificiam dispensationem sibi necessariam duxerunt.

Quarta euasio est, in casu euidentis, & magnæ necessitatis eam dispensationem non prærequiri, sed talis exceptio, si aliquid probabilitatis haberet circa impedimenta non dirimentia, quale est illud, de quo agitur (Nam circa dirimentia puto eam omnino improbabilem, ne dicam amplius) vtique id esset, quando non suppetit tempus recurrendi ad Sedem Apostolicam; Tunc enim posita ea magna, & euidenti necessitate, poterit quis credere licere sibi per Epicheiam interpretari mentem Pontificis non prohibendi pro tali casu: At coniugium, de quo agimus, fuit antea diu tractatum, & interim, vt dixi, Sedi Apostolicæ insinuatum, quare tempus abundè suppetijt eius responsum expectandi.

Cæterum, vt benè considerat Card. de Lugo *disp. 22. de fide, sect. 2. num. 31.* non debet quisquam priuatus esse Iudex huius magnæ necessitatis, & an adsint rationes, quæ præualeant periculo peruersionis, propter quod huiusmodi matrimonia prohibentur; Alioquin frustra essent legum vetita, & vnusquisque in propria causa pro se decerneret.

Et quamuis posset dari magna necessitas ineundi talem contractum, non tamen datur necessitas ineundi illum sine dispensatione Apostolica, quando suppetit tempus eam petendi: Quare in ordine ad hanc circumstantiam non est locus Epicheiæ, sicut autem dispensante Pontifice, præsumitur pro rationabilitate causæ, ità eodem negante dispensare, præsumitur pro causæ insufficientia, vt benè Pontius *in append. sub cap. 8.* Cardinalis de Lugo *disput. 22. de fide num. 19.*

Rursus idem refutatur, quia hæc euidens, & magna necessitas debet respicere bonum spirituale, ad quod lex ipsa prohibens ordinatur, vt hoc modo finis legis dicatur cessare non solùm negatiuè, sed contrariè, quo casu cessat etiam obligatio legis: Verumtamen in hoc contractu visum est potiùs bonum spirituale labefactari, cum pro dote tradita sit Principi hæretico Ciuitas Catholica.

Et hoc idem comprobatur auctoritate, & iudicio prædictorum Catholicorum,

qui veriti non sunt huiusmodi contractum tanquam Religioni aduersaturum apud ipsum Principem improbare.

Quinta euasio est, fuisse in eo matrimonio dispensatum per N. nomine asserti Cleri.

Verum id quoque tollitur primò ex facto, cum verè matrimonium, vt memoraui, contractum fuerit in Ciuitate non interueniente prædicto N. & in qua Regione nihil iuris obtendere potest assertus Clerus.

Secundò, tollitur ex iure claro, nam neque assertus Clerus, neque vlla alia Potestas Ecclesiastica infra Sedem Apostolicam habet facultatem dispensandi in legibus eiusdem Sedis, & Ecclesiæ Vniuersalis, quale est impedimentum, de quo agitur, nisi ex licentia tacita, vel expressa ipsius Apostolicæ Sedis, quo pacto est præuulgata regula Doctorum: *Nunquam inferior potest dispensare in lege Superioris, nisi ex voluntate eiusdem Superioris*.

In casu autem nostro non modo Sedes Apostolica vnquam præsetulit hanc voluntatem, sed semper eiusmodi dispensationum vsum sibi vnicè reseruauit, quas aliquando concessit in casibus antea memoratis: Aliquando etiam magnis Principibus denegauit, vt Paulus Quintus denegauit Duci Sabaudiæ, qui volebat filiam iungere Principi Anglicano, qui breui postea obijt; Et Vrbanus Octauus eam denegauit Vladislao Poloniæ Regi cupienti ducere filiam Palatini.

Tollitur tertiò, quia Sedes Apostolica nunquam agnouit in illo Clero vllam auctoritatem, vel iurisdictionem, sed tantummodo Clericos, & Sacerdotes illos amplexa, & tutata est tanquam priuatas personas.

Hæc de prima dubitatione.

Quoad secundam dubitationem.

An Principissa teneatur petere remissionem pœnarum.

Dicunt aliqui non teneri, quia nulla alia pœna legitur per Canones huic matrimonio imposita, quàm dotis amissio, de qua eadem Principissa potest non curare.

Sed præsuppositum apertè corruit; Nunquam enim antiqui Canones imposuerunt pœnam tantummodo temporalem, præsertim laicis, vt notum est vnicuique mediocriter erudito, quia si hoc esset, pœna esset præscripta solis fœminis ducentibus Hæreticum, non autem viris ducentibus Hæreticam, cum viri dotem non habeant, quam amittant, quoniam dum *Concilium Calcedonense dicto canone* 14. præscribit fœminæ ducenti, vel Paganum, vel Iudæum, vel Hæreticum, *Correctionem canonicam* (seu vt habet alia versio, *Correctionem regularem*, quod in idem recidit, quando Canon græcè *regulam* sonat) proculdubio intellexit, vel de excommunicatione infligenda, vel de aliqua alia pœna spirituali per antiquiores Canones statuta, vel certè eam reliquit arbitrio Ecclesiæ pro qualitate facti, & personarum, quod si esset huiusmodi pœna, multò magis iudicium, & remissionem Summi Pontificis requireret.

Secundò eadem responsio elidit, quia per tale Matrimonium mulier fuit suspecta de hæresi, vt notat Gloss. *Bis in figuratione casus super d. cap. Decreuit*, addens contra ipsam tamquam de hæresi suspectam procedi posse, consentit Pegna *in comm. 2. partis Director. super d. cap. Decreuit*; *Digna est*, inquit, *vt puniatur, quia per hoc videtur tali Hæretico fauere*, & concordat Farinacc. *de Hæres. quæst.* 190. §. 3. num. 50. qui alios afferunt. Quod confirmatur, quia Clemens Octauus in sua Constitutione, incipien. *Non sine magno*; quam ampliauit Gregorius Decimusquintus per aliam Constitutionem, incipien. *Romani Pontificis*: Voluit grauiter puniri Italos euntes in Regiones Hæreticorum, vbi non est permissus Ritus Catholicus, contra quos, vt testatur Cardinalis Scaglia *in sua Praxi M. S.* tanquam contra suspectos de hæresi procedunt Inquisitores.

Licet enim pœnæ positiuę talium Constitutionum restringantur ad Italos, ratio tamen earumdem Legum, ex qua oritur suspicio hæresis, æquè valet in omni Regione, vbi vigeat solus cultus Catholicæ Religionis, & multò magis habet locum in muliere, quæ adit loca Hæreticorum, non cum animo, & facultate redeundi, sed cum animo, & necessitate permanendi per totam vitam sub potestate mariti Hæretici.

Hanc ergo suspicionem tenetur Domina Principissa purgare coram Summo Pontifice, ostendens sibi ità cautum fuisse per conuentiones Matrimoniales, vt periculum peruersionis, & fauor hæresis excluderentur.

Respondent secundò, plerosque Missionarios habere in ea Regione facultatem dispensandi in Matrimonijs iam contractis super omnibus impedimentis iuris positiui, excepto secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, quare D. Principissa potuit ab eis dispensari.

Ea tamen responsio primò quidem non aptatur huic disquisitioni, in qua non agimus de dispensatione ad permanendum in cohabitatione matrimoniali, de hoc enim agemus in tertia parte, sed de remissione pœnarum, & de excludenda suspicione hæresis ex delicto iam cōmisso.

Præterea falsum est Missionarijs conce-

di tam amplas facultates, & ego rescini à Ministris peritissimis Sacri Tribunalis.

Tertiò, etiamsi suppositio esset vera, adhuc in ea facultate non includeretur hoc impedimentum, quippe quod non est iuris positiui, sed Diuini propter periculum peruersionis, quod est intrinsecè malum, nisi honestetur ex circumstantijs, vt benè cum Pontio Cardinalis de Lugo *disp.22. de fide, sect.2. num.16.* Quas circumstantias perpendere spectat ad Summum Pontificem, vt idem probat *num.18.* & meliùs *num.31.* quo circa hæc dispensatio, qua parte spectat ad ius Diuinum, est declaratiua, sicut quando Pontifex dispensat cum Episcopo in residentia, licet qua parte spectat ad legem Ecclesiasticam, quæ iuri Diuino superuenit, & nouas pœnas addidit, est relaxatiua.

Et hæc circa secundam dubitationem.

Quoad tertium verò dubium, in quo aio, D. Principissam indigere dispensatione Apostolica ad permanendum in tali cohabitatione matrimoniali; probatur, quia licèt illa nubens scienter Hæretico, renunciauerit iuri suo respectu diuortij intentandi, quod ius ei competeret, si vel duxisset Hæreticum ignoranter, vel maritus Catholicus postea in hæresim incidisset, vt benè post alios idem Card.de Lugo *disp. 22. de fide, sect.3.* non per hoc liberatur ab obligatione, quam vsque à principio habuit ex iure Diuino,& Ecclesiastico non permanendi cum viro Hæretico, & sub potestate illius.

Hæc enim obligatio non est illi voluntaria, alioquin non esset obligatio, ac proindè non potest per quemcumque suum consensum ab ea se eximere; quamobrem cautè locutus est idem Card.de Lugo *dicta disp.12. sect.3. num.95.* docens coniugem, quæ scienter contraxit cum Hæretico, vel ex dispensatione Pontificia, vel sine illa in ijs locis, in quibus ex consuetudine non est necessaria, non potest sine noua causa occurrente intentare diuortium, ex capite hæresis, vbi studiosè restrinxit doctrinam suam ad illos duos casus, in quibus tale Matrimonium fuit licitum, itâ hoc ipso quod coniux scienter contrahens cum Hæretico, renunciauerit iuri suo, nulla superfit obligatio ex lege ad eum deserendum.

Quod autem mulier Catholica, quæ illicitè contraxit cum Hæretico, talem haberet obligationem, probatur, quia in hoc eadem valet ratio, ac in prohibitione nubendi, hoc est periculum peruersionis; & propterea coniux Catholicus, qui à principio licitè contraxit cum altero coniuge Catholico, si postea contingat hunc in hæresim labi, itaut hoc sit vel notorium, vel ab Ecclesiæ sententia declaratum, non solum potest, sed tenetur ab eo separari, vt benè Pontius *lib.7. cap.48. in fin.* qui *lib.9. cap.2. num.2.* cum Farinacc. *d. quæst.* 190. §. 3. docet coniugem, qui continuat cohabitationem cum altero coniuge lapso in hæresim, esse de hæresi suspectum.

Respondent aliqui primò, fuisse cum D. Principissa iàm dispensatum à Missionarijs, vt in contracto Matrimonio continuaret, sed hæc responsio iàm sublata est per *supradicta*.

Respondent secundò, si hæc petitio dispensationis exigatur à Principissa, fore id ei molestissimum, & cum sit grauida, imminere tunc discrimen abortus.

Quæ quidem responsio, si valeret, excusaret omnes fœminas, ac saltem Principissas ab obligatione confitendi sua peccata, quæ sepè grauior est, quam obligatio petendi dispensationem certò impetrandam ad continuandum in cohabitatione Matrimoniali: quin hæc dispensatio parabit D. Principissæ quietem conscientiæ in re grauissima, quæ sanè quies multum confert ad animi tranquillitatem, & corporis, adeoq; fœtus incolumitatem.

Rursùs respondent id fore molestissimum marito, à cuius protectione pendet conseruatio, & propagatio Catholicæ Religionis.

Hæc tamen responsio valdè offendit D. Principissam, quasi ipsa contraxerit, vt non sibi cauerit super libero exercitio Religionis Catholicæ, quod in eo maximè situm est, vt eidem Principissæ liceat per maritum agnoscere auctoritatem Summi Pontificis, & ab eius iurisdictione pendere: Non enim agitur de vxore separanda à viro, quod posset esse ei peracerbum, sed de eadem Principi firmiùs agglutinanda per firmamentum Apostolicæ approbationis.

Confirmatur exemplo Iacobi Regis Angliæ, qui licet minus æquus videretur in Catholicos, tamen non solum permisit, vt peteretur dispensatio, quando actum est de Matrimonio filij cum Catholica, sed ipsemet dedit super eo litteras officij reuerentiæ, & pollicitationum plenas ad Gregorium Decimumquintum, quas Ego originarias vidi.]

Sed post hæc scripta vnus ex Consultoribus aliud scriptum protulit, cuius tenor est:

239 MAtrimonium in primis inter Catholicam, & Hæreticum esse validum, tametsi illicitum, & absque vlla prorsus dispensatione celebratum, communis est Theologorum omnium, & ferè omnium Iurisperitorum sententia, vt

videre licet apud Thomam Sanchez *lib.7. de Matrim.disput.72.nu.2.* & apud Basilium Pontium *lib.7. de Matrim. cap.47. num.10.* atque *in append. cap.1. num. 1.* vbi subdit, superuacaneum videri, Auctores referre in re apud omnes ità recepta. Vnde non pensi habetur, Simancham, & alios tres, vel quatuor Auctores, quorum fundamentis iijdem Sanchez, & Pontius abundè satisfaciunt, oppositum docuisse, atque eiusmodi Matrimonia declarasse irrita, cum in hoc sentiant singulariter aduersus communissimam sententiam, & quod caput est aduersus communem Ecclesię consuetudinem, vt peculiariter ponderat Pontius *in dicto num. 1.*

Rursus postquam Catholica celebrauit validè Matrimonium cum Hæretico, illudque consumauit, & translata in patriam mariti infectam hæresi, & in qua inualuit iam consuetudo, vt Catholici, & Hæretici inuicem cohabitent, & coniugaliter, & non coniugaliter, licitè cohabitat marito Hæretico, dummodo absit periculum subuersionis, cautumque sit liberæ, & pacificæ, minimèque onerosæ professioni Religionis Catholicæ, imò his ità stantibus, non possit ampliùs sponsa à marito diuertere, cui se obligauit præcognita eius hæresi, dummodo hic stet pactis honestis circa Religionem initis ab initio.

240 Probatur, quia licet hæresim præbere causam diuortio sufficientem, expressum reperiatur *in cap. final. de conuers. coniugat.* & alibi sæpè; licet omnes indiscriminatim adstringat obligatio grauis vitandi Hæreticos, omnemque cum illis communicationem, atque coniugalem præcipuè, quæ maxima communicatio est, cum sit animorum, corporumque coniunctio, iuxta communem diffinitionem, licet, inquam, hæc ità se habeant, tota tamen ista tam permissio, quàm obligatio diuertendi à marito Hæretico, & cohabitandi eidem trahit originem à iure naturali obligante ad vitandum periculum subuersionis; vt aduertit inter alios Basilius Pontius *lib. 9. de Matrim. cap. 22. num. 2.* ex illo Pauli ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam, aut alteram monitionem deuita.*

Quapropter vbi huic subuersionis periculo cautum sufficienter fuerit, atque insuper experientia compertum iam fuerit, maritum fideliter, abundeque præstare cautiones honestas, & sufficientes initio in pactum deductas, vti accidit in casu nostro, ac proinde abest periculum subuersionis, abest vtique consequenter obligatio diuertendi, seu recedendi à marito Hæretico, quantum attinet ad ius naturale.

Quia verò dispositio iuris Canonici fundatur quoad hoc totaliter, atquè omnino determinatè in iure naturali, vt dictum est, cessat pariter eo ipso obligatio etiàm inducta per ius Canonicum: Eò vel maximè quia postquam ambo coniugati sunt constituti, & radicati in Patria, vbi consuetudo obtinuit, vt Catholici, & Hæretici cohabitent inuicem pacificè, & coniugaliter, & non coniugaliter, non viget ampliùs quoad hoc punctum obligatio ex iure Canonico dependens. Itaque in casu nostro nulla superest, aut necessitas, aut obligatio petendæ dispensationis ad cohabitandum.

Quinimò sponsa tenetur cohabitare in eo rerum statu, & circumstantijs, in quibus iam reperitur, cum nil supersit, per quod legitimè excusetur ab obligatione per se coniuncta cum matrimonio valido, vt constat *ex dictis*.

Demum quod ad suspicionem hæresis attinet, verum est illi suspicioni subesse Catholicam contrahentem matrimonium cum Hæretico; & siquidem receptet maritum Hæreticum æstimari fautricem hæresis, & Hæreticorum, vt docet inter alios Farinacc. *in dicto tract. quæst.190. §.3.nu.50. & quæst. 182. num. 150.* Sed circa hoc punctum tria sunt consideranda.

Primum est suspicionem hæresis, quæ per se inest matrimonio cum Hæretico, euanescere, & deficere posse omnino ob adiunctas ex parte Catholici circumstantias publicè, & palam manifestatiuas animi detestantis hæresim, atque ab eadem firmissimè, atque longissimè recedentis. Quod à fortiori admittant necesse est, quotquot tradunt matrimonium Catholicæ cum Hæretico posse absolutè honestari, atque licitum reddi per adiunctas circumstantias.

Hoc autem tradunt Auctores prorsus omnes, qui de hoc puncto scripserunt, vt pluribus nominatim relatis firmat Pontius *in append. cap.3. num.10.*

Iam istius modi circumstantias adfuisse in casu nostro ex publica omnium notitia ostendi facilè potest, & efficaciter.

Constat enim in primis, Catholicam consensisse in hoc matrimonium impellente, atque ideo constringente maxima vtilitate, imò & necessitate domus paternæ, matris, fratris, & sua ipsius.

Id quod inter alia dotis vltra vires, & consuetudinem pinguedo, & qualitas apertè demonstrat.

Deinde requisiuisse in ipsa contractione matrimonij præsentiam idonei Ministri Catholici, nec acquiescere vllo pacto interuentioni Ministri Hæretici.

Pepigisse de retinendo Confessario Catholico eximiæ probitatis viro; Necnon de toto suo seorsim famulitio Catho-

lico: De Cappella publicè Ritu Catholico colenda: Nonne manifestum animum ostendunt abhorrentem vehementer ab hæresi?

Hoc demum idem persuadet iste ipse recursus ad Sedem Apostolicam pro obtinendo pignore confirmandæ in Catholicis Religionis Catholicæ, eiusdemque in Hæreticis propagandæ.

Hoc enim factum sicut in se clarè continet conniuentiam mariti erga Religionem Catholicam, ità continet clarissimè zelum Sponsæ Catholicæ erga eandem.

241 Obseruandum rursus est, ad fautoriam hæresis non sufficere, quod vxor Catholica vtcumque recepret, aut aliter foueat maritum Hæreticum, sed necesse insuper esse, vt id fiat causa hæresis, & non solius affectus maritalis, aut alia simili causa, nil habente commune cum hæresi, vti aduertit ipse etiam Farinacc. *loco posteriùs indicato*, & pluribus docet, exponit, atque confirmat Suarez *de Censur. disput.21. sect.2. num.8.*

Apparet autem liquido ex præmissis modo circumstantiis, sponsam in casu nostro longissimè abesse à receptione mariti Hæretici, & qualicunque erga eum fauore causa hæresis, siquidem in illis omnibus flagrat odium hæresis, & Hæreticorum, quà Hæretici sunt. Nulla igitur datur in casu nostro aut suspicio hæresis, aut fautoria.

Obseruandum demùm est, dato etiam sponsam Catholicam incidisse in suspicionem, & fautoriam hæresis, ac proindè incurrisse censuras his criminibus onerosas, neque per ea, quæ hic præmissa sunt sufficienter modificari, ac exponi legitimè dispositiones, ac declarationes Conciliorum, & Pontificum in hac materia, quod tamen absolutè dicendum nequaquam est.

Hoc, inquam, toto gratis admisso, obseruandum insuper est, censuras, quibus sunt obnoxiæ suspicio, & fautoria hæresis, non ità esse reseruatas Sedi Apostolicæ, vt non sit commissa facultas ab illis absoluendi pluribus, & Tribunalibus, & particularibus personis.

Quod quia est iuris noti non est necesse pluribus stabilire: Ergo nec etiam toto eo dato necesse est recurrere ad Sedem Apostolicam.

Saluo, &c.

N.N.

Sed non substulit responsiones datas prioribus Consultis, supponit enim non subesse periculum subuersionis ob pacta inita, quæ tamen absque assensu Pontificis iniri non poterant: Cætera autem leuissima sunt, quibus abundè satisfactum ab Eminentissimo Cardinale Pallauicino, & à Me.

CAPVT XXXVII.

ARGVMENTVM.

De abutente Sacramento Ordinis. An reiteratio primæ tonsuræ subdatur iudicio Inquisitorum. De recipiente Ordines ab Episcopo Hæretico. De simplici Sacerdote peragente ea, quæ ad Episcopum pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Abutens Sacramento Ordinis est suspectus de hæresi.*
Reiteratio Ordinum inducit vehementem suspicionem hæresis, & de ratione, ac numero 2.
Ordines imprimunt characterem, quod est de fide.
Ordines reiterari non possunt.
2 *Rebaptizatus est vehementer de hæresi suspectus.*
3 *Ordinati patientes reordinari an incurrant irregularitatem, ac etiam reordinantes, & numeris seqq.*
4 *Irregularitas an possit argui ab æquiparatis.*
5 *Ordinati nulliter possunt iterum ordinari.*
6 *Ordinati ab Episcopo falso an sint bene ordinati, & quas pœnas incurrant.*
7 *Quid si pro Episcopo se gereret.*
Quid de confirmatis ab Episcopo falso, sed pro Episcopo se gerente.
8 *Ordinati quorum ordinationis validitas est dubia possunt iterum ordinari.*
9 *Ordines minores imprimunt characterem, sunt Sacramentum, & reiterari non possunt.*
10 *Prima tonsura an sit Ordo, vel Sacramentum, & numeris seqq.*
12 *Bigamia an deleat characterem impressum à prima tonsura.*
13 *Reiteratio primæ tonsuræ an inducat suspicionem hæresis.*
14 *Prima tonsura an possit reiterari, & an im-*

primat characterem.

Consecratio Calicis, & Ecclesiæ non imprimit characterem, & non potest reiterari.

15 *Consecratio Episcopi an possit reiterari.*

16 *Ordinatis voluntariè ab Episcopo Hæretico, vel Schismatico, abutuntur Sacramento Ordinis, dicuntur fautores Hæreticorum, & sunt suspecti de hæresi.*

Quid de recipiente voluntariè Baptismum ab Hæretico.

Ordines an validè conferri possint ab Episcopo Hæretico, Schismatico, excommunicato, & degradato.

Abusus Sacramenti Ordinis resultat ex celebratione Missæ facta per non Sacerdotem, siue laicum, siue Clericum.

Ac ex receptione Ordinum facta per vxoratum inscia, vel contradicente vxore.

17 *Vxoratus cum legitimo vxoris consensu debitum coniugale exigens, vel reddens post Ordines sacros eo inscia, vel contradicente susceptos, peccat.*

18 *Sacerdos gerens quæ spectant ad Ordinem Episcopalem quando abutatur Sacramento Ordinis, & ijs quæ ad Episcopalem Ordinem spectant.*

19 *Sacerdos gerens munera Episcopalia an sit suspectus de hæresi.*

Hæretici nullam constituentes differentiam inter Episcopum, & Presbyterum.

20 *Papa potest dispensare vt simplex Sacerdos ministret Sacramentum Confirmationis.*

Missionarij quas habeant facultates circa benedictionem, & consecrationem, & numeris seqq.

Sacerdos simplex an possit maiores Ordines conferre ex priuilegio Pontificis.

23 *Facultas benedicendi, & consecrandi Calices, Altaria, & Patenas, quibus delegari soleat.*

CÆTERVM redeamus ad materiam nostram præsumptæ Inconstantiæ in Sacramentis, & dico, præsumptum Inconstantem esse, qui abutitur Sacramento Ordinis: Is enim suspectus est de hæresi ex regula generali *supra* tradita de abutente Sacramentis, Lucerna Inquisitorum *in ver. Sacramentis abuti*, Salelles *de mater. Tribunal. fidei reg. 394. nu. 386. to. 3.* Trasmiera *de Polygam. lib. 3. quæst. 2. per totam.*

Abutitur ergo primò Sacramento Or-
1 dinis, qui Ordines reiteraret, vel patitur reiterari; cum enim imprimant characterem *cap. Maiores, §. vlt. de Baptismo, cap. Consultatur, de tempor. Ordinat.* & esse de fide statuit Concil. Florentin. *in Decreto Eugenij*, & Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 4. de Sacramento Ordinis, & sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere*, latè Adden. *ad dict. cap. 4. sess. 23.* vtique reiterari non possunt, *cap. 1. distinct. 68.* quod desumptum est *ab Epistola* Gregorij Magni *32. lib. 2. ad Ioannem Episcopum Rauennaten.* Acunha *d. cap. 1.* Bonacin. *de Sacram. in genere qu. 5. punct. 3. propos. 3. num. 5.* latissimè Cardin. de Lugo *de Sacram. in genere disput. 6. sect. 1. num. 5.* vbi *num. 2.* inuehit contra Kemnitium, qui dixit hunc characterem fuisse inuentionem Innocentij Tertij *in d. cap. Maiores*, Trullench. *de Sacram. lib. 1. cap. 4. dub. 5.* latè, & eruditè Hallier. *de Sacris Electión. & Ordin. sect. 3. de effectu Ordinat. cap. 2. §. 1. per multos.*

Qui ergò, vel reiterat Ordinem, vel
2 patitur in ipso reiterari, tanquam præsumptus Inconstans in fide suspectus est de ea vehementer, & ità de rebaptizante dixit Gloss. *in cap. Accusatus, ver. Saperent, de Hæret. in 6.* & in terminis de reiteratione Ordinis, Bordon. *in Tribunal. cap. 22. de abusu Sacram. num. 2.*

3 Præterea qui patitur se reordinari incurrit irregularitatem, vt tradit Nauarr. *in Man. cap. 27. nu. 247.* Gregor. Lopez *par. 1. tit. 6. l. 20. Gloss. 3.* Acunha *loco cit. num. 2.* Idem in eo, qui reiterat Ordinem, Tabiena *in ver. Irregularitas à num. 7.* Maiol. *de Irregul. lib. 3. cap. 15. num. 9. in fin.*

4 Quæ tamen sententia non placet Suario *de Censur. disput. 42. sect. 4. num. 6.* ea ratione, quia talis irregularitas non reperitur in iure expressa, nec in hac materia valet argumentum ab æquiparatis, quod priùs dixerat *in 3. tom. disput. 38.* in materia reiterationis Sacramenti Confirmationis.

Sed iste Sacramenti abusus non habet locum nisi in eo, qui aliàs est ritè ordina-
5 tus, si enim non fuisset ordinatus in forma Ecclesiæ, iterùm licitè posset ordinari, *cap. Datbertum 1. quæst. 7.* Gloss. *in dicto cap. 1. in ver. Consecratus*, Acunha *loco cit. num. 2. vers. Quod tamen intellige.* Præposit. *in cap. Ecclesijs eadem 68. distinct.*

Et propterea in Sacra Congregatione
6 *de anno* 1597. *die* 11. *Decembris* fuit resolutum, ordinatos ab Episcopo falsò declarandos esse non ordinatos, interim verò remanere inhabiles ad suscipiendos Ordines, & debere pro rehabilitatione recurrere ad Sedem Apostolicam, nec posse in Ordinibus susceptis ministrare, vel celebrare.

Et *de anno* 1614. 23. *Octobris*, & 19. *Februarij* 1615. dictum fuit, ordinatos ab
7 Episcopo falsò gerente se pro Episcopo, iterùm, præuio examine super idoneitate, debere ordinari sub conditione ab Episcopo viciniori, concurrentibus debitis requisitis, qui Episcopus conferat etiam Sacramentum Confirmationis ijs, qui confirmati fuerunt ab eodem prætenso Episcopo.

Pariter

Pariter non haberet locum, quando
8 essemus in dubio, vt voluit Abbas *in cap. de quibus nu.* 1. 2. *& 3. de Baptismo*, Acunha *dicto cap.* 1. *num.* 2.

Huc autem spectant, quæ diximus *supra* de reiteratione Baptismi, cum eadem sit ratio in vtroque, vt dicunt Doctores *supra* allegati.

Et *supra* tradita procedunt, non solùm
9 si quis reiteraret; vel pateretur reiterari Ordines sacros, sed etiam Ordines minores, quia illi sunt Sacramenta characterem imprimentia, vt sensit Concilium Florentinum *in Decreto Eugenij*, & Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 2. *de Sacram. Ordinis*, vbi hos nominat inter Ordines, *& can.* 3. *& seq.* absolutè dicit, Ordinem esse Sacramentum, & hanc esse communem opinionem Canonistarum, dixit Sanchez *in Opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 3. *ad fin.* quam etiam hodie tenent ferè omnes Theologi, itaut contraria, quam tenent nonnulli relati à Sanchez *loco cit. nu.* 1. & Vasquez *disp.* 237. *cap.* 2. & alij moderni, qui eum sequuntur, reddatur improbabilis; Gabriel à Sancto Vincentio *de Sacramento Ordinis, disput.* 1. *quæst.* 4. *num.* 27. Castro-palao *de Sacramento Ordinis tract.* 27. *disput. vnic. punct.* 4. *num.* 9. *vers. Nihilominus to.* 4.

10 Sed an habeat etiam hoc locum in prima tonsura, dissentiunt Theologi à Canonistis: Omnes enim Theologi sustinent, primam tonsuram non esse Ordinem, apud Vasquez *disput.* 236. *cap.* 1. & plures relati à Garzia *de Benef.* 7. *par. cap.* 1. *num.* 2. Sanchez, qui plures *loco cit. dub.* 6. *num.* 6. vbi ait, *certissimè tenendum est, primam tonsuram non esse Ordinem, nec Sacramentum.*

11 Contrarium tamen tenent Canonistæ, nempe Gloss. magn. *in ver. Episcopus, in probem.* 6. Hostien. *in cap. Cum contingat, de ætat. & qualit.* Abbas *in cap.* 1. *num.* 6. *de vita, & honest. Cleric.* Felin. *in cap. Sicut pro certo num.* 2. *de Simonia*, Geminian. *in cap. Cleros*, & ibi Præposit. *num.* 4. *distinct.* 21. & alij plures, quos refert Barbos. *ad Concil. sess.* 23. *de Sacram. Ordinis cap.* 2. *num.* 1. *vers. Contra*; Et hanc opinionem Canonistarum canonizauit Rota Romana, *vt in decis.* 731. *par.* 1. *diuers. & in Ferrarien. Pensionis* 14. *Iunij* 1624. *coram Remboldo*, quæ est impressa post Viuian. *de Iure-patronatus decis.* 95. *num.* 6.

12 Itaut nec etiam per Bigamiam deleatur character per primam tonsuram impressus, vt voluit Butr. *in cap. Ioannes num.* 17. & ibi Imol. *num.* 18. *de Cleric. coniugat.* Et hanc opinionem sæpiùs Rota tenuit, *vt in duabus Decisionibus allatis* per Theodosium de Rubeis *in par.* 2. *singul. ver. Ordines Ecclesiastici num.* 2. *vers. Eandemque opinionem.*

13 Crederem tamen, quod si quis reiteraret primam tonsuram, vel passus sit reiterari, non esset suspectus de hæresi propter opinionem Theologorum, & propter rationes allegatas à Castro-palao *loco cit. punct.* 2. *num.* 4. *&* 5.

14 Verùm Cardin. de Lugo *dicta disput.* 6. *sect.* 1. *num.* 7. dicit, quod de facto prima tonsura non potest reiterari, licet non imprimat characterem, sicuti consecratio Calicis, & Ecclesiæ, quæ iterari non potest, licet non imprimat characterem: Quod tamen non placet Gabrieli à Sancto Vincentio *in tract. de Sacram. in genere disput.* 5. *quæst.* 1. *vers. Respondetur.*

15 Sed an consecratio Episcopi possit reiterari, negat Bellarminus *de Sacram. Ordin. lib.* 1. *cap.* 2. *vers.* 3.

16 Abutitur secundò Sacramento Ordinis, qui illud voluntariè reciperet ab Episcopo Heretico, vel Schismatico: Nam tunc dicitur fautor Hæreticorum, & de hæresi non parum suspectus, vt de recipiente voluntariè Baptismum ab Hæretico tenet Suarez *de Censur. disp.* 42. *sect.* 1. *num.* 14.

Sed de hac materia latiùs scripsi *supra* in Inconstantia hæresis.

An autem Episcopus Hæreticus, Schismaticus, excommunicatus, & degradatus validè conferat Ordines; videndus est Marchinus *de Sacram. Ordinis par.* 2. *cap.* 15. 16. 17. *&* 18.

Abutitur etiam Sacramento Ordinis, & est suspectus de hæresi ille, qui non ordinatus ad Sacerdotium, siue laicus, siue Clericus celebraret Missam, de quo abusu dixi latiùs *supra*.

Abutitur pariter Sacramento Ordinis, qui Ordinem sacrum suscipit inscia, vel inuita sua vxore, de quo dixi pariter *supra*.

17 Et non solùm peccat dùm suscipit, sed etiam postea, cum debitum coniugale exigit, & idem si reddit illud ex vxoris consensu legitimo, Paludan. *in* 4. *distin.* 27. *quæst.* 1. Nauarr. *in Man. cap.* 22. *num.* 52. *vers. Porrò.*

18 Abutitur pariter Sacramento Ordinis Sacerdos ille, qui ea faceret, quæ ad solum Episcopum pertinent, verbi gratia, vt *supra* dixi; si confirmaret absque dispensatione; si consecraret Calices, Altaria; si auderet Ordines ministrare, vel consecrare Episcopos, Oleum sacrum conficere, & alia, quæ ad Episcopum ratione Ordinis solùm spectant, de quibus per Barbos. *de potest. Episc. par.* 2. *in Compend. à num.* 35. *fol. mihi* 5. Torre-blanca *iuris spiritualis lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 34. vbi, quod Episcoporum munus est, Chrisma, & Oleum sanctum conficere, Virgines consecrare, Templa, Basilicas, Altaria, vasa, & vestes sacras benedicere, impo-

nere manus, populum benedicere, distribuere Officia, & Ordines Clericorum.

19 Et iste iudicio meo redditur valdè suspectus de hæresi recentiorum, qui nullam fermè agnoscunt differentiam inter Episcopum, & Presbyterum, vt testatur Card. Bellarminus *de Sacram. Confirmation. lib.2.cap.12. in princ.* Quæ hæresis fuit antiquitùs excogitata ab Ario, vt se consolaretur, quod Episcopus factus non esset, teste Epiphanio *Hæref.75.* quam renouarunt Vviclef, Lutherus, & Caluinus, vt dicit idem Bellarmin. *lib.1.de Cler. cap.14. in princip.*

20 Dixi *absque dispensatione*, quia certum est, posse Summum Pontificem dispensare, vt simplex Sacerdos, vt *supra* diximus, ministret Sacramentum Confirmationis.

Pariter solet concedere Missionarijs, vt possint benedicere vestes sacerdotales, pallas, corporalia, vasa Ecclesiastica, & alia, in quibus non adhibetur sacra vnctio; in quibus verò adhibetur sacra vnctio, vel raro, vel nunquam Summi Pontifices hodiernis temporibus solent concedere.

Sed an simplex Sacerdos ex Pontificis priuilegio possit maiores Ordines conferre, vide latissimè disputantem Marchinum *de Sacramento Ordinis par.2. cap.13. per totum.*

21 Et licet antiquitus Innocentius Quartus, Leo Decimus, Adrianus Sextus, & Paulus Tertius concesserint Missionarijs, vt possint benedicere Calices, Altariola, & similia, vt refert Thomas à Iesu *de Conuerf. Gentium, in fin. in Compend. priuileg. ver. Benedicere*, Verricell. *de facr. Mission. tit.4. de priuileg. Regular. quæst.98.* §.6.

22 Nihilominus cum facultates Missionariorum fuerint sub Pontificatu Vrbani Octaui sanctæ memoriæ ad certam formam redactæ; annullando vlteriùs omnes alias olim concessas, non possunt inuari Missionarij diplomatibus vt *supra* relatis, sed debent attendere tenorem suarum facultatum.

23 Facultas autem ista benedicendi, & consecrandi Calices, & Altariola, & Patenas, in quibus adhibetur sacra Vnctio, solet concedi Præfectis Missionariorum, Asiæ, Africæ, & Americæ, & pro Guardiano Hierosolymitano, vt patet ex formula relata per Verricell. *de facultat. Missionarior. tit.16. qu.298. sect.6. facult.14.*

CAPVT XXXVIII.

ARGVMENTVM.

De abutente Sacramento extremæ Vnctionis. An simplex Sacerdos possit ex dispensatione Pontificis Oleum extremæ Vnctionis benedicere. An Sacerdos ministrans Sacramentum extremæ Vnctionis cum oleo puro, vel à se tantùm benedicto, subdatur Iudicio Inquisitorum. An laicus, vel Sacerdotali Ordine non initiatus, etiamsi sit Diaconus, ministrans Sacramentum extremæ Vnctionis subdatur Iudicio Inquisitorum. De eo, qui Oleo extremæ Vnctionis statuam vngit, vt mortem alicui procuret.

SVMMARIVM.

1 *Abutens Sacramento extremæ Vnctionis dicitur suspectus de hæresi.*

2 *Parochus præbens Oleum commune, non consecratum, nec benedictum ab Episcopo in extrema Vnctione, abutitur hoc Sacramento.*

Oleum benedictum ab Episcopo est materia Sacramenti extremæ Vnctionis.

Benedictio Episcopalis in Oleo sancto an sit de necessitate præcepti, vel de necessitate Sacramenti, & num. seq.

3 *Sacerdos an possit ministrare extremam Vnctionem Oleo non benedicto in casu necessitatis.*

4 *Et an ità ministrans peccet.*

Opinio probabilis relicta certa amplecti non potest sine mortali, vbi agitur de materia, vel forma Sacramentorum.

Consuetudo Ecclesiæ habet vim legis.

5 *Sacerdos an possit benedicere Oleum extremæ Vnctionis cum dispensatione Pontificis, & num. seq.*

Græci ministrant infirmis Oleum benedictum à simplici Sacerdote, & de ratione.

Quid de Oleo Chrismatis.

Presbyter non potest conficere Chrisma.

Vnctio qualibet antiquitus vocabatur Chrisma

Materia Sacramenti extremæ Vnctionis quomodo appelletur Chrisma.

7 *Sacerdos ministrans infirmis Oleum purum, vel à se benedictum, an subdatur iudicio Inquisitorum.*

Abusus Sacramenti differt ab illicito vsu Sacramenti.

Hæretici irrident benedictionem Episcopalem Olei Infirmorum.

8 *Vnctio extrema ministrata si fuerit ab aliquo non initiato Ordine Sacerdotali, puta per Diaconum, vel laicum is abutitur hoc Sacramento.*

Minister Vnctionis extremæ est solus Sacerdos, nec ea potest ab inferiore ministrari, quod est de fide, & num. seq.

Hæretici putant quemlibet etiam laicum ministrare posse extremam Vnctionem.

9 *Vnctio extrema ao deficiente Sacerdote in casu necessitatis ministrari possit ab alio Clerico, vel laico.*

Diaconus an possit ministrare extremam Vnctionem cum dispensatione Papæ.

Papa non potest dispensare circa ius Diuinum.

10 *Oleum sacrum cuius vsus licitus est omnibus Christianis, quod sit, & num. seq.*

12 *Vnctio Olei Infirmorum multos sanauit à morbis, etiam incurabilibus.*

13 *Vsus Olei infirmorum quomodo liceat omnibus Christianis.*

14 *Vnctio extrema si ministretur statuæ ad mortem confectæ antequam sepeliatur, ministrans dicitur suspectus de hæresi, & de ratione.*

Baptismus Magnetis, Statuæ, vel Secundinæ inducit suspicionem hæresis.

1 TANDEM Inconstans præsumptus in fide reputatur ille, qui abutitur Sacramento extremæ Vnctionis: Nam & iste ex regula generali *supra* tradita est vehementer suspectus propter abusum Sacramentorum.

Abutitur ergo primò Parochus Sacra-
2 mento extremæ Vnctionis, si Oleo communi, & non consecrato, seu benedicto ab Episcopo, Sacramentum illud præberet: Nam certum est materiam huius Sacramenti esse Oleum ab Episcopo benedictum, vt definiuit Concil. Florentinum *in Instructione Armenorum*, & Concilium Tridentinum *sess.14. cap.1.* & notant omnes Theologi, qui tractant de huiusmodi Sacramento.

Et quamuis nonnulli ex illis velint, benedictionem Episcopalem esse de necessitate præcepti, non verò de necessitate Sacramenti, horum tamen opinionem benè refellit Suarez *to.4. in 3. par. disp.40. sect.1. num.3. vers.Contrariam*, & ità tenent P.Auersa *de Sacram. extremæ Vnctionis quæst. vnic. sect.2.* Trullench.*in prax.resol.Sacram. lib.5. cap. vnic. dub. 2. num. 2.* Castro-palao *to.4. de Sacram. extrema Vnctionis quæst. vnic. punct.2. num.2.* P.Diana *mox citandus.*

Et ex his redditur valdè improbabilis
3 opinio Ioannis Martinoni *de Sacram. to. 5. disput. 65. sect. 3.* relat. à P. Diana *par. 10. tract. 16. & 6. Miscell. resolut. 81.* asserentis posse Sacerdotem ministrare Sacramentum extremæ Vnctionis in casu necessitatis Oleo non benedicto: Nam cum benedictio sit de necessitate Sacramenti, nec potest omitti, nec immutari: Et ideo sententiam asserentem, benedictionem Olei non esse de essentia huius Sacramenti, vocauit, sed cum formidine, temerariam, Nunnus *in 3.par.to.2.quæst.29. art.6. concl.1.* Sed talem sine metu vocauit Suarez *disput.49. sect.1. num.6.* & sententiam Martinoni minimè in praxi seruandam esse, nec credere in Ecclesia vsque ad hæc tempora seruatam fuisse, dixit P.Diana *loco cit.vers. Et ideo*; vbi antecedenter ex Amico dixit, in nullo casu extremam Vnctionem absque Oleo benedicto ab Episcopo posse præberi.

Et quatenus opinio Martinoni esset
4 probabilis, non potest tamen in praxi poni absque peccato mortali, quia quando tractatur de materia, & forma Sacramentorum, non licet sub mortali amplecti opinionem probabilem, relictis certis, & præscriptis ab Ecclesia, & hoc prouenire non ex defectu opinionis, & periculi, & irreuerentiæ Sacramenti, sed quia contrauenitur Ecclesiæ consuetudini, quæ vim præcepti habet, sic Sanchez *de Matrimon.lib.3. disput.20.num.4.* P.Diana *par.11. tract.1. Miscell. resolut.18.in fin. vers. Dico*; quos sequitur Reuerendissimus Caramuel. *in Theolog. fundamental. fundam.68. de extrema Vnctione, petit.1. num.2011. vers. Huic dubio.*

An autem possit Sacerdos saltem ex dispensatione Pontificis Oleum extremæ
5 Vnctionis benedicere, affirmant Victoria, Ledesma, Caietanus, Henriquez, Valentia, Azor. Bonacina, de quibus per Trullench. *d.dub.2.num.2.* Auersa *loco cit. sect.2. de materia huius Sacramenti pag. 918.* vbi dicit absolutè hoc affirmare Petrum Arcudium *in Concord. lib.5. cap.2.* attestantem antiquitùs, & nunc Græcos Sacerdotes saltem ex commissione Pontificis benedicere Oleum infirmorum, quamuis alioqui apud eos Oleum Chrismatis nonnisi ab Episcopo benedicatur, & hunc morem Græcorum toleratum esse à Clemente Octauo *in Instructione super Ritibus Græcorum*, in illis verbis:

Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea sancta præter Chrisma ab Episcopis Diœcesanis accipere, cum eiusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri Ritu conficiantur, seu benedicantur.

Idem tenet Bauni ex dispensatione Pontificis *in Epit. tract. vlt. de extrema Vnctione, vers. Fuit ergo Oleum*: qui tamen fallitur, dùm dicit, interdictum esse Sacerdoti Oleum prædictum benedicere in Concil. Carthag.*3.can.3.* relat.*inc.1.26.q.6.*

Nam in dicto Textu solùm dicitur, vt Chrisma, & reconciliatio Pœnitentium, & puellarum consecratio à Presbytero non fiat, idest Presbyter non conficiat Chrisma, vt notat Archid. *in cap.*1. Nihil autem de benedictione Olei.

Eandem opinionem alios referens tenet Barbos. *de potest. Episc. allegat.*31.*nu.*14. hoc est, posse simplicem Sacerdotem de consensu Summi Pontificis Oleum consecrare: Et licet addat Oleum, & Chrisma consecrare, debet solùm intelligi, de Oleo infirmorum, non autem de Chrismate confirmationis, quia licet secundùm Canones antiquos quælibet vnctio Chrisma vocabatur, & in ipsa benedictione, qua conficitur Oleum infirmorum pro materia huius Sacramenti appelletur Chrisma, nihilominus ex hoc nomine nullum habetur indicium, quo confundantur materia extremæ Vnctionis, & Confirmationis; vt benè aduertit P. Auersa *dicta qu.* 5. *de Sacram. extremæ Vnct. sect.* 2. *vers. Neque putandum est*, *pag.*916. *colum.*2.

6 Negant verò posse Sacerdotem etiam ex dispensatione Pontificis Oleum infirmorum benedicere, D.Thom. *in* 4.*distinct.* 23.*quæst.*1.*art.*3. *quæst.*3. Sotus, Villalobos, Filiuccius, & cum aliis Suarez *disput.* 40. *sect.* 1. *num.* 3. relati à Trullench. *loco cit.* quibus videtur consentire P. Diana *dicta par.*11. *tract.*16. *resolut.*81.

7 Sed an Sacerdos ministrans Sacramentum hoc cum solo puro Oleo, vel à se tantùm benedicto, subdatur iudicio Inquisitorum; Crederem regulariter non subdi, quia tali modo ministrando Sacramentum, non abutitur Sacramento, sed illicitè ministrat, vel confert.

Differt enim abusus ab illicito vsu Sacramenti, vt considerat P. Bordonus *in Tribunal. cap.*22. *quæst.*11. *num.*20.

Si tamen de huiusmodi ministratione denunciaretur Sacerdos, crederem posse vocari ab Inquisitoribus, & interrogari extraiudicialiter, qua de causa tali modo contulerit hoc Sacramentum. Si catholicè respondeat, tunc vlteriùs ab Inquisitore non est procedendum.

Si autem appareat, illum habere aliquem errorem in intellectu, verbi gratia, si putet Vnctionem extremam ad solam corporis sanitatem proficere, non autem tanquam Sacramentum gratiam conferre, vel si irrideat benedictionem Episcopalem, vt irrident Hæretici, teste Alphonso de Castro *aduersus hæreses*, *ver. Extrema Vnctio fol. mihi* 430. 2.*col. verf. Ex qua sententia*, vel nisi crederet, se habere eandem auctoritatem, quam habet Episcopus in conficiendo Chrisma, & Oleum sanctum; Nam tunc, quia iste actus fundatur in opinionibus hæreticalibus, vel tanquam Hæreticus, vel tanquam suspectus vehementer de hæresi, iudicio Inquisitorum erit subiectus.

Abutitur pariter Sacramento extremæ Vnctionis, qui Sacerdotali Ordine non
8 initiatus, huiusmodi Sacramentum ministraret etiamsi Diaconus, & multo magis si mere laicus esset. Nam cum Minister huius Sacramenti sit solummodo Sacerdos, vt habetur in Concilio Tridentino *sess.*14. *can.*3. & notant omnes, qui de Ministro huius Sacramenti scripserunt, Suarez *disput.*43. *sect.*1. Bellarminus, Siluester, Bonacina, Filiuccius à Trullench. *d. lib.*5. *cap. vnic. dub.* 3. Castro-palao *dicto tract.*26. *diput. vnic. punc.*7. Auersa *de Sacram. sect.*10. Non potest vllus Sacerdote inferior illud ministrare.

Et propterea cum opinio Hæreticorum sit, quod quilibet etiam laicus sit minister Sacramentorum, vt notat Bellarminus *de Sacramentis in genere lib.* 1. *cap.* 22.

Non excusarem huiusmodi ministrantes à suspicione hæresis, & sic à iudicio Inquisitorum, cum istud Ministerium habeat fundamentum in Hæreticorum opinione, vt benè considerat P. Bordon. *in Tribunal. cap.*22. *num.*19.

Et quamuis Vvalden. *tom.* 2. *de Sacram.* opinatus sit in casu necessitatis, ac defi-
9 ciente Sacerdote posse hoc Sacramentum ministrari ab alio Clerico, vel etiam laico, prout de Baptismo: Eius tamen opinio communiter refellitur, vt videre est penès Auersam *loco cit. sect.* 10. Suarez *disp.* 43. *num.* 1. vbi *num.* 2. dicit, opinionem, quod solus Sacerdos sit Minister huius Sacramenti, esse de fide, P. Candidus *de extrema Vnctione disput.*3. *art.*4. *dub.*2. addit Trullench. *dicto dub.* 3. Papam non posse dispensare, vt tale Sacramentum ministretur à Diacono, quia in his, quæ sunt de iure Diuino, & ex Christi institutione Papa non dispensat, Henriquez *in Summ. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 3. Bonacina *de Sacram. extrema Vnctionis disp.* 8. *quæst. vnic. punct.*4. *proposit. vnic. num.*2.

10 Et quamuis Innocentius in Epistola *ad Decentium* asserat, non solùm Presbyteris, sed etiam omnibus Christianis licitum esse vti Oleo sacro in sua, & suorum necessitate vngendo.

Nihilominus dicendum est Innocentium ibi non intellixisse de Vnctione Sa-
11 cramentali, sed de vnctione pia, & deuota, vt interpretantur Alphonsus de Castro *aduersus hæreses, ver. Extrema Vnctio*, Sotus *in* 4.*distinct.*23. *quæst.*2.*art.*1. Valentia *to.*4. *distinct.*81. *quæst.*2. *par.* 1. Castro-palao *d. tract.*26. *disput. vnic. punct.*7. *num.*1.

12 Plurimos autem sanatos esse à morbis etiam incurabilibus, per Vnctionem Olei

infirmorum, testatur ex pluribus Auctoribus, Martinus del Rio *lib.6.disquis.Magic. quæst.3. sect.3. pag.mihi 83. vers. de Oleo.*

13 Vel si intelligit Innocentius de Vnctione Sacramentali, loquitur de vsu passiuo, non de actiuo, hoc est de illius susceptione, quàm asserit in sua necessitate cuilibet Christiano licere, vocando scilicet Presbyteros, qui se, & suos in necessitate vngant, vt voluere Iansen. *in cap. 6. Marci*, & ibi Maldonat. Bellarmin. *lib. 1. de hoc Sacramento, cap. 9.* Suarez, & Coninch. à Castro-palao *loco cit.* Auersa *loco citato pag. 951. col. 1.* Candidus *de extrema Vnctione disput. 3. art. 4. dub. 4.*

14 Abutitur pariter Sacramento extremæ Vnctionis, si quis (vt quidam scelestus) conficiendo Statuam ad mortem, antequam illam traderet sepulturæ, ministraret ei Sacramentum extremæ Vnctionis; Nam & is est valdè suspectus de hæresi, sicut ille, qui baptizat magnetem, vel statuam, vel secundinam, quam chartam virginem appellant, de quo *latè diximus supra*; Nam talis actus natura sua præsefert aliquid, quod est hæresis manifesta, Martin.del Rio *disquisit. Mag.lib.5. sect.15. vers. Dico quarto*, qui ait, quod si talis crederet formam, vel materiam Baptismi (adde aliorum Sacramentorum) illam esse posse, quam constituit Christus, Hæreticum esse.

CAPVT XXXIX.

ARGVMENTVM.

De abutentibus Sacramentalibus, idest, ijs, quæ seruiunt in vsum Sacramentorum, aut Sacrificij, vel etiam in vsum aliquem alium pium.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentalia quæ sint.*
2 *Sacramentalia quæ appellari soleant per Scholasticos.*
3 *Sacramentalium definitio, & num. seq.*
5 *Abusus Sacramentalium inducit suspicionem hæresis, & de ratione.*
6 *Abutens Oleo sancto, vel Chrismate, dicitur suspectus de hæresi.*
7 *Sortilegium cum vsu Olei sancti, vel Chrismatis an, & quando hæresim sapiat.*
8 *Credentes Sacramenta, vel Sacramentalia vim habere in sortilegijs puniẽdi tanquã Hæretici Abutentes Oleo sacro, vel Chrismate quomodo debeant torqueri, & abiurare.*
9 *Quid de abutente rebus benedictis Ritu Ecclesiastico.*
Vel Reliquijs Sanctorum, & similibus.
10 *Aspergentes Aqua benedicta domos Meretricum, vt eo confluant Amatores quomodo puniendi.*
11 *Parochi an, & quando benedicere possint domos Turcarum.*
12 *Reliquias falsas vendentes, vel distribuentes an possint puniri in Sancto Officio.*

A Sacramentis transeundum est ad sacramentalia.

Sacramentalia alia sunt, quæ in-
1 seruiunt Sacramentis, vt loca, vasa, vestes sacræ, & olea benedicta; Alia, quæ sunt exercitium Sacramenti Ordinis, vel saltem iurisdictionis, vt benedictio Episcopalis, aut Sacerdotali; Alia denique instituta ab Ecclesia ad imitationem Sacramentorum, veluti Aqua lustralis, siue benedicta, Oliuæ, Palmæ, Candelæ, Cerei benedicti, Thus paschale, Agnus Dei, & similia, Cottonius *in append. de Sacramentalibus lib. 2. num. 1.* Torre-blanca *Iuris spiritualis lib. 13. cap. 6. num. 8.*

Scholastici verò quoscunque sacros Ritus, seu cœremonias Sacramentis, aut sa-
2 crificio adiunctas, & ad eorum conuenientem celebrationem ex Ecclesiæ institutione vsurpandas sacramentalia appellant, Suarez *quæst.65. art.4. disp.15. à sect.1.* Ranaldus *de Monitorijs par.2. cap.2. nu.19.* vbi quod Thomas Vualdensis *tom.3.* immensus est circa sacramentalia.

3 Deffinitionem Sacramentalium habes apud Cincium *lib. 1. Cœli Ecclesiastici, de Sacramentalibus*, quam refert Cespedes *de exemp. Regul. tit. Quoad Sacramentalia dub. 152. num. 1. in fine.*

4 Nempe quod sacramentale est omnis consecratio, vel benedictio, aut significatio ad aliquod Sacramentum ordinata, & intelligitur Res sacra, seu sacra actio, qua venialium remissio obtinetur.

Qui abutitur ergo Sacramentalibus, reputatur præsumptus Inconstans in fide,
5 quia redditur suspectus malè sentire vel de Ritibus, vel de cœremonijs Ecclesiæ, & consequenter suspectus est de hæresi, Alph. de Castro *de iusta Hæret. punit. lib. 1. cap.15. pag.mihi 83.* Pegna *2.par. Directorij ad quæst. 42.* Graff. *lib. 2. decis. cap. 5. num. 13.* latè Moura *de Incantat. sect. 3. cap. 5. nu.28. vers. Nostra tamen*, Malleus Malefic. *2.par. cap. 5. §. 2. Notandum*, Martinus del Rio

disquis. Magic. lib. 5. sect. 15. vers. Dico 3. & ex Farinaccio *quæst. 181. num. 19. in corpore.*

Et propterea qui abutitur sacro Chrismate, vel Oleo sancto, is reputatur Incon-
6 stans in fide tanquam suspectus de hæresi; licèt enim Vmber. de Locat. *in Iudicial. Inquisit. in ver. Sacerdos*, dixerit huiusmodi abusus in Sortilegijs non sapere hæresim, nisi quando imploretur auxilium Dæmonis, sequitur Ghirlandus *de Sortileg. qu. 10. num. 14. & quæst. 11. num. 21. & 22.*

Eorum tamen opinio rectè refellitur ab Alphonso de Castro *d. cap. 15.* & commu-
7 niter ab alijs, de quibus per Farinaccium *quæst. 20. num. 85. vers. Sed post primam huius libri impressionem*, nouissimè Moura *de Incantat. sect. 3. cap. 5. à num. 28.* qui respondet Textibus, & argumentis Grillandi; Et hæc est praxis Supremæ, &c. & omnium.

Ideo cauendum est à Torre-blanca, & ab alijs ab eo citatis *Iuris spiritualis lib. 13. cap. 6. num. 6.* qui dicunt, tunc huiusmodi abusum in Sortilegijs sapere hæresim, vel esse hæreticalem, si sortilegus credat Chrisma, vel Oleum sanctum habere virtutem ad sortilegia.

Nam credere, quod Sacramenta, vel Sacramentalia in sortilegijs vim habeant,
8 aperta est hæresis, vt dicit Alphonsus de Castro *loco citato*: Et propterea qui sic credunt, non tanquam suspecti, sed tanquam Hæretici puniendi sunt, Eymer. *par. 2. quæst. 42. num. 5. vers. Vtpotè*, Martin. del Rio *lib. 5. sect. 15.* Toler. *Instruct. Sacerdot. lib. 4. cap. 16. num. 6.* quos refert, & sequitur Farinaccius *d. quæst. 181. num. 22.*

Et propterea praxis est, vt huiusmodi abutentes Oleo, vel Chrismate sacro, torqueantur super intentione, quod si negauerint abiurant de vehementi, Pegna *ad dictam quæst. 42. vers. Etiam sortilegia illa in fine.*

Quod dictum est de abutentibus sacro Chrismate, vel Oleo sancto, idem dicen-
9 dum est de abutentibus Aqua benedicta, Thure paschali, Cera, Agnus Dei, & alijs Ritu Ecclesiastico benedictis, Alphonsus à Castro *d. cap. 15.* Simancha *de Cathol. tit. 21. num. 11.* Farinacc. *d. quæst. 181. nu. 22.* Moura *de Incantat. loco citato.* Torre-blanca *loco cit. num. 8. & 9.* subiungit, idem esse de abutentibus Reliquijs Sanctorum, vel Aræ fragmentis, & similibus ex Doctoribus *supra citatis*, Farinaccius *d. quæst. 181. num. 22.*

Et propterea multi, qui spe lucri aspergunt aqua benedicta excerpta à pluribus
10 Ecclesijs domos Meretricum, dicentes illis hoc deseruire, vt eo confluant Amatores, fuerunt in Sancto Officio puniti, vel pœna carceris arbitrio, vel alia simili.

Quæsitum fuit etiam à Parochis, qui in partibus Turcarum domos benedicunt
11 Christianorum, cum cogantur à Turcis id facere in eorum domibus, an possit permitti, & rescriptum fuit *sub die 7. Octobris 1615.*

Hoc posse permitti, dummodo non adsit contemptus, seu periculum superstitionis ex vsu Aquæ benedictæ, præsertim si apud Turcas remaneat.

12 Quoueró ad distribuentes, siue vendentes falsas Reliquias, diuersimode actum fuit in Suprema, &c. Nam *de anno 1624.* rescriptum fuit, vt causa cognosceretur à Vicario Vrbis *die 13. Februarij.*

Memini tamen *de anno 1626.* dum essem Auditor Nunciaturæ Neapolitanæ de ordine Supremæ fuisse carceribus Nunciaturæ mancipatum quendam, qui fingebat se filium Imperatoris Turcarum, & sub hoc nomine deceperat Magnum Etruriæ Ducem, ac Ducem de Alba Proregem Neapolitanum; eò quia vendebat, ac distribuebat Reliquias Sanctorum Apostolorum, & aliorum Sanctorum, necnon de ligno Crucis, & plurimas spinas Coronæ Saluatoris, contra quem Ego compilaui processum, & reliqui eum carceratum, cum discessissem Neapoli Hispaniam versus cum bonæ mem. Cæsare Montio adlegato ad Regem Hispaniarum Nuncio extraordinario pro rebus Casalis Monferrati, qui postea (euecto ad Purpuram bonę mem. Io. Baptista Pamphilio illic Nuncio ordinario, demum Summo Pontifice Innocentio Decimo) tanquam Nuncius ordinarius resedit ibi per quatuor annos, ad Cardinalatum postea promotus, & Ecclesiæ Mediolanensi Præpositus, in suo munere gloriosus occubuit, cuius anima requiescat in pace, & cuius memoria in benedictione est.

Est etiam Inconstans in fide tanquam suspectus de heresi, qui abutitur Hostia non consecrata, super quam celebrata sit Missa, vt docent Scaccia *de iudic. lib. 1. cap. 12. num. 34.* Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 57. num. 11.* Emanuel Moura *de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 5. num. 29.* Bordonus *to. 1. cap. 18. num. 30.* Carena *par. 2. de sortileg. tit. 12. §. 5. num. 37. & §. 8. num. 53. & 54.* quia in tali abusu admiscetur res sacra, scilicet celebratio Missæ super Hostiam licèt non consecratam; est igitur abusus non propter Hostiam non consecratam, sed propter Missam super eam celebratam.

CAPVT XL.

ARGVMENTVM.

De abutentibus verbis sacris, & alijs superstitionibus: Et quomodo sic abutentes puniantur in Sancto Officio.

SVMMARIVM.

1 *Abutens verbis sacris est suspectus de hæresi. Et quomodo excludatur iste abusus.*

2 *Mulieres medentes morbos cum verbis, vel signis, an, & quando dicantur superstitiosæ, & abuti verbis sacris.*

3 *Confessarij non debent tolerare, nec absoluere superstitiosos, nec eis permittere, vt in eorum superstitionibus verbis vtantur, & de ratione.*

4 *Superstitio denunciata in Sancto Officio quomodo expediri soleat.*

Orationes licitæ an, & quomodo adhiberi possint in infirmitatibus.

5 *Abusus Psalmi resultat ex eius recitatione ad mortem alicuius, & num. seq.*

6 *Psalmi Dauidici per Sortilegos adhiberi solent.*

8 *Psalmi penès Sortilegos si inueniantur, quomodo sit prouidendum.*

9 *Sortilegium verbis sacris admixtum censetur hæreticale, & inducit vehementem hæresis suspicionem.*

10 *Orationes continuatæ auctoritate priuata ad tollendos malos, vel ad similia an liceant.*

Cæremoniæ publicæ instituti non possunt per priuatum.

11 *Orationes ad remedium pestis, de quibus hic num. seq. an sint licitæ, vel Apocryphæ, ac erroneæ.*

13 *Preces superstitiosæ quæ sint.*

14 *Verba an habeant virtutem præsertim ad morbos curandos, & num. seq. & num. 19.*

16 *Remedia verborum pro humanis corporibus, vel pro fructibus agrorum, an sint licita & num. 24. cum seqq.*

17 *Vel irridenda.*

18 *Vanitas verborum ad sanandos morbos irridetur ab antiquis Medicis.*

19 *Magia quomodo detur.*

20 *Secreta superstitiosa quæ sint.*

21 *Verba Medicorum quæ sint ad morbos curandos.*

22 *Verba ad curandos morbos quando liceant, & num. seq.*

25 *Maleficium ad bonum finem an sit licitum de iure ciuili, & num. seqq.*

27 *Prouerbium Hispanicum* Agate el milagro, y hagalo el Diablo *confutatur.*

28 *Et vnde sit introductum.*

29 *Hispani* Salutatores, *quos dicant, & num. seqq.*

30 *Gratia gratis data potest dari etiam perditis hominibus, & quid operetur.*

32 *Gratia curandi morbos est gratia gratis data, & de ratione.*

33 *Salutatores caute inspiciendi, & de ratione.*

34 *Circumstantiæ pensandæ circa curam morborum faciendam à Salutatoribus, & quæ sint num. seqq.*

35 *Virtus Diuina operari non præsumitur in illis, qui sunt vita scelerata.*

36 *Præsertim si agatur de scelere quasi habituali.*

37 *Vitium Carnis impedit gratias gratis datas.*

38 *Hæreticus gratiam gratis datam habere an possit, & num. seqq.*

39 *Gratia Anglicanorum Regum sanandi strumas, à quo inceperit, & num. 41.*

40 *Et an hodie duret.*

43 *De gratia Regum Christianissimorum ad sanandas strumas.*

44 *Homo vino indulgere, & dicens id facere, vt eius virtus viuacior sit, non præsumitur habere gratiam gratis datam.*

45 *Idem de Salutatore dicente se non habere vim sanandi in præsentia alterius Salutatoris, & de ratione.*

46 *Vel de dicente maiorem habere vim certis hebdomadæ diebus.*

47 *Vel si praenoscat futura, & occulta.*

48 *Salutatores manibus tractantes carbones ignitos, vel similia facientes, an, & quando suspecti sint.*

49 *Gratia gratis data addisci non potest, & de ratione.*

50 *Salutator cognoscens illico alium Salutatorem priùs non visum, est suspectus, & de ratione.*

51 *Dæmon suos stigmate signat, & distinguit.*

52 *Stigmata Dæmoniaca an dentur, & num. seq.*

53 *Signa Dæmonum an dentur, & quomodo esse soleant.*

Signum repertum in corpore maleficæ an præbeat aliquod indicium, vel ad torturam, vel ad condemnationem.

54 *Salutatores quæstus causa sanantes sunt suspecti, & de ratione.*

55 *Salutatores regulariter damnandi, & de ratione.*

56 *Salutatores probare tenentur eorum opus esse à Deo.*

Reuelationem

1 PARITER idem dicendum est de abutentibus verbis sacris, vtputa Euangelio, Symbolo Fidei, Pater noster, Aue Maria, Psalmis.

Dixi *de abutentibus*, quia quando quis profert verba sacra, & orationes, non ponens spem in talibus, nisi ex virtute Diuina, quam reputat Deum tali Orationi tradidisse, non est condemnandus tanquam præsumptus Inconstans in fide, vt notauit Gerson. *de Absolut. Sacram. 2. par. Alphabet. 33. littera L*, Diuus Thomas 2. 2. *quæst. 96. art. 4. per totum*, Siluester *verbo Superstitio, à num.* 10. ex nostris Grilland. *de Sortileg. quæst.* 10. *à num.* 31. Del Rio *lib.* 5. *quæst. vnic. sect.* 16. §. *Incantatores*, Ciruelo *de Superstit. par.* 3. *cap.* 3. Moura *de Incantat. sect.* 2. *toto cap.* 14. Farinacc. *qu.* 20. *num.* 110. *in fine*.

Et propterea Sanchez *d. cap.* 40. *num.* 39. dicit, mulieres, quas barbarè *Carmiuatrices* appellant, Hispanè *Ensalmadoras*, vel

2 *Santiguadoras* Incantatrices, quæ medentur Ischiatica, vel Erisipilis, non esse superstitiosas, si solis adiurationibus licitis absque vana aliqua circumstantia vtantur, vt *per Passionem Christi, &c.* illis supplicantes Deo, vt prosint Medicinæ naturales, quas morbis applicant, dicit Sanchez, si medicinas applicent, nam si eas orationes adhibeant, vel signa, vt benedictiones, vel adiurationes, nullam applicantes medicinam naturalem efficacem ad illius morbi sanitatem, sed credentes illis solis verbis salutem morbi obtinendam, esse superstitiosas, quia ea verba, vel signa, constat nullam vim naturalem ad eum effectum habere, nec virtus supernaturalis præsumitur, vt latè idem Sanchez *d. cap.* 40. *num.* 44.

3 Et optime Suarez *lib.* 2. *de Superstitione, cap.* 15. *num.* 26. & 27. dicit, à Confessariis huiusmodi superstitiosos non esse tolerandos, vt licentiam eis concedant vtendis dictis verbis, eosque absoluant. *Nam licèt pro aliquo tempore excusari aliqua ex parte per ignorantiam potuerint, quia nimirùm per solam traditionem id acceperant, quia ità experti fuerant sine aliquo consortio cum Dæmone, & ipsi etiam postea experti sunt sine suspicione mali. Nihilominùs in re ipsa, & secundùm se non erat id licitum, itàut vix potuerit ignorantia fuisse omninò inculpabilis, quia illi non habent probabilem rationem ad præsumendum Diuinam virtutem esse infallibiliter assistentem illis verbis, & actionibus, quia hoc est proprium verborum Sacramentalium; & aliquid simile introducere sine Ecclesia auctoritate superstitiosum est, & in Fide periculosum, &c.* Hæc Suarez.

Ideò in praxi huiusmodi homines, siue mulieres denunciatæ Sancto Officio, ab

4 Inquisitoribus solent expediri cum monitione, & pœnitentiis salutaribus, & cum præcepto de abstinendo à similibus; Nam, vt inquit Siluester *in ver. Superstitio, n.* 10. prohibendi sunt viri, & mulieres carminatrices vtentes licitis orationibus, quia multa inutilia, & superstitiosa solent admiscere, nisi fortè Sacerdos sit, vel Religiosus, & discretus, aut etiam laicus excellentis vitæ, qui fusa Oratione licita super infirmum manum imponat. De qua re videndus est eruditus Moura *de Incantat. sect.* 2. *cap.* 14.

5 Abutitur etiam Psalmis ille, qui recitat Psalmum, *Domine laudem meam, ne tacueris, &c.* ea intentione, vt is contra quem recitatur, intra paucos dies, mensem, vel annum moriatur, qui mos in Germania tempore Ludouici Bauari hostis Ecclesiæ acerrimi, inualuit; sic Nicolaus Serrarius *in Moguntiacis lib.* 5. & ex eo Bzouius *anno* 1347. *nu.* 3. hæc ait: *Nicolaus Serrarius, &c. Fuisse in more per id temporis recensuit, vt propter maximam rerum difficultatem armata stola Crux in summi Templi medio poneretur, vt coram ea quotidie à Clero media vita, &c. & Psalmus* Deus laudem meam ne tacueris, &c. *caneretur: Sublato autem Ludouico, solemnitas illa sublata fuit cantantibus omnibus*, Te Deum laudamus, &c.

Et cum annis præteritis abusus iste in Prouincia Calabriæ irrepsisset; Suprema

6 per litteras circulares monuit Ordinarios, ne permitterent à secularibus, vel Regularibus ad effectum superstitiosum vti, vel canere dictum Psalmum.

Frequenter etiam apud Sortilegos inueniuntur Psalmi Dauidici cum suppositis

7 eorum virtutibus, de quibus Geropius *in Hermetuena, lib.* 1. *fol.* 11. relatus à Moura *sect.* 3. *cap.* 5. *num.* 31. sic ait.

Vidi ego, inquit, *in Italia Psalmum Dauidicum Græcis litteris in magna Græcia scriptum, quod ad singulas horas minio annotatum habebat, quibus rebus profanis, quibusue scelestis, vel cogitatis, vel operibus conuenirent, in quo inter cætera Psalmum conspexi vnum eo destinari, vt vngulas equinas perditis ferreis soleis à læsione conseruaret; alterum, quo masculam sponsi vim in thalamo iacentis prorsùs eneruaret; alios item aliis non dissimilibus applicari. Numquid quam hoc sacrorum Carminum abusu magis fanaticum? Numquid magis impium? Numquid quam plus habet Idolomaniæ? Quid hoc aliud est, quam preces Diuinas, vel sanctissimorum hominum, vel ipsius etiam Christi verbis conceptas abominanda impietate Dæmonibus, & impuris spiritibus pessimarum cogitationum ducibus, & administris offerre.*

Isti autem sic abutentes Psalmis, tanquam præsumpti Inconstantes in fide, in Sancto Officio puniuntur; nam si fareant

8 tur illis vsos fuisse, expediuntur cum ab-

iuratione de leui, vel de vehementi, si autem negent, cum monitionibus, & pœnitentijs salutaribus, nisi aliud contingat, quod de eorum mala credulitate possit dubitari, itàur subijciendi sint torturæ.

Sed quicquid sit de abutentibus verbis sacris Euangelio, Symbolo Fidei, Oratione Dominicali, Salutatione Angelica,
9 Psalmis, & similibus extra sortilegia, certè si illa admisceant sortilegijs, sunt vehementer suspecti de fide, quia huiusmodi sortilegia hæreticalia reputantur, Barbat. *conf* 55. Pegna *comm.67.vers. Hinc censeo*, Torre-blanc. *Iuris spiritual. lib.* 13.c.6. *num.* 16. qui tamen malè allegat Bensfeldium, Farinacc. *quæst.*181. *num.*17.

Sed an liceant orationes anctoritate priuata concinnatæ ad tollendos morbos, ad
10 defendendũ à periculis, & similia; videndus est Moura *d. tract. sect.2. cap.*10. qui negat, posse priuatum instituere cœremoniam publicam, & pertinentem ad totam hominum communitatem, siue ea tantum ordinetur ad dignam tractationem aliarum sanctarum cœremoniarum, siue in ordine ad miraculosè operandum, Suarez *tom.3. in 3.par. disp.*15. *sect.3. §. Dico secundo, & sect.* 4. siue instar sacrificij ad Deum honorandum, & flectendum.

Et propterea memini *de anno* 1657. dum pestis Romæ grassabatur magno totius
11 Italiæ terrore ob stragem Neapoli, & in toto illo Regno factam, quæ postea etiam in Ciuitate Ianuæ successit, memini inquam, fuisse diuulgatam quandam orationem, seu preces, quas, vt præsentissimum remedium cõtra pestem, Cardinalibus pro Concil. Trident. congregatis *anno* 1546. quendam sanctæ vitæ Græcum Archiepiscopum, tradidisse ferunt: quæ preces constant ex litteris, & versibus, seu significationibus subsequentibus, quasque testabatur inuentas in Monasterio Benedictinorum Antiochię in quadam membrana conscriptas, & à Zacharia Hierosolymitano Episcopo relictas, quasque idem Archiepiscopus ad brachium sinistrum in quadam membrana litteris exaratas circumferebat.

Hac vero lege operari prędictum beneficium, si nempè portentur ad brachium in membrana scriptæ, si verò portans fuerit Sacerdos dicat eas finita Missa.

Insuper addebatur hasce fuisse à Suprema, & Vniuersali Inquisitione approbatas, annuente, siue instante Eminentissimo Cardinale Sancti Honuphrij san. memorię Vrbani Octaui fratre germano; fuerunt tamen vt apochryphæ declaratæ, iuxta Decretum factum *sub die 26. Septembris anni* 1630. & scriptum Inquisitoribus, ne earum vsus sinerent permitti, sed veluti falsæ, mendaces, ac erroneæ prohiberẽtur.

12 Earum autem precum talis est tenor *relat.* etiam à Moura *sect.2. cap.13. in fine.*

✠

Crux Christi libera me.

I

Iesu Domus Dei libera me.

D

Deus Deus meus expelle pestem à loco isto, & libera me.

I

In manus tuas Domine commendo spiritum meum, & corpus meum.

A

Ante Cœlum, & Terram Deus erat, & potens ab ista peste me liberare.

✠

Crux Christi potens est ad expellendam pestem à loco isto, & corpore meo.

B

Bonum est postulare auxilium Dei cum silentio, vt expellat pestem.

I

Inclinabo cor meum ad faciendas iustificationes tuas, vt non confundar, quoniam inuocaui te.

Z

Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns, & speraui in te.

✠

Crux Christi fugat Dæmones, & aerem corruptum, & pestem expellit.

S

Salus tua Ego sum, dicit Dominus, clama ad me, voca me Patrem, & Ego exaudiam te, & liberabo ab ista peste.

A

Abyssus abyssum inuocat, & in voce tua expulisti Dæmones, & liberasti me.

B

Beatus qui sperat in Domino, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

✠

Crux, quæ antea fuit in opprobrium, nunc & in gloriam, & in nobilitatem sit mihi in salutem, & expellat à loco isto Diabolum, & aerem corruptum, & pestem à corpore meo.

Z

Zelus honoris tui comedat me antequam

moriar, votum offeram Deo, & sacrificium laudis, & fidei illi, qui potens est, istum locum, & me à peste liberare, quia qui non confidunt in illo confundentur.

G

Gutturi meo, & faucibus meis adhæreat lingua mea, si non benedixero tibi, & laudauero Nomen tuum, quia sanctum est, & liberas sperantes in te: In te confido, libera me, Deus meus ab ista peste, & locum istum, vbi Nomen tuum inuocatum est.

F

Factæ sunt tenebræ super vniuersam terram in morte tua Domine Deus Deus meus, fiat lubrica, & tenebrosa Diaboli potestas; & quia ad hoc venisti fili Dei viui, vt dissoluas opera Diaboli, expelle tua potentia à loco isto, & à me seruo tuo pestem istam, & aerem corruptum in tenebras exteriores. Amen.

✠

Crux Christi defende nos, expelle à loco isto pestem, & seruum tuum libera à peste ista, quia bonus es Domine, & misericors, & multæ misericordiæ, & verax.

B

Beatus qui sperat in Domino, & non respexit in vanitates, & insanias falsas, & in nocte mala liberabit eum Dominus: Domine in te speraui, libera me ab hac peste.

F

Factus es Domine adiutorium mihi, quia in te speraui libera me ab hac peste.

R

Respice in me, & miserere mei, & libera me ab hac peste.

S

Salus mea es tu, sana me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero.

OREMVS.

D*omine IESV Christe, qui voluisti pro Mundi redemptione de Virgine nasci, & in carne tua sanctissima circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda proditore osculo tradi, vinculis ligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atque in conspectu Annæ, Cayphæ, Pilati, & Herodis indecenter efferri, & à falsis testibus accusari, flagellis, & opprobrijs vexari, & spinis coronari, & sputis conspui, colaphis cædi, palmis, & arundine percuti, flagellis verberari, in Cruce clauis affigi, inter latrones deputari, & lancea vulnerari: Tu Domine has sanctissimas pœnas, quas indignus Sacerdos recolo per Crucem, & Passionem tuam libera populum istum, & nos ab ista peste, & pœnis Inferni, à quibus liberasti latronem crucifixum. Qui cum Patre, &c.*

13 Quas preces esse omnino superstitiosas propter vanas obseruantias admixtas, suspicatur Monra *d. tract. loco cit. in fin.*

Sed an detur aliqua virtus in verbis, præsertim ad morbos curandos, eruditis-
14 simus Tiraquellus noster *in tract. de nobilitate, lib. 1. cap. Mihi, 31. à num. 298. per multos,* asserit, auctoritate plurium tum Medicorum, tum Poetarum, tum Historicorum, verbis, & incantationibus morbos curari: Ex Philosophis verò Ficinus *in lib. 3. de Vita cœlib.* tam longè abfuit, vt de hoc dubitaret, vt etiam multis conetur probare in verbis virtutem.

In verbis, inquit, *certis vim esse certam, atque magnam*, Origenes *asserit contra* Celsum, & Sinesius, *atque* Alkindas *de Magia disputantes; Item* Zoroaster *vetans barbara verba mutare;* Iamblicus *quoque similiter; Item* Pitagorici *verbis, & cantibus, atque sonis mirabilia Phœbi, & Orphei more facere consueti, quod Hebræorum antiqui Doctores præ cæteris obseruarunt; omnesque Poetæ miranda canunt carminibus effici.* Concludit post multa; *Quorsum hæc? Vt intelligas, quemadmodum ex certa herbarum, vaporumque compositione confecta per artem tum Medicum, tum Astronomicam resultat communis quædam forma, vel harmonia quædam Syderum dotata muneribus, sic ex Tones.*

Sed non solum ex antiquis, vel ipsis Idololatris, & Gentilibus, sed ex nostris
15 Christianis, & Catholicis multi tenent, verbis sanari morbos posse, vt scribit Gaspar Reies Franco *in Elysio campo iucundarum quæstion. quæst. 22. per tot.*

16 Et propterea Constantinus Imperator *in l. Eorum scientia, §. Nullus, C. de Malef. & Mathemat.* noluit accusationibus subiacere remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocēter adhibita suffragia, ne maturis vindemijs maturentur imbres, aut ventis, grandinisq; lapidatione quassarentur, quibus non cuiusquam salus, aut existimatio læderetur, sed quorum perficerent actus ne Diuina munera, & labores hominum sternerentur.

17 Sed prudenter Calcagninus *in libell. de Amat. Mag.* has vanitates imprudentes irridet, sic aiens:

Vanitas olim iuncta miraculo furtiuo concubitu genuit Magiam, reformidans ne fortè veritas, cum qua perpetuas inimicitias gerit, suum partum enecaret, illam imprudentiæ, ac timori iunctis connubiali fœdere commendauit, illi in sinu incomprehensibilitatis è vestigio collocarunt, mandaruntque furtim sub præstigiarum crepundijs educandam, quæ mox in grandiorem ætatem adulta, iamque pennulis premunita

euolauit in fatuorum arces, atque nidulans credulitatem peperit, quæ vtpotè parentis beneficijs grata illam mutuò enutriuit, alioquin breuiter interituram.

Et ferè easdem vanitates omnes antiqui Medici irrident, sicuti Galenus, & Hipo-
18 crates, qui quosdam, qui orationibus certis comitialem morbum se sanaturos profitebantur, subsanant.

Dicendum est ergò, quod quamuis detur Magia, & Magi inueniantur, qui
19 multa admiranda, & visu miraculosa efficiant, nempè pluuias, ventosque excitant, segetes excantant, morbos inferunt, & alia multa operantur, siue realiter, siue apparenter, sed occulto Dei iudicio permissa; Nihilominus certum est, nomina quæuis sacra, & Diuina, quibus fraudolenti, & commentitij homines vtuntur, nullam ex sui natura, aut vi verborum quomodocumque proferantur, aut quocumque idiomate, efficaciam vllam habere ad morbos sanandos: Nam verba, aut scripta ex se, si nulla superior accesserit causa, quidpiam efficere, aut vim aliquam naturalem obtinere Philosophia non admittit, cum omnis nimirum effectus ex contrarijs sit contrarius Aristotele teste.

Hæc verò cum in eodem genere ponantur, non possunt in diuersi generis contraria agere: Quare quemadmodum calor in saporem, sapor in odorem, vel sonus in figuram operatur, ità neque verba, nec figuræ in morbos quicquam efficiunt, & propterea qui ex vi verborum talia perpetrare præsumunt, vel ex pacto expresso, vel tacito cum Dæmone huiusmodi operantur, *vt aliàs diximus.*

Et hac ratione captiosa sunt multa, quæ apud Medicos leguntur, præsertim apud Vvecherum *de Secretis*, qui liber meritò à Sacra Congregatione Indicis proscrip-
20 tus est, sicut vana sunt remedia, quæ aduersus morbum comitialem ex vi verborum sacrorum adducuntur à Velasco Medico, quem refert idem Gaspar Reies Franco *d. quæst. 22. num. 9. vers. Secunda conclusio*: Nam vt aliàs Q. Serenus Mesicus cecinit:

Multaque præterea verborum monstra silebo,
Nam febrim vario depelli carmine posse
Vana superstitio.

Et Cardanus ipse, qui nullis ineptijs fidem præstitit, maximè culpat illos, qui in verbis aliquam vim inesse credunt.

21 Et ipse Paracelsus infamissimus Magus, prout de eo refert Affarius à Cruce, clarefacti syrupi, & apozemata sunt Medicorum hominum verba, & characteres Dæmonum, vt testatur dictus Gaspar à Reies *loco cit. num. 14. in fine.*

22 Vt ergo liceat vti verbis ad morbos depellendos, septem conditiones ex Diuo Thoma refert Malleus Maleficar. *par. 2. quæst. 2. cap. 6.*

23 Prima est, vt verba, aut scripta non contineant aliquid, quod pertineat ad inuocandum Dæmonem expressè, vel tacitè.

Secunda, ne benedictiones, seu carmina contineant aliqua verba ignota, in quibus aliquid superstitionis lateat.

Tertia, ne aliquid falsitatis in verbis contineatur.

Quarta, ne ibi contineantur vana, aut characteres aliqui, præter signum Crucis.

Quinta, ne spes habeatur in modo scribendi, legendi, aut dicendi, aut in aliquo alio, quod ad Diuinam reuerentiam non pertineat, quia aliàs omnia erunt superstitiosa.

Sexta, vt in prolatione Diuinorum verborum respectus solùm habeatur ad Diuina, & sacra verba ad Dei reuerentiam, & virtutem Diuinam, à qua expectetur effectus.

Septima, & vltima conditio, vt Diuinæ voluntati committatur effectus qui expectatur, scit enim quid magis inuocanti prosit sanitas, an tribulatio.

Aliter si fiat, vsurpenturque incantamenta, carminum deuotiones effascinantes Magiæ vanitates, & illius Auctores consulantur, quid aliud erit quàm Cacodæmonem sub honesta larua Medicum adhibere.

24 Neque obstat *l. Eorum est scientia, C. de Malef. & Mathemat.* quia non solùm iure Canonico lex illa abrogata est, vt constat *ex cap. Illos 36. quæst. 2. & cap. Ex tuarum, & cap. final. de Sortilegijs*, verùm etiam de iure ciuili: Nam Leo Imperator *constit. 65. ad Stylianum, de Incantat. pœna*, hæc habet:

Sanè verò si quis aliquo modo incantamentis vsus esse deprehensus fuerit, siue id restituendæ, conseruandæue valetudinis, siue auertendæ à rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, is Apostatarum pœnam subiens, vltimum supplicium substincto.

25 Quapropter cauendum est à nonnullis ex nostris Iurisperitis, qui putarunt iure ciuili licere maleficijs vti ad bonum finem, quales sunt Hostiensis, Azorius, Baldus, Salicetus, Gottifredus, & alij *in dicta l. Eorum est*, Maluetius *de Sortibus*, Grilland. *de Sortileg.* & alij communiter relati à Martin. del Rio *disquis. Magic. lib. 6. qu. 2. in princip.*

26 Et erroneam hanc opinionem à facultate Parisiensi fuisse declaratam, vt *in art. 5.* testatur idem Martin. del Rios *loco cit. vers. Infertur.*

27 Et propterea detestandum est tanquam impium, & hæreticum prouerbium illud Hispanicum, *Agaje el milagro, y bagalo el Diablo*.

28 Quod videtur habuisse originem à dicto Paracelsi, qui in libro *de morbo caduco*, dixit, nihil referre, an Deus, an Diabolus, Angeli, vel immundi Spiritus ægrè ferant opem, modo morbus curetur.

29 Cæterum, dùm hæc scriberem in Insula Melitæ successit, quod quidam Hispanus, ex eorum genere, quos *Salutatores* in Hispania vocant, iactabat se verbis, ac halitu mederi morbis, præsertim venenatis, & vlterius se ingressurum in ardentem fornacem, indeque absque aliqua læsione egressurum, ad certamque diem spectaculum istud indixisse: Quare delatus Inquisitori, ab eoque carceribus mancipatus, supradicta omnia Supremæ, &c. notificata ab eodem Inquisitore sunt.

Genus nouum superstitionis visum est nostris Consultoribus, cum in Italia huiusmodi incantationes, & experimenta in vsu non sint.

30 Cæterum Ego, qui diù in Hispania moratus fueram, & sæpè sæpiùs de huiusmodi experimentis certior factus, nec nouam, nec insuetatam Incantationem, & Magiam accepi.

De illa enim tractarunt Nauarr. *in summ. cap. 11. num. 36. in fin.* Margarita Confess. *quæst. moral. fol.* 185. Castanneda *de superstitione cap.* 12. Palacios *in summa, ver. Incantationes*, Azor. *to.1.lib.8.Instit.moral.cap.25. quæst.* 2.

Qui omnes tenent, hanc esse gratiam gratis datam, quæ potest dari etiam perditis hominibus, quæ in vnum congerit Sanchez *ad præcept. lib. 2. cap. 40. numer.* 46.

31 Sed de hac materia eruditissimum tractatum typis euulganit Emanuel de Moura suo libro *de Incantationibus, & Ensalmis vbi fere per tot.* & sed præsertim *sect.2.cap.9.* Et nonnulla dixit eruditissimus à Reies Franco *in suo Elysio quæst.* 24. de quo miror non habuisse mentionem de dicto tractatu Emanuelis à Moura.

Post Mouram scripsit de huiusmodi Salutatoribus Torre-blanc. *Iuris spiritual. lib.2.cap.23. per totum*, & post hos Thomas Hurtado *to. 1. resolut. moral. tract.* 5. *cap.4.* nouissimè, sed parcè admodum Gastald. *de potest. Angel. tom. 2. distinct. 6. quæst. 2. artic.* 6.

Recolligendo ergò pauca, quæ diffusè tractata sunt à supradictis Auctoribus: Dicendum est, quod quamuis non possit negari, quod gratia curationum à Deo

32 dari possit etiam perditis hominibus, cum sit gratia gratis data, quæ non confertur à Deo in gratiam recipientis, sed in vtilitatem aliorum, vt Suarez *to.1. de Religione lib.2.de superstit. cap.12.num.19.* Moura *dicto cap.9. num.18. in fine.*

In hac tamen re cautè est agendum, & vt dicunt Doctores nostri linceis oculis sunt prædicti Salutatores inspiciendi, & similes, qui in Italia se profitentur

33 Alumnos *Sanctæ Catherinæ*, vel in Hispania *Sanctæ Quiteriæ*.

Etenim certum est sæpissimè hos omnes vti pacto explicito, vel implicito cum Dæmone, qui ad talia conuertere solet, vt benè Moura *dicto cap.9. num.*10. vbi dicit, quod per spatium decem, & octo annorum, quo ipse adstitit Sacro Inquisitionis Tribunali, semper difficillimam habuit hanc causam.

34 Pensandæ ergo sunt circumstantiæ, vt dignoscatur, an virtute, & gratia gratis data, an verò virtute Dæmoniaca, huiusmodi sanitates perpetrentur.

35 Prima est, si isti tales sint sceleratæ vitæ, nam tunc non præsumuntur operari virtute Diuina, vt ex Nauarro, & Margarita, Martin. del Rio, Ciruelo Llamas, & Suarez colligit idem Moura *loco citato numer.* 11.

36 Præsertim si permaneant in sceleribus quasi habitualiter, Suarez *to. 1. de Relig. lib.2. cap.15. de superstit. num.25.*

37 In specie verò vitium carnis impedire gratias gratis datas, dixit ex Farsan. *de Fornicat. simplici lib.2. cap.25. §. De lo qual*, Moura *loco cit. num.11. in fin.*

38 Secunda, si Salutator sit Hæreticus, nam solis Catholicis huiusmodi gratias tribui, tenet Sanchez *dicto cap.40. num.47.* latè Martin. del Rius *lib. 1. cap.3. quæst.4. littera E*, ex Bozio Moura *loco citato numer.* 12.

39 Et propterea cauendum est à Polydoro Virgilio, qui *lib.8. Historiar. Anglican. fol. mihi* 359. asserit, gratiam sanandi strumas concessam Eduardo Regi, inter Diuos relato, iure hæreditario fuisse propagatam in posteriores Reges, & tempore, quo scribebat Historias, dicit: *Et nunc tactu, & quibusdam hymnis non sine cæremonijs priùs recitatis strumosos sanant.*

40 Nam cum ab Henrico Octauo Reges Angliæ defecerint à vera Religione (vna excepta Maria) certum est hodie cessasse huiusmodi priuilegium.

41 Cauendum est etiam à Gulielmo Toonero, qui in suo libro (cui titulus *Charisma, siue donum sanationis*) conatur docere charismate sanandæ strumæ præditam fuisse Reginam Elisabeth, cuius mendacia in toto libro exarata, benè refellit Martin. del Rio *disquis. lib.1. cap.3. quæst.4. pag. mihi 24. 25. 26. & 27.*

42 Et ideò hanc gratiam, si verè in Elisabetha reperiebatur, fuisse Diabolicam, &

ex pacto Diaboli acquisitam, tenet Thom. Hurtado *dicto tract. 5. cap. 4. resolut. 29. in fin.* quod etiam adstruit Torre-blan. *de iure spiritual. lib. 12. cap. 24. num. 47.*

43 Sed qui plura videre vult de mirabili strumas sanandi vi solis Galliæ Regibus Christianissimis diuinitùs concessa, adeat Andream Laurentium Archiatrum *in peculiari de hoc tractatu, &c.*

44 Tertia, si dicant isti homines, nimio vino indulgere ad hoc, vt virtus viuacior sit, vt contra Vera-cruz, tenet Sanchez *dicto cap. 40. num. 47.* Hurtado *dicto cap. 4. resolut. 30. num. 297.* Torre-blanc. *d. cap. 41. num. 31.*

Quarta, suspecti sunt, si dicant in præsentia alterius Salutatoris vim maiorem
45 salutandi habentis, se non posse sanare: Nam vel vis illa naturalis sit, vel gratia Diuina, nil obstare potest præsentia alterius, vt ex Vera-cruz, Martin. del Rio, & Sanchez, dicit Villalpando *loco citato numer. 24.*

46 Quinta, suspecti sunt, si dicant certis hebdomadæ diebus maiorem vim sanandi habere, Torre-blanc. *loco cit. num. 29.* Hurtado *loco cit. num. 298.*

47 Sexta, si dicant se prænoscere futura, vel respondeant ad quæcunque interrogata de rebus occultis, siue futuris, siue liberis, vel rarò contingentibus, Hurtado *loco cit. num. 298. & 302.* Torre-blanc. *loco cit. num. 28.*

48 Septima, sunt suspecti, si absque nocumento laminas ardentes, carbones ignitos manu tractent, furnum ardentem ingrediantur: Nam cum talia ad sanandos homines non conducant, ideo vel ex pacto tacito, vel expresso cum Dæmone talia perpetrari iudicandum est, Martin. del Rio *dicto cap. 3. quæst. 4.* Torre-blanc. *loco cit. num. 33.* qui dubitat hoc etiam posse contingere ex impostura, vt quia præmuniant se lotione rerum frigidissimarum, Hurtado *loco cit. num. 299.* Sanchez *loco cit. num. 47.*

49 Octaua, sunt suspecti, si hæc perpetrentur per modum artis, aut disciplinæ, quia gratia gratis data non addiscitur, sed infunditur, Torre-blanc. *loco cit. num. 41.* Hurtado *loco cit. num. 300.*

50 Nona, sunt suspecti, si vnus ex istis ab aliis cognoscatur, quem nunquam priùs viderat, quia suspicari potest, hanc cognitionem deuenire ab aliquo signo, siue nota à Dæmone impressa, quam vocant signum *Sanctæ Catherinæ*, vel palmam *Sanctæ Quiteriæ*, Torre-blanc. *loco citato numer. 37.*

51 Certum est enim, Dæmonem suos stigmate signare, & distinguere, vt post Tertullianum, Hiderum, Remigium, Grillan. Sprenger. Binsfeldium, Martin. del Rio, & Malderum, tenet Torre-blanc. *loco cit. num. 37.*

Et memini, dùm *in vna Auenionen.* fuisset dubitatum, an signa, quæ apparebant
52 in corpore cuiusdam fœminæ Sagæ, siue Sortilegæ, essent verè stigmata, fan. mem. Alexandrum Septimum voluisse, vt diligenter perscrutaretur à Dominis Consultoribus, & à Medicis illarum Partium, an verè darentur stigmata Dæmoniaca, &c.

ET licet non fuerit posteà super hoc aliquod conclusum, Ego tamen dedi votum, concludendo, quod indubitanter dantur stigmata Dæmoniaca; per ea, quæ doctissimè scribit P. Theophilus Rainaudus *in suo tractatu de stigmatibus*; quod tamen votum, dùm hæc scriberem, non potui in meo studio inuenire.

53 Sed hic addidi votum doctissimi Præsulis Petri Francisci de Rubeis Aduocati Fiscalis, Promotoris Fidei, & Consultoris Sancti Officij, quem ob eximiam litteraturam, & eruditionem veneror.

Tale est:

Auenionen. signi in Lamia, seu Strige.

QVæritur, an, & quale inditium sumi possit aduersus accusatos, vel inquisitos pro Strigibus Maleficis ex signo comperto in aliqua parte corporis earundem, vbi acus vsque ad ossa infigi possit absque dolore tanquam emortua, ac sensus experte.

Nam Franciscus Torre-blanca Villalpando *in Epitome Delictorum, in quibus aperta, vel occulta inuocatio Dæmonis interuenit lib. 2. de Magia operatrice cap. 7. De pacto explicito, & implicito* relatis *à num. 5. vsque ad 17.* omnibus, quæ in solemni conceptione pacti expressi cum Cacodæmone intercedunt hinc indè, ità scripsit de huiusmodi signo, *scilicet, vt sequitur*: Quibus peractis deletur ille (scilicet pacisceus) de libro vitæ, & inscribitur in libro mortis nigerrimo, rebaptizatur, & nouo nomine induitur, ac velut de lapide empta mancipia fugitiua stigmate, vel charactere inuritur, vt tradunt Tertull. *lib. de prascrip. aduers. hæres.* Nicol. Remigius *Dæmoniorum lib. 1. cap. 5.* Nider. *lib. 5. formicar.* Cuius variæ solent esse figuræ, nam aliquibus est ad instar vestigij leporis, aliquibus ad similitudinem manus bufonis, rubetæ, lacerti, aut catelli nigri, *vt tradunt prædicti Auctores*, & apparent variis in locis impressa: Nam aliquibus cernitur in sinistro fœmore, vt de Mageta Saga scribit idem Remigius *d. cap. 5.* ali-

quibus in humero finisto, vt de Bayaronne fœmina tradit Carondas *lib. de Antichristo not.* 1. aliquibus in fronte, vt de Antichristo legitur, ità suos signasse Apocalypsi *cap.* 13. aliis posterioribus partibus extantiæ dexteræ auris, Irænæus *lib.* 1. *cap.* 24.

Sic Turre-blanca.

Et Ioannes Georgius Gœdelmanus *de Magis, Veneficis, & Lamijs lib.* 3. *cap.* 3. *nu.* 26. de eodem signo post Ioannem Bodinum *de Dæmonomania lib.* 4. *cap.* 4. *sub fine*, ita scripsit, *vbi*: Sunt, qui referunt stigmata quædam post aures, vel in anteriore frontis parte Sagarum: Sed ea tamen haud omnibus apparere Triscalanus quidam recensuerat (Bodinus dixit) magis impressum esse signum quasi vestigium leporis, cui quamuis ad ossa vsque indatur acus, locum tamen sensu expertem esse, & hoc inditio se plurimos Magos patefecisse.

Subdens ibidem:

Ego tamen cum Donæo (scilicet Mollerio) in *Commentario ad Constitutiones Saxonicas*, sentio, Principes quoque Magos carere signo, aut illud habere loco tam abscondito, vt eo per hoc detegi difficillimum sit; atque à Valesio quodam nobili viro accepi, quosdam à Diabolo sub palpebratum altera, quosdam vno ex labris, quosdam in podice obsignari.

Item num. 27. *ibi*:

Donæus putauit, Sathanam iis tantùm notam inurere, quos metuit pactum suum deserturos: Alios verò, quos constantes fore sperat, non item.

Quare Matthias Berlichius *conclus. pract. lib.* 4. *conclus.* 4. *num.* 154. Inquisitores ità admonuit, *vbi*: Vt autem hæc nota inusta à Iudice eò faciliùs cognoscatur, ea vt plurimùm habet signum leporis, & locus ille, vbi inusta est prorsus sensus expers est, vt quamuis acus ad ossa vsque indatur; tamen Venefica nullum omnino dolorem sentiat, nec sanguis ex eo fluat, *allegando* Bodinum, & Gœdelmanum vbi *supra*.

Super quæsito autem triplex opinio reperitur.

Prima quidem Bodini, *relata* per Gœdelman. *dicto num.* 26. *sub versic. Et ex his indicijs*, quod indè sumatur fortissima præsumptio, quæ vna cum aliis sufficiat ad condemnationem.

Altera Berlichii *d. lib.* 4. *concl.* 4. *nu.* 153. quod inducat sufficiens inditium ad torturam inferendam, nam postquam *nu.* 143. dixerat, *præsumptiones autem, quæ sufficiens inditium ad torturam præbent, hæ sunt*, per alternatiuam, *d. num.* 153. subdit, *vel si nota inusta inueniatur, & quis signatus deprehenditur*, eandem sententiam tribuens Bodino *dicto lib.* 4. *cap.* 4. *sub fine, vers. Si comperietur signatus Magus*, & Gœdelin. *dicto num.* 26. *post princip.*

Tertia ipsius Gœdelmani *in præcitato lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 28. quod vis nulla super tali signo fieri possit, *inquiens*, sed hæc indicia inania sunt absurda, & friuola: ideòque reiicienda, nec admittenda, vtpotè legibus contraria: Ità enim sonat Carolina, nempe lex edita à Carolo Quinto.

Cui hærendum videtur, cum possit in aliqua parte corporis sensus omnino perdi ex accidenti æquè, ac si caro penitùs emortua esset.

Sicque, &c. Saluo, &c.

Petrus Franciscus de Rubeis Consultor.

54 Decima, suspecti sunt, si sanant quæstus causa, nam si illa est gratia Diuina, debet gratis dispensari, aliàs pretium pro ea recipiens, ea abutitur, vt dicit Torreblanc. *loco cit. num.* 45.

55 Et quia pauci admodum inueniuntur horum Salutatorum, siue, vt nos vocamus, *Carminatorum*, vel *Ciurmatorum*, qui in aliqua ex *supradictis* regulis non peccauerint, propterea sic in vniuersum tanquam suspectos de pacto Dæmoniaco damnari, Vera-cruz *lib.* 2. *de Anima specul.* 2. Martin. del Rio *lib.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 15. *nu.* 25. Malder. *de virtut. Theolog. tract.* 10. *cap.* 8. Mercado *tom.* 1. *lib.* 2. *cas.* 3. *quæst.* 168. *art.* 4. Thom. Frenus *de viribus imag. quæst.* 24. hos refert Torre-blanc. *loco citato, numer.* 50.

56 Et quamuis Moura *dicta sect.* 2. *cap.* 9. conetur diluere à suspicione Salutatores, etiamquod concurrant aliquæ ex regulis *supra relatis*, fatetur tamen non esse immunes totaliter, sed onus probandi opus esse à Deo in eos referendum, *vt loco cit. num* 15. *& num.* 40.

57 Vnde in dubio Superior potest prohibere vsum harum sanationum, vt ipsemet Moura asserit *loco cit. num.* 46. & hoc iure vtitur Suprema, &c.

58 An autem, qui vtitur, si dubitet probabiliter, an fiat gratia sanitatis ope Diuina, vel Dæmoniaca, teneatur se abstinere à tali vsu, videndus est idem Moura *dicta sect.* 2. *cap.* 16. 17. *&* 18.

Quod autem, asserit Hurtado, Pontificem in tota Ecclesia, Episcopum in suæ Diœcesi, Inquisitores in Territorio suo
59 Delegationis, si notum est aliquem habere gratiam ad sanandam aliquam infirmitatem, vel suæ personæ concessam, vel suæ familiæ, quod ab immemorabili consuetudine, & notitia sciatur, non posse prohibere, quod illa gratia non vtatur: Data est enim in vtilitatem Fidelium, & ideo tanquam in destructionem, non teneretur

neretur ille obedire huiusmodi præcepto: Non est admittendum nisi cum regulis *supradictis*; Et scio inhibitum fuisse cuidam familiæ Diœcesis *Narniensis*, ne signaret ischiadem, vulgò *sciaticam*, licet per annos sexaginta doceret, eo remedio vsam fuisse.

60 Non enim longinquitas temporis, vel consuetudo peccandi excusat à peccato, si verè inest, vel saltem dubium sit, an insit, &c. vt fatetur Hurtado *loco cit. in fine*.

61 Puniendi ergo non solùm sunt isti Saltatores, sed etiam illi, qui eos vocant, & eorum opera vtuntur, quia eodem pacto Dæmonis irretiti remanent, vt ex Ciruelo, & Torre-blanca, dicit Gaspar de Reies Franco *in d. Elysio iucundar. quæstion. quæst.* 24. *nu.* 18. apud quem inuenies plura de huiusmodi hominibus, qui Ciuitates peruagantur, gratiam prædictam ostentantes, cum sint perditissimi viri.

62 Idem dicendum est de illis orationibus, quas nonnulli fingunt inuentas fuisse in sanctissimo Christi sepulchro, & quas asserunt liberare à periculis, & ab omni armorum impetu, inter superstitiosa enim eas connumerat Suprema, &c.

Abutentes verò verbis sacræ Scripturæ ad iocum, vt qui componunt Pater noster, Symbolum Apostolorum, Hymnos,

63 vt detrahant famæ aliorum, subduntur iudicio Inquisitorum, & à Sancto Officio puniri possunt, vt euenit in eo Religioso, de quo Locatus *in Iudicial. in casibus Romæ decisis casu* 1. Nam cum is in quodam ludo scandaloso Hymnum *Iam lucis orto sydere* immiscuisset, nonnullaque impudica verba, & actus inhonestos addidisset, fuit in Palatio Sancti Officij fustigatus, & mandatum fuit, vt in omnibus actibus legitimis, ac voce actiua, & passiua per decennium priuaretur, ac per triennium omni sexta feria ieiunio affligeretur, de quo Carena *tit.* 17. *par.* 2. §. 18. Franciscus de Magistris, post hæc scripta visus, *in Sylua Ecclesiast. to.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 113.

64 Abutitur pariter Sacramentalibus, qui vtitur vestibus sacris ad vsus profanos, & ideo qui cum illis incedunt laruati puniuntur in Sancto Officio, vt patet ex Decreto *sub die* 4. *Octobris* 1604. & aliàs sæpè.

Et nonnulli homines, qui tempore Bacchanalium Ecclesiam Missarum tempore laruati intrarunt (seclusa mala intentione) expediti fuerunt cum monitione, & pœnitentijs salutaribus, vt ex Decreto *sub die* 21. *Iunij* 1607.

Et Cremonæ fuerunt puniti in Sancto Officio quidam Religiosi, qui ioci causa

65 induerunt quendam ex eis idiotam vestibus Pontificalibus, mitram capiti imponentes, & ei super asinum sedenti honorem Episcopalem detulerunt, dùm per claustra Monasterij deductus benedictionem impertiretur, vt testatur Amidanus *in Votis M. S. tom.* 2. *vot.* 7. quem refert, & sequitur Trasmiera *de Denunciat. quæst.* 4. *cap.* 8. *numer.* 5. *versic. Quæ etiam extendenda*.

Sed an è contra, qui vtitur vestibus profanis in ornatu sanctarum Imaginum, itaut contemptum, irrisionem, lasciuiam,

66 impudentiam, vel obscenitatem præseferant, possit puniri in Sancto Officio: Affirmatiuè resoluit idem Trasmiera *loco cit. num.* 9. post Alberghin. *in Man. Inquisit. cap.* 29. qui *num.* 3. inuehit contra ineptias quarundam muliercularum, quæ ad Christi imaginem ornandam immoderato luxu vtuntur, vestientes eum fœminea veste, & ampla cyclade, vulgo *guarda infante*: Et hoc quidem optima ratione, nam Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 25. in Decreto *de cultu, & venerat. Sanctor.* vetuit, vt in cultu Imaginum omnis lasciuia vitetur, itaut procaci venustate Imagines non pingantur, nec ornentur. Datur enim hoc modo occasio Hæreticis, ac Nouatoribus irridendi sacrarum Imaginum cultum, vt benè considerat idem Alberghin. *dicto cap.* 26. *num.* 4.

Et propterea sanctæ memor. Vrbanus Octauus suo diplomate edito 15. *Martij* 1642. & publicato 26. *Iunij eiusdem anni*, vetuit, Imagines Domini Nostri Iesu

67 Christi, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Euangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quorumcunque sculpere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut ante hàc sculptas, aut pictas, & aliàs quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere cum alio habitu, & forma, quàm in Catholica, & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consueuit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis.

Mandauit etiam, vt Imagines aliter pictæ, vel sculptæ ab Ecclesijs, & alijs locis quibuslibet amoueantur, & deleantur, & reducantur, & reformentur ad habitum, formam in Ecclesia Catholica, & Apostolica ab antiquo tempore consuetam, vt veneratio, ac cultus sic dictis Imaginibus augeatur, & quæ oculis Fidelium subijciuntur, non inordinata, nec insolita appareant, sed deuotionem pariant, & pietatem: De quo Decreto mentionem facit P. Lezana *to.* 4. *ver. Sanctorum cultus, num.* 14.

Et quamuis non subijciat contrafacientes iudicio Inquisitorum, sed solùm iniun-

68 gat Ordinarijs, Nuncijs, & Legatis de latere, vt prædictum Decretum mandent obseruari.

Nihilominus scio hic Romæ à Suprema fuisse correptos quosdam Religiosos, qui Imaginem Iesu infantis habitu Religionis induerant.

69 Pariter præsumptus in fide Inconstans est, qui abutitur, & contemnit indulgentias, campanas, & cœremonias, ac Ritus Ecclesiasticos, vt dicunt Zerola, & Riccius allegati à Trasmier. *de denunc. quæst. 4. cap. 8.* Carena *in praxi par. 2. tit. 17. num. 9.* & post eum Salelles *to. 2. cap. 5. reg. 395. num. 444. & 445.*

Et certè de contemnentibus indulgentias nulla difficultas esse potest, quia isti

70 videntur fauere hæresi Vualdensium, & Ioannis Vuicles, & nouissimè Lutheri, & aliorum Sectariorum, qui cum negent inueniri Purgatorium, consequenter negant etiam dari indulgentias, vt benè Alphonsus à Castro *aduersus hæreses, ver. Indulgentia.*

Et quia hic incidit sermo Indulgentiarum, quas nonnulli impostores, præsertim quæstuantes Ceretani, & alij ex Diœ-

71 cesi Spoletana disseminant, sciendum est, quod quamuis sæpiùs Sacra Congregatio rescripserit, ad Ordinarios spectare cognitionem veritatis, seu falsitatis Indulgentiarum, *vt sub die 2. Martij, & 7. Aprilis* 1607. & pluries meo tempore. Et ad eosdem spectare, dare, vel denegare licentiam, vt imprimantur, & publicentur, *vt sub die 21. Nouembris* 1607.

Nihilominus, si semel declaratæ sint falsæ, vel apocryphæ, Suprema, & Inqui-

72 sitores procedunt contra eas imprimentes, & publicantes: Licet enim hoc gratia quæstus facere præsumant, itaut nulla videatur in illis cadere hæresis suspicio. Attamen cum sit delictum, quod potest inuoluere etiam hæresis suspicionem, & valde Reipublicæ, & animabus Fidelium perniciosum, Summi Pontifices hanc Inquisitoribus tribuerunt facultatem, non tamen priuatiuè quoad Ordinarium, vt fuit scriptum Inquisitori Mantuæ.

Pariter quando Suprema videt, vel Episcopos, vel eorum Vicarios esse nimis

73 faciles in concedendis licentijs imprimendi, & publicandi Indulgentias solet rescribere, ne imprimantur, vel publicentur sine participatione Inquisitoris, vt scriptum fuit *de anno* 1619. *29. Martij, & 19. Iunij*, Inquisitori, & Episcopo Vercellen. sed regulariter hoc spectat solùm ad Episcopum, vt fuit scriptum *sub die 13. Octobris* 1635. Inquisitori Arimini.

74 Sed quia in dies spargebantur Indulgentiæ falsæ, & apocryphæ Suprema rescripsit Nuncio Hispaniarum *sub die 26. Decembris* 1620. infrascriptas Indulgentias esse falsas:

Et primò, Indulgentias, quæ asseruntur concessæ Principi Senarum à fel. record. Pio Quarto.

Secundò, quæ dicuntur concessæ à Beato Pio Quinto Coronæ, siue Rosario Magni Ducis Hetruriæ, confirmatæ à Clemente Octauo.

Tertiò, Indulgentiæ, quæ ab eodem Clemente Octauo asseruntur concessæ Ecclesiæ Beatæ Virginis de Monserrato, Arimini impressæ.

Quartò, Indulgentia plenaria pro animabus defunctorum concessa ab eodem Clemente Octauo, & Matriti impressa *sub die 20. Iunij* 1606.

Quintò, Indulgentiæ, quæ habent fundamentum in asserta reuelatione habita à Ioanna della Croce, & concessæ Globulis, qui tangunt vnum ex tribus à Cœlo demissis, quorum alter dicitur esse penès Summum Pontificem; alter penès Regem Hispaniarum; tertius penès Generalem Minorum Obseruantium.

Sextò, Indulgentiæ, quæ asseruntur concessæ à Ioanne Vigesimosecundo osculantibus plantam pedis Beatæ Virginis, quæ circumfertur impressa.

Septimò, Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab Adriano Sexto globulis benedictis ad instantiam Cardinalis Lanquinares Trigemani, impressæ Panormi *anno* 1611.

Octauò, Indulgentiæ, quæ asseruntur concessæ à sanctæ memoriæ Paulo Quinto, Coronæ, siue Rosario Passionis Domini Nostri Iesu Christi, ad instantiam Magni Ducis Hetruriæ.

Nonò, Indulgentia plenaria, quæ dicitur concessa à sanctæ memoriæ Clemente Octauo, ad instantiam Serenis. Infantæ Catherinæ Sabaudiæ Ducissæ, eis, qui recitabunt sequentem orationem:

O Magnum Martyrium, & profundissima vulnera, &c.

Et quotiescunque recitabunt aliam sequentem, liberent animam à pœnis Purgatorij:

Deus, qui nobis in Sancta Sindone, &c.

Hæc est notula Indulgentiarum de falso notat. quæ fuit missa Nuncio Hispaniarum.

Demùm successiuis temporibus fuerunt declaratæ falsæ Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à sanctæ memoriæ Paulo Quinto, ad instantiam Regis Hispaniarum omnibus, qui dicunt, *Alabado sia el Santissimo Sacramento*; vt ex Decreto *sub die 8. Decembris* 1620.

Et quia iterùm diuulgabantur tanquam concessæ ab Vrbano Octauo, ad instantiam Cardinalis Magalotti *sub die 22. Augusti* 1631. Sacra Congregatio rescripsit, eas esse falsas, & mandauit colligi exemplaria, & procedi contra disseminatores.

Et cum eodem anno nonnulli quæstuantes pro Ecclesia Beatissimæ Virginis Monris-ferrati publicarent quasdam Indulgentias, vt præseferebant, à varijs Summis Pontificibus eidem Ecclesiæ concessas; eadem Sacra Congregatio rescripsit Inquisitori *Nouarien.* ne fineret eas publicari.

Sed quia verè inter illas aderant nonnullæ veræ, fuerunt scriptæ litteræ Encyclicæ Ordinarijs Italiæ, tenoris sequentis:

Die 3. Maij 1636.

A tutti gli Ordinari d'Italia.

75 *ANno i Sommi Pontefici in vari tempi conceduti, e priuilegi, ed indulgenze al Monastero della Madonna di Mon-ferrato nelle Parti di Catalogna, perche concorrendo tutta la Cristianità à visitare quella Santa Imagine, i Fedeli, e ne riportano per lo più le grazie, che chiedono, e sono per tre giorni continui spesati con somma carità da' Padri di S. Benedetto, che iui dimorano: Onde per souuenire alle spese grauissime, che per l'ospitalità continua, e per lo mantenimento del Monastero, e fabbrica della Chiesa vi si fanno, è stato solito deputarsi da vn Procuratore di quel Monastero, che risiede in Napoli, e talora in Roma, vna, o più persone, le quali vanno per le Città d'Italia raccogliendo elemosine, ed aggregano quelli (che vogliono partecipare dell'orazioni de' Romiti, e de' Monaci di quel luogo, e dell'indulgenze medesime) alla Confraternità, che vi è sotto l'innocazione della Beatissima Vergine.*

Quest'opra di carità così riguardeuole, ed esemplare è stata alle volte esercitata con quell'ordine, che vien prescritto da' sagri Canoni, e particolarmente dal sagro Concilio di Trento.

Ma perche si può con difficoltà riparare alle sottigliezze del Demonio, il quale trasformato in Angelo di luce, suol tal volta ingannare i semplici per le vie medesime, che sono inderrizzate per la salute; è succeduto ben spesso, che da persone puoco timorate di Dio, sotto tal pretesto sono state dispensate indulgenze apocrife, e deluse le pie persone, le quali tirate dalle lusinghe del bene, anno lor compartite larghe elemosine, senza riceuerne benefizio veruno, e senz'vtile, anzi con molto discredito di quel Monastero.

Onde per riparare alle fraudi, che si potessero commettere per l'auuenire, ha questa Sagra Congregazione del Sant' Offizio risoluto, che non si ammetta da V. S. in cotesta Diocese alcun Questuante per lo Monastero di Mon-ferrato di Catalogna, se non con le condizioni infrascritte:

Prima, ch'egli mostri a V. S. licenza autentica sottoscritta dal Padre Fra Giuseppe Apostolo di Castiglia, Procuratore Generale del medesimo Monastero, di poter cercar elemosina per la souuenimento di quel luogo.

Seconda, ch'egli non predichi, ne porti campanello, ne distribuisca medaglie, grani, reliquie, o altre imagini, ne meno pubblichi indulgenze concedute al detto Monastero, ma la pubblicazione di esse si faccia in giorno festiuo al Popolo da qualche Predicatore, se sarà in tempo, che si predichi, onoramente da' Parochi nelle loro Chiese, ed vn'esemplare di esse stampato si lasci affisso alla porta della Chiesa Catedrale, o Parochia, oue sarà stato letto, acciochè ognuno lo possa vedere, ne si dia ad intendere al Popolo da chi che sia vna cosa per vn' altra.

Terza, ch'egli abbia vn libro segnato parimente dal medesimo Padre Fra Giuseppe, oue si notino da lui l'elemosine, che di mano in mano andarà raccogliendo in ciascuna Diocese, ed i nomi di quelli, che si vorranno aggregare alla Confraternità della Beata Vergine di Monserrato.

Quarta, ch'egli da se non vada alla cerca, ma in compagnia di persona da bene, e di chi non possa sospettarsi di alcuna fraude, assegnatali da V. S. o dal suo Vicario Generale, e nelle Ville, o altroue, dal Vicario Foraneo, o da Parochi de' luoghi, doue si farà la cerca.

Quinta, che quella persona, che sarà destinata a far la cerca con l'inuiato dal Padre Fra Giuseppe, sottoscriua di sua mano le partite dell'elemosine nel libro, che portarà seco il Questuante forastiero; e quando ella non sapesse scriuere, si debba fare la sottoscrittione dal Paroco delle Ville, o de' luoghi, oue sarà fatta la cerca.

E con tali condizioni, e non altrimenti, ella permetterà, ed assisterà a quelle persone, che auranno la cura di cercare le sudette elemosine, non ostante qual'altro commandamento in contrario, che tal'è il senso di questi miei, &c.

76 Sed cum postea non fuerint obseruatæ conditiones prædictæ, dùm hæc scriberem dubitatum fuit, an eiusmodi Indulgentiæ fuerint reuocatæ per Bullam sanctæ memoriæ Pij Quinti *Etsi Dominici Gregis 30. in ordine.*

Et an post reuocationem confirmatæ fuerint à Pontificibus successoribus.

Negotium hoc demandatum fuit dicto R. P. D. Petro Francisco de Rubeis, & mihi; Et consideratis verbis Bullæ, *Etsi Dominici*, fuit dictum omnino fuisse reuocatas.

Nam in specie in ea Bulla de Indulgentiis concessis Ecclesiæ de Monte-ferrato fit mentio, supposito quod pro eis consequendis manus sint porrigendæ adiutrices, & quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent.

77 Nec fuisse à Pontificibus successoribus

confirmatas, quia in confirmationibus prædictis adest clausula, *quatenùs reuocatæ non sint*, *& Decretis Sacri Concilij Tridentini non aduersentur*.

Ideo cum *in sess. 21. cap. vlt.* aboleatur vsus quæstorum, meritò non censetur, Pontifices confirmasse Indulgentias cum illo abusu.

Sed quia valdè præiudiciale erat prædictæ Ecclesiæ Decretum reuocationis,
78 Sanctissimus iussit ad se afferri Bullas originales Indulgentiarum, vt præferebatur, à varijs Summis Pontificibus illi concessarum, quibus allatis nescio quid postea actum fuerit.

79 In hac materia videndus est Nauarr. *lib. 5. consil. sub tit. de pœnitent. & remission. cons. mihi* 16. *num.* 6. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 109. *nu.* 12. *& ad dicto cap. fin. sess.* 21. *Concilij Tridentini*, vbi *num.* 2. *litt. A*, ponit formulam licentiarum, quæ solent concedi à Sede Apostolica pijs locis, vt possint ex alia rationabili causa quærere eleemosynas, rescribendo Ordinarijs.

Et quia tempore eiusdem B. Pij Quinti irrepserat abusus in Diœcesi Toletana, & in alijs Hispaniæ Diœcesibus, vt ijs, qui
80 certam pecuniæ quantitatem soluerent, concederent, quem voluerint posse sibi assumere Sacerdotem, qui eos absoluere valeat etiam à casibus Episcopis reseruatis, & vlteriùs Indulgentiæ, & pœnitentiarum remissiones profusiùs, & indiscretè largiebantur.

Indicem præterea casuum, & Indulgentiarum ædibus sacris appendi iusserant, quo palam significabatur soluentibus suprascripta concedi, & inter alia absoluendi facultas ab æsu prohibitorum tribuebatur, indulgebatur celebratio Missæ, ac sepultura tempore interdicti, assumptio duorum, pluriumque Compatrum ad sacrum Baptisma præter eos, qui Synodalibus, vt dicebant, Constitutionibus præfigebantur; reparationem Ecclesiarum, erectionem Confraternitatum, & alias pias causas prætexendo: Idem Beatus Pius sua Constitutione, *Quam plenum*, edita *anno* 1570. *in ordine* 99. prædicta omnia annullauit, & cassauit: Iussitque prædictos indices, necnon scripturas, & monumenta quæcunque publica, & priuata per ipsorum locorum Ordinarios, & alios Ecclesiarum Rectores, vbicunque reperiuntur dilacerari, penitusque deleri. Prohibuitque, ne de cætero à quopiam fiant, publicentur, vel concedantur.

Quæ quidem Bulla otiosa non est, stante altera ab eodem Beato Pio promul-
81 gata *in ordine* 30. quia in illa prohibentur Indulgentiæ à Sede Apostolica concessæ, in hac autem ab alijs datæ; in illa reuocantur concessæ, in hac non solùm datæ tolluntur, sed de cætero dari prohibentur, vt notat Scholiastes ad dictam Bullam *Quam plenum*, *Schol.* 1.

Declaratæ pariter fuerunt apocryphæ Indulgentiæ, quæ asserebantur concessæ Confraternitati Angeli Custodis de Vrbe, vt ex Decreto Supremæ *sub die* 12. *Nouembris* 1635.

Sub die etiam 29. *Nouembris* 1629. fuit dictum, quod quidam liberculus impressus Brixiæ, cui titulus, *Sommario dell'Indulgenze, Grazie, e Priuilegi concessi da Sommi Pontefici a' Centurati di Sant'Agostino, vltimamente confermati da Nostro Signore Papa Gregorio Decimoquinto*. Colligeretur, & supprimeretur, iuxta alia Decreta emanata in hac materia *de anno* 1634., *&* 1638.

Idem fuit scriptum *die* 20. *Martij* 1640. Inquisitori Ianuen.

De anno verò 1642. *die* 11. *Iunij* habetur tale Decretum.

82 *Rescribatur Inquisitori Adriæ, Indulgentias, vt præsumitur, concessas à diuersis Summis Pontificibus Christifidelibus visitantibus Ecclesiam Sancti Nicolai de Tolentino ad Confraternitatem Centuratorum Ordinis Sanctorum Augustini, & Monicæ, ac Altare Sanctiss. Rosarij in Ecclesia Sancti Antonij Rodigij Ordinis Prædicatorum esse apocryphas; ob id prohibendum Fratribus Augustinianis, & Ordinis Prædicatorum, ne illis vtantur, nec minùs illas imprimi, aut publicari faciant sub pœnis arbitrarijs, & impressas, & publicatas mandet colligi, vt cesset scandalum.*

Pariter *de anno* 1640. *die* 13. *Iunij* dictum fuit, Indulgentias concessas Religioni Redemptionis Captiuorum, & illius Confratribus impressas Neapoli *de anno* 1634. Papiæ *de anno* 1637. *die* 7. *Decembris* esse apocryphas.

Et *de anno* 1640. *die* 12. *Septembris* rescriptum fuit Inquisitori Comen. mandatum fuisse Episcopo eiusdem Ciuitatis, ne admitteret Indulgentias, & Priuilegia, vt præsumitur, concessa Societati Suffragij aggregatæ Religioni Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum, nisi prius visis Bullis originalibus earundem.

Eodem anno, ac die decretum fuit, Indulgentias, vt dicitur, concessas à Leone Decimo Imagini Conceptionis esse apocryphas.

Die verò 5. *Decembris* 1640. rescriptum fuit Nuncio apud Heluetios, vt supprimeret Summarium Indulgentiarum, quæ asserebantur concessæ Confraternitati Suffragij, Gallico idiomate impressum, carceraret eum, ad cuius instantiam fuerunt impressæ, & mortificaret Parochum, qui Indulgentias apostillauit.

Et de anno 1641. *die* 13. *Nouembris* fuit

dictum, aſſertas Indulgentias conceſſas à Paulo Quinto ad inſtantiam Fratris N. à Brunduſio Capuccino non eſſe veras.

De anno 1642. 10. *Septembris* reſcriptum fuit Inquiſitori Venetiarum, ne permitteret publicari Indulgentiam, quæ aſſerebatur conceſſa cuidam orationi Sancti Auguſtini extractæ ex tabella ſita in Baſilica Lateranenſi.

Die 21. *Ianuarij* 1643. reſcriptum fuit, Indulgentias, vt aſſerebatur, conceſſas à ſanctę mem. Vrbano Octauo ad inſtantiam Cardinalis Infantis Hiſpaniarum Granis benedictis, recolligendas, ne populus decipiatur.

Die 13. *Iulij* 1644. dictum fuit, Indulgentias, vt aſſeritur, conceſſas recitantibus orationem inuentam in ſepulcro Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quæ incipit *Vergine Maria*, eſſe apocryphas.

Die 7. *Iunij* 1645. reſcriptum fuit Inquiſitori Venetiarum, aſſertas Indulgentias conceſſas illis, qui faciunt celebrare quinque Miſſas in honorem Beatæ Virginis eſſe apocryphas.

Fuit pariter reſolutum *ſub die* 8. *Auguſti* 1646. Indulgentias conceſſas à Gregorio Decimoquinto, vt aſſerebatur, ad inſtantiam Patriarchæ Venetiarum eſſe apocryphas.

Et die 26. *Septembris* 1646. fuit reſcriptum Epiſcopo Sorano Miniſtro Supremæ Neapoli reſidenti, Indulgentias, quæ aſſerebantur conceſſæ Roſario Comiti de Lemos eſſe falſas, & ideo procederet contra falſarios.

Die verò 21. *Martij* 1647. eidem Epiſcopo Sorano fuit ſcriptum, vt publicet, & affigat Edicta per loca ſolita Ciuitatis Neapolis, vt omnibus innoteſcat, Indulgentias, quæ diuulgabantur conceſſæ à ſanctæ mem. Innocentio Decimo, Roſario Marchionis delos Veles eſſe falſas, & in id obliget Retinentes Cruces, Grana, Medaleas, Imagines, vel quid ſimile, quod tetigerit Roſarium prædictum ſub ſpe conſequendi Indulgentias prædictas.

Idemque ſcriptum Inquiſitoribus Siciliæ, & Archiepiſcopo Panormi; Eò quia per Ciuitatem Panormitanam, dum Marchio, qui tunc erat Siciliæ Pro-rex, geſtabat prædictum Roſarium, ad eum omnes confluebant, vt tangerent aliqua medalea; Etenim Summus Pontifex Innocentius Decimus aſſeruit, nunquam conceſſiſſe dicto Roſario eas Indulgentias, quæ diuulgabantur; Nam dicebatur conceſſiſſe omnes Indulgentias, quas Sanctus Petrus, & alij eius ſucceſſores Pontifices olim conceſſerant.

Et *eodem anno* 1647. *die* 8. *Maij* reſcriptum fuit eidem Epiſcopo Sorano, Indulgentias, quæ præſumuntur conceſſæ Patribus Benedictinis à ſanctæ mem. Vrbano Octauo ad inſtantiam Cardinalis Infantis Hiſpaniarum, eſſe apocryphas.

Item *die* 3. *Iulij* 1647. reſcriptum fuit eidem Epiſcopo Sorano, falſas eſſe Indulgentias, quæ aſſeruntur conceſſæ Granis benedictis ad inſtantiam D. Annæ Barberinæ ab Vrbano Octauo.

Et *die* 29. *Martij* 1661. Eminentiſſimi mandarunt Inquiſitori Parmæ reſcribi, Indulgentias, quæ aſſeruntur conceſſæ Viſitantibus in Quadrageſima Eccleſias Ordinis Sancti Franciſci; Necnon geſtantibus cordulam vulgò *Cordone di S. Franceſco*, eſſe apocryphas, & nullius auctoritatis.

Rurſus *die* 18. *Octobri* 1651. Decretum, vt reſcribatur Inquiſitori Cremonæ, Indulgentias, quæ aſſeruntur conceſſæ, ſanctę mem. Papa Vrbano Octauo ad inſtantiam Sereniſſimæ Infantæ Margaritæ à Cruce, eſſe falſas.

Sed quia ab eodem Papa Vrbano Octauo fuit facta reformatio circa Indulgen-
83 tias concedendas à Summis Pontificibus Numiſmatibus, ſiue Medaleis, Coronis, Roſarijs, Imaginibus, quarum aliæ vocantur ordinariæ, aliæ verò extraordinariæ: Amplius à Sede Apoſtolica non conceduntur Indulgentiæ vltra formam præſcriptam, quæ formulæ, quamuis non poſſent ex Decreto Vrbani imprimi, tamen de mandato Alexandri Septimi fuerunt impreſſæ.

Formola dell' Indulgenze ordinarie, che ſi danno dalla Santità di Noſtro Signore Papa Aleſſandro Settimo a tutti quelli, che auranno appreſſo di sè alcuna delle Corone, Roſari, Medaglie, o Croci benedette, purche le dette Medaglie ſiano di Noſtro Signore Gieſù Criſto, ouero della Madonna Santiſſima, o di qualche Santo, & adempiranno le coſe infraſcritte: Oſſeruando la dichiaratione, e Decreto fatto da ſua Santità ſotto li 6. Febraio 1657.

CHi ſarà ſolito dir la Corona del Signore, ò della Beatiſſima ſempre Vergine Madre di Dio, o il ſuo Roſario, o almeno la terza parte di eſſo, e confeſſarà i ſuoi peccati a Confeſſore approuato dall' Ordinario, e riceuerà la ſagra Encariſtia, o eſſendo Sacerdote dirà la Meſſa, conſeguiſca Indulgenza plenaria vna volta per ciaſcun' anno nella ſolennità di Noſtro Signore, o della Beata Vergine a ſuo arbitrio.

Chi ne' giorni feſtiui della Natiuità del Saluadore Noſtro Gieſù Chriſto, Pentecoſte, o ſimilmente chi nella feſta dell' Annunziata, ouero Aſſunta della medeſima Beatiſſima ſempre Vergine Maria, o della Natiuità di S. Gio: Battiſta, o de' Santi Apoſtoli Pietro, e Paolo, o di tutt'i Santi, o della Dedicatione, o uero del Santo Padrone, o Titolare della propria Chieſa, dirà, come ſopra, la Corona, o il Roſario, o

almeno la terza parte d'esso, e confesserà a Sacerdote, come si è detto approuato, i suoi peccati e riceuerà diuotamente la Sagra Eucaristia, e se potrà commodamente, interuerrà alla Messa solenne, o sia Conuentuale, o essendo Sacerdote dirà, ancorche priuatamente, la Messa, e diuotamente pregherà Iddio per l'estirpazione dell'eresie, e scisme, e per la propagazione della Fede Cattolica, e per altre necessità della santa Madre Chiesa, consequisca l'Indulgenza di dieci anni, & altrettante quarantene delle penitenze imposte, & in qualsiuoglia altro modo douute.

Chi nell' altre feste del medemo Signor Nostro, e della Beata Vergine adempirà le cose sopradette, sette anni, & altrettante quarantene.

Chi nelle Domeniche, & altri giorni festiui farà le medesime cose cinque anni, & altrettante quarantene.

E chi negl' altri giorni dell'anno farà le cose istesse, & interuerrà alla Messa almeno bassa, o essendo Sacerdote la dirà, cento giorni d'Indulgenza parimente conseguisca.

Chi nella prima Domenica di Quadragesima per ben celebrare il digiuno Quadragesimale si confessarà a Sacerdote approuato dall' Ordinario, e riceuerà la santissima Eucaristia, ouero, essendo Sacerdote, dirà Messa pregando per la santa Chiesa Cattolica Romana, e per la pace fra' Prencipi Christiani, conseguisca Indulgenza plenaria.

Chi auanti il celebrar la Messa, o al riceuere la Santissima Eucaristia, o al recitare l'Offizio del Signore, o della Beatissima Vergine con diuozione farà orazione preparatoria, conseguisca l'Indulgenza di ducento giorni.

Chi sarà solito di recitare la Corona, o la terza parte del Rosario diuotamente, & orare com' è detto di sopra, e starà presente alla Predica, o sentirà, o, essendo Sacerdote, dirà Messa ne' giorni, che non sono di precetto, acquisti Indulgenza di cinquanta giorni in quel giorno.

Chi sarà consueto di recitare la Corona, o Rosario, e recitarà l'Offizio della Beata sempre Vergine Maria, o l'Offizio de' Morti, con i Vespri, & vn Notturno almeno, e le Laudi, ouero i sette Salmi Penitenziali con le Litanie, e Preci seguenti, oltre l'Indulgenze altre volte concesse dalla santa memoria di Papa Pio Quinto guadagni ancor quel giorno cento giorni d'Indulgenza.

Chi ancora veramente pentito de' suoi peccati, & auendo proposito d'emendazione in futuro, farà l'esame della coscienza, e tre volte dirà il Pater noster, & altrettante l'Aue Maria, guadagni quel dì cinquanta giorni d'Indulgenza.

Chi ancora dirà tre volte diuotamente il Pater noster, e tre volte l'Aue Maria in onore della Santissima, & indiuidua Trinità, acquisti quel dì cinquanta giorni d'Indulgenza.

E chi per riuerenza delle cinque Piaghe del Saluador nostro Giesù Christo Crocifisso dirà piamente cinque volte il Pater noster, e cinque volte l'Aue Maria, guadagni parimente quel dì cinquanta giorni d'Indulgenza.

Chiunque farà pietosamente oratione per i fedeli, che sono in transito di morte, e dirà almeno vna volta il Pater noster, & vna volta l'Aue Maria, guadagni similmente per quel dì Indulgenza di cinquanta giorni.

Chi visitarà gl'Infermi nell'Ospidali, ouero Carcerati, aiutandoli con qualche opera pia, conseguisca ducento giorni d'Indulgenza.

Chi insegnarà la Dottrina Cristiana nelle Chiese, ouero nelle proprie case, a' proprij figliuoli, fratelli, sorelle, o seruidori, guadagnarà cento giorni d'Indulgenza.

Colui ancora, che costituito in articolo di morte, veramente pentito, e potendo, confessato, e communicato, o non potendo, almeno contrito inuocarà diuotamente il santissimo nome di Giesù colla bocca, o col cuore, conseguisca l'Indulgenza plenaria di tutt'i suoi peccati.

Chi aurà vn Crocefisso, Croce, ò altra sagra Imagine benedetta in camera, o in altro luogo decente della casa doue starà, & adempirà le cose sudette, facendo però l'orazioni da farsi inanzi a detto Crocifisso, Croce, o altra Imagine, conseguisca le medesime Indulgenze.

Le sopradutte Indulgenze si possono applicare all'Anime de' fedeli Defonti per modo di suffragio.

Dat. in Roma appresso Santa Maria Maggiore il dì 8. di Febraio 1657. l'anno secondo del suo Pontificato.

G. Gualterius.

Formula extraordinariarum Indulgentiarum pro vtriusque sexus Christifidelibus, qui penès se habuerint domi priuatim aliquam Coronam, Rosarium, paruam Crucem, vel Imaginem benedictam, quæ sit Domini Nostri Iesu Christi, aut Beatæ Virginis Mariæ, vel Sanctorum, iuxta formam Decreti à sanctæ mem. Alexandro Papa Septimo sub die 6. *Februarij* 1657. *quibus vltra Indulgentias ordinarias idem Summus Pontifex concedit, vt infra.*

84 Vt quicunque semel saltem in vnaquaque hebdomada, aut Officium Diuinum ordinarium, aut Beatissimæ Virginis, aut Defunctorum, aut septem Psalmos pœnitentiales, aut graduales, aut Coronam Domini, aut Beatissimæ Virginis, aut tertiam partem Rosarij recitare, aut Doctrinam Christianam docere, aut infirmos alicuius Hospitalis, vel detentos in carcere visitare, aut pauperibus Christi subuenire consueuerit, & verè pœnitens, & confessus Sacerdoti ab Ordinario approbato sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit in aliquo ex diebus infrascriptis, nempe Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, Annunciationis B. Mariæ Virginis, Pentecostes, Natiuitatis Sancti Io. Baptistæ, Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis

Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Dedicationis propriæ Ecclesiæ, Patroni, vel tituli Ecclesiæ, atque eo die pias ad Deum preces effuderit pro hæresum, ac schismatum extirpatione, pro fidei Catholicæ propagatione, Christianorum Principum concordia, atque alijs Sanctæ Romanæ Ecclesiæ necessitatibus in singulis diebus eiusmodi plenariam omnium suorum peccatorum consequatur Indulgentiam.

Vt quisquis verè pœnitens, ac si potuerit, vt supra confessus, ac sacra Communione refectus, alioquin saltem contritus in mortis articulo nomen Iesu, ore, si potuerit, sin minus corde deuotè inuocauerit, similiter plenariam Indulgentiam consequatur.

Vt suprascriptæ omnes Indulgentiæ applicari possint fidelibus Defunctis per modum suffragij.

Indulgentiarum huius formulæ extraordinariæ Sanctissimus prohibet omnimodam impressionem in omnibus locis præterquam in Vrbe.

G. Gualterius.

Quia autem per huiusmodi formulas non fuerunt reuocatæ Indulgentiæ con-
85 cessæ numismatibus, &c. à sanctæ mem. Gregorio Decimoquinto occasione Canonizationis quinque Sanctorum, nempe Ignatij Loiolæ, Francisci Xauerij è Societate Iesu, Isidori Agricolæ, Philippi Nerij, & Theresiæ; Nam cum omnes medaleas sic benedictas non haberent, irrepserat abusus in quadam Ecclesia, vt appenderetur vna ex dictis medaleis in loco Communionis, ad quem recurrebant fideles pro consequenda Indulgentia manu eam tangentes magno quandoque tumultu, ideo Summus Pontifex Alexander Papa Septimus hunc abusum tolli mandauit, vetuitque, ne in futurum exerceretur, & substulit etiam licentiam, siue facultatem substituendi loco vnius medaleæ benedictæ deperditæ aliam, neuè mutuo daretur ad effectum consequendi Indulgentias prædictas, vt ex infrascripto Decreto:

DECLARATIO.

Decretum Sanctissimi D. Nostri Alexandri Papæ Septimi super Indulgentijs, quæ tam à Sanctitate Sua, quàm ab eius Prædecessoribus, Coronis, Rosarijs, Granis, Calculis, Crucibus, Numismatibus, Medaleis *vulgò nuncupatis, & sacris Imaginibus benedictis hactenus concessæ sunt, & imposterum à Sanctitate Sua concedentur.*

86 *Sanctissimus D. Noster Alexander Papa Septimus declarat, & decreuit, quod quæcunque Coronæ, Rosaria, Grana, Calculi, Cruces, Numismata,* Medaleæ *vulgò nuncupata, & sacræ Imagines, siue sint Sancti Caroli Borromæi, siue quinque Sanctorum, à fel. record. Gregorio Decimoquinto Pontifice Maximo in Sanctorum numerum relatorum, siue quæcunque aliæ cum Indulgentijs antea à Romanis Pontificibus Sanctitatis Suæ Prædecessoribus benedictæ, & concessæ, quæ quidem in hunc vsque diem distributæ sunt, non transeant personam illorum, qui eas de præsenti obtinent, neque commodari, aut precario dari possint, & quæ à Sanctitate Sua concessæ sunt, vel imposterum concedentur, non transeant similiter personam illorum, quibus ab eodem Sanctissimo concessæ fuerint, vel quibus à prædictis de ordine eiusdem Sanctissimi prima vice fuerint distributæ, itaut à nemine alijs commodatò, vel precariò concedi possint, alioquin careant Indulgentijs concessis.*

Et quantum attinet ad Coronas, Rosaria, Grana, seu Calculos, Cruces, Numismata Medaleas *nuncupata, & sacras Imagines cum Indulgentijs ab ijsdem Sanctitatis Suæ Prædecessoribus benedictas, & concessas, quæ vsque in hodiernum diem effectum sortita non sunt, idest nulli hactenus distributa sunt, nemini vti benedictæ deinceps distribui possint; quod si de facto distribuantur, careant Indulgentijs iam concessis.*

Ac aliqua re ex præmissis, vt præfertur, benedicta, deperdita, altera pro ea subrogari nullo modo possit, quacunque concessione in contrarium non obstante, etiamsi de ea specialis, & expressa mentio facienda esset, cui per præsentes Sanctitas Sua derogauit, & derogatum esse voluit. Datum Romæ die 6. Februarij 1657. Pontificatus eiusdem Sanctissimi D. Nostri anno secundo.

G. Gualterius.

Sed cum Hæretici moderni blaterent contra Indulgentias, asserentes esse nouum
87 inuentum, Ecclesiæ fraudes, & falsa præmia ad aliquid persuadendum proposita, sicut cum mater prouocat filiolum ad ambulandum promisso pomo, quod nequit tribuere; Videndi sunt super earum antiquitate, Suarez *in 3. par. to. 4. disp. 49. sect. 2.* Bellarm. *lib. 1. de Indulgent. cap. 3.* Henriquez *lib. 7. cap. 3.* Layman. *tract. 7. cap. 2.* Macedo *de Clauì Sacram. lib. 4. cap. 3.* Scortia *ad selectas Theoremat. 48.* eruditissimus D. meus Cardinalis Pallauicinus *in Historia Concilij lib. 2. cap. 5.*

Hæ autem falsæ Indulgentiæ solent, vt plurimùm publicari à pessimis Quæstua-
88 rijs, qui vt quæstum faciant, aliud non curant, ostendendo etiam Reliquias falsas; Et vt aiunt Hostiens. & Ioannes Andreas *in cap. 2. de Reliquijs, & veneration. Sanctorum,* ostendent Costam peccatoris hominis, vel asini, & ponunt oleum in oculo suo mariolæ, vt videatur flere, & sic imago, quæ facta erat in honorem Dominæ nostræ, vertitur in eius contumeliam, vt dicit Bertrand. *consf. 285. vol. 3. par. 2. nu. 6.* Ideo contra huiusmodi pessimos homines solet Sanctum Officium procedere, ex

Bulla Vrbani Quarti edita *de anno* 1261. quæ licèt mandet, quod Inquisitores procedere possint contra Quæstuantes solummodo prædicantes, fuit tamen extensa per plura Decreta Sacræ Congregationis, ad quæstuantes disseminantes falsas Reliquias, & Indulgentias: Quorum audacia in tantam excreuit insolentiam, vt in Statuto Cerreti *in rubr. de Quæsta, & Baliza* dictum fuerit.

Quod omnes contractus super Quæsta tam emptionis, & venditionis, & locationis habeant suum effectum, & teneatur Potestas pro tempore reddere ius super dictis contractibus, non obstante quacunque Constitutione canonica in contrarium.

Et in alio Capitulo: *Quod homines de Cerreto dum vadunt ad quæstuandum, possint vti habitu Religiosorum.*

Et in alio Capitulo *lib.* 2. *num.* 29. habetur: *Statuimus, & ordinamus, che auendo lite, occasione quæstæ, siue Balizæ conductæ ab aliquo Abbate, seu Præceptore cuiuscunque Ordinis, vel occasione de' frutti, ed entrate, compre, o condotte, o altrimente concesse da qualche Abbate, o Priore, non si termini per via di Giudicio, ma si commetta a due, o tre Homini buoni, e reali di Cerreto, o distretto, e quel, che gli Arbitratori diranno, sia valido, e s'osserui: Non obstante aliquo alio Statuto, vel lege canonica, vel ciuili, vel consuetudine in contrarium loquente.*

Et *num.* 30. statuitur, quod inter istos liceat vendere, & locare fructus, redditus, & prouentus, seu quæsta, vel Balicias Ecclesiarum, vel Hospitalium, & de prædictis possint inter se contrahentes facere instrumentum venditionis, & locationis, cum declaratione pretij limitati, qui contractus sit validus, & non admittat exceptiones, nisi falsitatis, vel pacti de non petendo; Quæ exceptiones releuent, dummodo probentur intra decem dies lege canonica, vel ciuili in contrarium loquente non obstante.

Sed horum temeritas fuit à Paulo Quinto Summo Pontifice punita. Iussit enim
89 Sanctitas Sua, vt Consules Cerreti carcerarentur, qui ducti Romam fuerunt grauiter obiurgati: Iniunctum illis fuit, vt prædicta Statuta delerent, & lacerarent in ea parte, in qua loquebantur de Biga, seu quæsta: Publicetur annullatio, & laceratio, colligantur exemplaria, si quæ sint, & renouetur prohibitio quæstuandi, ex Decreto *die* 29. *Septembris* 1616.

Et conuictos de huiusmodi falsitatis acriter punire etiam pœna triremium,
90 vt pluries euenit meo tempore, præsertim quando tractatur de Quæstuantibus nonnullorum Castrorum Diœcesis Spoletanæ, quibus inhibitum fuit sub eadem pœna triremium, ne exeant ab eorum Patria absque licentia Ordinarij, de quibus infra;

Editto contro li Questuanti.

Lorenzo Castrucci, &c. Vescouo di Spoleto, &c.

91 *PER estirpar' il sozzo mestiere della Questa, o Biga tanto radicata negli abitatori di alcuni luoghi di questa nostra Diocesi come contrario alli sagri Canoni, e Concilij, e specialmente al sagro Concilio di Trento, in esecuzione della santa mente di nostro Signore significataci per lettera dell'Eminentissimo Sig. Cardinal Barberino* sotto li due del presente mese di Luglio 1639. *col presente pubblico Editto da leggersi, e pubblicarsi da' Curati, e loro Cappellani degl' infrascritti luoghi, in giorni festiui* inter Missarum solemnia, *presente il Popolo, con dichiarazione, che tal dichiarazione basterà fare vna sol volta per ciascheduno degl'infrascritti luoghi, e si crederà alla relazione, che ne faranno i Curati, e Cappellani loro, ed astringerà ciascheduno degli detti luoghi, come se le fosse personalmente intimato, e però quelli, che non vbbidiranno, si auranno per veri contumaci.*

Confermiamo in principio, e renouiamo tutti gl'Ordini, Bandi, Costituzioni Sinodali, ed Editti altre volte fatti da' nostri Antecessori, ed in particolare da Monsig. Pietro Orsini sotto i 18. di Aprile 1584. *da Monsig. San-vitale* sotto i 14. Agosto 1596. *dal Vicario Apostolico* i 10. Settembre 1600. *dal Sig. Cardinal Visconti*, sotto i 15. Ottobre 1602. *dal Sig. Cardinal Barberino hoggi nostro Signore Papa Vrbano Ottauo* sotto i 20. Febraio 1609. *& in altri tempi da' Vicari Generali, ed vltimamente da Noi ancora rinnouati, e fatti pubblicare, e vogliamo, che tutti restino nel loro vigore, come se fossero ora pubblicati, e si possa per vigore di quelli procedere contro qualunque aurà per lo passato trasgredito.*

E se bene le dette prouisioni douerebbono bastare per ritirare da sì infame esercizio detti Biganti, e Questori; Vedendosi nondimeno la loro ostinazione, che non ostante tanti Ordini, e Costituzioni, Bandi, ed Editti, quasi in dispreggio di essi, con diuerse fraudi, e fallacie sotto specie di far'arte diuersa, vogliono coprire i loro inganni, e delitti.

Per lo presente Editto si proibisce non solo ogni sorte di Biga, ò falsa Questa detestata da sagri Canoni, e Concilij, come sopra, ma qualsiuoglia semplice Questura, o Collettura d'elemosine concessa da qualsiuoglia luogo Pio etiam priuilegiato, o da' Vescoui, ed altri Prelati, falnoche dalla Santa Sede Apostolica, sotto le pene contenute nel presente, ed altri Editti nominati.

E perche tali proibizioni sarebbero frustatorie, si non si trouasse modo di farle osseruare; Pertanto ordiniamo, e comandiamo, che dopo la pubbli-

la pubblicazione del presente Editto da farsi, come sopra, non sia lecito a qualsisia persona di qualsisia stato, grado, e condizione, ancorche Religioso, tanto Regolare, quanto secolare, dar'aiuto a' detti Biganti, o Questori sotto le pene contenute ne' sagri Canoni, Concili, e nel presente, e sopradetti Bandi, ma ne meno sia permesso ad alcuna persona degl'infrascritti luoghi partir dalle lor Patrie, e Diocesi di Spoleto per più tempo di quindici giorni senza nostra licenza, o del nostro Vicario Generale in scriptis, sotto pena, a chi contrauerrà, della confiscazione di tutt'i beni, come acquistati da illecita questura, d'applicarsi a poueri, ed a luoghi pij, e della galera per dieci anni.

Ed acciocchè si possa sapere quelli, che sono in Paese, comandiamo alli Vicari, e Massari de gl'infrascritti luoghi, che debbano in termine di quindici giorni prossimi auuenire, dopo la pubblicazione del presente Bando, dar nota intiera di tutti gli uomini, che si trouano in Paese, e separatamente di tutti gli assenti, in mano de' loro Curati, o Cappellani, sotto pena, in caso che non diano la nota fedele degli uomini presenti, ed assenti, di scudi ducento per ciascheduno, da applicarsi, come sopra; E detti Curati, o Cappellani debbano in termine di due giorni, dopo la consegna da farsi loro da i detti Vicari, e Massari, mandar la detta nota a Noi, o al nostro Vicario Generale, sotto pena di carcere per sei mesi.

Vogliamo ancora, che detti Vicari, e Massari sieno tenuti a dar nota fedele a i propri Curati, o Cappellani in termine come di sopra, ogni volta che da Noi, o dal nostro Vicario Generale ne saranno ricercati, e da' detti Curati, o Cappellani, sotto le pene come di sopra.

Dichiarando, che quelli, che in tempo della pubblicazione del presente Bando saranno fuori, e non torneranno in termine di vn mese, come anco quelli, che partiranno dopo detta pubblicazione senza licenza per più di quindeci giorni, come sopra, s'intendano incorsi nelle pene sodette della confiscazione di tutt'i beni, e della galera, come sopra s'è detto, ancorche non fossero conuinti di auer questuato, od esercitata la Biga, bastando solo, che abbiano contrauenuto col partire senza licenza.

Volendo di più, che quelli degl'infrascritti luoghi, i quali saranno citati, ouero precettati a comparire in questa Corte, e non compariranno nel termine, che se gli assegnarà nella citazione, o precetto, si possano senz'altro precetto condannare nelle sodette pene della confiscazione de' beni, e galera, come veri Rei conuinti di Biga, e si procederà irremissibilmente all'esecuzione delle sodette pene, non solo contro coloro, che effettiuamente saranno ritrouati colpeuoli nella Biga, ma contro quelli, che si partiranno da i luoghi specificati in questo Bando senza licenza, come di sopra per più di quindici giorni: E ne' sopradetti casi si procederà per querela, denunzia ex Officio, & in ogn'altro miglior modo.

Luoghi da comprendersi in detto Bando.

92 Sant'Anatolia.
Castel San-felice.
Mognano.
Pier paterno.
Triponso, e Ville annesse.
Campello.
Camorro.
Paterno.
Rocchetta.
Agliano.
Cerreto, e suo Territorio.
Acerra.
Geppe.
Spina.
Ponte.
Grotte.

93 Sed quia dubitatum fuit, an Edictum expirasset per mortem Episcopi Castruccij, fuit de ordine sanctæ mem. Alexandri Septimi iniunctum Eminentissimo Facchinetto Episcopo Spoletano, vt de ordine, & mandato Sanctitatis Suæ, & Sacræ Congregationis Edictum renouaret, vt ex Decreto *sub die* 6. *Februarij* 1658. additis locis.

Montis Ferelli.
Casciæ, cum suo Territorio.
Abbatiæ Fereutilli.

Sicuti fuit publicatum à Sua Eminentia *sub die* 20. *Martij* 1658. & alijs successiuis diebus.

94 Quæstorum autem vsus olim frequens erat, atque etiam eorum prædicandi officium, vt habetur in Textu *in cap. Quarum de priuilegijs*, §. *Verum*.

Sed quia facultate sibi concessa Quæstores isti abutebantur; In Generali Con-
95 cilio Lateranensi sub Innocentio Tertio statutum fuit, eos admittendos non esse, nisi Apostolicas, vel Diœcesani Episcopi veras litteras exhibeant; Et tunc præter id, quod in ipsis litteris continetur, nihil Populo proponere permitterentur.

Monet autem idem Innocentius, vt qui destinantur ad quærendas eleemosy-
96 nas modesti sint, discreti, nec in tabernis, aut in alijs incongruis locis hospitentur, nec inutiles faciant, aut sumptuosas expensas, & omnino caueant, ne falsæ Religionis habitum gestent, vt *in cap. Cum ex eo de pœnitent. & remission.*

Sed quia nec abusus ablati fuerunt, imò in dies augebantur; cum Indulgentias
97 motu suo proprio de facto concedebant, super votis dispensabant, à periurijs, homicidijs, & peccatis absoluebant, aliis malè ablata, inuenta (data sibi aliqua pecuniæ quantitate) remittebant; Tertiam, aut quartam partem de pœnitentijs iniun-

ctis relaxabant; Animas tres, vel plures parentum, vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferrent, de Purgatorio, vt asserebant mendaciter extrahebant ad gaudia Paradisi perducendo; Benefactoribus locorum, quorum Quæstores existebant, remissionem plenariam peccatorum indulgebant, & aliqui ex ipsis eos à culpa, & à pœna absoluebant.

Ideo Clemens Quintus in generali Concilio Viennen. huiusmodi abusus abole-
98 uit, reuocando omnia, & singula priuilegia, si quæ super præmissis, vel eorum aliquo, sint aliquibus locis, Ordinibus, vel personis Quæstorum huiusmodi quomodocunque concessa, vt in *Clementina 2. Abusionibus de pœnitent. & remission.*

Successiuis verò temporibus, cum nec abusus cessarent; In sacro Concilio Tri-
99 dentino disceptatum fuit inter Patres: *An Quæstores omnino tollendi essent*: Circa quod Eminentissimus Cardinalis Pallauicinus sic ait *lib. 17. cap. 10. sua nobilissima Historia num. 12.*

L'vltima discussione fù sopra gli abusi di coloro, i quali aueuano per professione di andar pubblicando Indulgenze, od altre grazie spirituali della Sede Apostolica, e di raccorre da' Popoli le limosine a prò della fabbrica di San Pietro, e di varie Chiese, ed altre opere pie. Contro vna tal qualità di persone molti Padri accesamente gridaronno; Essi auer data occasione all'eresia di Lutero; Essere innumerabili le loro frandi, e le sottili inuenzioni, colle quali smungeuano di pecunia la diuota semplicità della Plebe:

Douersi dunque affatto sopprimere vna professione, che toglieua il credito alla pietà, mentre la corrompeua in ribalderia; Ma non mancauano Contradittori a questa sentenza: Diceuano, che non per esserui misto il loglio, si vuol diradicare il frumento, ma purgarlo dalla mistura: Coll'opera de' Cercatori prouedersi a molti Spedali, & ad altri luoghi pij, e sollevarsi le coscienze di assaissimi vomini, a' quali troppo sarebbe graue il venire a prendere l'assoluzione dal Papa; Ne' Concilij di Laterano, di Vienna, e di Lione essersi conosciuti i disordini, ma riparatoui con raffrenare, non estinguere l'esercizio.

Proposero i Prelati per via di mezzo, che a Cercatori si vietasse di promulgar Indulgenze, raccorre limosine, o far'altra funzione senza compagnia dell'Ordinario, o di persona, ch'egli loro deputasse, e che a tali Aggiunti fosse interdetta qualunque partecipazione di guadagno: Ma non di ciò rimaneuano contenti gli Auuersi a quella deprauatissima professione, anzi diceuano, che vn tal Decreto ne auerebbe accresciuto il numero, non corretta la fraudolenza: L'esempio de' tre ricordati Concili ben prouar nella Chiesa la volontà, ma insieme l'impossibilità d'emendare sì cattiua generazione.

Mentre di ciò si deliberaua, giunse l'Arciuescouo di Lanciano, e recò lettere, doue il Papa significaua a' Legati vna simil sua intenzione di torre affatto quell'infamato mestiere, onde quei, che tanto, o quanto lo sosteneuano, mutaron parere, o conformandosi al giudicio del Pontefice, o perche nel difenderlo aueuano principalmente mirato a difendere in esso i diritti, e le vtilità del Pontefice; Sicche con vniuersal applauso ne fù stabilito il Decreto; trasferendo le facoltà di pubblicare a tempi debiti le Indulgenze, e le altre grazie spirituali nell' Ordinario, e in due del Capitolo, i quali anco raccogliessero fedelmente le limosine, e gli offerti sussidij di carità, senza veruna mercede; affinche tutti intendessero questi tesori della Chiesa maneggiarsi per affetto di pietà, e non di guadagno.

In questo modo conuien talora leuar' vn bene, quand' egli con diuenir fondamento del male, riesce peggiore, che se di natura suasosse male.
Hactenus eruditissimus Pallauicinus.

In sessione ergo 21. *cap. 9. de reformatione* dictum fuit.

100 *Cum multa à diuersis antea Concilijs tam Lateranensi, ac Lugdunensi, quàm Viennensi aduersus prauos eleemosynarum Quæstorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ità quotidie magno Fidelium omnium scandalo, & querela excrescere deprehendatur, vt de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur, statuit, vt post hac, in quibuscunque Christiana Religionis locis eorum nomen, atque vsus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum vllatenus admittantur, non obstantibus priuilegijs, Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & quibusuis cuiuscunque gradus, status, & dignitatis personis, concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.*

Indulgentias verò, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi-fideles decet priuari, deinceps per Ordinarios locorum adhibitis duobus de Capitulo debitis temporibus Populo publicandas esse decernit.

Quibus etiam eleemosynas, atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur, vt tandem cælestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes verè intelligant.

Sed quia vitia erunt, donec homines ex tam salubri Decreto abusus sublati non sunt.

101 Nam cum ad Sedem Apostolicam recursum habeant Rectores Hospitalium, ac aliorum locorum piorum, qui nonnisi ex eleemosynis substentari queant, licentias quæstuandi ab ea impetrant, quæ facultates, & licentiæ licet restrictæ sint ad infrascriptam formulam:

Has eleemosynas, quæ in tua Diœcesi pro vsu dicti Hospitalis dabuntur, permittas, dummodò personæ, quæ colligent eas, honestæ vitæ, & spectatæ Religionis, & tuo iudicio approbatæ sint, minimeque participes dictarum eleemosynarum, & quæstorum nomen nullo modo gerant, sed simpliciter eleemosynarum Collectores nuncupentur, quique non publicent vllas Indulgentias, nec concionentur, nec circumferant Priuilegia, nec Reliquias, nec minus, aut imprecationibus inducant fideles ad eleemosynam, nec campanellam, aliaque instrumenta similia, nec quæstorum insignia ferant, pulsentur ad excitandas personas; non petant eleemosynam tanquam debitam, aut solitam, nec vlla arte (etiam prætextu dicendi orationes Sancti Antonij, aut alterius Sancti, vel aliter) extorqueant pecuniam, sed simpliciter, permodestè, & cum omni dexteritate petendo eleemosynam pro sustentatione dicti Hospitalis, recipiant tantum quod sibi liberaliter offertur, neque super his eleemosynis vllam conuentionem quouis modo faciant, etiam in vtilitatem dicti Hospitalis. Diligenter autem curabit amplitudo tua, vt hæc omnia ritè obseruentur, & ad id diligenter animaduertat, imò, quo etiam Sanctitas Sua conscientiam tuam granari voluit, aduigilabit, vt quicquid dictarum eleemosynarum nomine fuerit collectum, id totum in vsum tantum ipsius Hospitalis, & non in alium conuertatur.

Quam formulam habes penès Barbosam *ad dictum cap.9. Concilij num.2.*& summatim *in summa Apostolicarum Decisionum, ver. Eleemosyna, collect.* 279. & apud Fagnanum *in d. cap. Cum ex eo, nu.21.& 22. de Pœnitent. & Remission.* & Lauorium *de Indulgentijs, cap.13. num.20.*

102 Nihilominus Questores eas, vel Ordinariorum incuria, vel Quæstorum prædictorum malitia non adimplent conditiones in Decreto contentas, sed publicant falsas Indulgentias, asserunt habere facultatem dispensandi in votis, & irregularitatibus, & sceleſtiſſimi inuenti sunt, qui simplicibus mulieribus suadebant, si quæ earum commercium carnale cum illis habuissent, nec peccatum contrahere, nec opus esse, vt de ipso confiterentur; qui tamen à Suprema, &c. fuerunt damnati ad triremes in perpetuum.

103 Pessimi autem isti homines sunt ex Oppido Cerreti, Ieppæ, Sanctæ Anatoliæ, Sancti Felicis, Criptarum, Campelli, Camorri, Agliani, Rocchettæ, Spinæ, Acerræ, Tripuntij, Paterni, Pedis Paterni, Moggiani, & aliorum Diœcesis Spoletanæ, quibus per speciale Edictum, *vt dixi*, inhibitum fuit, ne ad questuandum se conferrent, imò nec à Patria discederent absque licentia Ordinarij sub pœna triremium.

His tamen non obstantibus sub ficto nomine, mentiendo etiam patriam pro nonnullis Confraternitatibus quæstuationem faciunt, super quo debent inuigilare Ordinarii, & illis in propria Diœcesi quęstuationem non permittere, etiam quod monitoria Auditoris Cameræ, & litteras Eminentissimorum Protectorum ostendant.

104 Et propterea non obstante quacumque exemptione poterit Ordinarius eos incarcerare, excommunicare, & castigare, prout expedire sibi videbitur, Cocchier. *de Iurisdictione in exemptos, par.2. quæst.45. num.46.* Sperell. *decis.38. num.29. cum seqq.* Barbosa *allegat.* 109. *num.4. in fine.*

105 Ad coercendam etiam horum nequissimorum audaciam, facta fuerunt varia Decreta à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negociis præposita, de quibus per Nicol. *in suis flosculis, ver. Quæstorum.*

Et primò. Non debere Ordinarios permittere, vt Quæstuantes imprimant eorum licentias: Nec eos facilè admittere, licèt ostendant licentias impressas; super quo aduertendum est, sæpè sæpius ostendere licentias, & Indulgentias Romæ impressas, quæ tamen alijs in locis impressæ sunt.

Confraternitatibus, & alijs pijs locis, quæ actu hospitalitatem non exercent, non est danda licentia quæstuandi.

Sed si data sit licentia, & nihilominus Quæstor circa id excessus, & falsitates committat, debet carcerari ab Ordinario, eiusque pecuniæ, scripturæ, resque aliæ sequestrari.

106 Si Quæstor sub ficto nomine quæsturam exerceat, & vtatur licentia aliis concessa, conuertatque pecunias in vsum proprium, damnari debet ad triremes per quinquennium, applicari debent eleemosynæ ab eo collectæ alicui Monasterio pauperi eius Ciuitatis, nisi possint assignari loco pio, pro quo sunt collectæ.

107 Quandoque etiam quassantur tribus ictibus funis publicè, mulctantur exilio à Ciuitate, & Diœcesi, vbi quæstuatio est facta sub pœna triremium in casu contrauentionis.

108 Nec debent admitti Questuantes cum licentia concessa à Principibus, vel Magistratibus secularibus, quia ad eos non spectat illas concedere, sed ad Summum Pontificem, vel ad Episcopum, *vt in Clementin. Abusionibus, de Pœnitent. & Remission.* & ità declarauit Sacra Congregatio Concilij *super cap.9. sess.21. de reform.*

109 Et propterea improbanda est ordinatio Lusitana, qua cauetur, ne quis possit eleemosynas quærere sine licentia Regia, vt per *Ordination.* 103. *lib.*5. quam tamen

laudat Barbosa *d. allegat.* 109. *num.* 13. de qua etiam per Cardos. *in praxi Iudicum*, *ver. Eleemosyna*, *num.* 2. & Cabedo *decisione* 193. *par.* 1. vbi dicit, fuisse carceratos à Regijs Quæstores, qui cum licentia Cardinalis Henrici Legati Apostolici quęstuabant, sed visa licentia relaxatos, quamuis eleemosynæ collectæ, fuerint applicatę Redemptioni captiuorum, Emanuel Barbosa *ad d. Ordin.* 103.

110 Et in Hispania per Diploma Alexandri Sexti, data fuit facultas Ordinario loci, in quo publicabuntur litteræ à Quæstoribus, Nuncio Sedis Apostolicæ, & Cappellano maiori Regis, vt deputarent personas, quæ exactè inuigilent, an veræ sint litteræ, quibus Quęstores extorquent eleemosynas, quod Diploma est impressum penès Azeuedum *lib.* 3. *tit.* 6. *l.* 37. *noua recopill.* de quo fit mentio à Barbosa *super d. cap.* 9 *sess.* 21. *num.* 2.

111 Malè ergo Lusitani ad eorum ordinationem comprobandam allegant ordinationes Hispanicas, quia illæ fundantur in Priuilegio Apostolico, vt benè Auendan. *de Exequen. man. par.* 2. *pag.* 30. *in princip.* & Azeuedo *loco cit.* Nisi Lusitanam ordinationem defendas ex Bulla Pij Quarti, quam vidisse testatur Cabedo *d. decis.* 193. *in fine*.

112 Quod autem dixit Auendanus *loco cit.* quod possunt Episcopi statuere, vt non mandentur executioni litteræ Apostolicę, nisi præsententur priùs coram ipsis ex Abb. *in d. cap. Cum ex eo*, non est admittendum, obstantibus Bullis Bonifacij Noni, Leonis Decimi, & Clementis Septimi, *in ordine* 39. & Addentes ad Abbatem *dicto cap. Cum ex eo*, dicunt, quod examinatio licentiarum concessarum à Sede Apostolica Quæstuantibus, habet causam honestam, secus verò respectu aliarum litterarum Apostolicarum.

113 Sub eiusmodi tamen Decretis Regulares Mendicantes non includuntur, nec egent licentijs, nisi velint eleemosynas quærere in locis, in quibus non habent Conuentus, Nicolius *loco cit. num.* 1. *vers. Regulares tamen*.

Hoc autem casu debent per se ipsos, non per alios eleemosynas quæritare, & colligere, vt sæpiùs respondit Sacra Congregatio Concilij, teste Fagnano *dicto cap. Cum ex eo, num.* 30. *vers. Quæret Episcopus, &* 32.

114 Quod etiam respondit Sacra Congregatio *de mense Martij* 1653. ad responsionem Memorialis Episcopi Barensis, in hæc verba:

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinales Generalis Inquisitionis decreuerunt, quod non sunt comprehensæ in Decreto contra Quæstuantes, Religiones illæ, quæ mittunt proprios Religiosos ad quæstuandum, dummodò non publicent indulgentias, & obseruent requisita à Sacro Concilio Tridentino.

115 Et propterea *sub die* 19. *Martij eiusdem anni* rescriptum fuit, quod procuraret capturam duorum Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum Quæstuantium, qui publicabant indulgentias contra Ordinem Sacræ Congregationis, & omnino prohiberet Regularibus, ne in actu quæstuationis publicarent indulgentias, præcipuè Trinitarijs, & Mercenarijs, cum eę, quas publicabant, sint reuocatæ.

116 Nec possunt prohiberi ab Ordinarijs, nec ab alijs, quin quærant eleemosynas, & contra sic impedientes possunt Inquisitores procedere, vt voluit Sixtus Quartus in Bulla *Dum attenta*, quæ est *Mare Magnum Carmelitarum*, Pelizar. *de Regularibus, tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 34. *versic. Quin Sixtus Quartus*.

117 Etsi eleemosynas extra Diœcesim colligere voluerint, debent suorum Superiorum licentiam ostendere Ordinario loci, vt respondit Sacra Congregatio Concilij, teste eodem Fagnano *dicto cap. Cum ex eo num.* 33. Barbos. *Summ. Apostolic. Decis. ver. Eleemosyna collect.* 279. *num.* 3. *& allegat.* 109. *num.* 10. vbi per extensum refert resolutionem Sacræ Congregationis.

118 Nec Discalceati Beatæ Mariæ de Mercede impediendi sunt quæstuare pro Redemptione Captiuorum, vt ex Decreto 6. *Octobris* 1645. Nicolius *num.* 6. Nouarius *Lucerna Regularium, ver. Eleemosyna num.* 2. Barbos. *d. Collect.* 279.

119 Nec sub Decreto Concilij Tridentini comprehenduntur receptores eleemosynarum, qui collectas in pios vsus conuertendas sine fraude sponte datas accipiunt, vt resoluit Sacra Congregatio, Zerola *in prax. par.* 2. *ver. Quæstores*, Bonacin. *de Censur. extra Bullam, disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 9. *vers. Tertio*, Barbos. *Summ. Apostolic. decis. collect.* 625. *num.* 4. Concilium enim substulit tantummodo prauos eleemosynarum Quæstores, Barbos. *loco cit.*

120 Et propterea licet Episcopo in sua Diœcesi, atque in aliena de Diœcesani consensu, per personas spectatæ probitatis, & fidei, suoque iudicio delegandas, eleemosynas quærere pro Ecclesijs, Cappellis, & locis pijs suæ Diœcesis, quæ ipse pro sua prudentia, ac Pastorali sollicitudine eiusmodi eleemosynarum præsidio magis indigere videbit, Fagnan. *dicto cap. Cum ex eo, num.* 33. Barbos. *dicta allegat.* 109. *num.* 11.

121 Sciendum est, etiam, Beatum Pium Quintum reuocasse omnes Indulgentias, etiam perpetuas, & gratiarum remissiones quibuscunque concessas, pro quibus

consequendis manus adiutrices porrigendæ sunt, & quæ facultatem quæstuandi quomodolibet continerent, vt ex eius Constitutione *Etsi Dominici, 6. Idus Februarij* 1576. de qua Quaranta *in ver. Indulgentia*, Lauorius *de Iubilæo, & Indulgentijs par. 2. cap. 13. num. 6.* qui post Nauarr. *cons. 17. de Pœnit. & remission.* dicit per huiusmodi *Extrauagant.* esse reuocatas Indulgentias concessas à Leone Decimo, & Clemente Septimo Ecclesiæ Treueren. deuotè illam visitantibus, & aliqua ei subsidia distribuentibus, quia hoc est manus adiutrices concedere porrigenti, & dare facultatem aliquo modo quæstuandi.

122 Animaduertendum est etiam non esse tolerandum abusum locandi eleemosynas, prout Ego vidi fieri Neapoli, vt ex Decreto Sacræ Congregationis Regularium *sub die* 8. *Nouembris* 1616.

123 Licet fuerit concessa licentia ab eadem Sacra Congregatione locandi eleemosynam quartæ piscationis Tonnorum debitam cuidam Cappellæ, *vt in vna Caetana* 13. *Octobris* 1620.

124 Pro huiusmodi tamen licentijs concedendis, nec quid minimum recipi debet à concedente, *vt in vna Pragen. 2. Augusti* 1594. non obstante consuetudine, etiam immemorabili, in contrarium.

125 Adde, quod Sacra Congregatio *sub die 6. Augusti* 1653. decreuit, approbationem Indulgentiarum, & licentiam illas imprimendi spectare ad Ordinarios, sed eosdem Ordinarios teneri communicare tenorem earundem Indulgentiarum imprimendarum Inquisitoribus, vt concorditer videant, an sint veræ, vel falsæ, sed hoc non intelligitur de Indulgentijs plenarijs, quæ conceduntur per Breue Apostolicum alicui Ecclesiæ, vel Cappellæ occasione solemnitatum particularium.

126 Et *die 7. Augusti eiusdem anni* fuit scriptum Nuncio Apostolico Taurini, quod aliàs fuit reuocata facultas concessa Procuratori Sanctæ Mariæ Montis-ferrati, quærendi eleemosynas pro domo dictæ Sanctæ Mariæ Montis-ferrati. Et propterea Quæstuantes colligentes eleemosynas pro dicta Domo carcerer, eisque tollat omnes scripturas, & pecunias per ipsos collectas, certioretque Archiepiscopum, & Inquisitorem Taurini, vt idem faciant.

127 Et 20. *Augusti* 1653. & 25. *Augusti* 1655. dictum fuit, Indulgentias vt præfertur concessas crucibus Carauaccæ esse falsas.

128 *Sub die 2. Septembris* 1654. orationem sub Imagine Sanctæ Annæ posse tolerari, Indulgentias verò esse apocryphas, vel saltem reuocatas.

129 Et quia Fratres Minores Conuentuales publicabant Indulgentias Portiunculæ in forma Iubilæi *sub die* 12. *Septembris* 1657. fuit dictum, quod intimarent Procuratori Generali, quod per Epistolam circularem moneret Guardianos Conuentuum ne imposterum publicarent prædictas Indulgentias sub nomine Iubilæi, sed vti publicantur Romæ.

Pluries etiam diuersis in locis fuit specialibus Edictis prohibitus abusus (qui irrepserat inter Confratres, & Consorores Confraternitatum Mancipiorum Matris Dei, vulgò *delli Schiaui della Madre di Dio*) gestandi brachijs, & collo catenulas quasdam, quibus Beatissimæ Virgini se mancipatos esse profitebantur; sed quia talis abusus potiùs augere, quam decrescere videbatur, fuit à Sacra Congregatione S. Officij vniuersali Edicto interdictus, *prout ex tenore sequentis Decreti:*

DECRETVM.

Feria quarta die 5. Iulij 1673.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Conuentu Sanctæ Mariæ super Mineruam coram Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

CVm nonnulli Regulares, & Seculares varijs in locis instituerint Confraternitates Mancipiorum Matris Dei, dictas italicè delli Schiaui della Madre di Dio, *& catenulas distribuant Confratribus, & Consororibus brachijs, & collo circumponendas, atque gestandas, vt eo signo Beatissimæ Virgini se mancipatos esse profiteantur: Imagines quoque, & numismata catenatos Sodales exprimentia diuulgent, & libellos, in quibus eisdem Confraternitatibus Regulas præscribunt, vsum huiusmodi mancipatus, & meritum commendantes, Sacra Congregatio hunc abusum aliàs diuersis in locis, specialibus Edictis, à se prohibitum considerans nonnullorum studio, & opera crescere magis in dies, vniuersali Edicto abolendum esse decreuit; quare omnibus, & singulis Christifidelibus vtriusque sexus, tam Regularibus, quàm Secularibus supradictarum catenularũ vsum districtè interdicit, Regularibus quidem sub pœna priuationis actiuæ, & passiuæ vocis ipso facto incurrenda; cæteris verò sub pœnis grauibus suorum Ordinariorum arbitrio infligendis, Societates quocunque nomine appellentur, quarum institutum in eo mancipatu præcipuè versatur, damnat, & extinguit; illis verò Societatibus, quæ ritum aliquem, aut quodcunque aliud ad mancipatum eiusmodi pertinens adhibuerint, præci-*

pit, vt sub iisdem pœnis id statim reiiciant. Libellos demùm imagines, & numismata, quæ ante dicta sunt, damnat, vetatque sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum latis in eos, qui libros vetitos retinent, aut diuulgant, vt nouus hic B. Virginis mancipatus omninò aboleatur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Franciscus Riccardus S. Romanæ,
& Vniuersalis Inquisit. Notar.

Et quia *sub die 7. Martii* 1678. à Sacra Congregatione Indulgentiarum emanauit Decretum, quo variæ Indulgentiæ declaratæ fuerunt falsæ, & apocryphæ, ideo illud hic etiam inserere existimaui.

DECRETVM.

D*Elatæ sæpiùs fuere ad Sacram Congregationem Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositam Indulgentiæ quædam confictæ, & omnino falsæ, quæ per diuersas Orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inuentæ sunt, vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus reuocatæ, vel nullæ, quod datum eis tempus præteriisset: quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Christifideles harum rerum, minùs peritos fallunt, qui spe indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatia vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in Indicem referri curauit.*

Tales in primis sunt illæ, vti asserunt, concessæ à Ioanne Secundo, & Sixto Quarto recitantibus orationem charitatis Iesu Christi Domini nostri, Precor te, piissime Domine, &c. *ab Vrbano Secundo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, vt volgò dici solet, Campagnola, & S. Victoriæ; ab Eugenio Tertio Reuelationi de plaga in humero Iesu Christi factæ S. Bernardo; ab Innocentio Tertio Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis; à Bonifacio Nono visitantibus Cappellam Sancti Nicolai de Tolentino in eius die festo; à Ioanne Vigesimosecundo osculantibus mensuram plantæ pedis Beatæ Mariæ Virginis; ab Alexandro Sexto Imagini B. Mariæ, vulgo dictæ* Laghetti; *à Leone Decimo gestantibus funiculum Sancti Francisci, primùm in Vrbe impressæ, deinde Mediolani anni 1665. (suas tamen habent, & veras Confratres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Francisci) recitantibus Salutationem Angelicam ad pulsum horologii, & Imagini Conceptionis B. Mariæ Virginis immaculatæ in circulo depictæ, cuius pedibus Luna subiecta est; à Pio Quarto, vel Pio Quinto, Principi Senarum; à Clemente Octauo dicentibus orationem* O magnum mysterium, &c. *& Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quam vocant* Montis-serrati, *Auenione impressæ; tùm aliæ pro animabus Christifidelium defunctorum, impressæ Matriti 20. Iulii 1606. à Paulo Quinto cantantibus Hymnum* Te Matrem Dei laudamus, Te Mariam Virginem confitemur, &c. *vel si die Sabathi interfuerint dum idem canitur; & Coronis, Rosariis, Imaginibus, & Numismatibus, quæ* Medalias *appellant, ab eo benedictis, Federico Cardin. Barromæo supplicante anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem Sancti Caroli ædificaretur; & ab eodem Paulo, & Gregorio Decimoquinto, dicentibus* Sia lodato il Santissimo Sagramento, laus Sanctissimo Sacramento; *ab Vrbano Octauo in honorem eiusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Missa, dicentibus* Aue filia Dei Patris, Aue Mater Dei filii, &c. *à Clemente Decimo recitantibus mane, meridie, ac vespere consuetam antiphonam* Angelus Domini, &c. *& in fine* Deo gratias, & Mariæ; *ac demùm aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, vt aiunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri Iesu Christi prece Magni Ducis Hetruriæ.*

Talis Indulgentia Sodalitatis Sancti Nicolai, quæ repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, vnam liberari animam quolibet die à Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitatis Sanctorum Sebastiani, & Rocchi, & Ramæ Societatis Sancti Bernardi ad Columnam Traiani: Tales demùm aliæ Cruce-signatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bonaniæ.

Eius generis sunt & illæ concessæ, vt aiunt, Cappellæ Rosarii in Ecclesia Sancti Antonii de Rouigo, seu Rodigii; vel Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi; aut Sancti Petri Montis Todoni die festo Inuentionis sanctissimæ Crucis; vel gestantibus funiculum Sancti Francisci de Paula; vel celebrantibus Missas S. Augustini; aut alias quinque in honorem quinque festiuitatum B. Virginis Mariæ, vel recitantibus Officium Sanctæ Franciscæ Romanæ; aut antiphonam O Passio magna, &c. *in memoriam Passionis Iesu; aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat); aut Orationem, quæ impressa cum imagine Sanctæ Annæ circumferri solet* Aue gratia plena, &c. *quæ Oratio prohibetur; aut Officium Conceptionis B. V. immaculatæ, quod asserunt à Paulo Quinto probatum fuisse; aut Orationem* Deus, qui nobis in S. Syndone, &c. *(excipitur indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus); aut aliam* Aue filia Dei, &c. *post communionem recitandam; vel aliquo conspicuo signo venerantibus Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti nomen; Indulgentia rursùs octoginta millium annorum veteri de Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asseruari affirmant, pro dicentibus Orationem illam verè piam,* Deus qui pro re-

demptione Mundi, &c.; *tùm quæ impressæ fuerunt Papiæ anno* 1670. *sub hoc titulo*, Sommario dell'Indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Sigore Papa Leone Decimo all'Imagine della Concezzione della Gloriosa Vergine Maria; *vel Pisauri sub nomine B. Ioannæ, anno* 1608. *eùulgatæ; vel Barlettæ, seu Baruli à recitantibus quasdam, non sanè malas Orationes lucrandæ; vel Parmæ à visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias Tertij Ordinis Sancti Francisci; vel Pistorij, & Vastallæ à recitantibus Orationem* Aue Sanctissima Maria, Mater Dei, Regina Cæli, &c. *& aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt Deuotos Seraphicos, & Benefactores.*

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caraúacensibus tributæ dicuntur; vel Coronæ, siue Stellario Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precarijs constat; vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ; vel mensuræ altitudinis Iesu Christi Domini nostri; vel Imagini, aut mensuræ vulneris lateri eius inflicti; vel Orationi, vt aiunt, in Sepulchro Domini Nostri repertæ, & indulgentiæ, vt aiunt, innixæ reuelationi factæ Sanctis Birgittæ, Mechtildi, & Elisabeth; vel B. Ioannæ de Cruce, & concessæ, vt asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penès Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Obseruantiæ Sancti Francisci.

Omnes verò, & singulas iam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt; easque in futurum vllo in loco, vt veras publicari, & lucrandas, Christifidelibus proponi vetat; Foliaque, & libros, vbi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideò tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.

Ac demùm omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis Octaui latum die 9. *Ianuarij* 1597. *Coronis, Rosarijs, Granis, seu calculis, Crucibus, & Imaginibus sacris, vel ante Breue Pauli Quinti, quod incipit* Romanus Pontifex, &c. *editum* 23. *Maij anno* 1606. *personis Regularibus quarumcunque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem* 115. *Clementis Octaui, cuius initium*, Quæcumque, &c. *&* 68. *Pauli Quinti, incipien.* Quæ salubriter, &c. *habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate vlla, Ordine, Congregatione, Societate, etiam Iesu, Capitulo, vel Cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, alijsque personis, vel persona, etiamsi earum, vel eius mentio specialis, & indiuidua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innouatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.*

Porrò Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captiuorum, Nominis Dei, Rosarij, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captiuorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ Sancti Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò Stationum Vrbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdùm aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantùm Stationum, &c. in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat; semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas Sua probauit, & inuiolatè seruari iussit. Datum Romæ die 7. *Martij* 1678.

A. CARD. HOMODEVS.

Loco ✝ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secret.

Hæc post edita Decreta, euenit, quod quidam piarum sodalitatum Vir in partibus Vltramontanis, ex duobus veris Decretis Sancti Officij, & SS. Indulgentiarum, vnum tertium suppositiuum, ementito nomine Congregationis Sancti Officij Romani, conflauit *sub die* 7. *Martij* 1678. quo Decretum Congregationis Indulgentiarum datum fuit, & typis edidit; cuius millena, & millena exemplaria distributa, & disseminata fuerunt. Et quia in primo Decreto vsus Catenularum interdictus fuit, inde ansam arripuit falsò asserendi etiam interdicta esse Scapulare Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, Cincturam Sancti Augustini, & Chordam Sancti Francisci, illorum vsum rursùs omnibus Christifidelibus, siue Regularibus, siue Secularibus, suo confícto Decreto, interdicens; omnesque Societates pias huiusmodi signis vtentes, & earum institutionem, vna cum libris, imaginibus, & numismatibus, prohibuit. Ex vltimo autem paragrapho Decreti de indulgentijs occasionem accepit declarandi nullas omnes Indulgentias concessas Regularibus cuiuscunque Ordinis, etiam Mendicantium, & Societatis Iesu, nisi à Sanctissimo Domino Nostro fuerint innouatæ, & confirmatæ. Illud confictum Decretum Sacra Congregatio Sancti Of-

ficii tertio, & posteriori Decreto falsum, perniciosum, atque scandalosum declarauit, *prout infra*:

DECRETVM:

Feria quarta die 25. Ianuarij 1679.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Conuentu S. Mariæ super Mineruam coram Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus ab Apostolica Sede specialiter deputatis.

Paucis ab hinc mensibus in vulgus editum fuit, ementito nomine S. Officij, Decretum, cui titulus est, Decret du Saint Office de Rome, qui condamne, & abolit, comme vn abus touttes les Confrairies ou Societez de l'Esclauage de la Mere de Dieu, Scapulaire des Carmes, & autres Cordons, Ceintures, &c. Et defend sous de grieues peines l'vsage des Chaines, Images, & Medailles, qui portent les Marques de l'Esclauage en tous les lieux qui louent ou appreuuent ces deuotions. *Et finis Decreti*, Donnè à Rome le 7. Mars 1678. Le Cardinal Aloisio Homodei, Michaele Angelo Ricci Secretaire. A Rome de l'Imprimerie de la R. Chambre Apostolique 1678. *Legitur in eo magna ex parte descriptum aliud eiusdem Sancti Officij Decretum Iulio mense latum anno 1673. ad tollendos quosdam abusus Catenularum, Numismatum, & Societatum Mancipiorum Beatissimæ Virginis Mariæ; sed deprauatum in multis, & dolosè accommodatum ad alias Sodalitates ab Apostolica Sede approbatas, Cincturæ, Scapularis, & Chordæ. Paragraphus quoque penultimus de Regularium Indulgentijs, desumptus ex Decreto Congregationis Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum, dato 7. die Martij 1678. omissis tamen suis necessarijs limitationibus, vt Societatum Cincturæ, Scapularis, & Chordæ pia Instituta, & Regularium etiam Indulgentiæ vere prorsus improbatæ credantur.*

Quæ licet prudentium virorum auribus, animisque absurda sint, & incredibilia; tamen vt etiam minùs peritorum Christifidelium pietati consulatur, Sacra Congregatio Decretum ipsum esse falsum, perniciosum, atque scandalosum declarat, & sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum latis in eos, qui vetitos libros legunt, retinent, aut diuulgant, prohibet, ne quis, cuiuscunque gradus, & conditionis sit, Decretum illud legere audeat, vel apud se quomodocunque retinere, imprimere, vel curare vt imprimatur; sed Inquisitoribus, aut locorum Ordinarijs quisque statim exhibeat, & consignet.

Franciscus Riccardus S. Rom. & Vniuers. Inquisit. Notat.

Loco ✝ Sigilli.

130 Sed quia quandoque miscentur falsis, & apocryphis Indulgentiis etiam quædam reuelationes, quæ asseruntur factæ Sanctæ Brigittæ, vel Sanctæ Catherinæ Senensi, aliisque Sanctis, prout *sub die prima Iulij* 1642. declarata fuit apocrypha Reuelatio, quæ asseritur facta Sanctæ Brigittæ à Sancto Michaele, & Elisabeth, quæ incipit: *Sappiate diletti miei, che quando fui preso in questo Mondo da' Giudei, hebbi cento, e ventidue guanciate.*

131 Non iniucundum erit aliqua circa huiusmodi reuelationes differere; Nam & hi, qui dicunt se habere reuelationes Diuinas, præsertim mulierculæ, quę solemni hypocrysi sanctitatem affectant, sunt præsumpti Inconstantes in fide, & propterea iudicio Inquisitorum subduntur, Simancha *de Cathol. tit. 21. num. 29.* Moura *de Incantat. sect. 2. cap. 3. num. 19.* Thomas Hurtado *resol. moral. to. 1. resol. 54. per multos* §§. vbi copiosè de hac materia.

132 Sciendum est ergo, sicuti certum est dari à Deo, & ab Angelis bonis inspirationes internas, & reuelationes, etiam ad effectus extraordinarios ad hæc vsque tempora, vt patet *ex cap. Gaudemus, de diuortio, & cap. ex iniuncto, de Hæreticis*, Boz. *de signis Ecclesiæ to. 2. lib. 22. cap. 3. signo 93.* & aliis, quos refert Fr. Egidius *de Conceptione Beatissimæ Virginis lib. 3. quæst. 6. art. 4.* §. 1. Moura *de Incantat. sect. 2. cap. 3. num. 2.*

133 Ità quod qui huiusmodi reuelationes negaret dari, vel eas irrideret, vt facit impius ille Kemnicius, non excusaretur saltem à temeritate, vt docet Thomas Hurtado *resolut. moral. to. 1. tract. 5. cap. 6. §. 1. num. 797.*

Ità etiam certum est, reuelationes, illustrationes internas, & apparitiones posse habere Dæmonem auctorem 2. *Corinth.* 11. & ibi Diuus Thomas, Diuus Augustinus *de cura pro mort. haben. cap. 12.* Martin. del Rio *lib. 2. disquis. cap. 24. §. 1.* Victoria *in relect. de Magia num. 35. vers. Ad secundum*, Moura *loco citato num. 3.*

134 Certum est etiam huiusmodi reuelationes, &c. interdum nec à Deo, nec à Dæmone specialiter causari, sed esse fantasticas, & imaginarias à natura ipsa per excessum imaginatiuæ, & corruptionem fantasmatum oriri, Diuus Thomas 1. 1. *quæst. 111. art. 3.* Molina, Caietanus, Medina, Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 38. numer. 23.* Martinus del Rio *disquisit. lib. 2. quæst. 25.* cum aliis per Mouram *dicto cap. 3. num. 3. vers. Tertia propositio.*

135 Pariter dubitari non potest, quinquandoque huiusmodi reuelationes sint fictitiæ, vel ab ipsismet præsertim mulierculis, vel ab aliis, qui mulierculas ipsas pro Sanctis disseminant, & præsertim

(quod

(quod certè dolendum est) ab ipsismet Confessarijs, qui eas fouent in hisce nugis, vel mendacijs, vt pluries expertus sum, & præsertim in quadam Tertiaria Senensi Ordinis Dominicanorum, quæ à quodam Confessario, nescio, an seducta, an in suis vanitatibus confirmata, se alteram Catherinam Senensem prædicabat, & Romæ quamplures Religiosos etiam egregios eiusdem Religionis incautos decepit.

Hoc enim fuit vitium, nascente Ecclesia, introductum ab Hæreticis, qui, vt suas hæreses firmarent, sibi reuelationes fingebant, vel vt æmularentur Christianos donum prophetiæ habentes, vt ex Martino del Rio dicit Hurtado *tract. 5. cap. 6. sect. 1. num. 800. & 801.*

136 In his ergo dignoscendis debent Inquisitores omni diligentia inuestigare, vt benè aduertit P. Grauina *in Lydio lapide par. 2. lib. 1. cap. 17.* Nam, vt inquit D. Chrisostomus *homil. 29. nu. 1. ad Corinth. 12.* res est cognitu difficilis discernere inter prophetiam Diuinam, & vaticinium diabolicum.

137 Signa autem, quæ possunt distinguere reuelationes Diuinas à Dæmoniacis naturalibus, & fictitijs referuntur à Doctoribus relatis à Moura *d. cap. 3. sect. 2. num. 7.* Grauina *par. 2. per plura capita*, nouissimè Ioannes Escobar à Corro *in tract. Ars dignoscendi bonos, & malos spiritus, reuelationes, visiones, estases, raptus, &c.* Qui tractatus licèt in eius duobus voluminibus, quæ Romæ habui, indicaretur, non tamen fuit additus P. Thomas Hurtado *resolut. moral. d. tract. 5. cap. 5. à §. 3. per multos*, Consaluus Durantes Episcopus Feretranus *ad reuelationes Beatæ Brigittæ in tract. de vision. reuelat. & apparit.* præsertim *cap. 9. 10. & 11.* Salelles *de materijs Sanctissimæ Inquisitionis to. 3. tota regula 403.* vbi plura exempla reuelationum fictarum, & verarum.

138 Quod attinet ad Sanctum Officium inter præcipua signa reuelationum, vel à Dæmone, vel fictarum, illa sunt, quando qui asserit reuelationem habuisse, est homo, vel mulier superba, qui nolit acquiescere consilijs prudentum Iudicum, & Superiorum.

Secundum est, si persona in publicandis reuelationibus propriam vtilitatem, & commoditatem attendat principaliter, & non vtilitatem proximorum: Et propterea si recipiat munera, & pecunias pro huiusmodi reuelationibus, ficta, vel dæmoniaca reuelatio censeri debet.

Tertium est, si (vt plurimùm accidit) præsertim in mulierculis Tertiarijs, & Monialibus, affectent sanctitatem, & virtutem, & cupiant tales haberi ab hominibus. Quæ signa expressit etiam Hurtado *loc. cit. §. 3.* Grauina *loco cit.* Salelles *loc. cit.*

139 Quid autem dicendum sit de reuelationibus Sanctæ Brigittæ, Sanctæ Catherinæ Senensis, Sanctæ Geltrudis, Sanctæ Hidelgardæ, videndi sunt ijdem Moura, & Hurtado *locis citatis*.

140 Reuelatio facta, vt asseritur, sanctæ Brigittæ de vulneribus Passionis Domini nostri Iesu Christi, fuit declarata apocrypha 21. *Iunij* 1662.

Et quamuis Carena *tit. 17. de varijs delictis spectantibus ad Sanctum Officium §. 19.* dicat, quod mulieres, quæ reuelationes à Deo, Sanctis, & Angelis habere profitentur, si nihil habeant superstitiosi, erronei, seu temerarij, & hæretici, subdantur tantùm iudicio Ordinariorum, quod etiam dicit Salelles *num. 656. & num. 732. & 733.* Nihilominus vera est sententia, & practicata à Sacra Congregatione, quod ratione saltem examinis harum reuelationum subduntur iudicio Inquisitorum, vt ex Simancha, Moura, Raphael della Torre tenet Diana *par. 4. tract. 8. resol. 125.* Quod fatetur pariter Salelles *num. 734.* qui subiungit, Doctores non exprimere, quomodo Inquisitor eas expedire debeat, & an cum aliquo gradu abiurationis, necne.

141 Sed praxis est; si mulier, vel vir sint illusi, tunc scribatur Ordinarijs, vt illis prudentem Confessarium assignent, qui eos instruat; si affectent sanctitatem, & reuelationes publicent ad quæstum, tunc vel recluduntur in aliquo Conseruatorio cum præcepto, ne loquantur de huiusmodi reuelationibus, nec detur aditus ad illos alloquendum; sicut contigit in quodam Religioso Ordinis Sancti Francisci, qui dum hæc scribo, adhuc manet sub huiusmodi præcepto.

Si autem sub hisce reuelationibus aliquid contineatur, quod sapiat hæresim, tunc illis indicitur abiuratio iuxta suspicionis qualitatem.

142 Sed quid de reuelationibus, quæ continentur in libris Raimundi Lulli, quem pro Sancto colit Insula Maioricarum, & fortasse aliqua pars Hispaniæ. Vidi enim Ego in Claustro Conuentus Franciscanorum Ciuitatis Barchinonen. eius imaginem radijs, ac laureola ornatam hac inscriptione *Sanctus Raimundus Lullus*.

Anno 1662. Parisijs impressus fuit liber Gallico idiomate inscriptus *Le Triomphe del Amor, & l'eschelle de la gloire ou la medicine vniuersal des ames fait por Saint Raymund LLulle Martir, & Hermite du tiers Ordre de San Frances, &c.*

Hic liber fuit remissus, vt reuideretur à claræ mem. de Rubeis fidei promotore in Sacra Rituum Congregatione, qui infrascriptam censuram fecit:

Plurimi errores Raimundi Lulli olim fuerunt adnotati à Magistro Eymerico, damnatique à Gregorio Vndecimo, vt refert Bzouius *Annal. to. 14. anno 1312. nu. 19. 20. & 21. cum seq.* Fusius *anno 1372. à. n. 9. vsque ad 30.*

Quaritur à Prouinciali Belgij Ordinis Prædicatorum, Num dictus Raimundus Lullus possit haberi pro Sancto, & Martyre.

Nam si inspiciantur, quæ de illo scripsit Bzouius in locis præcitatis, *nec Sanctus, nec martyr, sed hæreticus damnatus pronunciandus erit.*

143 *Si verò scripta in eius vita* à Carolo Berullo Gallo, *&* à Ioanne Sequi *Canonico, & Pœnitentiario Maioricen. ac nouissimè edita* à Fr. Luca Vvadingo Annalium Minorum *to. 3. anno 1315. à num. 2. pag. 156. vsque ad num. 121. pag. 163. qui dictum Raimundum ab omnibus obiectis vindicare conatus est, asserendo etiam illi falsò adscripta fuisse opera recenter edita post illius obitum* de Alchimia, de Mercurijs, & Testamentum nouissimum, *librosque pestiferos* de Inuocatione Dæmonum *alterius* Raimundi Neophyti *dicti* de Terraga, *suaque genuina correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ submiserit, non videtur alienus à viri probi, ac martyris nuncupatione, vtpote quem à Saracenis Tuneti ob prædicationem fidei in carcerem coniectum, mòxque Populi furori traditum, pluribus vulneribus confossum, lapidumque aceruo obrutum, animam Deo reddidisse,* inquit, *tertio kalendas Iulij dicti anni 1315.*

144 *Non tamen inde sequitur vllatenus eum pro Sancto, & martyre publicè nuncupari, ac venerari posse, cum dictus eius defensor* Vvadingus dicto anno 1315. *numero 9. vers. Attamen pag. 158. huius rei integrum iudicium repositum esse asserat penes Ecclesiam Romanam, quod dum non protulerit, abstinendum erit à publico cultu sanctis viris extra opinionem positis dari consueto, sicque monendus erit dictus Prouincialis nullibi posse dictum Raimundum Lullum tertij Ordinis Sancti Francisci, Sanctum, & martyrem dici, & haberi.*

Idque fortiùs non solùm ponderando, quod Eymericus *2. par. Directorij quæst. 9. num. 5. & pag. 189. ad 196. enumerat centum illius errores damnatos* à Gregorio Vndecimo *additis* in fine *alijs duodecimo Lullistarum*, & *quæst. 26. num. 24. pag. 223. cum seq.* refert litteras Ipsius Gregorij *testantis vltra ducentum articulos erroneos, & hæreticales inuentos fuisse in eius libris, cui accedunt alij relati* à Pegna *schol. 25. ad dictam quæst. 9. sub §. Condemnauit doctrinam pag. 57.* qui etiam *schol. 40. ad aliam quæst. 26. sub §. tempore quoque* pag. 77. *in Cathalogo librorum dicti Raimundi ad rem meminit* de arte amatiua, contritione, tentatione, & oratione: *Sed amplius animaduertendum, quod sedente* Gregorio Decimotertio anno 1583. *porrectum fuit Congregationi Sancti Officij Scriptum continens iudicium, siue censuram de vniuersis operibus Raimundi Lulli, cum decem propositionibus pro illis abolendis, totidemque pro illis retinendis, cum responsionibus in calce singularum, quod integrè cum historia facti legitur apud* Bzouium dicto anno 1372. *nu. 16. 17. & 18. concludentem oportere, vt iterum opera dicti Raimundi Lulli diligenti, atque acri censura animaduersa discutiantur.*

145 *Quare* Odericus Rainaldus *Annal. Ecclesiast. tom. 16.* d. anno 1372. *præassertis, & alijs coniectè relatis sub num. 33. §. in Aragonia cum seq.* nedum air cum Card. Bellarm. *de Script. Ecclesiast. sect. 13. ex num. 29.*

An verò erratum sit in discernendis genuinis Raimundi Lulli libris, excerpendisque ex ijs sententijs errores continentibus, non liquet, deque eius doctrina varij varia sentiunt: *Sed loquens de renouata instantia super ijsdem in Congregatione Sancti Officij tempore* Gregorij Decimitertij *subdit: Lisque mota apud subsellia Pontificia anno 1583. adhuc est sub Iudice.*

146 *Nec prætermittendum est* Iacobum Galterium *in Tabula Chronografica Ecclesiæ Catholicæ* decimitertij sęculi cap. 5. de Raimundo Lullo pag. 685. *typis edita Lugduni anno* 1616. dicataque Henrico Quarto Galliæ Regi, *ità de præfato Raimundo locutum esse:* [Anno circiter 1260. in medium prodijt hic Histrio multos spargens libellos, ac dictitans, Iesum Christum sibi in Crucifixi forma apparuisse, seque ex eius ore doctrinam suam accepisse, quamuis (vt verum fatear) libelli eius Magia permixti, & plusquam quingentis erroribus contaminati reperti sunt, eorum quinque precipuos recensendo ex Bernard. Lucemburgen. Genebrardo, & alijs.

Primus nempe, Deum habere plures essentias, quod Beza nouissimè repetijt in suæ fidei confessione.

Alter sapiens Arianismum; Deum Patrem fuisse antequam esset filius.

147 Tertius non discrepans à nouitate Doctoris Vgnostici, Diuinam essentiam, cum otiosa non sit, essentiare naturam, hoc est, illam naturificare, bonitatem bonificare.

Quartus expressus in modo loquendi erroneo, Spiritum Sanctum esse conceptum de Patre, & filio procedere.

Et quintus audacissimum crimen, & iniustissimum esse Hæreticos vlcisci.]

Hinc licèt de Raimundo Lullo martyre meminerit Martyrologium Franciscanum *die 26. Martij*, & Gaspar Escolan. de Regno Valentiæ *Decade 1. par. 1. lib. 3. cap. 21. non solùm videtur abstinendum à nuperrima inscriptione superiùs relata, sed omni studio curanda recognitio, ac diligens reuisio librorum ipsius, nè si fortè aliquos errores contineant, illi vulgari lectione faciliùs irrepant in vulgus.*

Hæc doctissimè claræ mem. Franciscus de Rubeis.

148 Cæterum nouissimè pro Raimundo Lullo, & in defensionem ipsius doctrinæ scripsit Salelles *to. 2. lib. 3. de mater. Tribunal. fidei cap. 15. regul.* 276. qui conatur respondere tum obiectis ab Eymerico, quàm ab Abrahamo Bzouio, & probare, condemnationem, quam asserit Eymericus factam à Gregorio Vndecimo, esse fictitiam, cum Bulla condemnationis non fuerit reperta in registris prædicti Gregorij, licèt bis fuerit diligenter perquisita, nempe semel Auenione, & semel Romæ.

Addit in Cathalogo librorum prohibitorum edito iussu Patrum Concilij Tridentini, non fuisse repositos libros Raimundi; Imò eius causam fuisse in eodem Concilio luculenter defensam eoram Patriarcha Veneto, quatuor Archiepiscopis, totidem Episcopis, vno Abbate, duobus Generalibus Ordinum, & quatuor Doctoribus, qui eam approbarunt, & à calumnijs Eymerici veridicè vindicarunt.

Quam priùs fuisse vindicatam ab alijs deputatis, nempe à tribus Dominicanis, quinque Franciscanis, Præsidente P. Magistro Fratre Bernardo Emengaudio Prouinciali Dominicano Generali Inquisitore Barchinonę *anno* 1380.

Et secundò ab Illustriss. Domino Cardinale Leonardo Commissario Apostolico in hac causa deputato à Benedicto Decimotertio Auenione *anno* 1395.

Tertiò, subiungit idem Salelles, fuisse vindicatam à Reuerendissimo Bernardo Episcopo Castelli Commissario, & Iudice in hac causa deputato à Cardinale Alemano Legato Apostolico in Hispania, qui aduersus Eymericum pro Lullo diffinitiuam sententiam tulit, restituitque doctrinam Lullicanam suo pristino statui, & annullauit quæcunque contra eam attentata fuerant.

Auctorem horum omnium facit Fratrem Ioannem Peyeira Franciscanum Theologum Regni Balearium Syndicum, & in Romana Curia causam Raimundi Lulli agentem in quodam suo memoriali Pontifici exhibito.

Pariter dicit fictitiam Bullam Alexandri Quarti, qua Bzouius asserit, Raimundum Lullum, & eius doctrinam condemnatam, quia *anno* 1260. quo dicitur damnatum fuisse Raimundum, adhuc ipse nihil scripserat: Tandem concludit, quod condemnationes Pontificiæ fuerunt latæ contra quendam Raimnndum Neophytum Fratrem Dominicanum auctoritate Pegnæ *par. 2. Directorij comment.* 52. qui vixit circa tempora Gregorij Vndecimi *ad annos Domini* 1372. & dicit extare in volumine *Registri anni primi* Gregorij Vndecimi *fol.* 225. litteras eiusdem Papæ Gregorij ad Archiepiscopum Tarraconensem, & Eymericum Inquisitorem in Regno Aragoniæ, quibus præcipitur, vt inquirant, & procedant contra Raimundum à Tarraga Ordinis Fratrum Prædicatorum tenentem quosdam hæreticales errores, & eum puniant.

Additque idem Pegna in fauorem Raimundi: *Illud verò obseruandum est diligenter, quod Auctor docet in hac quæstione videlicet libellum* de Dœmonum inuocatione *editum fuisse per* Raimundum Neophytum, *in quo planè decepti mihi videntur* Bernardus Lucemburgus in Cathalogo Hæreticorum, *libro 3. versic. Raimundi Lulli*, & Prateolus *libro 16. numero 2. de vitis, & sectis Hæreticorum* asserentes libellum *de Dœmonum inuocatione editum fuisse à Raimundo Lullo, & suspicor hos Auctores fuisse allucinatos ex nominis similitudine*. Sed videndus pro hac re Odericus Rainaldus *Annal. Eccles. tom. 16. ad annum* 1372.

Sed perquisitis à Me Regestis Sacræ Congregationis Indicis, & Sancti Officij inueni infrascripta:

Summa causæ Raimundi Lulli.

149 Paulus Quartus, nostro tempore primus prohibuit omnia opera Raimundi Lulli, & reposuit ea in Indice Librorum prohibitorum.

Pius Quartus, ex disputationibus habitis in Concilio Tridentino nouum Indicem edens, iussit aboleri nomen Raimundi ex Indice.

Gregorius Decimustertius, ad instantiam Cardinalis Sirleti voluit iterum poni Raimundum in Indice, sed non fecit ob Hispanorum contradictiones.

Clemens Octauus, iterum egit per Congregationem Indicis, vt Raimundus reponeretur inter prohibitos, sed tandem contradicentibus Hispanis abstinuit.

150 Paulus Quintus, iussit recognosci libros Raimundi, & initio deputati sunt ab eo quatuor Censores, qui recognoscerent Memoriale missum ex Sardinia, in quo defenduntur centum propositiones damnatæ à Gregorio Vndecimo, vt affirmat Eymericus, sed Auctor memorialis negat damnatas à Gregorio, & aliquot ex illis centum propositionibus negat esse Raimundi.

Censores electi fuerunt D. Michael Neapolitanus Ordinis Sancti Benedicti, P. Magister Lemos Ordinis Prędicatorum, P. Magister Gregorius Nunnez Ordinis Sancti Augustini, & P. Benedictus Iustinianus Societatis Iesu. Isti quatuor omissis propositionibus, quas Auctor Memorialis negat esse Raimundi, communi con-

sensu reliquas damnarunt vt nouas, impropias, periculosas, temerarias, sapientes hæresim, & aliquas apertè erroneas in fide, vel etiam propriè hæreticas.

Defensor Maiorchinus conatus est omnes defendere, & quidem explicauit illas in bonum sensum, sed cum sensum verba Lulli non recipiunt, vt ostenditur in scripto pro hac re composito, & in eo dubio magis credendum est quatuor Doctoribus, quam vni, præsertim cum illi non sint amici, nec inimici Lulli, defensor autem sit Lullo addictissimus.

Postea petitum est à Maiorchino, vt viderentur viginti libri Lulli, quos Sacra Congregatio iussit adduci ex Maiorica, & Sanctitas Sua iussit distribui illos libros eisdem Censoribus, additis tribus aliis, qui fuerunt, Vicarius Generalis Ordinis Prædicatorum, pro libris scriptis lingua Cathalaunica, P. Magister Bonauentura Nolanus Conuentualis, & P. Ioannes Camerotta Iesuita; Isti duo fuerunt additi ad examinandos libros quosdam difficiliores, quos iam examinauerat D. Michael Benedictinus.

Et quidem P. Vicarius Generalis nunc Episcopus in libris lingua Cathalaunica scriptis dixit, nihil inueniri erroneum, vel hæreticum, vel suspectum de fide, sed solùm multa leuia, & ridicula, & parum digna grauitate Theologica; fatetur tamen, se non accuratè legisse, quia nec ipse omnia intelligebat.

P. Magister Lemos nullum librum habuit, sed datus est Comes P. Vicario Generali, vt illum iuuaret in intelligendis libris lingua Cathalaunica scriptis.

D. Michael Benedictinus vidit librum Raimundi inscriptum *de Prouerbys, & Philosophia Amoris*, & hæc notauit;

Primò, quod Raimundus dicat doctrinam suam se habuisse per reuelationem Christi crucifixi, quod est erroneum, cum in ipsa contineantur multa falsa.

Secundò, quod fides potest demonstrari per rationes naturales, quod est erroneum.

Tertiò, quod in Deo Natura naturificet, Deitas deificet, quæ sunt hæretica, cum intra Deum non sint nisi duæ productiones, generatio, & spiratio.

Denique multæ sunt in his libris propositiones hæreticæ, erroneæ, suspectæ, quæ sunt notatæ in censura communi ad memoriale, & articulos Eymerici.

P. Magister Nunnez Ordinis S. Augustini in libro *de Anima* duos errores notauit: Vnum quod animal rationale sit compositum ex materia, & forma, ac per hoc non sit forma essentialis hominis, quæ est hæresis damnata in Concil. Viennensi, & Lateranensi, & in ipso Symbolo Sancti Athanasii.

Alterum, quod in anima sint naturaliter semina virtutum, quæ est hæresis Pelagiana refutata à Sancto Prospero in libro *contra Colatorem*, & ibidem spargit Lullus multas sententias Pelagianas.

Idem Magister Gregorius in libro, qui inscribitur, *Desconsuelo de Raimundo Lullo*.

Primò notat vt valdè temerarium, quod dicat se à Christo quinquies sibi apparente accepisse doctrinam suam.

Secundò, vt erroneum, vel etiam hæreticum, quod dicat per rationes naturales posse demonstrari articulos Fidei, & quod Infideles possent iustè conqueri de Deo, si non possent mysteria Fidei cognosci per rationes naturales.

Tertiò, vt erroneum, vel hæreticum notat, quod Raimundus dicit, multò plures saluari, quam damnari, imò ferè omnes homines saluari, quod est expressè contra sacros Patres Chrysostomum, Augustinum, & Gregorium, & Scripturam; *Multi vocati, pauci electi, & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam.*

P. Benedictus Iustinianus in libro Lulli *de Arbore Christianali*, & in altero sibi dato notat, quod videtur Raimundus confundere in Christo naturam Diuinam cum humana, quæ fuit hæresis Euthichetis; & tandem addit hanc censuram generalem ad hos duos libros.

Concludo, inquit, *doctrinam Raimundi in his duobus libris contentam nullo modo videri admittendam; tùm quia noua, & obscura, & impropria à communi Catholicorum sensu, & Theologorum doctrina maximè abhorret, & supra modum periculosa, si passim euulgetur; tum quia in multis est temeraria, sapiens, & insinuans hæresim, & in nonnullis apertè erronea in fide, vel formaliter hæretica.*

P. Magister Nolanus Conuentualis ad libros *Sententiarum* Lulli à se diligenter consideratos addit hanc censuram.

Hæc sunt, inquit, *quæ censura digna existimaui in hoc Raimundi opere, quod cum plenum errorum sit, nullaque ex ipso hauriatur vtilitas, & suas sententias ex Scripturis, & Sanctis Patribus nunquam probet, sed tantùm ex suis nouis Regulis, cum detrimenta potiùs, quam emolumenta lectores ex hoc opere sumere possint, existimo nullo modo esse admittendas.*

P. Ioannes Camerotta ad eosdem libros *Sententiarum* Lulli:

Primò notat, quod Lullus docet, se habuisse suam doctrinam immediatè à Christo, cum tamen sit plenissima errorum.

Primus est, Mysterium Trinitatis esse demonstrabile per rationes.

Secundus, qui à primo colligitur solis idiotis fidem esse necessariam.

Tertius, attributa essentialia Dei omnia producere, & produci, vt Sapientiam producere Sapientiam, Bonitatem bonificare, in quo est hæresis manifesta.

Quartus, Filium Dei generari per amorem.

Quintus, Spiritum Sanctum accipere vnam spirationem passiuam à Patre, & alteram à Filio, quia aliter non esset æqualis Patri, & Filio: Nam Pater habet duas rationes, vnam generandi Filium, aliam spirandi Filium Spiritum Sanctum, Filius habet vnam passionem procedendi à Patre, & vnam actionem spirandi Spiritum Sanctum; ergo Spiritus debet habere duas passiones, vnam à Patre, & vnam à Filio. Hæc est hæresis, quia Pater, & Filius vnica spiratione pariunt Spiritum Sanctum.

Sextus, quod *humanitas in Christo non debet esse humanum, sed suppositum Diuinum de natura humana facit hominem*: Hæc ille qui sic loquendo videtur incidere in hæresim Euthichetis.

Septimus, substantiam panis in Sacramento Altaris esse simul cum Corpore Christi.

Octauus, Corpus Christi Sacramentaliter esse vbique, sicut Deus est vbique: quæ est hæresis modernorum Hæreticorum. In hoc opere Lulli sunt innumerabiles errores, sed enumerati sunt præcipui.

Defensor Lulli habuit exemplar omnium censurarum, sed sine nomine Auctorum, & fecit longissimam defensionem, quæ meo indicio (hoc est Cardin. Bellarmini, qui fecit hanc relationem) non euacuat difficultates, sed ostendit doctrinam Lulli, vel esse erroneam, vel inintelligibilem; Cum defensoris iudicium non potuerit intelligi à Theologis multis.

Illustrissimi Domini viderunt defensionem, & potuerunt dicere sententiam.

Ego, *idest Card. Bellarminus*, sentio.

Primò, doctrinam Lulli saltem esse inutilem, & periculosam, vt experientia docet, quia pauci illam sequuntur.

Secundò, posse, & liberè prohiberi, donec corrigatur, & correctio approbetur ab hoc Sancto Officio.

Hanc conditionem addo, vt minùs displiceat hæc sententia damnationis, sed credo nunquam corrigendam hanc doctrinam.

Quæratur à Sanctissimo, an libri hùc missi debeant restitui ei, qui attulit, quod videtur necessarium, si liceat illis corrigere libros.

Quæratur etiam, an placeat, scripturas omnes, quæ sunt apud Me, reponi in Sancto Officio.

Die 29. Augusti 1619.

IN Congregatione coram Sanctissimo relata per Illustrissimum Bellarminum censura diuersorum Regularium, qui de ordine huius Sacræ Congregationis examinauerunt libros Raimundi Lulli; Sanctissimus auditis votis Illustrissimorum Dominum Cardinalium, mandauit expectari, vt pars instet pro resolutione; & tunc stante dicta censura annuit scribi Nuncio Apostolico Hispaniarum, eique mitti censuram, vt de hoc agat cum Rege, & Inquisitore Maiori Hispaniarum, quibus significet, libros Raimundi Lulli iuxta censuræ huiusmodi tenorem esse prohibendos, eos autem, qui illos antea viderunt, non omnia fortasse legisse.

Interim videatur, an in Castro Sancti Angeli adsint acta per deputatos in Sacro Concilio Tridentino ad reuidendum huiusmodi libros.

Postea fuit instatum nomine Regni Maioricæ pro correctione librorum Raimundi Lulli, & ideò, &c.

Die 6. Augusti 1620.

Sanctissimus mandauit responderi, vt tandem quiescat.

Acta Congregationis Indicis in causa Raimundi Lulli.

Die 9. Februarij 1583.

151 *IN Congregatione Indicis, vbi erant Cardinales Sirletus, Paleottus, & Senonceneum Magistro Sacri Palatij, & Consultoribus, decretum fuit, non esse permittenda Raimundi Lulli opera.*

Die 3. Iunij 1594.

In Congregatione Indicis præsentibus Cardinalibus Marco Antonio Columna, Francisco Toleto, & alijs; lecto Memoriali pro Raimundo Lullo, & omnibus consideratis, quæ proponebantur, præsertim quoniam super hoc Catholici Regis litteræ ad suum Oratorem in Vrbe habebantur; Decretum fuit, vt in nouo Indice Lullus non reponatur ijsdem de causis, quibus deputati in Sacro Concilio Tridentino eundem Raimundum ab Indice substulerunt.

Die 11. Iunij 1594.

*In Congregatione Indicis in Domo Cardinalis Columnæ auditus est Procurator missus ab Oratore Regis Catholici, petens pro Raimundo Lullo litteras Compulsoriales nomine Regis Catholici ad Episcopum Barchinonen. & Maioricen. quatenùs ad Vrbem transmittant omnes scripturas, acta, & libros, siue opera Raimundi Lulli vndique conquisita, vt tandem iuridicè

terminari possit causa Raimundi. Et decretum fuit, quod Cardinalis Toletus consulat Sanctissimum, vt ex eius beneplacito litteræ in forma Breuis, prout petitur, super hoc negotio expediantur.

Die 4. Martij 1595.

In Congregatione Indicis habita in Domo Cardinalis Columnæ lecto Memoriali pro Raimundo Lullo; decretum fuit, vt sicut aliàs, quod nomen Lulli ex Indice deleretur, & litteræ Compulsoriales quantocitiùs expedirentur.

In hac Congregatione cum alijs interfuit Cardinalis Borromæus.

Die 11. Martij 1595.

In Congregatione habita in Domo Cardinalis Veronen. præsentibus Cardinalibus Terra-noua, Borromæo, Ascanio, & alijs, expeditæ fuerunt litteræ Compulsoriales quadruplicatæ pro Raimundo Lullo.

Iste litteræ Compulsoriales non videntur habuisse effectum.

Die 14. Septembris 1612.

Scripsit Cardinalis Arigonius nomine Sanctitatis Vestræ Iuratis Maioricensibus, vt mitterent hùc libros Raimundi Lulli, vt videatur, an sint boni, vel mali, & missi sunt anno 1617. duodecim tomi librorum, septem maiores in lingua Cathalaunica, & quinque minores in lingua Latina.

Iussimus censurari Memoriale, quod est defensorium centum articulorum ab Eymerico reprobatorum.

Doctrina, quæ in Memoriali explicatur, & Auctor Memorialis fatetur esse Raimundi, censetur noua, impropria, periculosa, in multis temeraria, piarum aurium offensiua, sapiens hæresim, in nonnullis apertè erronea in fide, & formaliter hæretica, P. Lemos, P. Gregorius Coronel, P. Benedictus Iustinianus, P. Michael de Neapoli Monachus Cassinen.

Propositiones collectæ ex duobus libellis Raimundi Lulli, quorum alteri titulus est, *Ars breuis illuminatæ doctrinæ Magistri Raimundi Lulli*; alteri verò, *Probatio articulorum fidei per necessarias rationes*, sunt impropriæ, temerariæ, erroneæ in fide, malè sonantes, sapientes hæresim, iniuriosæ in Deum, & hæreticales.

Qualificatores fuerunt,

Archiepiscopus Armacanus.
Frater Ioannes Rada Episcopus Pacten.
Frater Hieronymus Pallanterius Episcopus Bituntinus.
Frater Ioannes Maria Brisighellen. Magister Sacri Palatij.
Frater Ludouicus Stella Vicarius Generalis Ordinis Prædicatorum.
Frater Ludouicus Galaminus Commissarius Generalis Sancti Officij.
Frater Ioannes Antonius Bouius Episcopus Melfiten.
Frater Gregorius Nunnez.
Pater Benedictus Iustinianus.
Petrus Antonius de Ponte.
Frater Eliseus Massinius.
Frater Didacus Aluarez.

Viginti libri Raimundi Lulli Sacræ Congregationi exhibiti.

Primus, *Ars amatiua boni*; secundus, & tertius, *Arbor scientiæ, & de articulis fidei*; quartus *de Contemplatione*; quintus, sextus, septimus, octauus, nonus, decimus, vndecimus, *de planctu Raimundi, de orationibus, de intentionibus, de Sancta Maria, de philosophia amoris, de centum nominibus Dei, de planctu Beatæ Mariæ*; duodecimus, decimustertius, & decimusquartus *de Blanquerna, de amico, & amato, de orationibus*; decimusquintus *de Confessionis satisfactione, & oratione*; decimussextus *de doctrina puerili*; decimusseptimus *de prouerbijs, & philosophia amoris*; decimusoctauus *de quarto libro sententiarum*; decimusnonus *de anima*; vigesimus *de Benedictatu*.

Litteræ Cardinalis Bellarmini ad P. Commissarium Sancti Officij.

Molto Reu. Padre mio Osseruandiss.

Mando a V. P. Molto Reuerenda, secondo l'ordine datomi da Nostro Signore, i venti libri di Raimondo Lullo censurati, e concordemente riprouati dalli Censori deputati da Nostro Signore Papa Paolo Quinto l'anno 1619. vno era Monaco Benedettino, due Religiosi di S. Domenico, vno di S. Agostino, vnó di S. Francesco Conuentuale, e due della Compagnia di Giesù, i quali tutti furono concordi nelli voti, ancorche separatamente censurassero i predetti libri.

Le scritture che io ebbi dal principio della controuersia parte dal Sant'Offizio, parte dal Segretario dell'Indice, e parte dalli Censori, le diedi a V. P. molto Reu. nell'vltima Congregazione, che si tenne alla presenza di Nostro Signore.

Sarà bene metterle in questa cassa, che io mando con i libri del predetto Raimondo Lullo, acciocchè bisognando far'altro giudizio per ordine di Nostro Signore, si trouino più facilmente.

Per la stessa causa ho messo nell'istessa cassa il Memoriale in foglio, che fu censurato la pri-

ma volta dagl'istessi Censori, eccetto due, che furono aggiunti, quando si censurarono i venti libri.

Con questo mi raccommando alle sante orationi di Vostra Paternità molto Reuerenda. Di Casa li 30. Agosto 1620.

Di V.P. molto Reuerenda

Affettionatissimo

Il Cardinal Bellarmino.

Hæc habui quæ dicerem super reuelationibus, & libris Raimundi Lulli.

152 Sciendum est etiam præsertim mulierculas profiteri, se habere visionem proprij Angeli Custodis ad exemplum Sanctarum Cæciliæ, Franciscæ Romanæ, & aliarum Sanctarum, quæ tali visione dignabantur, super quo cautè procedendum, præsertim si afferant dictum Angelum nomine particulari vocari.

Nam certum est, Ecclesiam non agnoscere nisi tria nomina Angelorum, nempe Michael, Gabriel, & Raphael; vt fuit dictum in Concilio Romano, celebrato sub Zacharia Pontifice *anno* 745. in quo damnata fuit oratio scelesti illius Aldeberri, qui in ea, sub nomine Angelorum particularium, Dæmones inuocabat. Quod confirmauit idem Pontifex *in Epistola ad Bonifacium* 9. vbi veritatem Concilij defendit Baronius *ad annum* 745. *num.* 36. Serarius *in notis ad Epistolas Sancti Bonifacij*, Bimius *in notis eiusdem Concilij*, de quo etiam ex nostris Gastald. *de Angelis tom.* 1. *distinct.* 2. *quæst.* 3. *art.* 4. *quæstiuncula* 1. Alberghin. *in Man. cap.* 18. *sect.* 3. §. 3. *num.* 4. Thomas Hurtado *tract.* 5. *cap.* 5. *resolut.* 71. Martin. del Rio *lib.* 2. *disquis. cap.* 4. *quæst.* 4. ex Theologis autem Ioannes de Sancto Thoma, Granad. & Araux, Serat. relati à Gastald. *loco superiùs citato*.

153 Et quamuis Ioannes Ludouicus dela Cerda *in libro de excellentia Cælestium Spirituum cap.* 5. conetur ostendere cum Suario *in cap.* 12. *Thobiæ*, & Alphonso Salmeron. *to.* 3. *tract.* 3. alia nomina Angelorum præter illa tria, Michael, Gabriel, & Rachael, apud catholicos, & pios viros fuisse vsu recepta.

Et Philo Iudæus *de antiquitatibus Biblicis*, dicat, quod Angelus, qui apparuit matri Sansonis vocabatur *Phadael*.

Et Fernelius *lib.* 1. *de abditis rerum causis*, afferat, se litteris accepisse proditum, quod primi parentis Custos Angelus dictus sit *Raziel*, Abrahæ *Zachiel*, Isaac *Riphael*, Iacobi *Peltel*, idest *Mirabilis Dei*, Moysis *Monstratorum*.

154 Nihilominus huiusmodi esse Cabalistarum coniecturas, vel commenta, vt dixit Cornelius à Lapide *in cap.* 32. *Genesis*, quod etiam agnouit impius ille Marestus *in Collegio Theolog. loc.* 5. *num.* 36. *in fin. pag. mihi* 102.

155 Quod autem ait idem Cornelius à Lapide *in* 1. *Apocalipsis*, quod Beato Amadeo reuelata fuerunt nomina septem præcipuorum Angelorum, qui astant coram Deo.

Non ita accipiendum est, vt ab illis reuelationibus certò argumentari possimus, nomina illa Angelorum esse vera, cum *reuelationes* Beati Amadei non sint ab Ecclesia probatæ, vt notat Araux *in fine tractatus de Angelis*, Gastald. *loc. cit. pag.* 594. *vers. Respondetur cum eodem Arauxo*.

156 Solùm restat difficultas ex Ecclesia Panormi dicata dictis septem Angelis, quorum nomina sunt, *Michael Virtuosus, Gabriel Nuncius, Raphael Medicus, Vriel Fortis Socius, Ichudiel Remunerator, Barachiel Adiutor, Scaltiel Orator*, de qua testantur Alberghin. *in Man. cap.* 18. *sect.* 3. §. 3. quàm vidisse testatur sanctæ memor. Alexander Septimus, dùm ad Inquisitionis Melitensis munus exercendum proficiscebatur, Gastald. *loco cit.* qui dicit, etiam Romæ reperiri similem picturam in Altari Sanctæ Mariæ Angelorum, quod verum est in pictura Altaris maioris, quæ fuit in eo collocata à quodam Presbytero Siculo: Ideò nil mirum, si ex abusu Ecclesiæ Panormitanæ hoc exemplar ibi affixum fuerit.

Curaui Ego tamen, vt delerentur dicta nomina.

157 Respondet Gastaldus, quod Romæ, & Panormi permittuntur alia dicta nomina, ideò non sunt illicita, sicut si alia communi Fidelium, aut plurium consensu imposterum imponerentur.

Sed hæc responsio non placet, meliùs ergo respondet Araux *loco cit.*

Ex eo testimonio tanquam fallaci non posse inde argui, vt liceat publico cultu huiusmodi Angelos cum talibus nominibus venerari, quicquid sit in priuato, & secreto cultu: Nam, &, *vt dixi*, relationes Beati Amadæi non sunt approbatæ ab Ecclesia: Et aliàs censuit Hispana Inquisitio ipso subscribente censuram, huiusmodi nomina Angelorum esse eradenda, vt ex Decreto *anno* 1644. exarato.

158 Sed vereor, ne Ecclesia Romana huiusmodi nomina approbauerit, sed reliquerit Inquisitoribus, & Ordinarijs Siciliæ iudicium super illis: Certum est enim, vt inquit Hurtado *loco cit. tract.* 5. *cap.* 5. *resolut.* 71. *num.* 1678. non licere publicare nomina bonorum Angelorum præter tria enumerata in Sacra Scriptura Canonica, itaut contrarium dicere, sit suspectum de

hæresi, præsertim si ad publicam venerationem exponantur, vt fit Panormi. Nam quicquid sit quoad cultum priuatum, si extet aliqua reuelatio facta homini catholico & virtute prædito de nomine sui Angeli Custodis, vt dicit idem Hurtado euenisse Ioanni dela Cruz, cuius Angelus Custos vocabatur *Lauriel*, qui potest impendi prædicto Angelo sub tali nomine, certè cultus publicus non licebit absque Sedis Apostolicæ approbatione, ne sub ficta pietate Dæmones colantur, vt benè aduertit idem Hurtado *loco superiùs citato*.

159 Apud Me tamen reuelatio illa Ioannis dela Cruz suspecta redditur; non enim Angelos, qui apparuerunt Sanctæ Cæciliæ, nec Custodes Sanctarum Franciscæ Romanæ, & Theresiæ, quorum visione dignabantur, nomen aliquod particulare habuisse constat: Ideò super hoc valdè insistendum, ne nouitates introducantur sub specie religiosi cultus.

160 Hinc proptereа, qui breuia collo appensa gestant cum nominibus incognitis, quæ Angelis tribuunt, esse præsumptos in fide Inconstantes, cum sint suspecti de superstitione hæreticali, notauit Carena *tit.* 12. §.9. *num.* 55. & post eum Alberghin. *in Man. dicto cap.* 18. *sect.* 3. §.3. *num.* 3. *versic. Superstitio etiam hæreticalis est*.

161 Sed an adhibens cultum homini mortuo non Canonizato, nec Beatificato, dicatur præsumptus Inconstans in fide, Zanchinus *in tract. de Hæret. cap.* 22. distinguit, quod si venerans, & adorans corpus mortuum, vel etiam viuum, dicens, ipsum esse Sanctum, & facere miracula, credit, illud corpus aliquid posse præter Deum, seu nutum Dei; iste est Inconstans in fide præsumptus, quia hæc omnia sapiunt hæresim, & per Inquisitores potest coerceri. Sed si id faciat credens, ipsum habere ex suis, Christique meritis gloriam apud Deum, & quod possit suis precibus à Deo gratias impetrare, iste talis non est præsumptus Inconstans in fide, nec Hæreticus, nec subditur iudicio Inquisitorum, quia non per hoc deprehenditur errare in fide, licet possit errare in facto.

162 Sed quicquid sit de iure, hodie stante Decreto sanctæ memoriæ Vrbani Octaui lato *die* 13. *Martij* 1625. in Congregatione Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis, sic venerantes homines non Beatificatos, aut Canonizatos subijciuntur iudicio etiam Inquisitorum.

Tenor verò Decreti talis est:

Feria 5. die 13. Martij Anno à Natiuitate Dñi Nostri Iesu Christi 1625.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Vaticano, coram Sanctissimo Domino Nostro VRBANO Diuina Prouidentia Papa Octauo, ac Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem in tota Republica Christiana Inquisitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster sollicitè animaduertens abusus, qui irrepserunt, & quotidiè irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrij fama, vel opinione defunctis, qui etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen imagines in Oratorijs, alijsque Ecclesijs, alijsque locis publicis, ac etiam priuatis, cum laureolis, aut radijs, seu splendoribus proponuntur miracula, & reuelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones adepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulcra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur. Volensque proinde huiusmodi abusibus pro debito Officio Pastoralis occurrere: Re etiam cum Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuersa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicata, & maturè considerata, & discussa, declarauit, statuit, ac decreuit, ne quorumuis hominum cum Sanctitatis, seu Martyrij fama (quantumcunque illa sit) defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcunque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesijs tam secularibus, quàm Regularibus cuiuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede Canonizentur, aut Beati declarentur, & si quæ apposita sunt amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit; ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, aut Martyrij fama, vel opinione (vt præfertur) celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessione à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat. Et ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, aut inordinatum committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusdemque responsa expectet: Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus hactenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Ad horum hominum sepulcra vetuit etiam, & inhibuit tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacunque materia tam pictas, quàm

tui, quàm fictas, atque exculptas appendi, aut effigi; Et lampades, sine alia quacunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino prout supra facienda, Sedique Apostolicæ referenda, & approbanda.

Declarans, quod per suprascripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur.

Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur, vniuersis, & singulis tam Ordinarijs, quàm hæreticæ prauitatis Inquisitoribus districtè præcipit, vt in sua quisque Diœcesi, aque Prouincia sedulo peruigilent, ne sine approbationibus prædictis imagines eum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue contra superiùs dispostta fiant: Transgressores verò, si Regulares fuerint, priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnon suspensionis à Diuinis; Si verò Clerici seculares priuationis pariter suorum officiorum, suspensionis à Diuinis, & ab administratione Sacramentorum, alijsque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis, plectendo.

Qui verò libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formauerint, cæterique artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniarijs. alijsque etiam corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur, contrarijs quibuscunque non obstantibus.

Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi; voluit, vt Decretum huiusmodi, seu illius exemplum ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum Vrbis, ac in Acie Campi-floræ affixum omnes perindè arctet, afficiat, ac si vnicuique personaliter intimatum fuisset.

Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Io: Antonius Thomasius S.Rom. & Vniuers. Inquisit. Notar.

Publicatum, & affixum vt supra die 4. mensis Aprilis anno 1625.

163 Primò, ergo in hoc Decreto prohibetur, ne pingantur imagines eorum, qui moriuntur cum fama Sanctitatis, cum laureolis, radijs, seu splendoribus, vel cum alio quocunque, quod præseferat cultum, & venerationem.

164 Secundò, quod imagines sic pictæ non apponantur in locis quibuscunque publicis, siue priuatis tam secularibus, quam Regularibus, & appositæ amoueantur.

165 Tertiò, quia miracula, & reuelationes, aliaque beneficia à Deo accepta per eorum intercessiones liberè enarrabantur, statuit, ne huiusmodi libri continentes miracula, reuelationes, seu beneficia quæcunque à Deo accepta per eorum intercessionem, de cætero imprimantur sine recognitione, & approbatione Ordinarii, & quod Ordinarius in illis recognoscendis adhibeat Theologos, aliosque pios, & doctos viros, & ne deinde fraus, vel error, aut aliquid noui, & inordinati in re tam graui committatur, negotium instructum transmittat ad Sedem Apostolicam, eiusque responsum expectet, & miracula, reuelationes, & beneficia supradicta, quæ in huiusmodi libris sine alia recognitione, & approbatione sint iam impressa, nullo modo censeantur approbata.

166 Quartò, quia ad sepulcra huiusmodi hominum appendebantur tabellæ, & imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & lumina accendebantur: Prohibuit, ne tabellæ, aut imagines ex quacunque materia tam pictæ, quàm fictæ, aut exculptæ appendantur, seu effingantur, & ne lampades, seu lumina accendantur sine recognitione Ordinarij facienda, & Sedi Apostolicæ *vt supra* referenda, & approbanda.

167 Quintò, præseruat eos Sanctos, qui per communem consensum Ecclesiæ, vel per tempus immemorabile, aut per Patrum, Sanctorumque virorum scripta, vel per longissimi temporis scientiam, vel tolerantiam Sedis Apostolicæ coluntur.

168 Denique, vt præmissa diligenter obseruentur, Ordinarijs, & Inquisitoribus hæreticæ prauitatis præcipit, vt in sua quisque Prouincia, vel Diœcesi sedulò peruigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue contra superiùs disposita fiant.

169 Transgressores verò, si fuerint Regulares, pœna priuationis suorum officiorum, vocis actiuæ, & passiuæ, necnon etiam suspentionis à Diuinis, & ab administratione Sacramentorum, executione suorum Ordinum respectiuè, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ mandat puniri.

170 Qui autem libros impresserint, imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formauerint Arti-

fices circa præmissa qualitercunque delinquentes prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis iuxta criminis grauitatem eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur.

Occasione huius Decreti vidi dubitari, quid nomine laureolæ intelligatur.

171 Certum est antiquitùs lauream coronam fuisse signum victoriæ, atque triumphi, & propterea litteris, quæ victoriam nunciabant, additam fuisse lauream testatur Plinius *lib. 15. cap. vlt.* & Iulius Capitolinus *in Maximino*, scribit, *statim Romam laureatas litteras misit, quæ ingentem in Vrbe lætitiam fecerunt*, Titus Liuius *1. decad. lib. 5. Litteræ à Posthumio laureatæ sequuntur victoriam Populi Romani, & in decad. 5. lib. 5.* de Vicinio Consule, *Tabellarius*, inquit, *qui se venire ex Macedonia laureatas litteras attulisse dicitur*, quas Ælius Lampridius *in Alexandro*, vocat *Tabellas laureatas*.

172 Sed non solùm litteræ, sed & fasces ob res prosperè gestas lauro coronabantur, vt ex Cornelio Tacito *lib. 13. Annal.* & apud Ciceronem sæpissimè *lib. 1. de Diuinat. lib. 8. ad Atticum Epist. 9., & Philipp. 2.*

173 Quin, & arma, & naues lauro decorabantur, Alexandr. ab Alexandr. *lib. 1. cap. 27.* & ibidem Tiraquell. De quibus & Martialis *lib. 7. Epigram. 5. & lib. 10. Epig. 10.* Statius *lib. 5. sylua 1.* Seneca *Agamenone act. 2. in fine*, Persius *sect. 6. & lib. 1. Amor. elegia 11. in fine*, Sidon. Apollin. *carm. 2.* Claudianus *varijs in locis lib. de Bello Gildonico in princ. de 4. Honorij Consulat. in limine, de sexto eiusdem Consulatu, in fin.*

174 Triumphantes verò corona laurea cingi solitos habemus ex multis tùm Poetis, tùm Historicis, sed potissimum ex Appiano *in Lybico*, loquens de splendidissimo Triumpho maioris Scipionis, vbi eburneum sceptrum, & laurum fert, quam Romani signum putant victoriæ, quod de capite capiendum: Nam idem *de bello ciuili lib. 5.* ibi, *Cæsar sacris peractis coronatus lauro, quæ signum victoriæ Tribunal ascendit.*

175 Sed hæ coronæ demùm aureæ factæ sunt, sic enim Festus Pomp. *lib. 18.* aut veriùs eius Epitomator Paulus: *Triumphales Coronæ sunt, quæ Imperatori Victori aureæ præferuntur, quæ temporibus antiquis propter paupertatem laureæ fuerunt*, vt ex nostris Amaya eruditus *ad l. vnicam, C. de auro coron. lib. 10.*

176 Duplex autem erat corona, inaurata; altera aurea, & altera solida; sic Tertull. *lib. 1. de Corona militar. cap. 12. Triumphi laurea folijs struitur.* Hæc adumbrabatur leniscis inauratis lammulis; solida verò ob pondus, & grauitatem non imponebatur capiti, sed sustinebatur ab aliquo à tergo, vt notat Plinius *lib. 33. cap. 1.* & hæc corona in sinum Iouis deponebatur, aut templis, ceu Anathema votiuum suspendebatur, vt ait C. Plinius iun. *in Panegir.* Lucius Seneca *Consolat. ad Heluiam cap. 10.* Statius *lib. 4 silua 1.* Silu. Italicus *lib. 15. Punicor.*

177 Et ex his valdè dubia redditur verisimilitudo, quam in Constantino adducit Baronius *anno 337. num. 29.* quem sequitur Verricellus *de Apostolicis Missionibus qu. 87. num. 9. vers. Sed cum fiat &c.* Nempe Christianissimum Imperatorem mutasse lauri folia in aurum, gemmasque, quia exhorruit, quasi gestando coronam ex lauro Apollini dicata, Numini mendaci referre victoriam, qui cunctas Christo ferret acceptas, indignumque ratus ornare tempora ex folijs sacratis Apollini, cuius ipse pleraque templa demoliri iussisset, cum mos iste ante Constantini tempora inoleuisset; iste verò diadema auro, gemmisque contextum loco laureæ gestare consueuit.

Successiuis demùm temporibus Milites Christiani victores lauream coronam quidem gestabant, sed ad tollendam omnem superstitionem eandem Christi nomine insignibant, vt ex eodem Baronio *ad annum 351. num. 7.* vbi ponit exemplum dictæ coronæ.

Tempore autem Seueri Pij illud accidit memorabile in Milite Christiano, qui cum cæteri Milites laureas coronas in capite gestarēt, solus in manu otiosam gestabat: Interrogatus autem à Tribuno, quare is tam diuerso habitu incederet, negauit ille cum cæteris sibi licere, quia Christianus. De quo post Tertullianum Baronius *ad annum 201. num. 2. vers. Huius exhibitionis tempore.*

178 Ex corona aurea victoribus Imperatoribus concessa dimanauit aurum coronarium, quod consistebat in coronis aureis, quas Ducibus Exercituum, re feliciter gesta, vel de hostibus victoria parta Imperatoribus salutaris à suis, Prouinciæ, ac sociæ Ciuitates, ac Reges dono dabant, vel auri tot pondo, vt ex nostris Alciat. *lib. 6. Parergon. cap 4.* Petrus Gregor. *lib. 3. Sintagmat. cap. 7.* Galganett. *de Iure publico lib. 4. tit. 9. num. 6.* Amaya *l. vnic. C. de auro coronario lib. 10. num. 2.* qui plures citat eruditos Scriptores.

179 Duplici enim causa dabantur vel ad decorandum triumphum, vel vt coronæ oblatæ Diis dicarentur, vt ex Plinio, & Vopisco testatur idem Amaya *loc. cit. nu. 3. & 5.*

180 Laureolas ergo sumere debemus, vel pro corona siue ex lauro, siue ex auro, vel pro circulo lucido supra caput, qui diadema appellatur, vt voluit Scacc. *de Cano-*

nizat. Sanctorum sect.9. cap.6. pag. mihi 712. & 717.

181 Coronam autem permutasse in Diadema Constantinum *supra diximus* ex Baron.

182 Huiusmodi tamen insignia aureolas, & non laureolas vocat Auctor ille, siue Impostor, qui sub nomine Augustini scribit *Epistolas ad Cyrillum Alexandrinum de Virtutibus Diui Hieronymi*. Sicut & alia insignia appellat aureolas P.Quarti *de Processionibus, & Litaniis Sanctorum sect.1. pun.6. num. 253.*

183 Sed quia cultus priuatus hominibus non Canonizatis, neque Beatificatis interdictus non est, vt colligitur à contrario sensu *ex cap.fin.de Reliquiis, & vener.Sanctor.* Cardin. Bellarminus *lib.1. de Sanctor. Beat. cap.13.* Sanchez *ad precept.Decal. lib.2.cap. 43. num.4.* Lezana *in Summ.to.4. ver.Sanctorum cultus num.5.* Carena *in praxi Sancti Officij par.2. tit.17. §.12. num.48.* Trullench. *in exposit.Decalog.lib.1.cap.9. dub.6. num.22.*

184 Et nonnulli credebant posse horum imagines pingi cum radijs, & diademate: Nihilominus quia talis pictura ex vsus accommodatione est Sancti Canonizati, meritò Vrbanus Octauus prohibuit, ne etiam in locis priuatis imagines sic pictæ apponerentur, vt ex Decreto, &c.

Quod multò magis inhibitum censeri debet, si in Altari domus priuatæ imago illa sic picta apponeretur, licet enim Sanchez *loco cit. num. 7.* de hoc dubitauerit, hodie tamen cessat omne dubium; Imò Carena *loco cit. num.50.* putat, Constitutiones, seu Decreta habere locum, etiamsi in angulo domus secreto, & in proprio cubiculo huiusmodi imagines cum radijs pictæ asseruentur.

Quod etiam fuit responsum à Congregatione Cardinalium, & Prælatorum deputatorum in primo dubio, ibi, *locis priuatis quibusque*. Fallitur tamen, dum putat, Decreta fuisse condita à Gregorio Decimoquinto.

185 Quia etiam dubitatum fuit, an vigore Decreti prohiberentur oblationes tabellarum, ac imaginum ex cera, siue argento, vel ex quacunque alia materia fictarum, pictarum, seu sculptarum huiusmodi Seruis Dei cum opinione Sanctitatis defunctis.

Idem Pontifex (re prius cum Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus communicata) declarauit, non fuisse suæ intentionis prohibere oblationes tabellarum, seu imaginum, &c. sed licere Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, seu locorum piorum curæ præpositis, tabellas, & imagines prædictas, & alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque, qui conscij fuerunt, attestationibus recipere, atque approbanda ab Ordinarijs, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque iam amota collocare, & asseruare, vt si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent huiusmodi Sanctitatis quales quales probationes Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ, vt ex declaratione inserta post dictum Decretum, & in Breui *Calestis Hierusalem edito die 5. Iulij 1634.* cuius tenor est, prout infra:

VRBANVS PAPA OCTAVVS,

Ad perpetuam rei memoriam.

Caelestis Hierusalem Ciues, quorum gloriosis natalibus Sancta lætatur Mater Ecclesia sicut huius Sanctæ Sedis Apostolicæ ministerio à pijs vtriusque sexus Christifidelibus veneratur in terris, ita Romanum decet Pontificem militantis Ecclesiæ regimini, Diuina prouidentia præpositum pro suo præcipuo honoris domus Dei zelo inuigilare, ne quid in personarum cum Sanctitatis aut martyrij fama, vel opinione defunctarum memoriam, siue cultum, inconsulta Sancta Sede prædicta inuocetur. Alias siquidem Nos sollicitè animaduertentes abusus, qui irrepserant, & irrepere non cessabant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut martyrij fama, vel opinione defunctis, qui etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen imagines in Oratorijs, atque in Ecclesijs, alijsque locis publicis, atque etiam priuatis, cum laureolis, aut radijs, seu splendoribus proponebantur, miracula, & reuelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessionem accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, & ad illorum sepulchra, tabella, imagines, & res aliæ, ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponebantur, volentesque proindè huiusmodi abusibus pro debito officij Pastoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in vniuersa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus ab eadem Sede specialiter deputatis communicata, & maturè considerata, & discussa, de eorumdem Cardinalium consilio sub die 13. Martij 1625. declarauimus, statuimus, & decreuimus, ne quorumuis hominum cum sanctitatis, seu Martyrij fama, quantacumque illa sit, defunctorum, imagines, aliaque præfata, & quodcumque aliud, venerationem, & cultum præseferens, & indicans in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesijs, tam secularibus, quam Regularibus, cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut

Societatis apponerentur, antequam ab Apostolica Sede Canonizarentur, aut Beati declararentur, & si quæ apposita essent, amouerentur, prout eas statim amoueri mandauimus. Ac pariter imprimi de cætero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui sanctitatis, seu Martyrij fama, vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrauissent, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhiberet, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid noui, & inordinati in re tam graui committeretur; negocium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret, eiusque responsum expectaret. Reuelationes vero, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitã, gestaque continent, eatenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa erant nullo modo approbata censeri volumus, mandauimusque. Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam, & inhibuimus, tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque exculptas appendi, seu affigi, & lampades, siuè alia quæcumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino prout supra facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda. Declarantes, quod per suprascripta præiudicare in aliquo noluimus, neque intendimus ijs, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij celebrantur. Cumque postea die 2. Octobris eiusdem anni 1625. à quibusdam reuocari in dubium accepissemus, an tabellas, & imagines, quas imposterum offerri contingeret, recidere, & antea oblatas construare liceret. Nos qui tantummodo voluimus, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam Diuinæ clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare, re prius cum ijsdem Cardinalibus communicata, de simili eorum consilio declarauimus, quod sicut nunquam prohibuimus, nec intentionis Nostræ fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarũ, & imaginum huiusmodi, itaut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur statuimus, & decreuimus, vt quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumque alium publicum secularem, seu Regularem tabellas, & imagines, aliudque simile quispiam deferret, ac intercessione hominum, inter Sanctos, vel Beatos, non adscriptorum, quamuis cum martyrij, aut Sanctitatis fama demortuorum, optata se impetrasse diceret, liceret Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumque prædictorum curæ Præpositis tabellas, & imagines, siue pictas, siue ex quauis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque, qui conscij fuissent, attestationibus recipere, atque approbare. Ordinarijs, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque iam amota collocare, vt si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent huiusmodi Sanctitatis qualescumque probationes, Apostolicæ Sedis iudicio tunc examinandæ. Demum verò, vt eiusmodi decreta obseruarentur indubiè, ac omnimodam sortirentur exequutionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata deque eorumdem consilio præmissis addidimus, statuimus, & decreuimus, atque declarauimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super alicuius vtriusque sexus, cum sanctitatis, aut martyrij fama, vel opinione defuncti, miraculis, reuelationibus, alijsque eiusmodi Sanctitatem redolen. ex integro informationes quoquomodo reciperet, instructumque processum vlterius prosequeretur, nisi Postulator priùs per iuridicè susceptas probationes circa personam eius, de cuius miraculis, reuelationibus, alijsque rebus gestis, sanctitatem præseferentibus ageretur præscriptam in præfato nostro Decreto formam omninò seruatam extitisse docuerit, & nisi postea successiue idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter Delegatus diligenti prahabita disquisitione circa eandem personam supracitato Decreto nullatenus contrauentum esse, rite pronunciauerit: Vtq; id inuiolabiliter obseruetur statuimus insuper, ac decreuimus, ne transmitti ad Vrbem vndecumque huiusmodi processus à Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, minusque à Sanctæ Fidei Promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsa Sacrorum Rituum Congregatione alio seiunctim oblato authentico processu ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter Delegatum, ritè, ac rectè præmittitur, cognouisse, ac pronunciasse, prælibato Decreto nequaquam contrauentum esse plenè constiterit, ac deinde à Nobis iudicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset. Insuper longissimum tempus, illiusque immemorabilem cursum, de quo in prædicto Decreto intelligi declarauimus esse tempus centum annorum metam excedens, deque his, atque infrascriptis omnibus, quæ in his Decretis disposita, & ordinata sunt aliqua suboriente difficultate Ordinarijs locorum, & Delegatis Apostolicis, quibuslibet omnem omnino interpretandi facultatem ademimus, vtque Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eaque responsum expectarent mandauimus eisdem, & alias prout in Decretis desuper editis plenius continetur. Quare inuiolabili Decretorum prædictorum obseruationi quantum cum Domino possumus consulere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Decreta prædicta cum omnibus, &

singulis in eis contentis tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adycimus, omniaque, & singula Decreta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, obseruari omninò præcipimus, sub pœna nullitatis quarumcumque informationum, processuum, ac interpretationis aliter, quam præuia suprascripta præcognitione instructorum, eorumque admissionis, publicationis, ac interpretationis, itaut earundem informationum receptiones, processuumque instructiones, necnon eorum admissiones, ac publicationes, & interpretationes habeantur pro non receptis, non instructis, non admissis, non publicatis, non interpretatis, eorumque amplius ratio aliqua nullatenus alicubi vnquam haberi debeat. Decernentes præsentes litteras, & in eis consenta quæcunque in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes ad præmissa vocati, & auditi, minusq; causæ, propter quas eædem præsentes emanauerint adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus iustificatæ fuerint, nullo vnquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, & inualiditatis vitio, seu intensionis nostræ, aut alio quouis defectu, etiam quantumuis magno, inexcogitato, & substantiali, siue etiam ex eo quod in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quæuis alia seruanda, & adimplenda, seruata, & adimpleta non fuerint, aut ex quouis alio capite, à iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiã enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut quocunq; alio colore, vel causa, etiam quantumuis iusta, rationabili, & priuilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra huiusmodi, & alijs superiùs expressis, seu relatis, nihil vllibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius, vel controuersiam reuocari, aut ad terminos iuris reduci, vel aduersus illas restitutionis in integrum aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos iuris, facti, gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, aut impetrato, vel concesso quempiam vti, seu se iuuare in iudicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inuiolabiliter obseruari, sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis, per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, & alios quauis auctoritate, & potestate fungentes, in quauis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, necnon dilectis filijs nostris Apostolicæ Sedis Nuncijs, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, vbilibet existentibus, per Apostolica scripta mandamus, vt statim atq; præsentes litteræ nostræ ad eorum, & cuiuslibet eorum notitiam peruenerint, in sua quisque respectiuè Diœcesi, vel Prouincia, sedulo peruigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliaue contra superiùs disposita fiant: Transgressores verò, si Regulares fuerint, priuationis suorum officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnon suspensionis à Diuinis; si verò Clerici seculares, priuationis pariter suorum officiorum, suspensionis à Diuinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respectiuè, alijsque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formauerint, cæterique Artifices circa præmissa qualitercunq; delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniarijs, alijsque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem, eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio efficiantur, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, omni, quacunque appellatione, recursu, & reclamatione remotis, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij secularis. Non obstantibus, quatenus opus sit rec. mem. Bonifacij Papæ Octaui Prædecessoris nostri de vna, & Concilio generali edita de duabus dietis, cæterisque in contrarium facien. &c.

186 Licet enim per se loquendo affixio tabellarum, & imaginum ad Sanctos non dùm approbatos, non sit abusus, nec Vrbanus huiusmodi affixiones improbauerit tanquam abusus, quia hoc esset contrariari antiquissimo vsui Ecclesiæ à Patribus approbato, & à nemine reprobato, vt eruditè docet Baldellus *de Dei adoratione, & oratione lib. 3. disput.* 13. *num.* 11. qui ex Theodoreto *lib. 8. ad Græcos, versus finem* refert ad sepulcra Martyrum fuisse suspensa simulachra oculorum, pedum, vel manuum ex auro, vel argento confecta: Quod etiam dicit Casal. *de veter. Sacr. Christian. Risib. cap. 40. pag. mihi* 225. *vers. At quando*.

Et vniuersaliter hæc fieri ad sepulcra aliorum, qui obiissent cum fama Sanctitatis testantur Auditores Rotæ *in relatione pro Canonizatione S. Raimundi par. 2. artic. 9. Et in alia relatione pro S. Andrea Corsino par. 4. §. 1.* Et idem constat apud Surium *to. 2. in vita S. Hugonis, & to. 3. in vita S. Antonini Archiepiscopi Florentini*, vbi refert, quod pauló post eius obitum quædam mulier per miraculum ab eo sanata, fuit in somnis admonita, vt statuam, & tabellam afferret ad eius sepulcrum, in qua miraculum esset depictum, & plura habentur huiusmodi *in Chronicis Fratr. Minorum apud* Seraphinum Ruzium *de vitis Beatorum Ordinis Dominicanorum*, & apud Vincentium Iustinianum *in vita S. Bertrandi*, & apud alios.

187 Quinimò consuetudo Ecclesiæ non solùm fuit, vt imagines, & tabellæ permitterentur liberè appendi Sanctis iam mortuis, sed etiam adhùc viuentibus, vt narratur de Sancto Simeone Stylita *ex 7. Synodo act. 4. to. 3. Concilior.*

Nam quidam ab eo liberatus à Dæmone, imaginem illius in vestibulo suarum ædium posuit, & quia illam quidam improbi, & Infideles de loco deturbarunt, validè puniti fuerunt, & Theodoretus *in vitis Sanctorum Patrum cap. 26.* asserit, quod Romæ Artifices adhùc eo S. Simeone viuente in vestibulis, & porticibus omnium officinarum paruas quasdam illius imagines ponerent, vt inde præsidium, & tutelam sibi pararent.

188 Rationem autem, ne vsus tabellarum, vel imaginum prohibendus sit, affert Vegnerius *in suis instit. Theolog. tract. de fide, §. 1. vers. 4.* nempe, ne occultentur opera Dei, quæ per Sanctos ab eo recipiuntur iuxta illud Archangeli Raphaelis *Tobiæ 2. Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est.*

189 Addit Baldell. *loco cit. num. 12. vers. Et ratio*, quod cum Deus huiusmodi gratias, & miracula sæpè operetur ad declarandam, & testificandam Sanctitatem alicuius, quem Ecclesiæ, & Fidelibus vult proponere in exemplum virtutis, vt patet ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 178. art. 2.* ex hoc capite non sunt prohibendæ imagines, & tabellæ, ne Sanctitas illius contra Dei voluntatem occultetur. Et cum ex Tridentino *sess. 25. in Decreto de innocatione, & veneratione Sanctorum* per pias imagines in Templis appositas admoneatur populus beneficiorum Dei, eiusque per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis subijciantur, vt pro ijs Fideles Deo gratias agant, & ad Sanctorum imitationem vitam componant: Non possunt absolutè prohiberi, vel damnari tanquam illicitæ, aut tanquam abusus.

Nihilominus, quia circa illas fortassè irrepserant, vel poterant irrepi abusus, ideo emanauit Decretum Vrbani Octaui cum declarationibus supradictis.

190 An autem ex huiusmodi tabellis, & imaginibus inferatur argumentum Sanctitatis ad effectum Canonizationis, vide Scacchium latè distinguentem *in tract. de cultu, & venerat. Seruorum Dei, sect. 9. cap. 8. per totum.*

191 Idem dicendum est de reuelationibus, miraculis conscribendis, & imprimendis in vitis eorum, qui decedunt cum fama Sanctitatis, quia absolutè non est hoc prohibendum, sed solùm præcipienda sunt aliqua pro recognitione librorum, vt fecit sanctæ memoriæ Vrbanus Octauus. Nam mos conscribendi miracula semper fuit obseruatus in Ecclesia, tam in veteri Testamento, quàm in nouo, vt patet ex *Ecclesiast. 44.* & ex *actibus Apostolorum*, & *vitis Sanctorum* conscriptis ab aliis Sanctis, & pijs viris, vt benè probat Baldell. *dicta disput. 13. num. 13.*

192 Qui refert, D. Augustinum eos grauiter reprehendere, qui sinunt multorum notitias deperire, & Sanctum Gregorium Turonensem *initio suorum librorum de miraculis Sancti Martini*, iuramento affirmare dictum sibi peruisum fuisse bis, & ter, quod crimen esset, si illud opus conscribendi miracula neglexisset; Et Petrum Cluniacensem grauiter dolere, quod quæ in dies eueniunt, & prodesse legentibus possunt, dispereant defectu illorum, qui ad ea conscribenda animum applicent.

193 Sed quia poterat accidere, quod aliqua miracula, & reuelationes falsæ imprimerentur, & diuulgarentur, quod certè maximum peccatum est contra charitatem, & pietatem, quod nulla pia intentione potest excusari, Caietan. 2. 2. *quæst. 93. art. 1.* Nauarr. *in Man. cap. 18. nu. 5.* Sanchez *lib. 2. in decaleg. cap. 37. num. 9.* Canus *de locis Theol. lib. 11. cap. 6.* Baldell. *loco cit. num. 17.*

194 Ideo post Concilium Tridentinum *d. sess. 25. de Inuocat. & venerat. Sanctorum* statuit sanctæ mem. Vrbanus hoc suo Decreto, vt Ordinarij non dent licentiam imprimendi miracula, nisi adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis, ac doctis viris, & audita sententia Sedis Apostolicæ, ad quam totum negotium benè instructum mittere debent.

195 Memini enim tempore mei Assessoratus plures, siue seculares Presbyteros, siue regulares fuisse pœnis mulctatos, eò quia falsa miracula publicabant, & præsertim quendam Parochum Diœcesis Clusinæ, qui ad quæstum fingebat, quendam Hæremitam in sua Ecclesia sepulturæ traditum plures gratias, & alia miracula perpetrasse.

Illud verò cadauer fuit à loco sepulturæ amotum, & in alio loco secretiori humatum.

Sicut etiam contigit Mediolani de cadauere cuiusdam N. ad cuius sepulturam plures Christi-fideles concurrebant, eo sub prætextu, quod miracula patraret.

196 Imò quia Regulares quidam publicabant, imaginem Sanctissimæ Virginis Lauretanæ in eorum Ecclesia sculptæ aperire oculos, & alias gratias concedere; fuit illa Imago de ordine Sacræ Congregationis tabulis cooperta, itaut absque eius licentia non posset in futurum aperiri.

197 Idem euenit in Imagine cuiusdam Crucifixi, quam Confratres cuiusdam Ciuitatis Italiæ insignis circumferebant, publicando, quod Energumenos sanaret, & alia miracula patraret, itaut ausi sint illam *anno Iubilæi* Romam asportare, & comperto, quod ea, quæ narrabantur de ipsa à veritate aberrabant, fuit de ordine sanctæ memoriæ Innocentij Decimi Confratribus ablata, & in Sacrario Sanctæ Mariæ in Vallicella reposita; Demum iterum ad eandem Ciuitatem ducta, sed cum præcepto, & prohibitione, ne fidelibus posset ostendi: Et licèt dicti Confratres pluries Sac. Congregationi supplicauerint, vt possit Populo manifestari, obtinere non potuerunt, nec etiam tempore sanctæ mem. Alexandri Septimi.

198 Idem contigit de quadam Imagine Christi pueri, quam quidam publicabat, plura perpetrasse miracula, & vngues, & capillos illi crescere, quæ Imago à loco vbi reposita erat amota fuit, & in Suprema, ac Vniuersali Inquisitione recondita, vna cum pluribus donarijs illi dicatis: Patefactum enim fuit, ea, quæ dicebantur, minimè vera fuisse.

199 Decretum autem Vrbani multò magis iustificatur in prohibitione lampadum, & luminum ad Sanctos nondum approbatos, quia negari non potest, quin præseferant cultum publicum, cum lumina non accendantur in Ecclesiis, nisi ad Augustissimam Eucharistiam, & Beatissimam Virginem, aut ad Sanctos magnæ, & approbatæ sanctitatis, vt benè Baldellus *dicta disp. 13. num. 23.*

200 E quamuis ignes accendantur in signum lætitiæ, vt ait Bellarminus *de Reliquijs Sanctorum lib. 2. cap. 4.* Nihilominus cum ex vsu Ecclesiæ non accendantur nisi Sanctis, & ante Reliquias Sanctorum, credi potest, saltem in foro externo, lampades, & cerea accensa præseferre cultum publicum, & auctoritatem publicam; Meritò Vrbanus Octauus prohibuit suo Decreto, ne accendantur, nisi Sanctis Canonizatis, & Beatificatis, Baldell. *loco cit.*

201 Tertiò, quia pariter dubitatum fuit, an per dicta Decreta vetitum esset, ne imprimerentur libri continentes gesta, miracula, siue reuelationes eorum, qui cum fama sanctitatis, vel martyrii decesserunt, & ex hac prohibitione resultaret, quod bona opera Seruorum Dei occultarentur, vitia verò hominum panderentur.

202 Habita fuit Congregatio de Ordine Sanctissimi Vrbani Octaui, in qua interfuerunt bonæ mem. Cincius à secretis Congregationis sacrorum Rituum, Eminentissimus Rospigliosus postea Clemens Nonus vna mecum, & in ea fuit resolutum, quod non deberet denegari licentia imprimendi libros, seu historias continentes reuelationes, gesta, miracula Seruorum Dei, si tamen protestationes aliquæ apponerentur in principio, & calce dictorum librorum.

Fuerunt autem Protestationes modò infrascripto designatæ:

Protestatio Auctoris in principio libri imprimenda.

CVM *Sanctissimus Dominus noster Vrbanus Papa Octauus* die 13. Martij anni 1625. *in Sac. Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemq; confirmauerit* die 5. Iulij anni 1634. *quo inhibuit imprimi libros hominum, qui sanctitatis, aut martyrij fama celebres è vita migrarunt, gesta, miracula, reuelationes, seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata.*

Ideo autem Sanctissimus die 5. Iulij 1631. *ità explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quæ cadunt super mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla sit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penès Auctorem; Huic Decreto, eiusque confirmationi, & declarationi obseruantiam, & reuerentiam, qua par est, insistendo.*

Profiteor me haud alio sensu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle; quam quo ea solent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem Diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Cathalogo adscripsit.

Protestatio in fine libri imprimenda.

203 *LEctor aduerte, in elogijs Virorum illustrium, quos hoc libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere; Perstringo nonnunquam aliqua ab alijs gesta, quæ cum vires hu-*

manas superent, miracula videri possint, præsagia futurorum arcanorum, manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi beneficia: Item in miseros mortales eorum intercessione diutiùs demum nonnullis sanctimoniæ, vel martyrij videor appellationem tribuere: Verùm hæc omnia ità meis Lectoribus propono, vt nolint ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque appobata, sed tanquam quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter, quàm humanam historiam.

Proinde Apostolicum Sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Decretum anno 1625. *editum*, & anno 1634. *confirmatum, integrè, atque inuiolatè iuxta declarationem eiusdem Decreti à Sanctissimo Domino nostro Vrbano Papa Octauo* anno 1631. *factam seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut martyrij inducere, vel augere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando eius beatificationem, aut miraculi comprobationem; Sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu.*

Hoc tamen sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione, & actione dirigi.

Ego N. N.

204 Sed cum *de anno* 1668. claræ memorię Petrus Franciscus de Rubeis tanquam Promotor fidei dubitasset, an dictæ Protestationes essent sufficientes, an verò miracula antequam ederentur, &c. deberent coram Ordinario verificari: Delata re ad sanctæ mem. Clementem Nonum, qui, *vt dixi*, interfuit vnà mecum, & Secretario Congregationis Rituum in Congregatione super prædictis habita, censuit sufficere: Quia in prima protestatione tollitur examinatio Ordinarij, & iure merito; Nam si reuelationes, & miracula, quæ imprimi desiderantur, essent recognita adhibitis Theologis ab Ordinario, & vti recognita demum imprimerentur, non est dubitandum, quin in Sacra Congregatione Rituum aliquam fidem facerent, si de beatificatione Serui Dei, cuius miracula approbata sunt, agendum contigeret, quam tamen fidem omnino Summus Pontifex Vrbanus per illas protestationes auferre voluit.

Et licèt quidam ex Eminentissimis dictæ Sacræ Congregationis Rituum dubitauerit, ne ob longum temporis spatium ex dicta impressione miraculorum oriretur fama sanctitatis: Trepidabat tamen, vbi non erat timor; nam si fama illa haberet ortum ex illa impressione, oriebatur à titulo infecto, ideo nullum probationis gradum facere poterat tanquam prouenìens ab erronea causa, Rota *decis.* 158. *num.* 14. *par.* 10. *recent.*

Et quia etiam poterat dubitari, quod tempus intelligeretur per cursum longi temporis; Ideo Vrbanus in dicto Breui *Cælestis Hierusalem* declarauit, talem cursum longi temporis esse tempus centum annorum: Et ideo reijcienda est opinio Bonacinæ *in primo præcepto Decalogi disp.* 3. *quæst.* 1. *punc.* 2. *num.* 2. §. *Excipiendum tamen est*, qui putauit tempus longissimum, de quo in Decreto Vrbani, posse accipi tempus triginta, vel quadraginta annorum, vt reijcit Baldell. *loco citato num.* 4. & Lezana *loco citato num.* 36.

205 Sed an Papa post canonizationem alicuius Sancti Inconstans possit mandare Ecclesiæ, ne amplius colatur pro Sancto; negatiuè resoluendum, contra opinionem eorum, qui tenent, Papam posse errare in canonizatione Sanctorum: Nam si Inconstans esset reuocando Decretum canonizationis tanta diligentia, solemnitate, & precibus factum, fateretur, se errasse in his, quæ pertinent ad fidem, in quibus non datur error, quando Pontifex ea decernit tanquam è Cathedra, vt *latè diximus in principio huius Tractatus*: Quod autem canonizatio Sanctorum sit de his, quæ pertinent ad fidem, latè Contelor. *de Canoniz. Sanctorum cap.* 10. *sub num.* 6. *versic. Sed Canonizatio, &c.* Quod tamen non procedere in Decreto beatificationis putat Scacchus *de cultu, & veneratione Seruorum Dei sect.* 1. *cap.* 8. *pag.* 98.

Et sic cum laude Dei, & Beatissimæ Virginis terminata est Prima Pars nostri Tractatus, quæ cum inceperit ab ipso Deo, in Sanctis suis finem sortita est.

Finis Primæ Partis.

PARS

PARS SECVNDA.

DE

INCONSTANTIA

CIRCA VIRTVTES

SPEI, ET CHARITATIS.

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

De Præcepto, ex quo tenemur ſperare in Deo: In hoc Præcepto qui dicantur Inconſtantes: An inconſtantia in eo conſiderata, poſſit eſſe cum Hæreſi, vel ſine ea; & quibus modis huiuſmodi inconſtantia contingere poſſit.

SVMMARIVM.

1 *Homo ſperare de fide tenetur in Deo, vel à Deo beatitudinem æternam, remiſſionem peccatorum, & alia neceſſaria.*

2 *Præceptum de ſperando in Deo, vel à Deo an obligat ſemper, vel à quo tempore incipiat obligare.*

3 *Spes in Deo, vel à Deo non eſt longo tempore differenda.*

4 *Deſperatio de Diuina miſericordia, & conſecutione æternæ vitæ damnatur, & nu. 6. vbi de ratione, ac num. 8.*

5 *Spes, & deſperatio ſunt paſſiones contrariæ.*

6 *Deſperatio de Diuina miſericordia quando dicatur cum hæreſi, vel ſine.*

7 *Deſperatio de Diuina miſericordia continet ſub ſe triſtitiam, & odium Dei.*

8 *Deſperans de miſericordia Diuina mortaliter peccat.*

Paruitas materiæ dari non poteſt ad euitandum peccatum mortale in deſperante de Diuina miſericordia.

Deus omnibus hominibus proponit vitam æternam, & dat illis auxilia ad ſalutem ſufficientia.

9 *Deſperans de miſericordia Diuina an, & quando grauius peccet, quàm Hæreticus, vel Infidelis, & num. ſeq.*

Virtus ſpei an ſit perfectior quam fides.

Infidelitas repugnat directè cum veritate.

10 *Affectus aliqui ſub deſperationis nomine inuoluuntur.*

11 *Deſperatio de Diuina miſericordia an ſit intrinſecè mala, itaut nunquam licere poſſit.*

Quid ſi alicui reuelaretur eius damnatio an ei liceat deſperare de miſericordia Diuina, & numeris ſeqq.

Reuelatio damnationis an ſit poſſibilis.

12 *Deſperans de Diuina miſericordia ob damnationem ſibi reuelatam, an, & quando mortaliter peccet, & num. ſeq.*

Deus promouere poteſt ad beatitudinis gloriam ex ſua omnipotentia etiam illum, cui reuelata fuerit damnatio.

14 *Deſperationis ſolus motus, ſed non deliberatus poteſt excuſare à peccato.*

Deſperatio culpa non eſt ſtante impotentia cognita ſperandæ ſalutis.

Damnati deſperare an poſſint ſine culpa.

VNC, absolutis quæstionibus Inconstantiæ circa Fidem, breuiter dicenda sunt aliqua circa Inconstantiam in virtute Spei, & Charitatis:

Et quod attinet ad Spem, supponendum est, ex præcepto affirmatiuo teneri hominem sperare in Deo, vel à Deo beatitu-
1 dinem æternam, remissionem peccatorum, & alia necessaria, quod suppositum certum est de fide, vt notat Suarez *de virtute Spei, disp.2. sect.1. num.* 1. & alij Theologi Sanc. *ad praecepta Decalogi lib.2.cap.33. num.*1. Baldell. *de Spe, & Charitate lib.*1. *disput.* 3. *num.* 1. P. Thomas del Bene *de Offic. SS. Inquisitionis to.2. dubit.*231. *sect.*1. *num.*1. Lezana, post hæc scripta visus, *to.* 3. *Sacra Theologiæ, tract.2. de Spe, disp.2. quæst.*5.

Quod quidem præceptum cum sit, *vt dixi*, affirmatiuum non obligat semper,
2 sed à quo tempore incipiat obligare, non est concors apud Theologos sententia, vt videre est apud P. del Bene *loco cit.*

Certum tamen est, nullum esse tempus determinatum, quo huiusmodi præcep-
3 tum obliget, sed prudentis arbitrio mensurandum esse, nec permittendum longo tempore differri, vt tenet Suarez *dicta disput.2 sect.*1.*nu.*3. Castro-palao *de Spe tract.2. disput. vnic. punct.*4. *num.*4. Baldell. *loco cit. num.*5. P. del Bene *loco cit. num.*14.

Huiusmodi autem præcepto affirmatiuo iunctum est præceptum negatiuum, ne
4 scilicet Inconstantes exerceamus actum contrarium Spei; sic D.Thom. 2.2.*qu.*22. *art.*1.*ad* 3. & hoc præceptum semper obligat, nam semper obligamur non desperare de Diuina misericordia, & consecutione æternæ vitæ, Suarez *dicta sect.*1. *num.*16. Castro-palao *dicto punct.*4.*num.*1.

Inconstans ergo in hoc præcepto est, qui de sua salute desperat, cum sit actus
5 contrarius ei, vt patet, nam in appetitu sensitiuo Spes, & desperatio sunt passiones contrariæ, D.Thom. *par.*2.*qu.*23. *art.*2. *ad* 2.*& quæst.*40.*art.*4. Suarez *loco cit. sect.*2. *num.* 1.

Et genus quoddam hæresis esse, non absurdè quis dixit, voluntariæ mortis cogitationem: hæc enim tristis, & nefaria cogitatio ex desperatione procedit: Desperatio impietatis, & atheismi speciem refert. D. Hieronymus *ad Rusticum, lib.* 2. *epist.* 10. ibi inquit: *Nihil ità offendit Deum, quàm desperatione meliorum harere peioribus; licet & ipsa desperatio incredulitatis indicium sit. Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab alijs libenter accipere.*

Vnde hæc Inconstantia aliquando
6 potest esse cum hæresi, aliquando sine ea; Cum hæresi erit etiam, si homo iudicet, *Deum non remissurum illi peccata, & quidquid ipse in eius offensionem faciat, &* in hoc sic Inconstans duo peccata committit, alterum hæresis, alterum desperationis.

Erit verò Inconstantia sine hæresi, si homo iudicet, *Ego de facto non saluabor*, siue id iudicet practicè, siue speculatiuè, quia istud iudicium formaliter non est contrarium fidei, quamuis practicè videatur contrarium promissionibus spei, & efficaciæ gratiæ; sic P.Suarez *loco cit. nu.*2. *in fin.*Sanchez *dicto cap.*33.*nu.*6. Castro-pal. *loco cit. num.* 4. P. del Bene *loco cit. sect.* 2. *num.* 2.

Hæc autem Inconstantia, siue desperatio per se mala est, & prohibita præcepto spei, sub qua continetur odium, & tristitia contraria actibus spei, omni enim virtuti ad quam spectat amari, & gaudere possunt secundum actus hos omnes assignari contrarij actus, cum sit eadem ratio contrariorum.

Quocirca amori concupiscentiæ Dei contrarium est odium, quoniam propriè
7 ipsi Deo in se aliquod malum quis velit, sed quo Deum à se auertat, itant nolit in eo constituere suam felicitatem, ita & similiter intelligi potest tristitia contraria spei, vt benè Suarez *loco cit. num.*3.

8 Et propterea semper erit peccatum mortale, sic Suarez *loco cit.num.*4. Sanchez *dicto cap.*23. *nu.*5. Castro-pal. *loco cit.num.*5. Baldell. *dicto lib.*1.*disput.*5. *num.*3. vbi quod in eo non potest dari paruitas materiæ, Auersa *de fide quæst.*20. *sect.*3. *vers.*2.

Nam cum Deus proposuerit homini vitam æternam, deque omnibus auxilia sufficientia ad salutem, peruersum planè est, & contra dictamen luminis naturalis Inconstantem esse, & desistere, ac decedere à prosequendo tanto bono, recusando illud procurare, & obtinere, vt benè Auersa *loco cit.*

Imò grauius peccatum est quandoque infidelitate, nam odium illud Dei, quod opponitur amori concupiscentiæ eiusdem, est ex suo genere grauius peccatum infidelitate, vel hæresi, tùm quia est magis
9 directa, & formaliter auersio à Deo, tùm quia immediatè attingit Deum, infidelitas verò mediante actu nostro, tùm denique quia culpa est immediatè in voluntate, ergo ea est in suo genere grauior, quæ per se corrumpit maiorem honestatem voluntatis, sed virtus spei perfectior est quàm fides, saltem vt fides est in voluntate, atque adeo in genere virtutis, Suarez *de Spe disput.*1. *sect.*6.

Ergo summum peccatum contrarium spei est maius peccatum fidei contrario; si verò loquamur de proprio actu desperationis, qui non oriatur ex odio Dei, sed ex tedio, vel alia tentatione, ob quam

aliquis desistit voluntariè à prosecutione beatitudinis tanquam à re impossibili, vel nunquam futura, probabile est, infidelitatem, & maximè hæresim esse grauius peccatum tali desperatione, quia scilicet talis infidelitas magis repugnat Deo, quam desperatio, nam illa pugnat directè cum veritate, hæc non ità directè cum omnipotentia, vel misericordia, quia non fundatur in defectu omnipotentiæ, vel misericordiæ Dei, sed fortasse oritur ex nimia apprehensione proprij defectus; & si interdum oritur ex mala existimatione de Deo, supponit iudicium erroneum, & inde accipit suam maximam grauitatem. Hæc habet ad verbum P. Suarez *loco cit. num.* 5.

Sed his omnibus respondet P. Auersa *dicta sect. 3. vers. Sed hæc non obstant*, prout respondet Cardin. de Lugo, qui *in tract. fidei Diuinæ disp.* 18. *sect.* 2. *à nu.* 49. conatur tueri infidelitatem esse maius peccatum desperationis.

Hæc autem Inconstantia pluribus modis contingere potest, hoc est, per omnem affectum fugæ, qui circa idem obiectum haberi potest, videlicet nolle conari ad consequendam Beatitudinem odio habere talem Beatitudinem, siquidem possibile est, esse odium erga certam Beatitudi-
10 nem in particulari apprehendendo in illa aliquam rationem mali incommodi, item fugere Beatitudinem sumendo fugam propriè, vt opponitur desiderio, siue considerari, non consequi talem Beatitudinem, tristari, & dolere de sui ordinatione, & eleuatione ad ipsam Beatitudinem: Hi enim affectus participant malitiam eiusdem rationis contra virtutem spei, & debent sub eodem desperationis nomine inuolui; sic P. Auersa *loco citato vers.* 4.

An autem hæc Inconstantia sit intrinsecè mala, vt nunquam possit licere, nonnulli volunt nunquam, etiamquod Deus reuelaret alicui, eum esse damnatum,
11 quam tamen reuelationem esse impossibilem ob Dei bonitatem tenuerunt S. Bonauentura, & alij relati à Suar. & Castropalao *locis cit.* ille *num.* 6. hic autem *num.* 7. quamuis non desint multi, qui hunc casum volunt esse possibilem, quos refert idem Castro-palao *loco cit. num.* 8. Baldell. *dicta disput.* 5. *num.* 9. De qua quæstione videndus est idem Lezana *loco cit. disput.* 4. *quæst.* 7.

Sed dicendum est cum communi sententia, non teneri hunc, cui sic reuelatum est esse damnatum ad sperandum, non quia sit ablatum præceptum, sed quia ratione status ablata est potestas, vnde pro eo tempore non est obligatus, potest ta-
12 men sperare auxilia necessaria ad aliqua bona opera, & ad vitanda singula peccata, quia non est repugnare reuelationi, imò non debere, nec posse desperare propropriè, & positiuè de misericordia Dei tenent ex multis rationibus Suarez, & Castro-palao *locis citatis*, Baldell. *de Spe, & Charitate lib* 2. *disput.* 2. *num.* 1. Bonaecina verò *in primo Decalogi præcepto disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 4. *vers. Ego verò*, tenet, posse sine peccato Inconstantem esse, &c. sine peccato mortali desperare, ex Becano, Lorca, Turriano, & Bannez.

Quod intelligit, modo negatio futuræ Beatitudinis non reducatur in defectum omnipotentiæ, vel misericordiæ Dei, cum Deus possit quemlibet ad Beatitudinis gloriam promouere, & ad claram sui visionem assumere, nec posita illa reuelatione tolli, quin Deus possit sua Diuina omnipotentia Beatitudinem conferre.

13 Sed Baldellus *dicto lib.* 1. *disp.* 5. *num.* 17. *vers. Nec quoad hoc*, reprobat dictum Bonacinæ, & concludit, quod, aut reuelatio est facta per viam comminationis, & tunc manet præceptum sperandi, si verò reuelatio est per modum prophetiæ, tunc præceptum sperandi non manet, nec illius transgressio erit peccatum, quem videas, quia benè, & distinctè loquitur de hac materia; Videndus est etiam Lezana *loco postremè citato, vers. Sententia tamen.*

14 Solùm autem motus desperationis plenè non deliberatus, potest excusari à peccato, P. Auersa *loco cit. vers. Solum*, vbi subiungit, posse etiam actum desperationis excusari ab omni culpa per impotentiam cognitam sperandæ salutis, prout contingit in damnatis, Baldell. *dicta disput.* 5. *num.* 4.

Quæ autem dicuntur in hac materia de timore, & præsumptione videnda sunt apud Doctores *supracitatos*, quia non pertinent propriè ad Inconstantiam.

CAPVT II.

ARGVMENTVM.

De Præcepto, ex quo tenemur diligere Deum, & Proximum: Quomodo in hoc Præcepto consideretur Inconstantia. An Offensus inimico veniam petenti debito modo pacem dare teneatur. Et de Præcepto eleemosynæ; Et qui sint in illo Inconstantes.

SVMMARIVM.

1 *Pracepta charitatis qua sint, & quot.*

2 *Praceptum de diligendo Deum obligat semper, & pro semper.*

3 *Et à quo tempore obligare incipiat.*

4 *Puer statim, ac vsum rationis assequitur, an obligetur pracepto de amando Deum, & num. seq.*

Actum dilectionis erga Deum quo tempore, quis teneatur elicere.

5. *Motus contritionis est motus charitatis.*

Contritio necessaria ad impetrandam veniam peccatorum.

6 *Pracepto dilectionis erga Deum quando, & quotupliciter contraueniatur.*

7 *Deus amandus super omnia, & quomodo id adimpleatur.*

8 *Deus an, & quomodo possit odio haberi, & num. seq.*

Odium quid sit.

9 *Lusores Deum blasphemantes eum amittunt in ludo, dicuntur odio Deum habere.*

Corrigendi sunt per adstantes ex pracepto Charitatis, & Religionis.

Honor Dei defendendus aduersus illum blasphemantem non expectata spe emendationis.

10 *Blasphemia erga Deum peccatum omnium maximum.*

Charitas in Deum virtus omnium maxima.

Pessimum illud, quod contrarium optimo.

11 *Desiderans deliberatè perpetuò in hac vita degere, peccat contra praceptum Charitatis, & dilectionis in Deum.*

Vitam longam desiderans non peccat.

12 *Dilectio proximi praceptum Charitatis naturale, & supernaturale.*

13 *Praceptum diligendi proximum comprehendit dilectionem Angelorum, & de ratione.*

Praceptum Charitatis erga Proximum non solùm respicit eos quibus benefacimus, sed etiam à quibus beneficia recipimus.

14 *Beati diligendi sunt ex pracepto Charitatis erga Proximum.*

15 *Anima Purgatorij diligenda sunt ex pracepto charitatis erga Proximum.*

Anima Purgatorij dicuntur Viatores non sunt in termino, sed sunt capaces, & indigentes nostrorum beneficiorum.

16 *Damones, & damnati an, & quomodo diligi possint ex pracepto charitatis erga Proximum, & num. seq.*

Vitam aternam Damonibus velle non licet, prout nec damnatis.

17 *Tristitia, & displicentia damnationis alicuius per modum affectus inefficientis, seu conditionati dicitur actus licitus, & honestus.*

18 *Viatores diligendi ex pracepco charitatis.*

Peccatores quatenus ex pracepto charitatis diligendi.

Peccatores quoad culpam sunt odibiles.

19 *Inimicos nedum amicos diligere, est praceptum charitatis.*

Inimicum ex pracepto, & de fide tenemur non odisse.

20 *Dilectio inimici quando, & quomodo debeatur ex pracepto charitatis.*

21 *Odium inimici est peccatum mortale, & maximum eorum, qua erga Proximum committuntur.*

22 *Malum erga Proximum, vel inimicum an, quando, & quantum imprecari liceat, & num. 25.*

23 *Desiderium mortis violenta erga Proximum an, & quando sit contra charitatem.*

Mater infanti recens nato, & baptizato, postmodum ab Hareticis, vel Turcis capto licitè mortem desiderat priùs, quàm adolescat ne peruertatur.

Mortem sibi, filio, vel amico licet desiderare sub conditione, quod Deum sit offensurus, & de ratione.

24 *Mortem sibi, vel proximo licet desiderare ad terminandam vitam miserrimam ob dolores corporales, ac ex maxima ignominia, vel egestate.*

26 *Amoris actus positiuus an, & quando elici debeat erga inimicum:*

Extrema vrgente necessitate non solùm Proximo, sed & inimico opere succurrendum, & num. 31.

Inimicus excludendus non est à generalitate nostri amoris, quo omnes generaliter diligimus.

Odium erga inimicum deponere; & iniurias de corde remittere tenemur.

Inimico veniam petenti remissio exterius significanda, & num. 35. & 52.

Remissionis significatio si denegetur inimico pe-

teuti veniam talis negatio est signum odij, & num. 62.

27 *Offensus an teneatur dare pacem inimico veniam petenti cum modo debito, & numeris seqq.*

31 *Offensus an teneatur inimico veniam petenti cum debito modo pacem facere cum scriptura, & rogitu Notarij.*

32 *Pax ex consuetudine præsertim in Statu Ecclesiastico proberi non potest nisi per rogitum Notarij.*

Pax fieri debet secundum consuetudinem locorum.

Offensus sacramentaliter absolui non potest, nisi pacem fecerit cum rogitu Notarij stante consuetudine.

33 *Offensus tenetur facere pacem mediante rogitu Notarij, quando ipse dedit causam offensæ, & num. 52.*

34 *Offensus non retinens animum ultionis, & relinquens cursum iustitiæ, aut, & quando excusetur à danda pace.*

35 *Negatio pacis offendenti, qui illam petit cum debitis modis, scandalum generat actiuum ex parte negantis, & num. seq.*

37 *Scandali occasionem dare non licet.*

Religiosus per omnem defectum rectitudinis religiosæ generat scandalum.

38 *Iniuria facta Monaco dicitur facta Monasterio, & num. 46.*

Abbas, seu Religionis Superior habet ius ulciscendi iniuriam factam Monaco, seu Religioso.

39 *Remissio iniuriæ factæ Monaco spectat ad Abbatem, vel eius Superiorem.*

40 *Offensus tenetur dare pacem offendenti illam petenti cum debitis modis, quando offendens est persona bonorum morum, & nu. 52.*

Eò magis si sit, etiam minor.

41 *Iustitia iniusta dicitur zelo iustitiæ facere quod fit ad placendum Mundo.*

42 *Appetitus vindictæ ob iniuriam priuatam non est virtus.*

Affectus vindictæ circa modum executionis an, & quatenus virtus sit, & num. 52.

Condonatio offensæ laudatur.

Remissio peccatorum ijs, qui Proximo iniurias remittunt peculiariter promissa est.

Desiderium vindictæ quatenus permittatur.

43 *Pax immediatè post delictum petita, quando, & à quibus denegari possit.*

44 *Pax facta propter amorem Dei excludit omnem ignominiam.*

Pax dari debet offendenti, quando aliàs sine ea vitæ periculum incurreret.

Vel quando maiora occurrere possent inconuenientia, & num. 52.

Etiam per rogitum publici Notarij.

45 *Offensus remittere non tenetur actionem iniuriarum.*

Offensus etiam data pace, potest ab inimico petere refectionem damni, & interesse, & num. 47.

Actio iniuriarum importat refectionem damni, & interesse.

46 *Princeps punire tenetur malefactores, non obstante pace, & iniuriarum remissione, & cur.*

Abbas, seu Superior Religionis potest in Monacos, seu Religiosos rixantes animaduertere, non obstante quod pacem inierint inter se.

47 *Pater potest remittere iniuriam factam filio etiam eo inuito.*

48 *Pacem deneganti, an sint deneganda Sacramenta.*

Ordinarius incumbere qualiter debeat, ut offensus det pacem offendenti.

Offensus quæ dilectionis signa exhibere debeat offendenti.

49 *Status virorum Religiosorum debet esse omnino perfectus.*

Scandalum, & Proximi ruinam euitare quilibet tenetur.

50 *Offensus an teneatur dare pacem offendenti, qui veniam petat, & satisfactionem offerat arbitrio boni viri.*

51 *Offensus pro sui satisfactione potest reijcere arbitrium boni viri, & taxationem petere à Iudice.*

52 *Offensus tenetur inimico exhibere particularia amoris signa quando inimicus veniam petit, & satisfactionem offert.*

Offensus quando teneatur inimico dare litteras pacis.

Offensus tenetur pacem dare inimico petenti, ob cuius alterationem graue immineat damnum innocenti puta uxori, filijs, &c.

Offensus tenetur dare pacem inimico, quando aliàs ex denegatione pacis daretur occasio scandali.

Negatio pacis erga offendentem est per se mala, & contra charitatem.

Inimicus tenetur quantum ex se potest ad satisfactionem iniuriæ, sed ulterius urgeri nequit.

Episcopus tenetur pacem dare inimico illam petenti.

Episcopus denegans pacem inimico potest ad eam cogi in foro fori auctoritate Summi Pontificis.

53 *Religiosi profitentur eandem perfectionem, quam Episcopi.*

54 *Religiosi offensi pacem exhibere an spectet ad illius consanguineos, vel ad Superiorem Religionis.*

55 *Pax in foro fori exhiberi debet per publicum Instrumentum.*

Pæna offendenti mutari, vel minui non potest nisi de pace doceatur per publicum Instrumentum.

56 *Senatus Mediolani in aliquibus casibus dare solet pacem pro offenso illam iniustè deneganti.*

57 *Pacem faciens tenetur illam constanti seruare.*

58 *Pænæ contra frangentes pacem seuerissimæ, & quæ in Statu Ecclesiastico.*

59 *Pacem frangentes qui dicantur.*
60 *Pax leuibus ex offensionibus an, & quando rupta dicatur.*
Offensa, quæ dicatur leuis, quæ grauis.
61 *Pax verbalem per iniuriam an, & quando rupta dicatur.*
62 *Pax ex Statuto Vrbis non censetur rupta per verbalem iniuriam, sed pro illa agi potest ciuiliter ad æstimationem, & pœnam.*
63 *Pax an, & quando censeatur rupta per minas.*
64 *Pax an, & quando rupta censeatur per insultum cum euaginatione armorum.*
65 *Pax an, & quando rupta censeatur per insultum factum ad domum alienam habitatam ab insultato.*
66 *Pax censetur rupta per insultum cum adminatione sine alicuius vulnere.*
67 *Item per proiectionem lapidis, vel teli sine vulnere.*
68 *Item ex sola directione archibusij.*
69 *Quid per violentam ablationē rei de manibus.*
70 *An, & quando censeatur rupta per insultum factum super vestibus cum percussione.*
71 *Quid de illatione metus.*
72 *Rupta censetur ex offensione secuta de mandato illius, qui pacem inierat.*
73 *Quid de offensione secuta prouocante aduersario.*
74 *Pax an, & quando censeatur rupta ex copula carnali habita cum muliere illius, cum quo fuerat inita.*
Rupta censetur ex vitio nefando.
Vitium nefandum exercitum præsumitur causa iniuriandi.
75 *Pax an, & quando censeatur rupta per furtum rapinam, deuastationem, seu damnum datum in bonis.*
Furtum non præsumitur factum animo iniuriandi, sed lucri causa.
76 *Pax an, & quando censeatur rupta per accusationem.*
Rupta an, & quādo censeatur si paciscens reduxit aduersarium ad calamitatem, vel ad periculum amissionis bonorum, vel fecit eum priuari officio, aut dignitate.
Quid si paciscens non accusauerit, sed adhæserit accusationi per alium propositæ illamue instigauerit.
Quid si paciscens testimonium fecerit in iudicio contra aduersarium, cum quo pacem inierat.
Quid si paciscens Aduocati munus exerceat in iudicio contra eum, cum quo pacem inierat.
77 *Pax rupta non censetur per accusationem factam de eo, cum quo fuerat inita, si accusetur de delicto hæresis, vel læsæ maiestatis.*
Quamuis accusatio fiat liuore vindictæ.
Delicta hæresis, & læsæ maiestatis sunt atrocissima.
Pax rupta non censetur per accusationem, delationem, vel subministrationem probationum contra eum, cum quo fuerat inita, vbi agitur de delicto assassinij.
Assassinium respectu atrocitatis æquiparatur delictis hæresis, & læsæ maiestatis.
78 *Pax violatur per offensam illius, cum quo fuerat inita, secutam extra Territorium Iudicis, coram quo facta erat.*
Pacem rumpens extra Territorium Iudicis, coram quo fuerat inita, ad quam pœnam teneatur.
Et an sit remittendus ad eundem Iudicem, coram quo inita erat.
In Italia ex consuetudine non remittitur.
Principes ferè omnes remittunt delinquentes ad Curiam Romanam obedientes Summo Pontifici.
79 *Curia Romana punit delinquentes vbicunque deliquerint, nec illos remittit ad alios Principes.*
80 *Pax an violetur ex eo quod non defendatur paciscens à tertio offensus.*
81 *Pax dicitur rupta si occidatur aduersarius Bannitus, qui non poterat impunè offendi.*
82 *Prohibitus accedere ad aliquem locum, si per illum locum prohibitum transeat ad effectum accedendi ad alia loca non prohibita, exinde non dicitur prohibitioni contrauenisse.*
Gratiatus in Statu Ecclesiastico, prohibetur accedere ad locum delicti, & ad locum vbi habitat pars offensa, vel eius hæres donec pacem obtinuerit.
83 *Pax an, & quando rupta censeatur ex eo quod paciscens offendat vxorem, vel filium compaciscentis.*
84 *Quid si offenderit illius fratres, vel consanguineos.*
Offendentes fratrem, vel consanguineum paciscentis grauius puniuntur in Statu Ecclesiastico.
85 *Offendentes fœminas paciscentis an, & quando dicantur rupisse pacem.*
Pax facta pro se, & affinibus comprehendit etiam fœminas.
86 *Pax an dicatur rupta per offensam factam adhærentibus paciscentis.*
Pax facta inter Principes an comprehendat adhærentes.
87 *Pax an dicatur rupta ex offensione in socium itineris paciscentis.*
88 *Pax facta inter plures rumpitur per offensionem vnius ex paciscentibus.*
89 *Pax non dicitur rupta per offensionem paciscentis ex noua causa.*
Pax censetur inita ob veteres causas.
Offensio facta ex noua causa quamuis iniusta, non importat ruptionem pacis.
90 *Offensa ob nouam causam siue incontinenti, siue ex interuallo exortam, facit, quod pax non dicatur rupta.*
91 *Offensus ex noua causa an possit offendentem reoffendere sine pœna pacis ruptæ.*
92 *Offensus ex noua causa potest offendentem reoffendere citra pœnam pacis ruptæ, quamuis*

offensa sit talis, quæ non rumpat pacem.

93 *Clausula* quod pœna toties committatur quoties contrafactum fuerit, *apposita in Instrumento pacis nihil operatur quando offensa prouenit ex noua causa.*

94 *Offensus ex noua causa offendentem reoffendens ex interuallo, non incurrit pœnam fractæ pacis.*

Offensus ex interuallo offendentem reoffendens qua pœna tenentur.

95 *Pœna pacis ruptæ non intrat ex offensione secuta post quam alter ex comprehensis in pace primo offenderat.*

Secundo offendens sicuti non tenetur pœna pacis ruptæ, ita nec illam potest exigere à primo offendente.

96 *Noua causa qualis esse debeat, quæ excuset à pœna pacis ruptæ.*

Noua causa iniusta, & leuis, an, & quando excuset à pœna fractæ pacis.

Noua causa procurata, vel affectata per offendentem, an, & quando excuset à pœna fractæ pacis.

Noua causa proueniens ex genere prohibitorum an, & quando excuset à pœna fractæ pacis.

Auctor nouæ rixæ non potest allegare nouam causam ad effugiendam pœnam fractæ pacis.

Pax quando fuit generaliter facta tunc noua causa ab illius fractione non excusat.

Noua causa allegari non potest ad euitandam pœnam fractæ pacis in Statu Ecclesiastico, ac vbi viget Statutum illam non admittens.

97 *Statutum prohibens allegari nouam causam ad effugiendam pœnam fractæ pacis, intelligitur de causa friuola, & iniusta, non autem de iusta, & rationabili.*

Quid de noua causa dependente à necessaria defensione.

98 *Noua causa ad effugiendam pœnam fractæ pacis quomodo sit probanda in Statu Ecclesiastico.*

99 *Statutum prohibens allegari nouam causam ad effugiendam pœnam fractæ pacis, de quibus subditis intelligatur.*

100 *Constitutiones Apostolicæ prohibentes allegari nouam causam ad effugiendum pœnam fractæ pacis, quos ligent vassallos.*

Bulla Pij Quarti prohibens allegari nouam causam ad effugiendum pœnam fractæ pacis, quando habeat locum.

101 *Promittens non offendere in persona non tenetur pœna fractæ pacis ex eo, quod corpus pacifcentis tetigerit, pulsauerit, percusserit, insultauerit, dummodo non læserit.*

Quid si occidisset equum pacifcentis.

102 *Ambo pacifcentes si se inuicem offendant, nec constet quis prius offenderit, neuter tenetur ad pœnam fractæ pacis.*

103 *Pacifcens an teneatur pœna fractæ pacis ex eo quod offenderit cadauer compacifcentis defuncti.*

104 *Pœna fractæ pacis non intrat ex offensione facta sine dolo.*

Animus offendendi, & dolus offendentis quomodo probetur ad incurrendam pœnam fractæ pacis.

105 *Pœna fractæ pacis non intrat ex offensione facta ignoranter.*

106 *Nec ex offensione facta ab eo, qui principaliter non habuit animum frangendi pacem.*

107 *Auxiliator an, & quando incurrat pœnam fractæ pacis.*

108 *Absens pro quo pax fuerat promissa si offendat pacifcentem ante ratificationem non incurrit pœnam fractæ pacis.*

Pacifcens non dicitur pacem rumpere offendendo vnum ex ijs quem promisit non offendere ante illius ratificationem.

Quid si constet de ratificatione tacita resultante ex iudiciali productione Instrumenti pacis.

109 *Vel Notarius stipulatus fuerit pro absente, vel pax facta fuerit coram Iudice.*

Ratificatio pacis non retrotrahitur vt ex intermedia offensa incurratur pœna illius fractionis.

110 *Consuetudo obligandi sub pace etiam absentes ad incurrendam pœnam illius fractientes, an sit attendenda.*

111 *Absens ab actu pacis si offendat eum cum quo fuit inita, an, & quando incurrat pœnam fractionis.*

112 *Pœna fractæ pacis non incurritur quando illa est nulla, vel inualida.*

113 *Pacis fœdera inter Principes eandem habent vim quam pax inter priuatos.*

Princeps construens pontes pro passu gentium armaturum, vel ædificans fortalitium aptum ad nocendum, an dicatur rupisse pacem, vel contrauenisse pacto de non dando passum gentibus armatis.

114 *Fœdus inter Principes quando dicatur violatum.*

115 *Pacifcentes an, & quando inconstantes possint à contractu pacis recedere ante commissam pœnam.*

Reipubl. interest, ne eius tranquillitas per Bella turbetur.

Pacifcens recedere non potest à contractu pacis inuita altera parte.

116 *Pœnæ omnes in Statu Ecclesiastico censentur stipulatæ pro Camera Apostolica.*

117 *Occidens eum, cum quo pacem habebat tanquam proditor non gaudet immunitate Ecclesiastica.*

118 *Occidens eum, cum quo habebat pactum de non offendendo an gaudeat immunitate Ecclesiastica, & num. seq.*

120 *Proditor an, & quando dicatur qui pace inita aduersarium occidit.*

Promissio de non offendendo quomodo differat à pace.

121 *Reconciliatio simplex an sufficiat, vt ea non obstante offendens excludatur ab immunitate Ecclesiastica.*

122 *Simplex reconciliatio non tollit durationem inimicitiæ.*

123 *Pax inita ab antiquo non minuit pœnam fractæ pacis.*

124 *Occidens aliquem non obstante pace ex noua causa non priuatur immunitate Ecclesiastica.*

125 *Præceptum erogandi eleemosynam est de iure naturali, & Diuino, & obligat sub mortali.*

126 *De materia eleemosynæ.*

127 *Eleemosynam, qui dare consueuit an constans teneatur illam dare perpetuò.*

128 *Ciuitas reuocare inconstans non potest annuam eleemosynam Religiosis dari solitam.*

129 *Statutum reuocans eleemosynat an, & quando sit attendendum.*

130 *Statutum mandans dari eleemosynas, & à Summo Pontifice confirmatum, reuocari non potest.*

131 *Anniuersarium celebrare qui fecit in Ecclesia per diuturnum tempus, an possit inconstans illud prætermittere.*

132 *Consuetudo per quodcunque tempus non inducitur in facultatiuis.*

133 *Actus facultatiui fauore Ecclesiæ indicant animum se obligandi in futurum.*

134 *Protestatio eleemosynæ gratuita, & per modum liberæ deuotionis non obligat in futurum.*

135 *Eleemosynæ consuetæ dari pauperibus an, & quando obligent in futurum.*

136 *Decennalis præstatio eleemosynæ, an, & quando faciat præsumere titulum,& num. sequen.*

138 *Actus facti ex causa deuotionis, & eleemosynæ regulariter non obligant in futurum.*

139 *Actus continuati per longissimum tempus, obligant in futurum quamuis facti ex causa deuotionis, & eleemosynæ.*

140 *Actus facti ex causa deuotionis, & eleemosynæ per decem annos fauore piæ causæ obligant in futurum.*

Actus facultatiui adhuc obligant in futurum quando agitur de fauore Ecclesiæ, & piæ causæ.

141 *Actus non præsumuntur facultatiui fauore piæ causæ, & Diuini cultus.*

142 *Præstatio diuturna quando fit in piam causam inducit obligationem quamuis fiat ex mera liberalitate.*

143 *Præstatio eleemosynæ erga pauperes quando obliget in futurum.*

144 *Eleemosynæ, & oblationes variabiles, & non habentes certum subiectum non possunt liquidari in certa summa.*

145 *Eleemosynæ quando computentur inter fructus beneficij.*

146 *Prædicatori non tenetur erogare eleemosynam populus, sed Episcopus, & Parochus.*

Episcopus, & Parochus tenentur populo prædicare.

147 *Parochus non potest se excusare à munere prædicandi ob tenuitatem redditnum beneficij.*

148 *Populus tenetur ad eleemosynam Prædicatori erogandam,quando aliàs Episcopo non remaneret necessarium pro sui substentatione.*

149 *Laici tenentur, & cogi possunt ad eleemosynam Prædicatori erogandam stante consuetudine.*

150 *Vniuersitas non potest reducere ad minorem quantitatem eleemosynam consuetam Prædicatoris.*

151 *Episcopus an, & quando teneatur de proprio conducere Prædicatorem pro Quadragesima.*

152 *Populus non tenetur seruare consuetudinem præstandi eleemosynam Prædicatori Cathedralis quando ille eligitur ab Episcopo.*

153 *Quid si consuetudo sit immemorabilis.*

154 *Regulares, qui ab immemorabili soluunt eleemosynam Prædicatori Cathedralis non possunt inconstantes illam denegare.*

155 *Episcopus ex consuetudine soluens eleemosynam Prædicatori Cathedralis, qui eligitur à populo, non potest inconstans illam denegare, sed vindicare sibi potest electionem Concionatoris, non obstante consuetudine etiam immemorabili.*

156 *Episcopus potest sibi vindicare electionem Prædicatoris Cathedralis fieri solitam à populo, vel alio inferiori ex consuetudine, sed tunc non potest cogere populum ad soluendum illius eleemosynam.*

157 *Quid stante immemorabili consuetudine.*

158 *Episcopi ab arbitrio dependet an velit sibi vindicare electionem Prædicatoris Cathedralis, non obstante consuetudine immemorabili, quod populus, vel alius illum eligat, nec tunc potest compellere populum ad soluendam pro eo eleemosynam, vel malit huiusmodi facultatem populo relinquere, eumque cogere ad solutionem eleemosynæ, & numero sequente.*

160 *Eleemosynam soluere solitus Prædicatori Ecclesiæ inferioris electo per Episcopum, non potest inconstans illam denegare.*

161 *Episcopus eligens Prædicatorem Ecclesiæ inferioris, illique soluens eleemosynam, non potest inconstans illam denegare.*

162 *Populus ex immemorabili consuetudine eligens Prædicatorem inferioris Ecclesiæ, illique soluens eleemosynam si vult vti facultate eligendi, non potest inconstans eleemosynam denegare.*

163 *Episcopus ex iuris sola assistentia potest eligere Præ-*

gere Prædicatorem Ecclesiæ inferioris donec Vniuersitas probauerit immemorabilem per tres conformes.

164 *Praxis Sacræ Congregationis circa electionem Concionatoris Ecclesiæ inferioris ad vitanda scandala inter populum, & Episcopum.*

165 *Quid si Vniuersitas alleget immemorabilem consuetudinem, & num. seq.*

167 *Vniuersitas quibus in casibus teneatur soluere eleemosynam Prædicatori electo ab Episcopo, non obstante consuetudine, quod eligatur per Vniuersitatem, & quando amittat ius eligendi.*

168 *Eleemosyna quomodo soluatur Prædicatori in Francia.*

169 *Diuites an, quando, & quomodo cogi possint ad faciendam eleemosynam pauperibus.*

170 *Capitulum tenetur ad eas eleemosynas, ad quas tenetur Episcopus.*

171 *Eleemosynam dare qui tenetur si illas non soluat an, & quando teneatur resarcire damnum indigenti, & num. seq.*

173 *Schisma est peccatum contra charitatem.*

DVO sunt præcepta Charitatis, alterum consistit in dilectione Dei, alterum in dilectione Proximi.

1 Primum habetur in Deuteronomio 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & cap.* 10. *& cap.* 11. Alterum habetur in Euangelio Matthæi 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

2 Primum præceptum cum contineat aliquid negatiuum, vt non habere Deum odio obligat semper, & pro semper, ità P. Suarez *de Præcept. Charitatis, sectione* 3. *num.* 1.

Quo tempore autem obliget huiusmodi præceptum non sunt concordes senten-
3 tiæ, nam aliqui tenent obligare statim atque puer vsum rationis assequitur, vt ex Nauarr. Soto, Bannez, Toled. & Rodriq. ait Sanch. *ad Præcepta Decalogi, cap.* 35. *lib.* 2. *num.* 6. Lezana *tract.* 3. *de Charitate, disp.* 4. *quæst.* 6. *vers. Qua in re.*

Alij autem tenent eo tempore hoc præceptum non obligare, sic Valentia, Vas-
4 quez, Suarez, Azor, Filiarch. Medina, & alij ab eodem Sanchez *loco cit. num.* 6. *allegati*; quam opinionem tanquam probabiliorem ipse sequitur, & eam tenent alij allati à Baldello *de Spe, & Charitate, lib.* 2. *disp.* 13. *num.* 12. qui hanc dicit communem.

Præterea multi distinguunt tempora, quo quis tenetur elicere actum dilectionis
5 erga Deum, de quibus latè per Sanch. *loco cit.* Baldell. *loco cit. disp.* 15. & Suarez *loco cit.* Auersa *de Fide, quæst.* 24. *sect.* 3. in quo etiam non sunt concordes Baldell. *loco cit. num.* 16. *vers. Reiectis*, dicit, non posse in

hoc tradi meliorem regula in illa, quæ generaliter traditur à S. Thom. *quæst.* 25. *de Virtute, art.* 7. *ad* 7. vt tunc obliget hoc præceptum quando obligat aliquod ad aliud præceptum, quod sine Charitate erga Deum non potest impleri, v. g. si Sacerdos debeat conficere, vel administrare Eucharistiam, vel debeat quis suscipere Sacramenta, vel cogitare de sua salute, seque ad illam disponere, vel vniuersaliter quando quis debet iustificari extra Sacramenta, vt notat Vasq. *par.* 2. *disp.* 148. *cap.* 2. *num.* 9. cum ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. motus contritionis, qui est etiam motus Charitatis semper fuerit, & modo sit necessarius ad impetrandam veniam peccatorum, vt benè idem Baldell. *loco cit. disp.* 15. *num.* 1. quod etiam voluit Suarez *d. sect.* 3. *num.* 6.

Cum ergo teneatur homo hoc præcepto non potest Inconstans esse in eo, quæ Inconstantia triplici modo succedere potest.

Primò, omittendo actum dilectionis, quando ex præcepto eliciendus est. Se-
6 cundò quando amatur Deus, sed non debito modo. Tertiò, quando odium formale Dei habetur, Sanchez *d. cap.* 35. *n.* 10. Baldell. *d. disp.* 35.

Debet enim amari Deus super omnia, hoc est, vt bona omnium maxima illi ve-
7 limus, quod est illum amare obiectiuè, & super omnia, vt ipsum, & eius amorem alijs omnibus præferamus, & simpliciter plurimi æstimemus, & appretiemus, quod est illum amare super omnia appretiatiuè, & vt illum amemus propter se, non autem propter aliquod bonum creatum, quod sit ratio formalis, vel causa finalis, vt ille ametur, non autem præcipitur, vt cum summo conatu, & intensissimè diligamus, siue habito respectu ad vires potentiæ, etiam adiutæ per gratiam, siue facta comparatione ad alios actus, qui fortè intensissimè à nobis eliciuntur, aut solent elici circa alia obiecta, vt benè Baldell. *loco cit. disp.* 12. *num.* 2.

Et licet Deus secundum se, & vt est infinitum bonum odio haberi nequeat, po-
8 test tamen tanquam alicui infestus, vt explicat Azor. *Instit. moral. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 4. *quæst.* 6. Quia odium est actus, quo in quantum nos punit, vel aliquid mali, aut molesti nobis infert, & in quantum nobis non confert ea bona, quæ ab illo optamus ac petimus, & illa prohibet, quæ nostræ sensualitati, & voluntati inordinatæ sunt consona, benè potest ratione eorum effectuum apprehendi, vt nobis sit molestus, & infestus, & malus, & sic potest odio haberi, vt probat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 34. *art.* 1. & optimè explicat Baldell. *d. disp.* 15. *nu.* 21. Sanchez licet breuiter *d. cap.* 35. *n.* 10.

In quo peccant lusores illi, qui cum
9 amittant in ludo pecunias, odij blasphemias contra Deum iaciunt, videntur enim odio habere Deum, cum pecuniam in ludo victores non obtinent, quasi quod Deus hanc, vt aiunt, fortunam illis non concedat, quos ex præcepto Charitatis, & Religionis tenemur corrigere, quando honor Dei ob similes blasphemias periclitatur, tenemur enim honorem Dei defendere, non expectata spe emendæ in blasphemante, vt benè Sanchez *in d. cap. 35. num. 9.*

Hoc genus blasphemiæ, siue peccatum odij Dei esse omnium maximum rectè dicitur, quia opponitur directè virtuti omnium maximæ, quæ est Charitas in Deum,
10 & semper illud est pessimum, quod est contrarium optimo, vt habetur 8. Ethicorum *cap.* 16. Baldell. *d. disp.* 16. *num.* 12. latè Suarez *de Præcepto Charitatis, disp. 6. sect. 2. per totam.*

Inconstans etiam in hoc præcepto esset ille, qui desideraret deliberatè perpetuò in hac vita degere, quia deliciæ huius
11 sæculi præponerentur vitæ æternæ, & fruitioni Dei; secùs autem, si vitam longam desideraret, vt ex Nauarr. Barthol. Ledesma, & Emanuel Rodriquez, tenet Sanchez *d. cap.* 35. *num.* 11.

Alterum præceptum Charitatis consistit in dilectione Proximi, quod præcep-
12 tum esse naturale, & supernaturale docent Theologi, sic Suarez *d. disp.* 5. *sect.* 4. Baldell. *loco cit. disp.* 16. *num.* 2.

Proximi autem appellatione veniunt primò Angeli, vt ex D. Thoma, & Au-
13 gust. tenet Auers. *de Fide, quæst.* 25. *sect.* 2. & ratio est, quia præceptum Charitatis non solum respicit eos quibus benefacimus, sed etiam eos, à quibus beneficia recipimus.

14 Secundò, veniunt Beati, vt ex eodem D. Thom. & Durand. docet Auersa *loco cit. num.* 2.

Tertiò, Animæ, quæ sunt in Purgatorio, nam sunt Viatores, cum nondum
15 sint in termino, & sint capaces, & indigentes nostrorum beneficiorum, Auers. *loco cit. vers. Et inter Viatores.*

An autem hoc præceptum respiciat Dæmones, & damnatos distinguit ex eodem D. Thom. Auers. *loco cit.* vt scilicet possi-
16 mus diligere Dæmones, quatenus volumus conseruati ad manifestationem Diuinæ gloriæ, eo modo quo diligimus irrationales creaturas; sed non extenditur ad eos simpliciter Charitatis amor, quia non licet eis velle vitam æternam, quod potiùs repugnat Charitati Dei, qua Diuinam Iustitiam approbamus.

Idem dicendum est de damnatis, erga quos licèt nō possit dari voluntas efficax, & absoluta de salute eorum, potest tamen dari aliqua voluntas per modum affectus inefficientis, & conditionati, siue per modum tristitiæ, & displicentiæ de eorum
17 damnatione, qui actus est licitus, & honestus, vnde si per Diuinam reuelationem quis edisceret, animam sui patris, vel alterius, quam valdè diligebat, esse in Inferno damnatam, vtique posset licitè dolere de eius damnatione, non quidem quatenus opus quoddam Diuinæ Iustitiæ est, sed quatenus malum illius animæ est.

Quartò, Viatores non solùm Iusti, sed peccatores, qui tamen diligendi sunt
18 quantum ad naturam, non autem quantum ad culpam, quia vt sic potius sunt odibiles, D. Thom. *de obiecto Charitatis, artic.* 5. Auer. *loco cit. vers.* 3. Suarez *loco citato sect.* 5.

Quintò, Proximi sunt non solum amici, sed inimici, quos diligere debemus,
19 ex vi enim huius præcepti tenemur non odisse inimicos, & est de fide, vt notat Suarez *loco citato num.* 1. Auers. *loco citato art.* 4.

Hoc autem præceptum obligat secundum Suar. Valent. & Reginald. *citat. à* Baldell. *de Spe, & Charitate, lib.* 2. *disp.* 16. *nu.* 6.
20 quandò tenemur inimico benefacere, siue corporaliter, siue spiritualiter, non quidem per actum internum per se loquendo, sed per accidens ratione actus externi, vt docet Baldell. *loco citato.*

Deuiare autem ab hoc præcepto, & in eo Inconstans esse non licet absque peccato mortali, quod quidem peccatum
21 maximum est eorum, quæ sunt contra proximum, D. Thom. 2. 2. *quæst.* 34. *art.* 4. Suar. *d. disp.* 6. *sect.* 2. *num.* 1.

Sed an liceat imprecari malum proximo, communis opinio est licere ad effe-
22 ctum, vt corrigatur, etiamsi persona, cui optatur sit inimica, D. Thomas 2. 2. *quæst* 83. *ad tertium*, Reginaldus *in praxi, lib.* 17. *cap.* 12. *sect.* 2. *num.* 9. Et ex his Baldell. *loco cit. num.* 9. Suar. *d. disp.* 5. *sect.* 5. *num.* 2. dummodò malum illud, quod optatur, sit quantum est necessarium ad illum bonum finem, qui intenditur, vt dicunt Baldell. & Suarez *loco cit.*

Non erit etiam contra Charitatem optare proximo etiam amico mortem etiam illatam violenter à Iudice per sententiam
23 iustam, si credat per hoc vitandum esse illi maximum infortunium, vel debere illi multum prodesse ad vitam æternam consequendam; vel si mater infanti recens nato, & baptizato, ac capto ab Hæreticis, vel Turcis mortem optet, & precetur à Deo; antequam veniat ad vsum rationis, ne postea peruertatur, & Fidem deserat; vel si quis sibi ipsi, vel filiis, vel amicis mortem optet sub conditione,

quod Deum non sit offensurus, quia in his omnibus casibus non optatur malum, sed maius bonum, vt ex Reginald. Baldell. *loco cit. num.9. vers. Atque hoc modo.*

Et idem est, si alicui ad terminandam
vitam miserrimam ex maximis doloribus
24 corporalibus, vel ex maxima ignominia,
& infamia, in quam fortè incurrit, vel
ex maxima ægestate optetur mors, quam
etiam ipsi sibi quis licitè optat à Deo præcatur, vt malum minus, imò vt bonum ad fugam, & terminum mali maioris, Baldell. *loco cit. num.9. vers. Et idem est.*

Sed quia periculum est, ne hæc desideria mali temporalis, aut corporalis erga
25 inimicos potius ex odio oriantur, quam
ex zelo Iustitiæ, aut alterius boni maioris, tutiùs est, vt illis non optentur, nisi fortè sub conditione, quod illis, vel alijs certò sint profutura, vt notat idem Baldell. *loco citato num.*10.

Et quamuis erga inimicos non teneamur elicere positiuè actus amoris, nisi
26 quando sunt in extrema necessitate, quia
tunc tenemur opere ipso illis succurrere sicut & omnibus alijs proximis, D.Thom. 2. 2. *quæst.25. art.9.* Semper tamen tenemur non elicere positiuè erga illos actus odij, sed tenemur semper positiuè illos non excludere à generalitate nostri amoris, quem habemus generaliter erga omnes proximos, D.Thom. 2.2. *qu.25.art.8.* & tenemur positiuè erga illos deponere odium, & omnes iniurias de corde remittere, iuxta illud Matthæi 6. *Si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris,* idque exterius illis significare, si petant veniam, ne alioquin hæc ipsa negatio externæ significationis sit signum odij, Baldell. *de vitijs capitalibus, lib.3. disp.23. num.4. & seq. & d. disp.16. num.11.*

Sed an si inimicus petat modo debito veniam, teneatur offensus illi pacem dare in scriptis, casus iste accidit mensibus elapsis; nam cum quidam nobilis adolescens offensus à quodam Religioso, qui litem
27 motam prædicto Iuueni malis artibus, foueret,
baculo eum percussit, non animo quidem eum occidendi, miser tamen ille post paucos dies occubuit, damnatus adolescens in contumacia, rigorosè tamen, in pœnam capitis, & confiscationis bonorum, transacto anno à die condemnationis, petijt pacem à Superiore Religionis, & circa hoc fauorem ab Eminentissimo Religionis Protectore, qui consuluit super hac petitione; Consultores autem Religionis illi scripto italico sermone exarato eidem Protectori responsum dederunt, vt infra:

28 *PER vbbidire a i commandamenti di V. E.
si è discorso nella nostra Consulta intorno all'omicidio commesso, e se bene si potrebbe rimettere dalla Religione non ostante l'atrocità del delitto, ad ogni modo non pare, che sia obligata a far la pace, ne per ragione dello stato Religioso, perche essendo questo via alla perfezzione, quando la Religione non faccia positiua istanza, ne abbia animo di vendetta, ma lascia operare alla giustizia, che è atto di perfezzione, ne per ragione d'euitar lo scandalo, perche in tal caso è semplicemente passiuo per le ragioni, che s'addurranno.*

Lo prima, perche la remissione si suol fare da chi vuole, e può vendicarsi, e comparire in giudizio.

La seconda, perche non lascia di far la remissione per vendetta, ma per sicurtà de' suoi Religiosi, i quali sarebbeno esposti a tutte l'ore a simili pericoli; così perche il delinquente è stato solito a far simili affronti ad altri Religiosi, come anco perche altri ad esempio di lui anno minacciato di far lo stesso, e non anno mancato amici del delinquente, che vedendo passare alcuni de' nostri Religiosi, anno gridato con sommo vilipendio, Bastone, bastone.

La terza, perche è degno di considerazione, che il sangue dell'vcciso è ancor caldo, ed il delitto troppo fresco

La quarta, perche ridonderebbe in graue ignominia della Religione, facendosi apprendere, ch'auesse fatta la remissione per interesse, essendoui in ciò fondamento, così perche il padre del delinquente ha detto d'auer fauori, e denari con cui aggiustarebbe ogni cosa, come anco per terza persona ha fatto offerire al P.N. somma di denari, acciò facesse la remissione.

La quinta, perche tutte le Religioni esclamano, potendo altri da quest'esempio pigliar' ardire di far lo stesso contro esse.

La sesta, perche il Clero secolare ha il medesimo sentimento, e timore, ed ha parlato co'i Padri nella medesima conformità, e sopra tutto potrebbe temere il Sig. Vicario, che ha fatto il processo, e condannatolo.

Finalmente tutt' i secolari più cospicui, e di buon sentimento fanno la medesima istanza, acciò non si dia adito ad vn tento, e il male esempio.

Questi sono i motiui, che noi abbiamo quì espressi per vbbedire a' commandamenti di Vostra Eminenza.

Mouit Mihi procuranti pacem pro nobili adolescente bilem huiusmodi scriptum, & ferè currenti calamo respondi etiam idiomate italico, prout infra:

29 SCandalosa scrittura è quella, che è stata
presentata à V.E. dal Segretario della Religione N. sopra la pace richiesta per mezzo mio da N. il quale contro la sua intenzione vccise il P. N. e non sola-

mente era degna di non comparire al cospetto d'vn Cardinale di Santa Chiesa pieno di zelo, e di carità, qual'è l'E. V., mà d'esser sepolta in vn perpetuo oblio, affinche da essa non resti scandalizato il Mondo tutto; e perche V. E. s'accorga, ch'è mera verità quella ch'io dico, la supplico à ricordarsi esser commune sentenza de' Teologi morali, che l'offeso è vbbligato sotto pena di peccato mortale a dar la remissione, e la pace all'offendente, quando questi co i debiti modi chiede perdono, e la ricerca.

Questa sentenza si fonda nella dottrina di San Tomaso 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 8. quam declarat Cardinalis Caietanus *ibidem* sequuntur Siluester *verb. Charitas quæst.* 6. Nauarr. *in Manual. cap.* 21. *num.* 25. Azor. *Instit. moral. tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 3. *quæst.* 7. Suarez *de Charitate disp.* 5. *sect.* 5. *num.* 9. Reginald. *in foro pœnitent. lib.* 17. *num.* 124. Filliucc. *tract.* 28. *cap.* 1. *num.* 21. Valentia *to.* 3. *disp.* 3. Bannes. 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 9. Bonacina *de charitate disp.* 3. *punc.* 3. *qu.* 3. *nu.* 5. Trullench. *ad præcepta Decalogi lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 13. Castro-palao *de charitate tract.* 6. *disp.* 1. *punc.* 6. *nu.* 7. Coninch. *disp.* 24. *dub.* 6. *num.* 95. Baldell. *de vitijs, & peccatis capitalibus lib.* 3. *disp.* 23. *num.* 6. *& de charitate lib.* 2. *disp.* 16. *nu.* 10. Busembau. *de præcepto charitatis lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 3.

La ragione è in pronto, percioche sicome l'offeso è tenuto sott'obbligo di
30 peccato mortale di mostrare all'offendendente in caso di necessità segni esterni d'amore, e di dilezione, così è tenuto sotto lo stess' obbligo a dare i medesimi segni, quando l'offendente chiede il perdono, e la pace, perche simile richiesta costituisce l'offeso in necessità morale di dare i detti segni, come ben dichiarano il Cardinal Caietano, & il Padre Baldello *ne i luoghi di sopra citati*.

E tanto è vera quest'openione, che la contraria cade sotto censura d'essere intol-
31 lerabilmente erronea, & offensiua delle pie orecchie de i Fedeli, vt latè probat Ludouicus Carbo *de pacificatione, & dilectione inimicorum cap.* 26. *in fine vers. banc conclusionem*.

E opinione de i più saui Teologi morali, che l'offeso è obbligato sotto pena di peccato mortale a dare la remissione, e la pace all'offendente quando questi co i debiti modi chiede perdono, e la ricerca.

Può nascere solamente vna difficoltà, se questa pace s'abbia a fare per iscrittura, e per rogito di Notaio, o pure s'ella si possa negare con tale formalità.

Il Padre Beia tratta diffusamente la questione *nelle resoluzioni de' Casi di coscienza cas.* 10. *per tot.* e conchiude con solidissime ragioni, e fondamenti, essere obbligato l'offeso a dar la pace per iscrittura, e per rogito di Notaio; E se bene a quest'Autore s'oppone il P. Comitolo *in respons. moral. lib.* 4. *quæst.* 32. *num.* 14. in ogni modo l'openione del P. Beia è più commune, come più conforme alla pietà Christiana, ed al precetto Euangelico della dilezione dell'inimico, come pruouano il Guazzino *nel trattato de tregua, & pace, quæst.* 4. *num.* 8. ed il Vulpello *de pace, quæst.* 55. *num.* 3. e più diffusamente Lodouico Carbone *nel trattato di sopra citato, cap.* 31. *per tot.* concorrendoui particolarmente la consuetu-
32 dine della Patria del delinquente, anzi di tutto lo Stato Ecclesiastico, oue non s'ammette altra pruoua di pace, se non quella, ch'è stipolata per rogito di Notaio, Vulpellus *de pace quæst.* 78. Farinacc. *de accusat. quæst.* 5. *num.* 11. *vers. Sublimita, & cons.* 87. Guazz. *quæst.* 33. *num.* 12. *par.* 1. E non è dubio douersi far la pace conforme la consuetudine de' luoghi, Azor. *d. lib.* 12. *cap.* 3. *quæst.* 8. Ludouicus Carb. *d. qu.* 31. Guaz. *loco citato*: Intantoche dou'è tal consuetudine, non possono essere assoluti l'offesi, se recusano di far la pace per rogito di Notaio, Veia *d. cas.* 10. Guaz. *quæst.* 4. *num.* 8. *& quæst.* 33. *num.* 14.

Ma quando si douesse stare all'openione del P. Comitolo, da cui anno i Padri della Consulta tratte tutte le loro ragioni, egli la qualifica con alcune dichiarazioni, le quali fanno a nostro proposito, e la prima è:

Quando l'offeso, o l'vcciso hà dato occasione all'offesa: Il Padre N. contro la
33 carità, e la giustizia procurò la cessione delle ragioni dal litigante, per render più dura la sua ragione, e coll'autorità della Religione entrare in possesso d'vna possessione, che si litiga; Ne si contentò di questo, ma prima d'ottenerne la sentenza fauoreuole, come s'egli fosse già padrone del campo, licenziò i lauoradori, e diede altri ordini pregiudiziali al possidente, onde il Giouine restò di maniera offeso, che spinto dalla colera proruppe nell'eccesso, ch'egli commise.

L'altre dichiarazioni tratte dal Padre Comitolo s'andranno ponderando nel corso di questa scrittura.

Hora veggiamo co' quali fondamenti vanno i Padri giustificando la loro Consulta.

Il primo è, ch'essi non sono tenuti a dar la pace, per rispetto dello stato Reli-
34 gioso, ne per ragione dello scandalo, percioche lo stato religioso resta illeso, mentre il Padre Generale, a cui tocca di darla, come vedremo più abasso, non fà positiua istanza contro il delinquente, ne tiene animo di vendetta, ma lascia fare alla giu-

stitia, ch'è atto di perfezione, ne per ragione di scandalo, perche in questo caso è semplicemente passiuo.

Io rispondo, che la prima parte di questo fondamento non fà al proposito per la
35 questione, di cui si tratta: Ella potrebbe auer luogo, mentre l'offendente si mostrasse tuttauia formalmente nemico, cioè a dire, che oltre all'offesa fatta, serbasse pur'anche l'odio contro l'offeso, ne volesse riconciliarsi seco; ma quando l'offendente chiede perdono, e la pace, ch'è il caso nostro, allora se il Religioso, anzi il laico non dà la pace, non può restar illeso o l'vno, o l'altro stato: percioche dal negarla, se ne ritrae vn segno morale, che l'offeso serbi l'odio contro l'offendente, qualità intrinsecamente mala, ed opposta direttamente alla virtù della Carità, come dicono tutti i Dottori di sopra citati, a i quali si può aggiugnere il Beia *nel detto caso* 10. ed il Padre Laiman *tratt. 3. cap. 8. num. 2.* ma meglio di tutti li Padri Suarez, e Baldello *ne' luoghi addotti.*

La seconda parte poi non solamente è irragioneuole, ma scandalosa, percioche
36 non v'è Dottore, che non dica, che il negar la pace all'offendente, quando la chiede co i modi douuti, non sia azzione men retta, e conseguentemente di scandalo attiuo, e non passiuo: Vdiamo ciò, che ne dice il Padre Suarez *de Charitate disp. 5. sect. 5. num. 9.* che basterà per tutti.

Quando (die'egli) *qui iniuriam intulit, veniam petit, tenetur alter ad signa amicitiæ, quæ sufficienter ostendant depositionem odij, quia tunc in illis circumstantijs ea omittere est morale signum odij, item est scandalum, & prouocare alterum ad perseuerandum in inimicitia, quia putat se non venire ad locum veniæ.*

Il medesimo per l'appunto dice il Padre Baldello *de vitijs, & peccatis capitalibus lib. 3. disp. 23. num. 6.* in quelle parole; *Opinio fiet, quod contra offendentem retineat offensus indignationem, & malam voluntatem, & offendenti dabitur iterum occasio recidiui, & alijs dabitur scandalum.*

Lo scandalo dunque se vien dato da colui, che ricusa dar la pace, sarà attiuo, e
37 non passiuo, ma quando da vna tal'azzione, supposto che fosse lecita, che non è, ne risultasse scandalo solamente passiuo, in ogni modo sarebbe necessario, che il Padre Generale s'astenesse da essa, non essendo lecito di dar'occasione di scandalo, Valentia *disp 3. quæst. 7. punc. 2.* Vasquez *in opusc. de scandalo dub. 2.* particolarmente trattandosi di persone religiose, nelle quali ogni difetto di rettitudine religiosa genera scandalo, D. Thomas *2. 2. quæst. 2. art. 1.*

Ed io posso dire colla mia solita ingenuità a Vostra Eminenza, che non vi è stata in Roma persona secolare, od Ecclesiastica anco delle più qualificate, dotte, ed eminenti, che non si sia stranamente scandalizata in sentire, che vna Communità di Religiosi abbia ricusato di dar la pace a questo Giouine, che con tanta vmiltà, e per l'amor di Dio l'ha richiesta.

Ne le ragioni addotte nella scrittura sono potenti a scancellare si graue scandalo,

Non la prima, che la remissione si suol fare da chi vuole, o può vendicarsi, non dalla Religione, che non vuole, ne può vendicarsi, ne comparire in giudizio.
38 Questa ragione è contraria alla disposizione delle leggi Canoniche, & alla prattica de i fori laicali, perche sono certissime l'infrascritte conclusioni.

La prima è, che l'ingiuria fatta al Monaco è ingiuria fatta alla Religione, & al Monastero.

La seconda, che l'Abbate, o Superiore della Religione ha il ius di vendicare l'ingiuria co i modi leciti.

La terza, che spetta al Superiore di far la remissione, e di dar la pace all'ingiu-
39 riante, come dicono il Farinaccio *alla quest. 13. num. 22. ed alla quest. 205. num. 95.* ed il Guazzino *de tregua, & pace. par. 1. quæst. 13. num. 10.* e se il Padre Generale non vuol credere a i Criminalisti, creda ad vn dottissimo Religioso Teologo, ch'è il Padre Sanchez *ad præcepta Decalogi lib. 6. cap. 12. num. 5.*

La seconda ragione apportata nella Consulta è, che il Padre Generale non lascia di dar la pace per vendetta, ma per sicurezza de' suoi Religiosi, i quali potrebbono a tutte l'ore esser sottoposti a simili pericoli, così perche il delinquente è solito a commettere simili affronti a' Religiosi, come perche altri ad esempio di lui anno minacciato.

Questa ragione ha due parti, l'vna consiste in iure, e l'altra in fatto; Alla parte del fatto basta rispondere, che non è vero, che il Sig. N. sia solito di far'affronti a i Religiosi, ne meno che ad esempio di lui sieno essi stati minacciati, e se pure vi saranno state minaccie, saranno seguite per qualche azzione meno onesta, o men
40 giusta de i medesimi Religiosi, come accadde nella persona del P. N. il quale per suo difetto si tirò addosso il colpo, come s'è detto di sopra: Mentre adunque non si pruoua, che il detto N. sia Giouine facinoroso, come veramente non è, essendo egli d'ottimi costumi, e minore d'anni venticinque, entra la seconda limitazione addotta dal Padre Comirolo *d. quæst. 32. num. 17. vers. Secundo cum petit,* colla quale obbliga l'offeso a dar la pace per iscrittura all'inimico.

41 Alla parte del ius basterà rispondere colla sentenza di San Cesareo Arelatense riferita a questo proposito dal sodetto Carbone *nel trattato di sopra citato cap. 30. in fine*.

O iustitiam iniustam, dice il Santo, *ò iniquitatem iniquam, dicunt enim se id zelo iustitiæ, & æquitatis facere, cum potiùs ea de re faciant, vt Mundo placeant, à cuius fucata specie trahuntur, à quo amari, atque cari esse cupiunt*.

E perche nella Consulta anno quei Religiosi detto, che il lasciar operare alla giustizia, è atto di perfezzione, addurrò qui a questo proposito le parole del Padre Lessio *nel trattato de Iustitia, & iure lib. 2. cap. 47. dub. 4. num. 27.*

42 *Appetitio vindictæ*, dice egli, *ob iniuriam priuatam non est virtus, cum ex amore proprij commodi oriatur, vnde nemo per hoc laudari solet, ille autem affectus circa modum executionis, etiamsi sit actus virtutis, tamen hæc virtus est valdè parua, multum habens adiumentum ex amore proprio, à quo & ipsa applicatur ad moderandum actum punitiouis; Est hic etiam periculum, ne affectus charitatis violetur, & odia excitentur: Denique res non est optimi exempli; in condonatione enim est officium charitatis in Deum, & proximum; est imitatio Christi Domini, & Patris Cælestis; est consilium Angelicum; est ædificatio proximi; est victoria sui; est magna pax animi, & tranquillitatis vitæ; est singularis fiducia impetranda remissionis à Deo; remissio enim peccatorum ijs, qui proximis iniurias remittunt, peculiariter promissa est, denique sæpè est lucrum animæ malefactoris*.

Interdum tamen ratio postulat, vt desideremus vindictam, vt diximus, tum vt malefactor imposterum coerceatur, tùm ad exemplum aliorum, ne similia audeant attentare, hoc tamen magis in iniurijs Dei, quam nostris faciendum, interdum tamen etiam in nostris, ità tamen vt pœna, quam petimus irrogari, minor fiat iniuria accepta.

Dall'auttorità di questo grand' vomo si accorgeranno i Padri della Consulta, quanto siansi ingannati a credere vn'atto di perfezzione quello, che per se stesso è imperfettissimo.

In oltre i Religiosi, che nella detta Consulta fan professione di non voler far parte in giudizio contro il Delinquente, anno estragiudizialmente fatto co'mano, e co'piedi, acciocchè egli restasse condannato in pena della vita, e della confiscazione de beni, come è seguito; pena la maggiore, e la più rigorosa, che se gli potesse dare.

Il terzo fondamento, che si adduce da'Religiosi, è l'esser degno di considerazione, che il sangue dell'vcciso è ancor caldo, ed il delitto troppo fresco.

Io confesso à Vostra Eminenza, che se immediamente dopo il delitto si fosse chiesta la pace, appresso vn laico offeso

43 potrebbe auer luogo questa ragione, considerata da'Dottori di sopra allegati, ed in specie dal P. Azor. *to. 2. lib. 12. cap. 3. quæst. 7.* ma appresso vn Superiore d'vna Religione, che fa professione di voler viuere in istato perfettissimo, io non l'ammetto. Cristo Nostro Signore disse a coloro, a' quali voleua persuadere lo stato di perfezzione, *Si percusserit te in maxilla, præbe alteram*: cioè immediatamente dopo la percossa, e non quando il sangue si è raffreddato.

E ben sà l'Emin. Vostra, che quando io la supplicai per la pace, già la giustizia auea fatto il suo corso contro il delinquente, e di più erano passati molti mesi, onde il sangue era diuenuto più freddo che ghiaccio, anzi poluere.

Nel quarto fondamento si dice, che il dar la pace ridonderebe in graue pregiudizio della Religione, facendosi apprendere, ch'ella fosse fatta per interesse, auendo il padre dell'vccisore fatto offerire al Padre Superiore somma di danari.

44 Se il Padre Generale vuol sottrarsi da questo timore, ed ha dubbio di tale ignominia, faccia la pace colla remissione di ogni interesse, e con protesta di farla per l'amor di Dio, come appunto si è chiesta, e cessarà ogni dubbio, ed io sarò testimonio dell'integrità del Padre.

Al quinto, sesto, ed vltimo fondamento consistendo in fatto, non occorre di far'altra risposta, che di negare, che vi sieno i clamori del Clero Secolare, e Regolare, e l'istanza de'secolari più cospicui, con i quali si esortano i Religiosi a negar la pace, anzi vi sono più sedi dedotte in contrario, e dello scandalo, che anno per la denegazione di detta pace, e tutti esclamano, come potranno esser persuasi i Fedeli dalle prediche de'sopradetti Religiosi alla dilezzione del nemico, s'eglino in negar la pace in queste circostanze danno certi segni di conseruar l'odio, e di aspirare alla vendetta.

Quello poi, che si dice del timore, che potrebbe auere il Vicario del Vescouo, che ha fabbricato il Processo, è veramente cosa ridicola, perciocchè se vi potesse esser questo timore, potrebbe auersi da'Giudici laici, i quali anno condannato il delinquente in pena della vita, e non dal Vicario, che l'ha condannato in pena della galera.

Ma quando mai s'è veduto, che i condannati si vendichino contro i Giudici! Da che V. Eminenza s'accorgerà quanto questi buoni Religiosi, ch'anno fatto la Consulta, sieno stati acciecati dalla passione.

E' dunque di nuouo supplicata Vostra Eminenza ad esercitare gli atti della sua paterna, e somma carità, con ordinare al Padre Generale, che dia la pace al Sig. N. per Istromento pubblico, affinche il Signor Cardinal Legato possa permutargli almeno il bando della vita in altro più mite, per sottrarlo al pericolo di essere veciso come bandito capitale: Ragione considerata da' Dottori, i quali obbligano l'offeso a dar la pace.

Ma se pure i Padri testaranno nella lor pertinacia, metteranno questo pouero Giouine in disperazione, con pericolo, che ne succedino maggiori inconuenienti: Ragione considerata dal Padre Comitolo, per obbligar l'offeso a dar la pace anco per rogito di pubblico Notaio.

45 Huic scripto conati sunt respondere duo, vel tres huius Religionis Theologi, sed certè maxima cum æquiuocatione. Ipsi enim extendunt fimbrias, vt monstrent, non teneri offensum remittere actionem iniuriarum, quod nunquam à nobis negatum fuit, cum pro certo habeamus, offensum posse data etiam inimico pace, agere pro resarciendo damno sibi illato, ac etiam ad omne interesse, vt ex nostris multis Doctoribus adductis probat Guazzin. *de tregua, & pace par.1. qu.9. num. 48. cum seqq.* Et hanc satisfactionem damnorum, & interesse, quæ prouenit ab actione iniuriarum nomine offendentis sæpiùs obtuli.

Alia peiori æquiuocatione laborat scriptum vnius ex prædictis Theologis: Dicit enim, quod sicuti Princeps non tenetur remittere iniuriam factam alicui subdito,
46 sed omnino debet punire delinquentem; ità etiam Superior alicuius Religionis non tenetur iniuriam remittere ei, qui offendit suum Religiosum.

Quam ridicula sit huiusmodi æquiparatio nemo non videt, nam Princeps tenetur ex debito iustitiæ punire malefactores, etiamsi ad inuicem sibi remittant iniurias, & pacem ineant, quia cum subditis tenetur consulere bono publico, ne illi insolentiores fiant, vt tenet Cardinalis de Lugo *de Iustitia, & iure disp.37.num.92.* sed Superior Religionis, qui non est Superior, nec Iudex laici offendentis Religiosum, non potest in eum animaduertere ob bonum commune, sed debet adire Iudicem suum, vt eum puniat, quod est diuersum à remissione odij, & rancoris, & ab obligatione ineundi pacem cum offendente pro Religioso, siue pro Religione offensa; nàm tunc offensio facta Religioso licet tendat etiam in præiudicium totius Religionis, nihilominus est offensio facta priuato, & non Principi;

Secùs autem esset, si offendens esset etiam Religiosus, & subditus Generali, seu Abbati, nam isto casu Generalis, siue Abbas, etiamquod Religiosi rixantes inter se odium remitterent, posset in eos animaduertere; & isto casu militat æquiparatio inter Principem, & Superiorem Religionis, quia ambo cauere debent, ne
47 subditi eorum ob remissionem iniuriarum, etiam inter eos inita pace, insolentiores fiant; Et si vera esset opinio Scribentis, nec etiam Pater teneretur pacem inire cum eo, qui eius filium offendit, quia offensa remanet tota familia, & tamen pater potest remittere iniuriam filio factam etiam eo inuito, Surd. *decis.89.n.12.* qui plures allegat.

Quam multæ aliæ propositiones non minùs ridiculæ, quàm fatuæ proferebantur à prædictis Scribentibus, & præsertim quod N. offendens, citra reatum peccati mortalis, remissionem, siue pacem petere non poterat, nec Superior Religionis illam absque peccato mortali dare. Sed post multa P. Generalis meliori consilio ductus pacem delinquenti etiam per publicum Instrumentum concessit.

Sed quia post hæc scripta prodiit opus postumum contrauersiarum forensium Ioannis Baptistæ Ciarlini, quod *pars 3.* inscribitur, in quo *cap.225.* latiùs prosequitur hanc quæstionem, ideò operę pretium duxi examinare illius fundamenta.

Primum enim dicit, quod offensus non tenetur remittere satisfactionem iniuriæ, & actionem iniuriarum, quod certè nec nos negamus, quia aliud est remittere rancorem, & odium, aliud est remittere actionem iniuriarum, cum, *vt supra dixi,* etiam facta pace possit offensus agere pro damnis, & interesse ratione iniuriæ sibi illatæ, & in hoc casu procedit *consilium* Nauarr. *primum, de accusationibus, allegat.* à Ciarlino, & quamuis dicat Nauarr. quen-
48 dam Ordinarium fuisse reprehensum à Sacra Congregatione, qui denegabat Sacramenta cuidam mulieri, quæ denegauerat dare pacem in scriptis iis, qui eius occiderant filium, hoc fortasse accidit, quia eo in casu non aderant circumstantiæ, quæ in casu nostro vigebant, & Sacra Congregatio admonet Ordinarios, vt totis viribus incumbant, vt offensus det pacem offendenti, sed modis suauibus, & non violentis, & propterea non debebat Ordinarius ille mulieri prædictæ denegare Sacramenta.

Secundò, fundat Ciarlinus suam opinionem, quod non tenetur offensus offendenti exhibere signa particularia dilectionis, sed sufficit, quod exhibeat signa, & beneficia in communi.

Sed hæc opinio non habet locum,

quando conditio personæ, & occasio aliud suadent, vt si scandalum immineat quod certè in casu, de quo supra maius esse non
49 poterat, cum tractetur de viris Religiosis, quorum status debet esse omnino perfectus, vt volunt Doctores à Bonacina *citati loco* à Ciarlino *allegato*, nempe *ad præcepta Decalogi disp. 3. quæst. 4. punc. 3.* nam tenetur quilibet ruinam Proximi, & scandalum euitare, Siluester, Caietanus, & alij à Bonacina *loco citato allegati num. 3. vers. Dixi*.

50 Tertiò, ampliat hoc Edictum Ciarlinus, vt habeat locum, etiamsi inimicus veniam petat, & satisfactionem offerat arbitrio boni viri ex Nauarr. *conf. 3. de pænitent.* Graff. *d. cap. 72. num. 4.* Castro-palao *de Charitate tract. 6. disp. 1. punct. 6.*

Sed aduertendum est, prædictos Doctores loqui de remissione actionis iniuria-
51 rum, non autem de pace danda in scriptis inimico veniam petenti, quod *vt supra dixi* diuersum est; Potest enim offensus non admittere satisfactionem illam, quam vir bonus arbitratus est, sed petere, vt per Iudicem illa taxetur; at non potest denegare illa signa, per quæ omnes intelligant rancorem, & odium esse sublatum, aliàs daretur occasio scandali, vt ex D. Thoma, Suarez, Valentia, & Coninch. tenet Castro-palao *loco citato num. 3. vers. Aduertendum est*, quod docuit etiam Acunha *in cap. Si quis contristatus num. 3. dist. 90.*

Non obstat, quod habet Ciarlinus *ibid. num.91 vers. hoc autem*, scilicet, quod om-
52 nes pro indubitato admittunt, non teneri offensum ad signa particularis amoris exhibenda inimico, quia hoc procedit, vt ipsemet Ciarlinus declarat, si inimicus veniam non petat, nec velit sufficienter satisfacere, at quando veniam petit, & offert satisfactionem, nullus est, qui non dicat, teneri offensum signa etiam particularia amoris exhibere inimico, vt benè respondet Bela *dicto casu 10. num. citato*, vbi declarat dicta per Nauarr. *in Manuali cap. 14. num. 25.* & Diuus Thomas *2. 2. quæst. 25. art. 9.*

Sed vt finem imponam huic disceptationi adducam verba P. Baldelli *d. lib. 3. disp. 23.* qui licèt tueatur opinionem Comituli, hæc tamen habet *num. 11.*

[Dixi autem absolutè, & vniuersaliter nullam esse obligationem dandi has litteras pacis, quia ex accidenti, & in certis casibus non videtur negandum, quod possit esse obligatio, vt tandem concludit Comitul. *lib.4.cit. quæst.12.num.17.* vt v.gr. primo, si is, qui fecit iniuriam, & litteras petit, non sit homo facinorosus, & solitus aliàs delinquere, sed potiùs è contra valdè vtilis Ciuitati.

Secundò, si non fuerit auctor rixæ.

Tertiò, si exhibuerit pro suo posse satisfactionem.

Quartò, si ex eius absentia graue damnum immineat innocenti, v. gr. vxori, filiabus, & filijs.

Quintò, si alijs detur scandalum.

Sextò, si ipsi detur occasio fouendi inimicitias, & machinandi maiores iniurias.

Si enim petitio veniæ inducit moralem necessitatem, vt positiuè sint exhibenda petenti veniam signa externa dignationis, & dilectionis, & in casu talis petitionis ipsa negatio huiusmodi signorum moraliter reputatur effectus, & signum oppositæ indignationis, & odii, *vt diximus num. 6.* ex S. Thom. *2. 2. quæst.83. art.2.* & omnibus communiter; Ideò talis negatio est per se mala, & contra charitatem, & si satisfactio est facienda qualis potest exhiberi pro suo posse ab iniuriante, nec potest hic nisi contra charitatem vrgeri ampliùs, *vt diximus num. 8.*

Omnino est exhibendum auxilium per litteras, & etiam huiusmodi negatio moraliter erit effectus, & signum internæ indignationis, & odij, quando sit nullus alius bonus finis, ex quo possit causari, & cohonestari vt contingit in casibus positis.

Neque enim videtur sufficiens, si quis dicat, se id facere ex motiuo, & zelo iustitiæ, vt malefactores condigna recipiant, quia in circumstantijs positis, quod is, qui deliquit, sit alioquin vir bonus, & vtilis Reipublicæ, & simpliciter necessarius suæ familiæ, & nulli alteri futurus sit noxius, potiùs videtur esse habenda ratio charitatis, quàm rigorosæ institiæ; sicut & in illo, qui debet centum ex iustitia commutatiua, & non habet vllo modo vndè soluat, vt iam diximus *num.8. ex Parab. Euangel. 18.* vndè non videtur negandum, quod saltem ratione scandali possit teneri Episcopus pacem concedere per Instrumentum, & scripta fide, si inimicus illam petat, vt pluribus probat Ludouic. Carbo *in tract. de pacificat. cap. 14. & seq.* Imò, & potest, & debet ad id cogi etiam in foro fori auctoritate Summi Pontificis, vt patet ex *allegat.* per Farinacc. *in prax. crim. par.2. quæst.107. num.45.* & Ludouic. Carbo *loco cit. cap.39.*] Hæc Baldellus.

53 Cum ergo militent in casu isto plures ex conditionibus *supra* positis, & præsertim immineat graue scandalum ex ista negatione, sicuti vigebat in casu illius Episcopi: Quis non videt ad pacem in scriptis, & per Instrumentum faciendam teneri Religiosos, qui perfectionem eandem, quam Episcopi profitentur.

De hac præcisa quæstione agit etiam Fr. Gabriel à S. Vincentio *inter sua consil. & respons.*

& respons. var. à Me post hæc scripta visus, qui *in respons.* 81. per extensum adducit eamdem Regularium scripturam ad Em. Protectorem transmissam.

His ergo rationibus pressi Religiosi ad aliud refugium conuolarunt, nempe non spectare ad eos pacem facere, sed ad consanguineos Religiosi occisi, quod quidem vltro admisimus, cum pax etiam per Instrumentum à consanguineis habita fuerit, itaut à laicis obtentum sit, quod à Religiosis denegatum.

Sed an à consanguineis Monaci occisi, an verò à Superiore Religionis pax obti-
54 nenda sit, videndi sunt relati à Farinacc. *quæst.* 13. *à num.* 19. *vsque ad* 27. San-felicius *decis.* 55. *num.* 19. Rouit. *super Pragmat.* 7. *de Compositionibus à num.* 39. Vrceol. post hæc scripta visus, *Consult. forens.* 41. *num.* 15. *&* 16.

Sed post hęc scripta incidi in tractatum Magonii *de recta patrocinandi ratione*, qui *cap.* 56. disputat quæstionem, an pacem in foro fori quis per Instrumentum facere teneatur, & dicit, quidquid sit in foro conscientiæ, in quo remittit se ad Theologos, in foro fori tenetur quis pacem facere per Instrumentum, quia vt Iudex possit pœnam minuere, necesse est, vt apud acta remissio ipsa, & pax producatur, imò addit, quod si aliter non possit euadi mors, vel diminutio pœnæ, crederet offensum teneri etiam in foro
55 conscientiæ pacem per Instrumentum facere, quia si aliàs pœna mutari, seu minui non posse culpa remittentis etiam in corde faceret is actum contra charitatem, & causam præberet occisioni, siue pœnæ talis condemnandi, quia esset in causa, sine qua dictæ pœnæ diminutio fieri non posset.

Et dicit hoc valdè displicere Senatui Mediolani, qui in aliquibus casibus, dùm offensus recusat pacem facere, mandat
56 Prætori, vel Iudici Maleficiorum, quod exponat causas, cur is pacem facere nolit, & vbi causæ legitimæ non sunt, nomine offensi, vel hæredum, Officiales, vel Ciuitatis Decuriones remissionem faciant, & sic seruari in maleficio audiui.

Qui autem pacem fecit, Inconstans in ea esse non potest, sed tenetur fidem datam seruare, & sanctè, & religiosè tueri,
57 Grotius *de iure belli lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 7. Gentil. *eod. tract. lib.* 3. *cap.* 24. vt enim ait Cicer. *Ego autem cum omnes amicitias tuendas semper putaui, si summa religione, & fide, tùm eas maximè, quæ essent in inimicitijs reuocatæ in gratiam, post reditum enim in gratiam, si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec prudentiæ, sed perfidiæ signatur*, Gentil. *loco cit.*

Quare contra huiusmodi Inconstantes seuerissimæ pœnæ latæ sunt, de quibus per Farinacc. *de var. & diuers. crimin. quæst.* 107. *par.* 1. *à num.* 57.

In Statu Ecclesiastico huiusmodi Inconstantes, pacisque violatores puniuntur
58 pœna mortis, & confiscationis bonorum; & si apprehensi non potuerint, inuerso capite, & pedibus Superioribus depinguntur, cum inscriptione nominis, cognominis, & Patriæ, quas scripturas dùm adhuc essem adolescens vidi in Ciuitate Foriliuij, de quo Farinacc. *loco cit. num.* 65. Spad. *cons.* 102.

59 Qui autem hoc casu Inconstantes dicantur breuiter recensebo, quia de materia latè tractarunt Tuscus *littera P, conclus.* 179. *cum nonnullis alijs seqq.* Farinacc. *dicta quæst.* 107. Guazzin. *integro tract. de tregua, & pace*, vltra antiquos nempè Vvlpell. *in tract. de pace, fide, & tregua*, qui habentur *in par.* 1. *to.* 11. *tract. nouorum.*

Et primò, rumpitur pax ex offensa leui, quando pax facta fuit pro offensionibus leuibus, vel quando facta est malo animo,
60 vt tenet latè Guazzin. post Farinacc. *dicto tract. quæst.* 47. *num.* 3. 4. *&* 5. qui tamen *num.* 7. dicit, hoc residere in arbitrio Iudicis, qui perpensa qualitate offensionis, & personæ offensæ, iudicabit, an illa offensio dicatur leuis, an grauis, vt in exemplis allatis.

Secundò, rumpitur pax per iniuriam verbalem, si in Instrumento pacis promis-
61 sum fuerit simpliciter non offendere, vel si pœnæ exactio debet fieri ab eo, qui iniuriam intulit, vt ex Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 161. Guazzin. *loco cit. par.* 1. *quæst.* 48.

62 Ex Statuto tamen Vrbis *cap.* 27. non censetur rupta pax per iniuriam verbalem, sed pro illa agi potest ciuiliter ad iniuriarum æstimationem, & pœnam, Farinacc. *d. quæst.* 107. *num.* 195. Vermigl. *cons.* 226. *num.* 7.

Tertiò, rumpitur pax per minas, etiamsi minarum effectus secutus non fuerit, vt de communi tenet Guazzin. *loco cit. q.* 49.
63 dummodò minax posuerit se in actu offendendi aduersarium, Farin. *dicta q.* 107. *num.* 197. Guazzin. *dicta qu.* 49. *num.* 3. *vers. Sed scias.*

64 Quartò, rumpitur pax per insultum factum cum euaginatione armorum, nam tunc offensione non secuta dicitur pax rupta, Adden. *ad consil. Farinacc.* 36. Guazzin. *loco cit. quæst.* 50. *num.* 1.

Item ex insultu facto ad domum illius, cum quo facta fuit pax animo illum of-
65 fendendi, siue domus sit propria, siue conducta, vel etiamsi ad eum nullo iure spectaret, quia ad fracturam pacis non spectant parietes domus, sed existentia in

domo huiusmodi insultati, vt contra Farinacc. & Vulpell. tenet Guazzin. *d. qu.* 50. *num.* 8.

66 Item ex insultu facto cum admenatione, quamuis nemo vulneratus extiterit, Farinacc. *d. conf.* 36. & ibi Adden. *littera B*, Guazzin. *d. qu.* 50. *num.* 9.

67 Item ex proiectione lapidis, vel teli, licet ille vulneratus non remanserit, Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 169. *&* 214.

68 Guazzin. *dicta qu.* 50. *num.* 11. imò ex sola directione archibusij rumpitur pax, Farin. *d. conf.* 36. Guazzin. *d. qu.* 50. *num.* 15. vbi *num.* 16. 17. 18. *&* 19. declarat, quomodo hoc procedat.

69 Idem dicendum est in violentia facta alicui per ablationem Rei ex manibus illius, Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 170. vbi declarat, quando id procedat, quem sequitur Guazzin. *dicta quæst.* 50. *num.* 24. *&* 25.

70 Idem dicendum est in insultu super vestibus facto cum percussione ab eo, qui promisit non offendere; secus si tractetur de eo, qui promisit pro alijs, Honded. *conf.* 103. *num.* 28. *& seq. lib.* 1. Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 183. Guazzin. *dicta quæst.* 50. *num.* 28.

Idem dicendum est de metu illato ei, cum quo aderat pax, si metus fuit dedu-
71 ctus ad aliquem actum, ex quo aduersarius potuerit habere aliquem timorem, Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 97. Guazzin. *dicta qu.* 50. *num.* 29. *&* 30.

72 Idem dicendum est, si quis mandauerit offendere eum, cum quo pax est inita, secuta tamen offensione, Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 206. Guazzin. *dicto tractato quæst.* 51. *num.* 5.

73 Idem dicendum est, quando quis offendit aduersarium, etiamquod iste eum prouocauerit ad iracundiam, quæ tamen Inconstantia metienda est à verbis appositis in Instrumento pacis, vel promissionis de non offendendo, vt benè Guazzin. *dicto tract. quæst.* 55.

74 Idem dicendum est, si quis habuerit copulam cum qualitate stupri, vel adulterij cum muliere illius, cum quo pacem inierit, si pax inita fuerit occasione antecedentis adulterij, vel si ille adulterium, vel stuprum commiserit animo se vindicandi, & iniuriandi, quod quidem ex coniecturis elici potest, vt ex Farinacc. *dicta qu.* 107. *nu.* 231. *&* 232. Guazzin. *dicto tract. quæst.* 56. *num.* 15. vbi *num.* 21. *&* 22. asserit, quod ex vitio nefando semper censetur rupta pax, quia præsumitur factum causa iniuriandi, quod voluit etiam Farinacc. *cit. quæst. num.* 237.

Idem dicendum est, quod pax censetur rupta per furtum, rapinam, deuastationem, siue damnum datum in bonis, si hæc omnia fiant animo iniuriandi, vel si pax inita fuerit occasione furti, vel rapi-
75 næ, vel deuastationis bonorum, vel si facta sit promissio de non offendendo nec in re, nec in persona, Farinacc. *d. qu.* 107. *num.* 42. *&* 43. Guazzin. *dicto tract. quæst.* 57. *num.* 7. 8. *&* 9. vbi *num.* 11. dicit, furtum non præsumi factum animo iniuriandi, sed lucri causa.

76 An autem per accusationem in iudicio factam rumpatur pax, Guazzin. *dicto tract. quæst.* 58. plures distinguit casus.

Primus si accusatio fuerit falsa, & produxerit falsas probationes, & in mera calumnia accusatus fuerit detectus, rupta pax censetur, quod habet locum, etiamquod accusator non fuerit in vera calumnia, sed in præsumpta, nisi iustam habuerit causam accusandi.

Secundus casus est, si quis proposuerit accusationem super aliquo crimine, non prosequendo suam, vel suorum iniuriam, si liuore vindictæ, & non zelo iustitiæ id faciat, quod quidem arbitrio Iudicis remittendum putat.

Tertius casus est, quando quis intulit iniuriam pacifcenti, per quam illum reduxit ad calamitatem, vel periculum substantiæ suæ totius, aut maioris partis, aut fecit illum priuari officio, & dignitate, & tunc si ea facta sunt extra iudicium, tunc pax censetur rupta; Si verò in iudicio, & accusatus fuerit absolutus, tunc dicitur violata pax, quod eo magis procedit, si non accusauerit, sed accusationi per alium institutæ adhæserit, ac instigauerit suam, vel suorum iniuriam non prosequendo, tunc si instigatio est in causa capitali, pax rupta dicitur.

Et *num.* 13. *in fin.* dicit, se vidisse in facto contingere, quod facta pace, & firmata iuramento, immemores promissionis Deo factæ de non offendendo ampliùs illum, cum quo pacem fecerunt, & immemores proprij honoris, & sic Inconstantes, nomen fractoris pacis per instigationem in populo assumunt.

Quartus casus est, quando, qui fecit pacem in iudicio falsum deposuit contra aduersarium sponte, & non coactè per carcerationem, & in causa graui crimiuali, & non ciuili, tunc dicitur pax violata.

Quintus est casus in Aduocato, qui patrocinium præstat contra eum, cum quo pacem iniuit in causa capitali, & accusatione per tertium instituta, tunc dicitur violata per eum pax, nisi fortasse necessitate officij hoc faciat, sed dolo malo, & odio illud præstiterit, qui tamen dolus malus non debet præsumi.

77 Per accusationem autem delicti Hæresis, vel læsæ maiestatis non rumpitur pax, non obstante quod accusatio, siue delatio

procedat linore vindictæ, cum hæc sint delicta atrocissima, Farinacc. *dicta qu.*107. *num.*257. Vermigliol. *consf.*225. *num.* 7. qui dicit, idem procedere in delatione, seu subministratione probationis delicti assassinij, quod atrocitatis respectu, criminibus Hæresis, & læsæ maiestatis æquiparatur, Farinacc. *quæst.*18. *num.*89. & 91.

78 Violatur pariter pax per offensam factam etiam extra Territorium Iudicis illius, coram quo pax facta fuit, seu promissio de non offendendo, Guazzin. *dicto tract. quæst.*59. *num.*1. & *num.*3. dicit, quod iste puniendus est duplici pœna; vna iuris communis, quæ erit exigenda à Iudice commissi delicti; altera conuentionali, quæ applicanda erit Iudici, coram quo facta fuit pax; & *nu.*5. disputat, an reus iste remittendus sit ad Iudicem loci vbi facta fuit pax: & concludit, attendendam esse consuetudinem, quæ tamen in Italia est, vt non fiat remissio. Subiungit tamen, se vidisse millies per diuersos Principes, & Respublicas factam de personis delinquentium ad Curiam Romanam remissionem, & ferè omnes Principes hodie Summo Pontifici obediunt in remittendo delinquentes ad Sedem Apostolicam. Et

79 dùm ipse fuit Locum-tenens A. C. fecit suspendere duos delinquentes remissos, vnum à Republica Ianuensi, alterum à Duce Parmæ, licet Curia Romana delinquentes ad alios Principes non remittat, cum in ea vbicunque deliquerint, puniantur, Farin. *de Inquis. quæst.* 7. *num.*12. sed meo tempore Principes in hac obedientia constantes non fuerunt.

80 Pariter violatur pax saltem in foro conscientiæ, si qui pacem iniuit, videt paciscentem offendi à tertio, & illum non defendit, cum sanctiùs sit charitati, & iustitiæ deseruire, quàm proximo in offensionis periculo sub incerto relinquere, Guazzin. *dicto tract. quæst.*60. *nu.*3.

81 Idem erit quando quis occidit inimicũ Bannitum, si non potest impunè offendi, quia tunc dicitur rupta pax, Guazz. *d. tract. qu.*61. *num.*5. vbi *qu.*62. *num.*6. subiungit ex opinione Cornei *consf.* 218. *num.* 6. *lib.* 2. quod si paciscens acceptet prohibitionem de non accedendo ad aliquem locum, si transiuerit per locum prohibitum occasione accedendi ad alia loca non prohibita

82 non dicitur Inconstans, itaur censeatur contrauenisse prohibitioni; quod voluit etiam Anchar. *consf.*75. qui ait, quod si sic transeundo fuerit captus, non potest pœna contrauentionis puniri, Farinac. *d. qu.*107. *nu.* 68. Et hoc notandum est in Statu Ecclesiastico, quia vigore Bullæ Pij Quarti quotidie emanant similia rescripta, cum per dictam Bullam prohibeatur gratiato accedere ad locum delicti, & ad locum, vbi habitat pars offensa, vel eius hæres, donec pacem ab eis habuerit.

83 Pax pariter rupta censetur, si paciscens offendat vxorem, vel filium paciscentis, si pax sit concepta per verba de non offendendo simpliciter, nisi offensio proueniat ex noua causa, Farinacc. *dicta qu.*107. *n.*344. Guazzin. *dicto tract. quæst.*63. *nu.*5.

84 Idem dicendum est, si offensi sint fratres, vel consanguinei paciscentis ex veteri inimicitia, secus si ex alia causa, Farin. *dicta quæst.*107. *nu.*320. Guazzin. *dicto tract. quæst.*64. *num.*3. *vers. Et ideò*, vbi *num.*4. ait, sic offendentes grauiùs puniri, præsertim in Statu Ecclesiastico per Bullam Pauli Secundi, extensam per totum Statum Ecclesiasticum à Clemente Septimo, & per Bullas Pij Quarti, & Beati Pij Quinti, per quas fuit imposita pœna læsæ maiestatis, & rebellionis.

85 Idem dicendum est, si fœminæ sint offensæ, vbi pax fuit facta pro se, & affinibus, quia hoc verbum comprehendit etiam fœminas, vel vbi de fœminis esset facta expressa mentio, Farinacc. *dicta quæst.*107. *num.* 380. & 382. *art.* 29. vel si pax facta fuerit occasione fœminarum, vel si esset solitum per inimicos trucidari, vel offendi fœminas, vel illæ adeò essent viriles, quod arma deferrent, & archibusium exonerarent, & viriliter offenderent, & se defenderent, Guazzin. *d. tract. quæst.*66. *num.*3. & 4.

86 Pariter pax vulneratur, si à paciscentibus offensi sint adhærentes, quando aliàs pax crederetur frustatoria, si in ea adhærentes non comprehenderentur, vel esset pax concepta in rem, vel sit facta inter Principes, Guazzin. *dicto tract. quæst.* 64. *num.*5. *vers. Sed Ego non accedo consequentibus*, vbi discedit ab opinione Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 375. sicut semper solet, quando sibi occasio occurrit.

87 Pax pariter vulneratur, si offendatur socius itineris paciscentis, si offensa facta fuerit in odium, & contumeliam principalis paciscentis, Farinacc. *dicta quæst.*107. *num.*394. Guazzin. *dicto tract. qu.*72. *num.*7. Conciol. *allegat.*84. *num.*8.

88 Item rumpitur pax facta inter plures per offensionem vnius ex paciscentibus, Guazzin. *dicto tract. quæst.*63. *per tot.*

89 Non dicetur tamen Inconstans in pace seruanda, qui paciscentem offendit ex noua causa, Farinacc. *dicta quæst.*107. *part.*3. *artic.*31. *num.*407. Caball. *cas.* 101. *num.* 11. *cum seq.* Guazzin. *dicto tract. quæst.*43. *num.*1. Bellon. *de his, quæ fiunt incontinenti, vel ex interuallo, lib.*1. *cap.*23. *num.*3. plenè Conciol. post hæc scripta visus, *resolut. crimin.*2. *verbo Pax*, Crispolt. *cas. militar.*27. *num.*10.

90 Pax enim censetur inita ob veteres causas, Onded. *consf.*93. *num.*27. & 35. *lib.*1. &

*conf.*89. *num.*29. *&* 73. *lib.*2. quamuis causa esset iniusta, Decian. *resp.*4. *num.*22. *vol.*3. Bellon. *loco cit. num.* 3. *vers. Id autem*; & quamuis noua causa esset exorta incontinenti, vel ex interuallo, Mascard. *de probat. conclus.* 1162. *num.* 27. Bellon. *loco cit. num.* 3. *vers. Qua in re*.

91 Sed an offensus ex noua causa possit offendentem offendere absque vitio Inconstantiæ, & absque pœna pacis ruptæ, latè disputat Guazzin. *d. quæst.* 43. & concludit, quod offensus possit offendentem ex noua causa offendere, nec dicitur pa-
92 cem rumpere, nec facere contra conuentionem, quia non tenebatur eam seruare parti, quæ eandem non seruauerat, vt per eum *ibidem num.* 5. latè Conciol. *d. resol.* 2. *à num.*4. Caball. *cas.*102. *num.* 2. quod procedit etiam, quod offensa sit talis, quæ pacem non frangat, ex Bald. & Roman. Guazzin. *dicta qu.*43. *num.* 9.

93 Secundò procedit, etiamquod in Instrumento pacis adesset clausula *rato manente pacto, & quod toties pœna committatur, quoties contra factum fuerit*; nam ista clausula nihil operatur ad commodum non obseruantis, Alexan. *conf.*115. *num.*8. *lib.*4. Clar. *in prax. quæst.*47. *num.*7. Guazzin. qui alios *dictâ quæst.*43. *num.* 10. Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 412. Conciol. *d. resolut.* 2. *num.* 7.

94 Tertiò procedit, etiamquod primo offensus offendat offendentem ex interuallo, Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 404. Guazzin. *dicta quæst.* 43. *num.*11. vbi *nu.* 12. latè discutit, an teneatur pœna iuris communis, an verò pœna conuentionali, qui offendit offendentem ex interuallo, excedendo modum necessariæ defensionis, Conciol. *dicta resolut.*2. *num.*5.

95 Quartò procedit, etiamquod offensio non proueniat ab ipso principali offenso, sed ab alio in pace comprehenso, nam tunc offensus non tenetur pœna pacis ruptæ, Onded. *conf.*89. *num.*18. *& num.*60. *in fin. lib.*2. Farinacc. *dicta quæst.*107. *nu.*405. Guazzin. *dicta quæst.* 43. *num.* 15. vbi priùs *num.* 14. dixit, quod licet iste secundo offendens non teneatur pœna pacis ruptæ, non potest tamen ipse exigere pœnam à primo offendente cum mutua compensatione tollantur, Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.*431. Conciol. *dicta resolut.*2. *num.*6.

96 Sed qualis debeat esse noua causa, vt offendentem à pœna pacis ruptæ excuset, latè prosequitur Guazzin. *dicto tract. qu.*44. vbi *num.* 7. quod noua causa etiam iniusta, & leuis non excusat, quando quis cognouisset causam, propter quam se mouet esse iniustam, & nihilominus in illa perseuerarct, & constans esset, Conciol. *loco alleg. resol.*3. *per tot.* vbi ponit multas ampliationes, & limitationes, quæ sunt videndæ apud eum in casu occurrenti, Mascard. *dicta conclus.*1162. *num.*17. vel si noua causa esset procurata, vel affectata per offendentem, nam si sit iniusta, non prodest, quia dolo non caret, Mascard. *dicta concl.* 1162. *num.* 20. Guazzin. *loco cit. num.* 10. Vel si essemus in his, quæ sunt ex genere prohibitorum, intelligendo tamen, prout intelligit Mascard. *loco cit. num.* 13. vel in eo, qui fuit causa nouæ rixæ, quam ipse nouam causam allegare non potest, Guazzin. *loco cit. num.*14. vel si essemus in pace generaliter facta, quia tunc noua causa allegari non potest, Guazzin. *loco cit. nu.*15. vel tandum si per Statutum, vel constitutionem tollatur, quin possit allegari noua causa, prout ex Constitutione Marchiæ, & ex Bullis Leonis Decimi, Pij Quarti, & Beati Pij Quinti hoc obseruatur in Statu Ecclesiastico, vt testatur Farin. *conf.*30. *num.*48 & in pluribus Italiæ locis esse prouisu mdicit Caball. *cas.*101. *num.*64.

97 Quæ tamen Constitutiones, & Statuta non habent locum, si causa fuerit iusta, & releuans, sed tantum si causa fuerit friuola, & iniusta, vt in terminis dictarum Constitutionum tenet Hercul. *in tract. de cautione de non offendendo cap.*13. *nu.*5. Guazzin. latè *dicto tract. quæst.* 46. *num.*4. *& seq.* Farinacc. *dicta quæst.*107. *num.*507. vbi subdir, quod idem erit dicendum in noua causa dependente à necessaria defensione, quæ nunquam censetur exclusa.

Sed in Statu Ecclesiastico, vbi non esset probata noua causa per testes pro informatione Curiæ examinatos, & sic de ea non appareret per processum informatiuum, inquisitus non poterit audiri super allegatione nouæ causæ, nisi obtenta licentia à Summo Pontifice, per Bullam Beati Pij Quinti, quæ solet concedi in Si-
98 gnatura Gratiæ, vel per rescriptum speciale emanatum in memoriali porrecto eidem Sanctissimo, vel aliquando per ordinem oretenus datum Gubernatori Vrbis, vel alijs Iudicibus in Curia existen. Legatis verò, ac Præsidentibus datur huiusmodi facultas per Sacram Consultam, vt testatur Guazzinus *dicta quæstione* 46. *num.* 10.

Pariter dictæ Constitutiones locum habent solummodo inter principales paci-
99 scentes, non autem quoad alios comprehensos in pace, qui nihil promiserunt, Honded. *conf.*97. *num.* 37. *lib.* 1. Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 515. & hoc expresſè disponitur in Bulla Beati Pij Quinti, quæ est 10. inter eius Constitutiones, Guazzin. *dicta quæst.*46. *num.*11.

100 Nec prædictæ Constitutiones ligant vassallos Sedi Apostolicæ mediatè subiectos, & illos, quorum gubernium Sedes Apostolica se abdicauit, Farinac. *d. qu.*107.

num. 516. Guaz. *d. quæst.* 46. *num.* 11. *vers. Benè verum est*, vbi dicit, quod Bulla Pij Quarti procedit in Instrumentis pacis, seu cautionis de non offendendo, in quibus pœna applicatur fisco, vel Cameræ Apolicæ, secus si applicaretur alteri fisco, quia tunc debet seruari ius commune.

101 Secundò, non esset quis Inconstans in pace seruanda, quando promisisset non offendere in persona, si corpus non fuerit læsum, quamuis corpus tangatur, pulsetur, vel etiam percutiatur, Onded. *consf.* 103. *num.* 19. *vol.* 1. Guaz. *dicto tract. quæst.* 52 *num.* 2.

Et propterea non sufficit insultus cum armis, insecutio, admenatio, vestium scissio, violentia occasione rei, iaculatio saxi, proiectio sclopi, seu balistæ exoneratio, & similia, quibus persona non tangitur, Gabriel. *consf.* 171. *lib.* 1. Guaz. *d. quæst.* 52. *num.* 1. vbi *num.* 3. dicit, quod etiamsi occisus fuisset equus, dummodo non fuerit offensa persona, non censetur rupta pax.

102 Tertiò, non dicitur quis Inconstans in pace seruanda, si duo pacem fecerunt, promiserunt se non offendere sub certa pœna, & postea mutuo se offenderent, & minùs constat quis priùs offenderit, quia nullus eorum tenebitur de pace, tregua, vel promissione rupta, Onded. *consf.* 89. *num* 13. *volum.* 2. Farinacc. *d. quæst.* 107. *art.* 33. *num.* 456. Guazin. *d. tract. quæst.* 53. *num.* 1. vbi *d num.* 4. explicat, quando debeatur saltem pœna conuentionalis, Conciolus *loco alleg. resol.* 24.

103 Quartò, idem erit dicendum, si quis offendat cadauer pacifcentis, Caballus *cas.* 189. Guazin. *d. tract. quæst.* 68. *num.* 1. qui *num.* 6. refert contrarium sentientes, & *num.* 11. conciliat opiniones ex doctrina Ripæ §. 4. *in l. Cato num.* 55. *de verb. oblig.*

104 Quintò, idem erit dicendum, quando quis sine dolo offendit, vt ex pluribus exemplis confirmat Hercul. *de cautione de non offendendo cap.* 34. *num.* 10. & *seq.* Guaz. *d. tract. quæst.* 78. *num.* 1. & 7. vbi *num.* 8. addit, quod ad dignoscendum, an quis habuerit animnm offendendi, & fuerit in dolo, seruanda est distinctio, quam facit in terminis Riminaldus iunior *consf.* 101. *num.* 20. & *seq. vol.* 1. nempe, aut est actus de sui natura prohibitus, & tunc qui eum facit, dicitur esse in dolo, aut actus non est de sui natura prohibitus, & tunc nec dolus, nec animus nocendi desumitur, vt proijcere lapidem ioco, Claud. Bertazol. ad Patrem *consf.* 245. *littera A*, *vol.* 1.

105 Sextò, non dicitur quis Inconstans in seruanda pace, quando ignoranter offendit eum, cum quo inita pax fuerat, vt in casu, in quo consuluit Berous *consil.* 191. *num.* 9. *volum.* 3. quem refert, & sequitur Guaz. *d. tract. quæst.* 78. *num.* 15.

106 Septimò, non dicitur quis Inconstans in seruanda pace, si principaliter non habuit animum frangendi pacem, licèt in consequentiam veniat offensa, per quam aliàs pax rupta dici posset, Berous *dicto consf.* 191. *num.* 9. *vol.* 3. Guaz. *d. quæst.* 78. *num.* 16.

107 Octauò, non dicitur Inconstans in seruanda pace auxiliator, qui non habet pacem cum offenso à principali, secùs si & ipse haberet cum eo pacem, latè Guazin. *d. tract. tota quæst.* 79.

108 Nonò, non erit Inconstans in seruanda pace absens, pro quo etiam pax promissa est, si ante ratificationem pacis prædictæ offendat eum, cum quo inita est pax, etiam pro absente, Farinacc. *dicta quæst.* 107. *art.* 11. *num.* 273. & *consf.* 28. *num.* 10. Guaz. *d. tract. quæst.* 81. *num.* 1. latè idem Farinacc. *consf.* 150. qui *num.* 3. asserit, Sacram Consultam resoluisse, nec etiam respectu principalis paciscentis pacem dici ruptam, si offenderit vnum ex ijs, quem non offendere promisit, qui tamen pacem non ratificauit. Nec sufficere in casu esse racitam ratificationem, nempe productionem in iudicio Instrumenti pacis, latè idem Farinaccius *dicto consf.* 150. *à num.* 9.

109 Quæ opinio procedit etiamsi Notarius stipulatus fuerit pro absente, & pax facta fuerit coram Iudice, Farinac. *d. quæst.* 107. *num.* 279. & *num.* 288. Guazin. *d. quæst.* 81. *num.* 9. & 11. & Farinacc. *consf.* 150. *nu.* 19. & quamuis offensus vellet pacem ratificare, talis ratificatio non potest retrotrahi, vt offendens dicatur violasse pacem, vel promissionem, Farinacc. *dicta quæst.* 107. *num.* 278. Guaz. *d. quæst.* 81. *num.* 12.

110 An autem stante consuetudine in loco contractæ pacis, quod absque alia ratificatione pax, sine promissio pro absente facta censeatur violata per offensionem factam ab absente, seu absenti, Farinacc. *d. quæst.* 107. *num.* 284. valdè dubitat, quod talis consuetudo possit aliquem obligare, vt teneatur pœna pacis ruptæ, sed contrarium substinet Guaz. *d. quæst.* 81. *num.* 16. *vers. Sed ego benè credo.*

111 Alia autem, quæ spectant ad principales respectu absentium, qui offendunt eum, cum quo pax inita est, videnda sunt penès eundem Guazinum *dicto tractatu quæst.* 82. 83. & 84.

112 Decimò, non erit quis Inconstans in seruanda pace, quando pax nulla, & inualida est, Marsil. *singul.* 125. *num.* 45. Guaz. *dicto tract. quæst.* 85. *num.* 11.

113 Pro complemento huius materiæ sciendum est, quod pacis fœdera iacta inter Principes, sic se habent quoad eos, sicut pax inita inter priuatos, Bald. *consf.* 195.

num. 12. *lib.* 2. Guazin. *d. quæst.* 85. *num.* 8. vbi ex Baldo infert, quod si inter Principes facta est pax cum pacto, quod nullus debeat dare passum gentibus armatis in Italia, & alter ex pacificentibus construerit pontes, ex quibus pateret passus gentitibus armatis, vel si fecerit fortalitium aptum ad nocendum alteri Domino, cum quo pacem habet, non dicitur rupta pax, & Bald. sequuntur Tuschus, & Iulius Ferrettus, ille *in verb. pax conclus.* 181. *num.* 12. iste *tit. de ferijs num.* 160.

114 Sed de pace seruanda inter Principes videndus est eruditissimus vtinam Catholicus Hugo Grotius *de Iure Belli, ac Pacis lib.* 3. *toto cap.* 20. & 21. videndus est etiam Albericus Gentilis *simili tract. de iure Belli, lib.* 3. *cap.* 24. vbi latè quando fœdus violetur, & adducit omnes fere causas, quas in violatione pacis inter priuatos initæ adduximus.

115 An autem ante commissam pœnam possint partes Inconstantes recedere à contractu pacis, Guaz. *quæst.* 36. resoluit negatiuè, si absque consensu Principis recedant, quia per stipulationem Notarij nomine Cameræ illi ius est quæsitum per Textum *in l. Procuratori ff. de solut.* ibi, *quia certam conditionem habet stipulatio, quam mutare stipulator non potuit*, præsertim si recedendo à pace, vellent renouare bella, cum intersit Reipublicæ, ne publica tranquillitas turbetur, Hercul. *de caution. de non offendendo cap.* 9. *num.* 11. Quod tantò magis procederet, si vna pars nollet à pace recedere, Hercul. *loco cit. num.* 14. Guaz. *d. quæst.* 36. *num.* 5.

116 Si autem pœna esset applicata fisco, tunc quia pax nulla est, possent partes recedere, quod tamen non habet locum in Statu Ecclesiastico, in quo vigore Constitutionis Pianæ omnis pœna intelligitur stipulata pro Camera Apostolica, Guazin. *d. quæst.* 36. *num.* 7.

117 Addo pro Coronide, quod qui occidit eum, cum quo inita est pax, tanquam proditor non gaudet immunitate Ecclesiastica, vt latè probant tres illi Consulentes apud Farinaccium *consil.* 168. *num.* 74. & *in fine dicti consilij* dicit idem Farinaccius

118 ità fuisse à Sacra Consulta resolutum, & *in appendice de immunitate Ecclesiastica* idem tenet *nu.* 136. *in fine*, latissimè Giurb. *cons.* 60. *num.* 15. *vers. Proditor est*, & latiùs *nu.* 21. quod quidem nonnulli extendunt etiam ad eum, qui sub promissione de non offendendo alium occidit, vt in terminis tenet Peregrin. *de immunitate cap.* 7. *num.* 10. & 11. dicti Consulentes apud Farinaccium *cons.* 168. *num.* 74. Giurba *dicto cons.* 60. *num.* 15. idem Farinaccius *in appendice num.* 137. *in fine*, Thomas del Bene *de immunitate Ecclesiastica cap.* 16. *dub.* 20. *sect.* 3. *num.* 1. qui alios allegat.

119 Contrarium in hoc tenuere Riccius *decis.* 168. *par.* 1. *num.* 1. quem sequitur Donatus Antonius de Marinis *quotidianarum resolut. cap.* 174. *num.* 3. & hunc sequitur Diana 4. *par. tract.* 1. *resolut.* 34. Donat. de Afylia *resolut.* 149. *vers. Et procedit etiam*, Ciarlin. *controuers.* 151. *num.* 5. licèt in suo casu aliud determinauerit, Addent. *ad dictam resolut.* 174. de Marinis.

120 In hac materia Sacra Congregatio super controuersijs iurisdictionalibus, & immunitate Ecclesiastica pluries resoluit, dici proditorem eum, qui pace inita aduersarium occidit, dummodo pax, vel per instrumentum, vel per testes idoneos probata sit; non sic, quando adest sola pormissio de non offendendo, quia illa non extingnit taliter odium, & inimicitiam, vt inde occisus non habeat causam præcauendi, sed solùm operatur, vt veniens contra eam incurrat in pœnam promissam. & grauiter puniatur, Ciarlin. *controuers.* 116. *num.* 31. *in fine*, Addent. *ad dictam resolut.* 174. de Marinis.

121 Sicuti etiam non sufficit reconciliatio simplex, vt inde excludatur ab immunitate sequendo opinionem Riccij *d. decis.* 168. *num.* 2. & sequacium, cum præsumatur eum inimico reconciliato, durare

122 adhuc inimicitiam, Menoch. *de præsump. lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 57. cum alijs per Addent. *ad d. resolut.* 174. de Marinis *num.* 4.

123 Et quæ diximus de pace inita, & probata adhuc procedunt, siue pax facta sit de recenti, siue ab antiquo tempore, reiecta opinione eorum, quos citat Donatus de Afylia *d. resolut.* 149. *vers. Hæc intellige*, quod etiam aduertit Giurba *d. consil.* 60. *num.* 23. *vers. Nec Sacra Consulta*.

124 Verùm tamen est, quod si quis occideret aliquem ex noua causa, non priuaretur tanquam proditor immunitate Ecclesiastica, latè Ciarlin. *controu.* 151. *nu.* 34. *vers. Verumtamen*, qui tamen cautè legendus est, dum *num.* 33. inuoluit, & reconciliationem, & pacem de recenti factam, nam confunditur eius opinio per supradicta.

125 Inter alia præcepta Charitatis, præcipuum est illud erogandi eleemosynam, quod prouenit à iure naturali, & diuino, & ex genere suo sub mortali obligat, vt ex Euangelio, & Sanctis Patribus docet Suarez *de præcepto Charitatis disp.* 7. *sect.* 1. cui addo ex nostris Velasch. *de priuileg. Pauperum* 1. *par. quæst.* 34. *num.* 1. Valdes. *de eleemosyna* 2. *par. fol. mihi* 16.

126 Multa super hoc ipse Suarez, & alij Moralistæ tractant, & discutiunt, nempe quo tempore obliget hoc præceptum, ad quem extendatur, quibus sit facienda

eleemosyna, ex quibus bonis, in qua necessitate teneatur homo eleemosynam facere de bonis omnino superfluis: an teneamur facere eleemosynam ex necessarijs ad statum, non tamen ad vitam: an cum præceptum istud obligat, teneamur donare: an satis sit mutuare: an qui tenetur dare eleemosynam, si illam omittat, teneatur ad resarcienda damna, quæ inde eueniunt indigenti: Quas quæstiones per sex lectiones latè tractat Suarez loco citato, & nouissimè Eminentissimus D. Card. Raimundus Capisuecus in suis controuersijs, controuers. 29. & 30. ex nostris Leoncill. post hæc scripta visus, de priuileg. pauperum priuileg. 115. per tot.

127 Et prima erit quæstio, an ille, qui per longum tempus eleemosynam erogauit, possit Inconstans illam omittere, & amplius non facere: & illicitam esse Inconstantiam, quodq; qui consueuit eleemosynam dare, illam teneatur dare perpetuò voluit, Bart. in l. Priuilegia, nu. 3. C. de Sacrosan. Eccles. Abb. in cap. Abolenda, num. 6. & 8. de Sepulturis, & in cap. Suam num. 6. de Symonia, Felin. in cap. Sanctæ Mariæ, nu. 97. de Constitut. Auendan. de Exequendis mandatis, par. 2. cap. 4. num. 17. Borgnin. decisione 27. num. 33. par. 1. Menoch. de Arbitrar. Iudicum, lib. 2. cas. 160. num. 10. Caccheran. qui alios refert, decis. 99. num. 20. quos allegat P. Pasqualig. de Sacrificio nouæ legis, quæst. 1081. num. 2. addo Ego Franc. Marc. decis. 213. num. 2. & 3. par. 2. Surdus de Aliment. tit. 1. sect. 60. num. 6. & 7. Borell. in Summa, decis. de Oblation. tit. 18. nu. 19. Perez de Lara de Anniuersarijs, & Cappellanijs, cap. 12. num. 21. 22. & 23. Leoncill. d. tract. par. 2. priuileg. 117. num. 16.

128 Et propterea si Ciuitas daret quolibet anno certam quantitatem frumenti Religiosis, non posset Inconstans reuocare talem eleemosynam, Bart. d. l. Priuilegia, num. 2. Abb. in rubr. de Parochijs, nu. 3. & in cap. Abolenda, nu. 7. & 8. de Sepulturis, cum alijs supracit. Perez de Lara loco cit. n. 23.

129 Et si vigore Statuti illam erogaret, Inconstans tale Statutum reuocare non potest, Caccheran. d. decis. 99. nu. 20. Leoncill. d. priuil. 117. nu. 3. cum seq. Tiraquell. de Priuil. piæ causæ, priuil. 159. vbi tamen refert contrarium sentientes.

130 Concordat opiniones Iason. in l. Non amplius, §. Si certum, num. 15. ff. de legat. 1. vt prior opinio procedat, quando statuentes vellent sine causa reuocare; Secunda verò, si vellent illam cum causa tollere; & quod non possit reuocari istud Statutum tenet Fermosin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæst. 20. num. 28. Saltem sine causa, quod eo magis procederet, si esset tale Statutum à Summo Pontifice confirmatum, Fermosin. loco cit. num. 29. in fine.

131 Hinc etiam infertur, quod si quis diuturno tempore in Ecclesia fecerit celebrare anniuersarium pro Defunctis, non potest Inconstans illud prætermittere, sed potest cogi, vt in futurum illud celebrare faciat cum solita eleemosyna; & oblatione, vt resoluit Guttierez Quæstion. Canonicarum, lib. 2. cap. 21. num. 154. quem sequitur Perez de Lara loco cit. num. 25.

132 Contrarium voluit Pasqualigus. dicta quæst. 1081. num. 3. ea motus ratione, quod simus in facultatiuis, in quibus nullo vnquam tempore inducitur consuetudo, Bart. in l. Quo minus, num. 7. ff. de Fluminibus, cum alijs per eum allegatis.

133 Quę tamen ratio reijcitur à Guttierez d. cap. 21. num. 144. vbi quod fauore Ecclesię ex actibus voluntarijs inducitur animus, se in futurum obligandi, cap. Veniens, il primo, de Testibus, vbi Abbas, & Felyn. num. 3. idem Abb. in cap. Suam, n. 5. de Symonia, vbi tribus modis soluit hanc difficultatem, quem sequitur, Caccheran. d. decis. 99. num. 43.

134 Limitat tamen Guttierez ex sententia Soti lib. 9. de Iust. & iur. quæst. 3. art. 1. vers. Nam vsu, quando talis præstatio eleemosynæ fuerit gratuita, & per modum liberę deuotionis; quod idem asserit Pasqualig. d. quæst. 1081. num. 8. vbi quod eleemosynę consuetæ dari pauperibus, tunc obligant, quando præstationem præcedit titulus, qui
135 per ipsam confirmatur, nempè quandò præstatio fit ab ijs, in quibus agnoscitur aliqua naturalis obligatio subueniendi pauperibus, pro cuius executione erogantur eleemosynæ, non autem quando sunt omninò liberales, & absque titulo, vndè possit inferri necessitas.

136 Et quamuis præstatio decennalis faciat præsumi titulum, Doctor. in l. Si certis annis, C. de pactis, dicit tamen habere locum, quando titulus, seu causa & obligatio allegatur, secùs si non allegetur, vt dicunt Doctores in l. Si certis anuis, quem Textum ad hunc propositum expendit Perez de Lara d. cap. 12. à num. 3.

137 Et quod actus facti ex causa deuotionis, & eleemosynæ non obligent in futurum, resoluit Rota dec. 543. n. 3. p. 3. rec.

138 Quod tamen non procederet, quandò actus essent continuati, per longissimum tempus, & vniformes, vt innuit ibid. Rot. in fin. num. 3.

139 Eo maximè quando concernunt fauorem piæ causæ, quia tunc sufficiunt decem anni, Felin. in d. cap. Ad Apostolicam, num. 3. & Abbas in dicto cap. Suam, num. 8. Ofasch. d. decis. 99. num. 17. Couuarr. lib. 1. variar. cap. 17. num. 3. Tondut. lib. 1. Canonic. cap. 39. num. 17. Sperell. decis. 80. num. 8. Rota decis. 365. num. 4. par. 2. recent. vbi etiamquod obiectum, quod versemur in

facultatiuis cessat, quandò concurrit fauor Ecclesiæ, & piæ causæ, vt *ibi num.* 5.

140 Nam fauore piæ causæ, & Diuini cultus non præsumitur materia facultatiua, Addent. *ad decis.* 162. Grogorij Deciniiquinti *num.* 15. *in fine, versic.* 3. quod idem voluit, Rota *in decis. allegatis* à Paulo Ranuecio apud Cencium *de censibus, quæstione* 81. *numero* 15. *versiculo* 2. *quia*,

141 vbi, quod præstatio diuturna quando fit in piam causam, etiamsi ex mera liberalitate, inducit obligationem, Leoncill. *dicto tract. part.* 2. *priuileg.* 117. *num.* 19.

142 Crederem Ego in hac materia sic distinguendum, quod si eleemosyna est solita erogari in certos pauperes alicuius Ciuitatis, vel loci, & præstatio semper fuerit vniformis, saltem per decennium, non possit tali casu erogans esse Inconstans, secùs autem si pauperes sint incerti, veluti illi, qui confluunt ad Ædes piorum virorum, & quotidiè stipem, & eleemosynam accipiunt.

143 Cum enim sint quandoque numero plures, quandoque pauciores, & eleemosyna non sit vniformis, tunc videtur iste actus esse merè facultatiuus, vt non subiaceat præscriptioni, vel consuetudini, nam vt inquit Rota *decis.* 139. coram Card. Othobono, eleemosynæ, & oblationes, quæ non habent certum subiectum, sed inconstans, & variabile, & dependens ex hominum voluntate, non posſunt à solito vnius, vel plurium annorum liquidari in aliqua certa summa.

144 Et propterea vt dixit eadem Rota *in Maioricen. Capellaniæ*, coram Orano registrata perGarz. *de benefic. par.* 5. *cap.* 3. *n.* 156.

145 huiusmodi eleemosynæ non computantur in fructu beneficij tanquam voluntariæ, & incertæ, nisi essent solitæ locari singulis annis pro certa quantitate.

146 Hinc deducitur, quod licèt ad eleemosynam Prædicatori erogandam populus non teneatur, sed ad eum spectet, qui habet curam animarum, hoc est principaliter ad Episcopum demùm ad Parochum, qui tenentur populo prædicare, vt resoluit Rota in Magistrali decis. bonæ mem. Merlini, *quæ est decis.* 598. *in eius impressis*, cui addo Tondut. *d. cap.* 39. *nu.* 18. Francesc. *de Eccl. Cathed. tit. de Pulpito Eccles. Cath. cap.* 18. *num.* 116. Fagnan. *in cap. Inter cetera de offic. ordin. num.* 14. Zacch. *de Salario, cap.* 4. *num.* 50. *&* 51.

147 Ità vt Parochus excusari non possit ob tenuitatem fructuum Beneficij, quia sibi imputet, si Beneficium tenue acceptauit, Merlin. *d. decis.* 598. *num.* 55. & de Episcopo idem tradit, Zach. *dicto cap.* 4. *num.* 54.

148 qui tamen *in fine* dicit, quod si Episcopo non remaneret necessarium pro sui sustentatione, teneretur populus; addendi sunt Leo *in Thesauro fori Ecclesiastici*, Riceull. *Lucubrat. Ecclesiast.* Squillant. & Riccius *allegati* à Frances *loco citato numero* 120.

149 Nihilominus si adsit consuetudo, quod laici præstent eleemosynam Prædicatori, non possunt Inconstantes illam denegare, sed debent in futurum præstare, & ad hoc cogi possunt, Sperell. *decisione* 70. *num.* 1. 11. *&* 12. Tondut. *d. cap.* 39. *num.* 15. & pluries Sacra Congregatio resoluit, vt per Barbos. *de potestate Episcop. allegat.* 76. *numero* 10. *& in Summa Bullar. Apostolicarum verb. Prædicator. numero* 13.

150 vbi quod Vniuersitas non potest eleemosynam consuetam ad minorem quantitatem reducere, vt in vna Viterbien. Ciuitatis Vetulæ *de mense Septembris* 1610. Zacch. *d. cap.* 4. *num.* 52. vbi *num.* 53. ait, quod si consuetudo esset dubia, & ignoraretur, quorum sumptibus conducendus veniret Concionator pro Quadragesima, tali casu donec definiretur quæstio, deberet Episcopus conducere Concionatorem de proprio.

151 Sed quia in hac materia, Fagnan. *in d. cap. Inter cetera, num.* 18. *&* 19. distinguit sex casus respectu Ecclesiæ Cathedralis, & alios sex respectu Ecclesiarum inferiorum; adducam eos, qui ad propositum faciunt.

152 Primus ergo casus erit, qui est secundus apud Fagnan. quando Episcopus eligit Prædicatorem, & populus, seu Vniuersitas ex consuetudine non tamen immemorabili soluit ei eleemosynam, tunc potest esse Inconstans, & eleemosynam non præstare, quia Concilium quoad hoc sustulit huiusmodi consuetudinem, & ità pluries fuisse resolutum dicit Fagnan. *loco cit. num.* 20.

153 Secundus casus, qui est tertius apud eundem est, quandò Episcopus eligit Prędicatorem in Cathedrali, & Vniuersitas à tempore immemorabili soluit ei eleemosynam, tunc Vniuersitas Inconstans esse nequit, sed potest cogi ad eleemosynam soluendam, vt pluries resoluit Sacra Congregatio, præsertim in Reatina, & Meliten per eum adductis.

154 Quod procedit etiam respectu Regularium, qui ab immemorabili tempore soluunt eleemosynam Concionatori Ecclesiæ Cathedralis, non obstante quodam Decreto B. Pij Quinti, per eum relato, *num.* 21. *vers. Post autem.*

155 Tertius casus, qui est quartus apud eundem, quando Episcopus soluit eleemosynam Concionatori, quem populus eligit, nam Episcopus non potest esse Inconstans in ea soluenda, sed electionem Prædicatoris potest sibi vindicare, non obstan-

obstante consuetudine etiam immemorabili, cui hoc casu Concilium Tridentinum derogauit, *vt in cap.4. sess.25. de reformat.* Fagnan. *num.22.*

156 Quartus casus est, qui est quintus apud eundem, vbi populus, vel alius ex consuetudine non tamen immemorabili eligit Prædicatorem, atq; illi sic electo præstat eleemosynam, nam Episcopus potest sibi electionem Prædicatoris vindicare, sed non potest populum ad illam soluendam cogere, Fagnan. *loco citato num.24.*

157 Quintus casus, qui est sextus apud eundem, est, cum populus, vel alius eligit Prædicatorem ex immemorabili consuetudine, atque eidem præbet eleemosynam, Sacra Congregatio censuit, posse quidem Episcopum electionem Prædicatoris sibi vindicare, sed non compellere populum ad eleemosynam, quam illi ab immemorabili tempore præstare consueuit soluendam.

158 Esse autem in electione Episcopi, vtrum ipse malit Prædicatorem eligere, cum populus, vel alius illum ab immemorabili tempore eligere consueuerat vel Prædicatoris electionem alteri ex immemorabili competentem relinquere, ità tamen, vtsi Episcopus huiusmodi electionem sibi assumat, populum, vel alium ad solitas impensas non compellat.

159 Sin verò populo, vel alio prædictam facultatem eligendi Prædicatorem relinquat eundem cogere possit ad eas impensas, quas in hanc causam præstare solitus esset, atque ità in specie respondit Sacra Congregatio ab Archiepiscopo Cæsaraugustano consulta Fagnan. *ibidem num.24.*

160 Quo verò ad Ecclesias inferiores, primus casus est, quandò Episcopus eligit, & alius soluit eleemosynam Concionatori, hoc casu, qui soluit, non potest Inconstans esse in solutione eleemosynæ, vt cauetur *d.cap.4. sess.25.de reformat.* Fagnan. *num.25.*

161 Secundus casus est, vbi Episcopus Prædicatorem eligit, & eleemosynam præstat, & hoc casu Episcopus non potest esse Inconstans in solutione eleemosynæ, Fagnan. *num.26.*

162 Tertius casus est, qui est quintus apud Fagnan. quando populus, vel alius solet præstare eleemosynam, & ex immemorabili consuetudine Prædicatorem eligit, tunc non potest esse Inconstans in solutione eleemosynæ, si vult vti facultate eligendi, Fagn. *num.28.vers. Quintus*, vbi *numero* 29. subiungit quousque Vniuersitas probet immemorabilem per tres conti-

163 mes, Episcopum debere eligere, cum ei sufficiat sola Iuris assistentia, vt ipse dixit *num.12. & 13.*

164 Licet quandoque ex aliqua rationabili causa, puta ad vitanda scandala, Sacra Congregatio Episc. & Regular. cum imminente Quadragesima prę angustia temporis iura Partium examinari non possunt, consueuit rescribere, vt pro ea vice seruetur solitum, per modum tamen prouisionis, & sine præiudicio iurium vtriusque Partis, tam in petitorio, quàm in possessorio; vel A.C. solet deputare pro ea vice Prædicatorem ex officio cum clausulis præseruatiuis ambarum Partium; & ità obtinui in vna Perusina; & altera Prænestina.

Quartus, & vltimus casus, qui est sextus apud Fagn. Quando populus, vel alius ministrat eleemosynam, & expensas Concionatori, & eum eligit ex consuetudine, non autem immemorabili; & tunc licet consuetudo ista sublata sit à Concilio, tamen vbi duo hæc concurrunt, vt

165 populus præstet eleemosynam, & eligat ex consuetudine Concionatorem, tunc Sacra Congregatio Episcop. & Regular. respondit, posse quidem Episcopum electionem sibi vindicare, sed non compellere Vniuersitatem, vel alium ad eam eleemosynam præstandam, quam à se electo Prædicatori præstare consueuerat, Fagnan. *ibidem num.31.*

166 Hæc autem Decreta referuntur à Barbos. *in Collectan. Apostolic. decis. collect.592. in verb. Prædicator*, & à Nicolio *in Flosculis verb. Prædicator*, & in Decretis *MM. SS. S. Congregat. Episcop. & Regular. eodem verbo.*

167 Addo Ego alium casum, quo tenetur Vniuersitas eleemosynam præstare, quandò scilicet in tempore non præsentauit Episcopo Concionatorem, quod tempus solet esse per totum mensem Nouembris Quadragesimæ præcedentem, vel si præsentatus reiectus fuerit per totum mensem Decembris, aliàs elapso anno amittit ius nominationis, & tenetur nihilominus eleemosynam præstare; sic Nicolius *loco cit. verb. Prædicator, num.1. vers. Et Communitas.*

168 Quid autem circa huiusmodi eleemosynam obseruetur in Francia, videndus Mainard. *decis.34. 35. 36. 37. & 38. lib.1.*

169 An verò diuites possint cogi ad præstandam eleemosynam pauperibus, & an pauperes habeant actionem aduersus illos, vel Iudicis officio compelli possint, videndus est Aluar. de Velasco *de Priuileg. pauper. par.1. quæst.34.* Leoncill. *eod. tract. par 2. priuil.115. num.1. cum seqq.* & præsertim *num.17. 18. 19. & 28.*

170 Addo, quod Capitulum tenetur ad præstandas illes eleemosynas, ad quas Episcopus obligatus est, Themud. *decis.75. num.9. par.1.*

171 Secundò quęro, an ille qui tenetur

eleemosynam erogare, si Inconstans illam non præstet, teneatur ad resarcienda damna, quæ indè veniunt indigenti, & dicendum est, quod si quis tenetur ex solo præcepto Charitatis eleemosynam erogare, si indè Inconstans sit, non tenetur resarcire damna ob eam Inconstantiam illata.

172 Si verò tenetur ex obligatione Iustitiæ, vt qui habet bona designata, vt distribuantur in pauperes, tunc si Inconstans non distribuat, renetur ad restitutionem, Suarez *disp. 7. de Præcepto eleemosynæ, sect. 6.*

Tertiò quero, an quis Inconstans repetere possit eleemosynam ab eo, qui simulata paupertate, sanctitate, infirmitate, aut alia simili causa illam accepit? Et breuiter dicendum est, quod si dans eleemosynam ob causas illas creditas, ità eas det; vt, supposita petentis fictione, actualis, aut quasi habitualis animus sit, eam non donare, accipiens tenetur illam restituere, & dans potest illam repetere; alioquin talis Inconstantia non admittitur, vt latè Molin. *de Iust. tract. 2. disp. 210.* Animus autem ità eleemosynam erogantis quomodo cognoscatur, vt possit Inconstans illam repetere; hoc pendet ex circumstantijs in casibus particularibus, vt benè explicat idem Molina *d. disput. 210. vers. Quando*, ibi:

Quando autem animus dantium ita eleemosinam, sit, vt donatio non valeat, atque adeo quando accipientes restituere teneantur, aut non, nulla potest statui certa regula, sed in euentibus particularibus, expectatis circumstantijs concurrentibus, indicandum est. Quo enim fictio causæ maior fuerit ac fœdior, quam dantes plus solent excerari, minoresque aliæ causæ veræ fuerint ex parte accipientium, ad illam accipiendum aut retinendum, seu non restituendum postquam fuerit accepta, eò plurium vel etiam omnium credendum est, quasi habitualem animum esse, vt donatio sit nulla, atque vt accipiens restituere teneatur: quo verò fictio minor, minusque fœda fuerit, & plures ac maiores aliæ causæ veræ fuerunt ad eleemosynam petendum, aut retinendum, postquam fuerit accepta, eo pauciores, aut etiam nullos, credendum est habere quasi habitualē animum vt restituere teneatur. Item, attendenda est quantitas eleemosynæ, quam quisque dedit, vtrum sit parua, an magna & inconsueta: si enim magna, & inconsueta sit plus credendum est animum dantis esse, vt accipiens restituere teneatur. Respiciendum quoque est ad generositatem dantis, quo enim benignior ac munificentior fuerit, eò minus credendum est velle, vt accipiens restituere teneatur. His, & alijs circumstantijs expensis, indicandum est, an accipiens totum, aut partem restituere teneatur. Et quidem si res dubia sit, non est melior conditio eius, qui fraude, ac dolo eleemosynas extorsit, esto ipse possideat. Tum, quia fraus, & dolus nulli debent patrocinari. Tum etiam, quia non cepit bona fide possidere. Quo fit, vt in dubio ad restitutionem aliquam pro dubij quantitate sit astringendus.

173 Cæterum, quia schisma est peccatum contra Charitatem, hic tractandum esset de Inconstantia circa vnitatem cum Ecclesia, & eius Capite, sed quia de ea diximus in materia fidei, ad illam Lectorem remitto.

Finis Secundæ Partis.

INDEX

CONCLVSIONVM, QVAESTIONVM, ET MATERIARVM

In Tractatu de Inconstantia in virtutibus Fidei, Spei, & Charitatis præcipuè contentarum.

A

ABSENS

ABRASIO

ABSOLVTIO

ABVSVS

ADAGIVM

ADIMPLEMENTVM

ADMINISTRATIO

ADMONITIO

ADOPTIO

ADORATIO

ADVLTERIVM

ADVLTVS

BONA

C

CADAVER

CÆLIBATVS

Clerico-

CAVTELA

CELEBRATIO

CESSATIO

CHARITAS

COLLE-

CONCILIATIO

CONCILIA

CONCILIVM

CONFISCATIO

CONFÆDERATIO

CONFRATERNITAS

CONGREGATIO

CONIVGATVS

CONIVRATIO

CONIVX

CONSANGVINEVS

CONSCIENTIA

CONSCII

CONSECRATIO

DIFFERENTIA

DIGNITAS

DILATIO

DILECTIO

DILIGENTIÆ

DIMINVTVS

DISCALCEATI

DISPENSATIO

DISPOSITIO

DISSOLVTIO

DISTINCTIO

ECCLESIASTICI

EDICTVM

EFFECTVS

EGRESSVS

ELECTIO

ELEEMOSYNA

EPISCOPVS

EXEMPLA

EXEMPTIO

EXORCISTÆ

EXPENSÆ

EXTENSIO

EXTRAVAGANS

F

FACTVM

FAGNANVS

FALSITAS

FAMA

FAMILIA

FAMILIARES

FAMVLI

FASCES

FAVOR

FOEDVS

FORENSIS

FORES

FORMA

FORMVLA

FORNICATIO

FRAGILITAS

FRATER

FRATRES

FREQVENTIA

FRVCTVS

HÆRETICVS

HALLOIS

HÆBREI

HIEREMIAS

HISPANI

HISTORIA

HOMICIDIVM

HOMINES

HOMO

ILLVSIO

IMAGINES

IMMVNITAS

IMMVTABILITAS

IMPEDIENTES

IMPEDIMENTVM

IMPEDITVS

Alia

IVDÆI

Matrimo-

IVDEX

IVDICIVM

IVRAMENTVM

LICENTIA

LIQVIDATIO

LITTERÆ

LOCVS

M

Eripiens

MVLIO

MVNERA

Index Tomi Primi.

MVTATIO

MVTVVM

MYSTERIA

N

NATVRA

NAVES

PECCATOR

PECCATVM

POENITENTIARIA

POENITENTIA

POLYGAMIA

PRIVILEGIVM

Reliqua vide *in suis sedibus*.

REX

RITVS

RVSTICI

Alia etiam vide sub verbis *Pertinacia*, *Simplicitas*.

RVTHENI

Vide etiam sub verbo *Facultas*.

S

SACERDOS

SACERDOTIVM

SACRAMENTALIA

SACRAMENTVM

SACRIFICIVM

SCRIP-

SORTILEGIVM

SPES

SPONSALIA

STATVS

STATVTVM

Z

ZINGARÆ

FINIS.